THE LIBRARY OF CONGRESS
1800

Class BS2355
Book .K4

GPO

460
2325

Dr. CAR. AUG. THEOPH. KEIL

THEOL. PROF. PRIMAR. LIPS.

natus Haynae d. 23 April. 1754. ——— ob. Lipsiae d. 22 April 1828.

Ex Libris Georgii W. Hunt Et. c1910 CCCXX

D. CAR. AVG. THEOPH. KEILII,

THEOL. DOGMAT. IN ACADEMIA LIPSIENSI NVPER PROF. P. O. PRIMAR., ECCLESIAE CATHEDRALIS MISENENS. CAPITVLARIS, CONSISTORII REGII LIPSIENSIS ADSESS.

OPVSCVLA ACADEMICA

AD N. T. INTERPRETATIONEM GRAMMATICO-HISTORICAM ET THEOLOGIAE CHRISTIANAE ORIGINES PERTINENTIA

COLLEGIT ET EDIDIT

IOHANNES DAVID GOLDHORN,

THEOL. D. EIVSDEMQVE PROF. DES. ET AD AEDEM THOMANAM LIPSIENSEM ARCHIDIACONVS.

Cum effigie auctoris.

LIPSIAE

IMPENSIS IOHANNIS AMBROSII BARTHII.

MDCCCXXI.

BS2355
.K4

DREW THEOLOGICAL
SEMINARY LIBRARY

EXCHANGE

JAN 24 1908

PRAEFATIO.

Conſilii, quod in edendis b. Keilii opuſculis academicis ſecutus ſim, rationem paucis reddere cum iuſta in optimum praeceptorem pietas tum debita lectoribus futuris reuerentia ita me iubet, vt illis ſine vllo praefamine in publicam lucem producendis aduerſus vtramque grauiſſime delicturus eſſe videar. Pietatis enim in praeceptorem de te meritiſſimum quum omnino ſit, vt quantum poſſis, facias, quo minus merita apud poſteros laude careat, atque adeo vitae indefeſſa aſſiduitate literis impenſae fructu mortis iniuria priuetur; cur ego dubitauerim eruditionis eximiae, quam b. Keilius religioſa laboris patientia magis quam ſingulari ingenii alacritate ſibi comparauerat, ſpecimina ea colligere, quae in corpus non mature redacta paucis annis praeterlapſis niſi prorſus interitura, communi tamen vtilitati parum inſeruitura eſſent. Ineſſe autem his Keilii libellis academicis, paruae quidem molis, ſi ſingulos ſpectes, magnam laudis, quae eius doctrinae debetur, partem, maximo meo iure et ipſe cenſeo, et lectores rerum theologicarum peritos facile inuenturos ac mihi conceſſuros eſſe confido.

Arctiſſime enim omnes hi libelli nexi ſunt cum illo literarum theologicarum genere, quod prae ceteris ſibi tractandum et colendum ab eo inde tempore ſumſerat, quo finito curriculo academico, ipſe theologiae in ſcholis academicis docendae conſilium ceperat. Hoc autem conſilium quum (anno 1781, ipſe viginti ſeptem annos natus) *Iohanne Auguſto Erneſtio* et poſt hunc maxime *Samuele Friderico Nathanaele Moro*, primum praeceptoribus, mox fautoribus et amicis, auctoribus et ſuaſoribus cepiſſet; haud mirabitur, qui hos duumuiros, theologicae ſui temporis diſciplinae ſtatores et decora, aliquantum nouit, hunc ipſorum diſcipulum et alumnum ab ea theologiae parte curſum ingreſſum eſſe, qua colenda illi ipſi plurimum effecerunt, quam auditoribus omnibus prae ceteris commendarunt, quaeque omnis theologicae inter Chriſtianos doctrinae primaria eſt, a Scripturae Sacrae exegeſi et a decretorum theologicorum hiſtoria. Nimirum inter omnes theologiae cultores conſtat, *Erneſtium* et *Morum* in Academia Lipſienſi primos fuiſſe, qui ſcripturae ſacrae interpretationem a ſcholarum dogmaticarum imperio in libertatem vindicarent, atque adeo in quovis librorum ſacrorum loco primum omnium, quid grammatica iuberet et hiſtoria doceret, eſſe quaerendum et tenendum praeciperent. Vterque enim conſtanter docuit, easdem cum ſacrorum tum profanorum auctorum libros interpretantibus leges

esse scriptas et sequendas, neque ad illorum verum sensum alia ratione ac via posse perueniri, quam ea, quae horum interpretibus quouis tempore a doctis hominibus fuerit monstrata. His monitis Keilius obsecutus istorum summorum virorum philologicis non minus quam theologicis lectionibus assidue interfuit; quo adcuratissimam linguarum veterum cognitionem sibi pararet, graecae praecipue, quippe iam tum singulari N. T. studio incensus, illorumque exemplo disceret, quale ad rectam cuiusuis libri interpretationem in grammatica et historia positum sit adiumentnm. Eadem de causa eo ipso tempore historiam etiam illius aeui, quo Iesus docuit Apostolorumque scripta sunt exarata, diligentissime persecutus est, atque omnium maxime eo animum aduertit, vt theologiae et philosophiae illius temporis decreta in vulgus nota atque communi fide recepta colligeret et illustraret; ab ipsis illis praeceptoribus monitus, horum iustam aestimationem in explicandis N. T. scriptoribus egregium esse interpretationis praesidium, saepius et diligentius, quam adhuc factum fuerit, in auxilium vocandum. Hac igitur studiorum ratione sequenda eo perductus fuit, vt interpretationis grammatico-historicae rem agendam sibi constitueret, dogmatumque Christianorum primas origines perscrutandi prouinciam sibi demandatam esse haud dubitaret.

In his autem potissimum futurorum suorum studiorum consilium ac rationem ipsum posuisse

primo ſtatim, quo Academici doctoris dignitatem ſibi vindicauit, ſpecimine publico luculenter docuit, notiſſima illa, quae hac in ſylloge alterum locum occupat, *hiſtoria dogmatis de regno Meſſiae, Chriſti et Apoſtolorum aetate ad illuſtranda N. T. loca accommodate expoſita;* quae, anno 1781 primum edita, omnium et S. S. interpretum et theologorum animos in auctorem conuertit, atque haud mediocrem de eius circa ſacras literas ſtudiis et laboribus expectationem excitauit. Non enim eruditionis theologicae tantum copias in ea conſpexere haud vulgares, (quarum egregium ſpecimen aliud paulo poſt exhibuit edendo libro: *ſyſtematiſches Verzeichniſs derjenigen theologiſchen Schriften, deren Kenntniſs allgemein nöthig und nützlich iſt;* cuius altera editio prodiit Stendaliae 1792) ſed animi etiam in colendis literis vere candidi vnoque veri ſtudio flagrantis veſtigia in eadem luculentiſſima facile deprehenderunt. In tractando quippe ſuae diſſertationis argumento idem fere Keilius expertus eſt, quod Arminio quondam accidiſſe narrant. Qui quum Coornherti librum de peccato originis et praedeſtinatione adcuratisſime eo conſilio examinaſſet, vt erroris eum argueret, ita fuit auctoris confutandi ingenii ſubtilitate argumentorumque ab eo propoſitorum grauitate perculſus, vt rei antea impugnatae poſt ipſe acerrimus exiſteret defenſor et vindex. Simili modo Keilius ipſe narrat, p. 25., ſe, quum

primum in Koppii de *βασιλείᾳ τῶν ἐρανῶν*, in omnibus N. T. locis vno eodemque ſenſu dicta, disputationem incidiſſet, valde aduerſariam Ieſu et Apoſtolorum doctrinae hanc interpretationem fuiſſe arbitratum, poſt vero, omni re diligentius tractata, non ſine multa admiratione ſenſiſſe, in eadem ſententia cum Koppio ſibi eſſe verſandum. Hoc ipſo autem modo quum de hiſtoricae interpretationis grauitate et vi ſua ipſius experientia edoctus fuiſſet; haud parum ipſius animus in eo ſtudio confirmatus fuit, quo illi interpretationis generi antea iam fauere coeperat. Hinc poſtquam literarum ſacrarum interpretationem publicis in Academia Lipſienſi ſcholis docere inſtituerat, pauco interiecto tempore animaduertere ſibi viſus eſt, hiſtoricam interpretandi rationem, vti tunc quidem res ſe habebant, ſatis neque praeceptis commendari neque exemplis illuſtrari. Quapropter mature iam de eo meditari coepit, vt hiſtoricae interpretationis regulas ſparſim hic illic propoſitas colligeret, nondum autem rite ſcriptas ſuppleret, et vtrasque iuſta artis forma indueret, verbo, de adornando hermeneutices compendio conſilia agitauit, vti ipſe diſertis verbis in ea commentatione indicauit, quam de *hiſtoricae interpretationis neceſſitate* anno 1788 ſcripſit, inſerta opuſculorum p. 84 ſqq.

Semlerum enim quamquam in *praeparatione ad theologiam hermeneuticam* (anno 1760) de hiſtoricae interpretationis grauitate et

neceſſitate egregie expoſuiſſe bene nouerat, eundem tamen ſerius animaduertit, in *Apparatu ad liberaliorem N. T. interpretationem* (anno 1767.) parum ſibi conſtituiſſe, imo adeo in poſterioribus libris quibusdam legibus a ſe ipſo antea ſcriptis non ſatis obtemperaſſe.

Erneſtium vero, cuius *inſtitutionem interpretis N. T.* (quae primum edita fuit anno 1761) quanqum et ipſe nunquam non ingenue admiratus et debita laude proſecutus fuit, hiſtoricam tamen interpretationem vna tantum paragrapho breuiſſima (Part. I. ſect. II. cap. I. §. 16) attigiſſe, atque in commendanda vnice grammatica, ſenſu ſtrictiſſimo dicta, acquieuiſſe, cum legenda hac inſtitutione ipſa tum audiendis auctoris ſuper ea praelectionibus cognouerat, atque adeo intellexerat, in quibusdam hermeneutices ſuae locis illum ſic iudicaſſe, magis vt doctrinam ſusceptam et conſuetudinem quam veritatem ſequeretur.

Illius autem librum quum *Morus* etiam in ſuis ſcholis hermeneuticis ducem ſibi legiſſet, non mirum eſt, nec ab hoc egregio artis hermeneuticae doctore de hiſtorico interpretandi genere adcuratius fuiſſe expoſitum, quanquam in ipſis N. T. libris auditoribus explicandis ita ab Erneſtii ratione diſceſſit, vt rectiori ad librorum ſacrorum intelligentiam via diſcipulos duxiſſe rectiſſime dici poſſet. Neque hunc hiſtoricae interpretationis neglectum immortali viro, vti ab aliis ipſius diſci-

pulis ita a Keilio etiam perperam exprobratum fuiſſe, eius rei locupletiſſimus teſtis adeſt *Henr. Car. Abr. Eichſtaedt*, qui *Sam. Frid. Nath. Mori ſuper hermeneutica N. T. acroaſes academicas* edidit duobus voluminibus Lipſ. 1797 et 1802. Is enim pluribus locis vol. I v. c. p. 138. 144. all. aperte profeſſus eſt, in auctoris praeceptis iuſtam de hiſtoriae in interpretando adhibendae ratione inſtitutionem recte deſiderari; quid quod ad finem vol. II. p. 339 diſerte promiſit, ſingulari ſe libello, cum volumine tertio ſimul edendo, praeter moralem, quae poſt Mori fata demum per breve tempus coli coepiſſet, hiſtoricam quoque interpretationem eſſe expoſiturum, a Moro fortaſſe propterea omiſſam, quod cum grammatica eam coniunctiorem eſſe crediderit. Hoc autem conſilium vt non confeſtim exſequeretur, id eo haud dubie factum eſt, quod praefationis p. 41 ſcripſit, magnam hac ipſa in re ſibi expectationem motam eſſe noua hermeneutices N. T. inſtitutione, quam a *Chriſtoph. Frid. Ammonio*, Theologorum nunc regni Saxonici Primario, poſt quartam libri Erneſtiani editionem (1792) parari audiuerit, additis verbis his: *cui nos quidem publicae vtilitatis cauſa ſociam precamur atque aemulatricem eam hermeneuticam, quae Car. Aug. Keilii docto et ſevero ſtudio iam diu excolitur. Quo minus enim a Beckio noſtro, quod publice promiſit, nunc quidem flagitare audeamus, plurimae eius li-*

teris ac literatis votae occupationes prohibent. Qui quum haec ſcriberet, ſi autumare potuiſſet, Keilium (qui interea in Mori ao. 1792 fatis functi locum theologiae Profeſſor ordin. creatus fuerat, quum iam in eo eſſet, vt Vitebergam, Reinhardo Dresdam euocato ſucceſſurus, peteret) poſt tredecim demum annos compendio ſuo, Ammonium vero non ſuo ipſius ſed Erneſtii tantum libro quintum (anno 1805) edendo ipſius ſpei ſatisfacturos; profecto expectationi publicae ſuoque ipſius de ſingulari hiſtoricae interpretationis expoſitione promiſſo haud fuiſſet defuturus, ſi quidem vix ſperare licet, fore, vt quatuor ferme poſt quinquennia praeterlapſa ſit perfecturus, quod ab eo promiſſum omnes gratulati, recuſatum vero iidem omnes conqueſti ſunt. Exſtiterunt quidem poſt Semlerum et Erneſtium, antequam Mori acroaſes per Eichſtadtium publici iuris factae eſſent, qui hermeneuticae artis leges variis modis vel repeterent vel ornarent et amplificarent, adhibitis in ſuam rem cum iſtorum duumvirorum disputationibus, tum aliorum etiam de recta ſacrorum librorum interpretatione monitis, paſſim et aliud agendo nonnunquam propoſitis. Hi autem quum tantum non omnes Veteris etiam Teſtamenti hermeneuticam ſimul docendam ſibi ſumſiſſent, non poterant Keilii, Erneſtium et Morum aliter docentes et poſtulantes ſecuti, plauſum ferre ipſiusque de adornandi compendii hermeneutici conſiliis impedimenti quicquam obiicere. Parum ta-

men aberat, quin ab illo prorſus dimoueretur, quum *Chriſt. Dan. Beckii* (omnium nunc in Academia Lipſienſi, ipſius plane admirabili eruditione et inſuperabili aſſiduitate per annos quadraginta et amplius condecorata et aucta, doctorum ſenioris grauiſſimi, praeceptorisque etiam mei grate et pie ſemper colendi,) *Monogrammata Hermeneutices librorum* N. T. vol. I. Lipſiae 1803 ederentur.

Non enim poterat non et ipſe in iuſtiſſimae illius laudis communionem accedere, qua omnes in hoc genere docti viri hunc librum ſalutandum atque adeo ſuscipiendum ſtatuerent, quippe prorſus accommodate ei hermeneuticae ſacrae rationi ſcriptum, qualis iam poſt tot virorum doctiſſimorum repetita ſtudia reddita fuerat. Verum quum poſt ſex annorum expectationem Keilius de alterius voluminis editione prorſus deſperare coepiſſet, praetereaque illa Monogrammata in praeceptis hermeneuticis nectendis ordinem, in explicandis rationem atque in confirmandis illuſtrandisque modum ſecuta eſſe intelligeret, qui haud parum diuerſus eſſet ab eo, qui ſibi poſt multorum annorum et meditationes et vſum ſcholaſticum viſus fuerat maxime idoneus, ipſe tandem poſt annorum viginti duorum a prima hiſtoricae interpretationis commendatione haeſitationem doctorum, quam de ſe excitaverat, expectationi ſatisfecit atque edidit vernaculo ſermone ſcriptum: *Handbuch der Hermeneutik des N. T. nach den Grundſätzen der gram-*

matiſch-hiſtoriſchen Interpretation. Lipſ. 1810. In huius autem praefatione breuiter ipſe expoſuit, quid ſuam inter et eorum, qui a Semlero et Erneſtio inde eandem diſciplinam ſcriptis excoluiſſent, quorumque in ipſo libro §. 4., nomina et libros recenſuit, rationem intereſſe voluerit, quidque ſuo potiſſimum libro efficere apud ſe conſtituerit. Neque fefellit b. auctorem ſpes, quam de ſuo libro conceperat, fuitque is communi doctorum hominum plauſu vbique exceptus, paucis pauca tantum et leviora in illius argumento reprehendentibus, pluribus tamen de eo dolentibus, quod criſin biblicam prorſus intactam reliquiſſet. Neque tamen haec non iniuſta forte vituperatio impediuit, quo minus hunc librum aliarum quoque Academiarum theologi plures in ſuis de N. T. hermeneutica lectionibus ducem ſibi ſumerent. Quod idem facturos fuiſſe, ſi latino ſermone ſcriptus eſſet, Belgicorum doctorum nonnullos, quum *a Johanne van Voorſt*, celeberrimo in Lugdunenſi apud Batauos Academia theologo atque exegeta, quocum epiſtolaris ipſi erat familiaritas, nuntiatum eſſet, breui poſt curauit, vt illi deſiderio ſatisfieret per *Chriſt. Aug. God. Emmerlingium*, verbi diuini miniſtrum Propſtheydae, (qui pagus magnam per nobiliſſimae pugnae Lipſienſis d. 18 Octobr. 1813. exitum celebritatem conſecutus eſt) ipſius admodum nuper diſcipulum, artisque hermeneuticae peritiſſimum, qui ſuam verſionem, *Elementa hermeneutices N. T. latine reddita*, inſcriptam atque

ipſius auctoris ad *Johannem van Voorſt* epiſtola auctam edidit Lipſiae 1812.

Longam autem annorum, qui a prima huius compendii meditatione effluxerunt, ſeriem quam diligentiſſimo et religioſiſſimo ſtudio ad illud rite adornandum compoſito explevit, aſſidue cum libris N. T. ipſis legendis, relegendis auditoribusque explicandis, tum mirum quam multis interpretum antiquiorum et recentiorum commentariis et disputationibus hermeneuticis et exegeticis conſulendis, examinandis et in ſuam rem adhibendis. Cuius indefeſſi laboris fructus magnam partem ad ſcholas academicas, quibus plus decies N. T. hermeneuticam docuit, quibusque intereſſe et mihi per annum integrum a praeteriti ſeculi fine quartum contigit, redundabant, ita vt, quotiescunque eas denuo aperiret, ſemper vel mutata vel addita reperirentur, quorum vel mutandorum vel addendorum neceſſitatem cum ſuis ſtudiis tum aliorum admonitionibus impoſitam ſibi eſſe ſenſiſſet. Eiusdem vero aſſiduae curae, interpretationis hiſtoricae legibus rite ferendis et commendandis ſemper intentae ſpecimina plura in publicum etiam doctorum hominum conſpectum prodire eorumque iudicio ſubiici iuſſit in programmatibus, per Decanatus theologici ab ipſo ſepties adminiſtrati opportunitatem ſubinde ſcribendis. Plurima enim opuſculorum exegeticorum pars ad illud tempus pertinet, quod compendii hermeneutici editionem praeceſſit. Quare in his diſſertationibus academicis

haud inepte aliquis dixerit ineſſe quaſi practicum compendii commentarium, regulis hermeneuticis in illo ſcriptis vel adcuratius definiendis vel vlterius vindicandis vel exemplo illuſtrandis maxime deſtinatum, atque hac ipſa de cauſa a quovis illius compendii diligentiori lectore in auxilium adhibendum, quo intelligat, in quo maxime inſit, quoque ducat iſta ab illo poſtulata grammatices in interpretatione cum hiſtoria coniunctio. Quod quum ſibi in programmatibus illis edendis habuiſſet vere propoſitum, omnino ipſius multum intererat, vt anguſtiores academicarum ſcriptiuncularum fines egrederentur atque in exterorum adeo theologorum notitiam perducerentur. Hinc earum aliquas denuo in examen vocatas atque hinc inde auctas recipi curavit in vtiliſſimam illam commentationum theologicarum ſyllogen, quam *Julius David Pott,* Helmſtadienſi Academia deleta Gottingenſem iam ſuae doctrinae copiis ornans, ſeptem voluminibus annis 1800—1807. edidit. Hoc autem fieri quum ipſe non modo permiſerit ſed voluerit etiam, nullo pacto videmur contra b. viri voluntatem omnes academicas diſſertationes in unum corpus eodem prorſus modo et exemplo collegiſſe, quo ipſe quondam Mori, ſui praeceptoris, commentationes theologicas altero volumine comprehenſas collegerat atque ediderat. Quid quod ipſum de curanda ſingularum ſcriptiuncularum exegeticarum ſylloge cogitaſſe, niſi ipſum audiuiſſemus ſuis verbis indicantem, vel inde nobis licuiſſet rectiſſime colligere,

quod magna illarum pars vel additamentis et emendationibus, vel certe librorum posthac consulendorum nominibus ipsius manu adscriptis aucta reperta fuit.

Neque tamen edito etiam hermeneutices compendio interpretationis grammatico-historicae rem a se absolutam, ulteriorique eius cura liberatum se fuisse credidit, imo in eius ipsius praefatione diserte indicavit, singulis se subinde speciminibus atque exemplis postero quoque tempore illius interpretationis praecepta esse illustraturum et confirmaturum. Huic autem promisso stetit edendis illis commentatiunculis exegeticis, quas vernaculo sermone scriptas subinde inseri curavit *Analectis ad iuuandum theologiae dogmat. et exeget. studium* a se et *Tzschirnero*, ipsius et meo collega coniunctissimo, ab anno 1812 editis, fore ratus, vt hac via interpretationis a se commendatae natura, necessitas, et vtilitas eorum etiam pluribus innotesceret, quos vix sperare poterat compendii ipsius adcuratiori examini et diligentiori usui sese esse daturos. Harum igitur commentationum quum eadem prorsus sit ratio et vtilitas, quae in academicis programmatibus conspicitur, a plena opusculorum interpretationi grammatico-historicae commendandae inseruientium collectione non videbantur illae recte abesse posse. Neque tamen exspectari poterat, vt illorum etiam theologorum, quorum causa compendii facta fuit latina versio, vsibus et studiis hae commentationes similiter paterent, nisi et ipsae latine red-

ditae; quare illarum vertendarum neceſſitati mihi parendum eſſe vidi, cui tamen ita obſecutus ſum, vt fidei in vertendo laudem non tam in ſuperſtitioſa vocum omnium ac ſingularum enumeratione quaerendam eſſe cenſerem, quam in auctoris ſenſu ſumma, qua fieri poſſet, diligentia reddendo atque ob lectorum oculos ponendo; quo factum fuit, vt aliqua contrahi, aliqua amplificari a me deberent, ita tamen, vt ne minima quidem ab auctoris mente ſeceſſio facta eſſe dici poſſit.

His autem ſerioribus interpretationis grammatico-hiſtoricae exemplis ab auctore propoſitis illorum etiam ſummam, certe aliquam, addendam eſſe duxi, quae ad propugnandum hoc interpretandi genus atque adeo ab eorum dubitationibus et incuſationibus vindicandum ſcripſit, qui illius vel veritatem vel dignitatem impugnarent, atque adeo docerent, in libris ſacris aliter quam in profanorum auctorum ſcriptis explicandis eſſe verſandum, quoniam, qui grammaticam et hiſtoriam unice duces ſequantur, valde verendum ſit, vt fidei et religioni ſatis parcant et conſulant. Cui quidem mirae ſane accuſationi, quanquam argumentis vix, vti videtur, in dubitationem vocandis obviam iuit, tamen ea iam apud multos cum eccleſiaſticos tum academicos etiam doctores obtinere coepit de recta ſcripturarum ſacrarum interpretatione ſententia, quae quidem non nunc demum ex profundo novae alicuius ſapientiae fonte hauſta, ſed repetita videri poſſit ex *Chriſt. Aug. Cruſii*, (in Acade-

mia Lipſienſi quondam Erneſtii collegae et adverſarii acerrimi, egregio iudicii acumine praediti,) ſcholis hermeneuticis, in quibus, narrante *Eichſtadtio*, in praefat. ad Mori acroaſes ſuperius laudata p. 36, „illo ipſo tempore, quo Erneſtius „hanc ſcientiam mire promouiſſet, multa de inter„pretis internis requiſitis, quae eſſent in animo „veritatis cupido, eodemque humili ac demiſſo, „de ſenſus variis formis, etiam *de myſtico ſenſu „eiusque agnoſcendi neceſſitate*, de typorum, „quos plurimos invenit, explicandorum modo, de „exſtirpanda opinione illorum, qui locutiones ad „morem vulgi comparatas, hoc eſt, vt ille quidem „interpretabatur, participationem et confirmatio„nem erroris alieni in ſcriptoribus ſacris reperirent, „*de ratione humana, quae neutiquam eſſet ſen„ſu ſpeciali principium interpretandae ſcripturae „ſacrae;* in quibus igitur haec et ſimilia vel philoſo„phico molimine differebantur, vel *dogmatica obſcuritate* obruebantur.„ Quibus quum ſimillima ſint, quae a nonnullis noſtri temporis hermeueutices doctoribus cum ſingularis cuiusdam pietatis affectatione praecipiuntur; eo magis neceſſarium eſt viſum et literis ſacris profuturum, vt paulo amplius aliquod eorum monimentum exſtaret, quae Semleri, Erneſtii, Telleri, Mori, Koppii, Noeſſelti, Henkii, Roſenmüllleri, Loeſſleri, aliorumque ex eodem genere virorum, vt mortuos tantum appellem, de S. S. interpretatione praeceptis et exemplis ad illius intelligentiam effecta fuerunt, quod intuentes poſteri aliquando co-

gnoſcant, interpretationis grammatico hiſtoricae et ſuaſoribus et promotoribus haud prorſus defuiſſe linguarum aliarumque interpreti ſcitu neceſſariarum rerum ſcientiam ſatis probabilem, atque adeo animi aduerſus doctrinae Chriſtianae diuinum auctorem primosque praecones pietatem eam, quam nemo facile homine vere Chriſtiano Chriſtianaeque doctrinae publico doctore indignam cenſeat.

Hiſtoricae autem interpretationis rem quum prae ceteris agendam Keilius ſibi ſumſiſſet, primum omnium ſummo ſtudio ei elaborandum erat, vt quam clariſſime et certiſſime conſtaret de iis, quae cum inter Iudaeos tum inter finitimas etiam gentes de rebus ad Deum diuinumque cultum pertinentibus circa Ieſu et Apoſtolorum tempora in ſcholis doctorum decreta, et in communi ciuium vita pro veris habita fuerint. De quibus dum diligentiſſime quaerebat, mature in ea ſententia eſſe coepit, vt haud pauca eorum, quae a Ieſu et Apoſtolis primum propoſita, et ab illis ipſis tamquam auctoribus antea prorſus inaudita profecta eſſe plerumque dicuntur, iam ante eos in Judaeorum ſcholis fuiſſe recepta et diſputata atque in vulgus credita, partim ex V. T. libris artificioſae interpretationis ope repetita, partim aliunde etiam accepta, a Ieſu autem et diſcipulis vel adoptata, vel examinata et emendata et in ipſorum doctrinae vſus adhibita fuiſſe ſtatueret. Neque in N. T. tantum libris ſed in Patrum eccleſiaſticorum etiam ſcriptis eiusmodi opinionum Iudaicarum veſti-

gia haud pauca reperiſſe ſibi viſus eſt, ita vt quae plerumque e Graecorum philoſophorum, Platonis maxime, ſcholis et ſcriptis iſti patres repetiiſſe crediti eſſent, ipſe ſimiliter ex Iudaeorum commentis et interpretamentis plurimam partem deriuanda eſſe praeciperet. Quod vt haud temere a ſe adfirmari doceret, potiora doctrinae Chriſtianae, qualis ea primis ſeculis fuit, capita ſecundum Patrum ſcripta, adcuratiſſima eorum lectione per triginta annos et amplius aſſidue continuata, excuſſit, ac quae in iis ſuae ſententiae argumenta deprehendiſſet, deinceps in iis libellis academicis propoſuit, in quibus *de doctoribus veteris eccleſiae culpa corruptae per Platonicas ſententias theologiae liberandis* disputavit. De horum autem libellorum fine quid a lectoribus iudicari voluerit, ipſe diſertis verbis ad commentationis tertiae initium p. 531 ita edixit: „hoc unum tantum docere mihi „propoſitum fuit, quae doctores illi vulgo accuſen„tur ex Platonica philoſophia petiiſſe, inque doctri„nam religionis Chriſtianae non ſine magno eius de„trimento parum caute intuliſſe, ea non fuiſſe pri„mum ab illis in eam translata, ſed maximam par„tem a Iudaeis tanquam dogmata in ipſis eorum „libris ſacris tradita ad eos transmiſſa, hincque, „aperto licet plerumque errore, bona tamen fide, „pro parte religionis diuinitus reuelatae ab iis habita „et vt talia aliis etiam propoſita. Annon vero Iu„daei dogmata illa, quae in litem hic veniunt, ex „Platonica philoſophia vel ipſi hauſerint, vel ex ea

„ſaltem hauſta aliunde acceperint, id nunc quidem „neque negare neque adfirmare animus mihi fuit.„

Multum autem abfuit, vt hae diſputationes communem doctorum hac in re virorum plauſum ferrent, quanquam ad unum omnes admirabilem eruditionis patriſticae copiam in iis repoſitam debita laude proſequerentur, (quae quanta fuerit, magis etiam ex ſymbolis illis ad hiſtoriam ſcriptorum eccleſiaſticorum pertinentibus facillime poterit intelligi, quibus *Fabricii Biblothecam graecam*, ſub *Harleſii* aufpiciis denuo editam ornavit Vol. IV. p. 774—795. et Vol. VII. p. 149—183. 275 ſqq.) atque dogmatum Chriſtianorum hiſtoriae tantum lucis per illas affuſum eſſe dicerent, vt cuivis harum rerum ſcrutatori eas maximam ſemper allaturas utilitatem, omnibusque adeo valde dolendum eſſe cenſerent, quod auctori ſcopum, quem ſibi ipſe fixiſſet, quum haud ita longe ab eo abeſſet, ex voto attingere per fata non licuiſſet. Subſiſtendum nimirum ei fuit in ipſo vltimi, quod ingreſſus erat, ſtadii limine. Etenim ſecundum uniuerſae disputationis ſeriem, comment. I. p. 471 deſcriptam, ita ſibi propoſuerat in tractando omni argumenti verſari, vt ſcriptorum eccleſiaſticorum de Deo abſolute ſpectato, de *Λόγῳ*, de homine eiusque inprimis animo, de virtutis cultu ſummoque eius fine, denique de futura hominis poſt mortem conditione placita deinceps examinaret, atque de eorum nexu cum Platonis ſententiis quaereret. Quod quum de prioribus quinque capitibus pro

inſtituto factum eſſe ex viginti duabus, quas abſolvit, commentationibus pateat; nihil praeter doctrinam de altera poſt mortem vita intactam reliquit, in qua pariter philoſophiae Platonicae veſtigia ſe iudice fruſtra quaeri docere voluit. Quanquam autem ipſe, quid in hac etiam re verum ſit, recte a nobis creditur iam cum ipſo Platone Patribusque a ſe defenſis in coeleſtibus beatorum ſedibus verſans in clariſſima luce poſitum videre, atque adeo ipſe ſibi gratulari, quod ab opere nulla ſua culpa imperfecto diſcedendum ſibi fuit, *οὐκ ἄρτι βλέπων ἐν αἰνίγματι, ἀλλὰ πρόσωπον πρὸς πρόσωπον* (1 Cor. 13, 12.) *οὐ περιπατῶν ἔτι διὰ πίστεως ἀλλὰ διὰ εἴδους* (2 Cor. 5, 7.); nobis tamen, pro humana tenuitate ipſius ſortem aeſtimantibus, ſummo iure deplorandus eſſe videtur vir optimus, quod conſilium omnino honeſtiſſimum exſequi non potuerit. Gaudendum enim ipſi hoc modo fuit exoptatiſſima, qua doctiſſimus quisque prae ceteris gaudet, laboris tolerati mercede, quae in eo cernitur, vt quaeſtionis inceptae omnem ambitum explere contingat, operisque alacriter ſuscepti ac continuati ad finem propoſitum etiam feliciter perducti laudem conſequatur. Neque minus ipſius etiam argumenti tractati cauſa lugendum eſt, quod imperfectum ab auctore relinquendum fuit. Licet enim nemo attentus lector dubius haerere poſſit vel de modo, quo quod diſputationis reliquum erat, abſoluturus, vel de via ac ratione, qua, quod demon-

ſtrandum ſibi ſumſerat, demonſtraturus, vel de fine, quem omni diſputationi impoſiturus fuiſſet; vix tamen credo quemquam negaturum, tantae lectionis et aſſiduitatis virum haud fuiſſe permiſſurum, vt ſeuerioribus etiam arbitris acta tantum egiſſe, centiesque ab aliis dicta ad nauſeam usque repetiiſſe videretur. Quapropter rectiſſime ſane optatum iam fuit, vt eorum virorum, qui in hoc literarum genere domicilium poſuerunt aliquis in b. Keilii provinciam transeat remque ab eo coeptam ad finem perducat. Qui quidem, etiamſi forte in iis eſſet numerandus, qui Keilium in defendenda patrum a philoſophiae Platonicae contagione libertate nimium fuiſſe cenſeant, nullo modo propterea parum idoneus habendus eſſet, qui ultimum diſputationis caput, licet ex ſua mente et ratione, tractaret, atque hac ipſa ſequenda doceret, quo pacto et quibus locis ille veri et certi et iuſti fines transgreſſus fuiſſe iudicandus ſit.

Quod autem b. auctori prius ab opere diſcedendum fuit, quam poſſet optatam curſu contingere metam, omnium maxime propterea dolendum videtur, quod ab ea quaeſtione inſtituenda prohibitus fuit, ad quam progreſſurum ſe, finita patrum eccleſiaſticorum excuſatione, comment. III. p. 532. his verbis ſignificauit: „erit tamen abſoluta omni „diſputatione, quid mihi de hac etiam re (*nimirum „de fonte, vnde Iudaei ſua vere hauſerint*) vero „proximum videatur, plura dicendi locus. Quan-

„quam enim primum conſtitueram ſuperiori com-
„mentationi, quae in examinando doctorum eccle-
ſiaſticorum de λόγῳ dogmate verſabatur, brevem
aliquam diſputatiunculam de fonte huius dogma-
tis ſubiicere; mutavi tamen hoc conſilium, conſul-
tius fore arbitratus, ſi perorata demum vniuerſa
cauſa in fontem omnium illarum opinionum, quae
cum Platonica philoſophia ſimilitudinis aliquid
habere viſae ſunt, et a Iudaeis iam ante religionis
Chriſtianae origines ſusceptae fuerunt atque
probatae, diligentius atque uberius disquiſiue-
rim."

In hoc autem primario illarum Iudaicarum, qua-
les ſaltem ipſi videbantur, opinionum fonte ſcru-
tando omnino recurrendum ipſi fuiſſet ad antiquiſ-
ſimam Aegyptiorum, Aramaeorum Indorumque
philoſophiam et theologiam, quid quod ad aliarum
etiam orientis gentium de rebus divinis doctrinam
et fidem, quam philoſophiae orientalis nomine
breuiter magis quam vere inſigniri notum eſt. Hu-
ius tamen laboris inchoati pauciſſima tantum et
leuiſſima veſtigia in ipſius ſchedis reperta ſunt, in il-
lorum librorum notationibus maximam partem
conſpicua, quos ipſe in conſilium adhibiturus fuiſ-
ſet, quosque non poterit non adhibere, quicunque
adcuratius de hoc argumento quaerere apud ſe
conſtituerit. Illius vero orientalis philoſophiae et
theologiae fontes, etſi eo iam tempore, quo ipſe
ex illis haurire decreuerat, (anno 1796.) non

omnino turbati fuerunt ac difficulter tantum adeundi, ſerius tamen paulo ante et poſt ipſius obitum plurium doctorum hominum ſtudiis multo amplius patere largiusque fluere coeperunt, ita vt nunc, duobus iam decenniis poſt Keilii prima conſilia praeterlapſis, de vera variorum decretorum in Iudaeorum doctrina et libris ſacris obuiorum origine ſubtilius diſputari et adcuratius decerni poſſit. Haec autem noſtri temporis ſubſidia, ſi quis ad vlteriorem argumenti a Keilio nondum profligati tractationem conferre voluerit, egregiam is profecto nanciscetur opportunitatem vel defendendae et confirmandae vel limitandae et corrigendae ſententiae ab illo propugnatae, atque largam adeo iudiciorum de illius veritate, quae in vtramque partem cupidius nonnunquam lata fuerunt, rectius inter ſe componendorum materiam. Vtinam contingat, vt his ipſis Keilii diſſertationibus, denuo in memoriam et conſpectum reuocatis, exoriatur aliquis ex noſtrae aetatis theologis, philoſophis, hiſtoricis, qui eorum ſubſidiorum, quibus cum maxime gaudet haec literarum theologicarum pars, egregia copia adiutus de conſenſus inter libros ſacros, veteres eccleſiae doctores et Platonem eiusque philoſophiam nullo modo negandi vera natura et cauſa ita exponat, vti nunc quidem fieri non modo poteſt, ſed etiam debet.

Ceterum de his Platonicis commentationibus

ſuis, quas redeuntibus ad ſe Decanatus theologici honoribus abſoluere animus erat, denuo examinandis, vbi opus fuerat vel muniendis vel corrigendis atque vna ſylloge edendis conſilia ſe agitare, ſaepius b. auctorem verba facientem audiui. Rerum enim in illis tractatarum denuo tractandarum et retractandarum ipſi quotidie fere offerebatur frequentiſſima opportunitas, vel, vt rectius dicam, neceſſitas in ſcholis dogmaticis, quas vel acroamaticas vel examinatorias perpetuo habere ſolebat. In exponendis enim Chriſtianae doctrinae dogmatibus hanc ſibi ſcripſerat legem, vt primum librorum ſacrorum de quouis capite dicta colligeret atque ex interpretationis grammatico-hiſtoricae legibus explicaret, poſt narrando adderet, quid ſequentium ſeculorum doctores iis dictis ineſſe crediderint, quomodo in conciliis de iis decretum quidque inde in publicam doctrinam deriuatum fuerit, ac deinde moneret, quid et quare in libris ſymbolicis de eadem re propoſitum reperiatur, et quasnam haec ipſa doctrina ſymbolica mutationes ad noſtra vsque tempora experta fuerit. His expoſitis de regulis differere ſolebat, ſecundum quarum normam de diuerſiſſimis eiusdem rei explicationibus iudicandum eſſe ſibi videretur, ita tamen vt ab omni iudicii vel acerbitate vel arrogantia vel leuitate prorſus abſtineret, atque auditores grauiter hortaretur, partim vt ipſi diligenter et religioſe excu-

tientes omnia, quid ſtatuendum eſſet, viderent, partim in tractandis coram concione dogmatibus nil attingerent, quod vllo modo ad perturbandos indoctorum hominum animos facere poſſet. Hinc haud pauca eruditionis, qua dogmatum chriſtianorum hiſtoriam illuſtrauit, ſpecimina auditoribus tantum innotuerunt, latentque in chartis ſepulta, quibus ſumma, ne dicam nimia cura et diligentia committebat, quicquid de cathedra propoſiturus erat. Neque ego dubito, quin theologiae cultoribus et doctoribus operae pretium videatur facturus, qui grauiſſimorum ſaltem dogmatum hiſtoriam ex illius ſchedis in lucem publicam prodire iuſſerit. His enim ſchedis repetito examini vel ad ſingula verba ſubiiciendis, capitibus in ordinem ab eo, quem adhuc ſecutus erat, prorſus diuerſum redigendis, hisque omnibus ſua manu de nouo conſcribendis, exemplo, in viro plus quam ſexagenario venerabili et vere admirando, vltimas vitae vires per duos fere integros annos ita conſecrauit, vt haud temere in hoc nimio pro viribus ſeneſcentibus labore mortis acceleratae cauſam et coniux (mortuus enim eſt ἄτεκνος) et medici ſuspicarentur, eumque dogmaticis lucubrationibus vere immortuum lugerent, quum triſti magis quam inopinato fato pridie ſexageſimum quartum diem natalem d. 22 Aprilis anni milleſimi octingenteſimi duodenigeſimi literis, Academiae, diſcipulis et amicis eriperetur.

Neque tamen omnis mortuus eſt. Quamdiu enim N. T. hermeneutices ſtudio ſuus habebitur honos, tam diu nec eius nomen inter huius artis ſtatores et vindices tacebitur, ſemperque eius memoria in animis diſcipulorum viuet, quos per triginta ſeptem annos in Academia magno cum plauſu docens haud exiguo habuit numero, quorumque in Academiis, eccleſiis, et gymnaſiis patriae non tantum ſed exterarum adeo regionum ſtudia iam feruent. Egregium enim his in munere adminiſtrando fidei, in labore aſſiduitatis, in moribus probitatis et modeſtiae, in religione ſanctitatis atque invincibilis in vero quaerendo et tenendo animi praeiuit exemplum. Nimirum nunquam ſibi recedendum eſſe ratus eſt b. Keilius ab eo ſenſu, quo vno ſe duci, cum primum Academiam adiret eo docuit, quod in ſuperioribus de primi ſpeciminis Academici vera origine ab ipſo narratum retulimus, cuiusque repetita documenta duabus orationibus exhibuit, quibus cum philoſophici tum theologici Profeſſoris honores ſibi collatos publice ſuscepit, in quorum priori (anno 1785) de cauſis dixit, *cur in literis colendis ſolo veri ſtudio duci debeamus;* in poſteriori autem (anno 1788) disputauit, *de ſtudio veri Theologo noſtra aetate inprimis commendando.* Neque etiam alio poterat eſſe animo, qui Moro, viro prorſus egregio, familiariſſime per plures annos vſus

erat. Quare, vbi in huius ipſius, maturius fato functi, locum et munera ſuffectus, Profeſſoris Theologiae Ordinarii in Academica Lipſienſi, prouinciam adiit, ſibi ipſi dixiſſe videtur, quod inter muneris auſpicia (anno 1793) publica oratione expoſuit de iis, *quae in theologicis Mori ſtudiis imitatione inprimis digna cenſenda eſſent*, quaeque in iis quaerenda eſſe docuit, quod in diligenti et adcurata ſacrarum literarum interpretatione primam theologi laudem poſuerit, deinde quod in quaerendo vero religioſiſſimus atque in eo cum aliis communicando modeſtiſſimus fuerit, denique quod ad virtutis et pietatis ſtudium omnia et ipſe retulerit, et ab aliis referri voluerit. Talem vero Keilius ipſe ſe ſemper praeſtare ſtuduit, ita vt, quantum per diuerſam naturae et ingenii indolem licuit, egregii ſui praeceptoris et praeceſſoris imaginem retuliſſe haud inepte dici videatur. Hinc pauciſſimos tantum, qui inter illius diſciplinae alumnos fuerunt, futuros eſſe ſperandum eſt, qui, in explicandis S. S. libris atque in deſiniendis et tradendis Chriſtianae doctrinae dogmatibus ipſius praecepta et exemplum negligentes, *τῆς ὑγιαινούσης διδασκαλίας ἐκ ἀνέξονται, ἀλλὰ κατὰ τὰς ἐπιθυμίας τὰς ἰδίας ἑαυτοῖς ἐπισωρεύσουσι διδασκάλους, κνηθόμενοι τὴν ἀκοήν· καὶ ἀπὸ μὲν τῆς ἀληθείας τὴν ἀκοὴν ἀποςρέψουσιν ἐπὶ δὲ τοὺς μύθους ἐκτραπήσονται*, (2 Tim. 4, 3. 4.) qui-

que veram ſapientiae chriſtianae laudem non in eo vnice ſint poſituri, vt haud vltra quam homini datum eſt ſapere cupientes, ἀρνησαμένους τὴν ἀσέβειαν καὶ τὰς κοσμικὰς ἐπιθυμίας σωφρόνως, δικαίως, εὐσεβῶς ζῆν ἐν τῷ νῦν αἰῶνι (Tit. 2, 12.) ſuos voce et re doceant.

Ceterum omnis mea in adornanda hac opuſculorum Keilianorum ſylloge opera in eo poſita fuit, vt ſuis locis addi curarem ea, quae auctoris manu adſcripta vel mutata vel correcta reperiſſem, librorum ſaepius editorum loca laudata ſecundum recentiſſimarum editionum paginas ponerem, ſingulorumque libellorum hiſtoriam paucis illuſtrarem. Quae autem ab aliis aduerſus auctoris ſententiam disputata et aliter definita, neque tamen a Keilio ipſo in ſuis libris notata fuerint, vel quae poſt eius adeo obitum de eodem argumento ſcripta prodierint, vt enarrarem, atque cum ipſius decretis conferrem, alienum a conſilio ſylloges eſſe duxi.

Hoc igitur modo prouincia mihi demandata functus neſcio, an conſecutus fuerim, quod propoſitum habui, vt edendis hisce opuſculis partim literis theologicis vtilitatis aliquid adferrem, partim viro multis modis de me meritiſſimo gratias referrem, quae non prorſus indignae eſſent beneuolentiae ſpeciminibus, quibus ad vltimum halitum me ornauit. Quod ſi vere contigiſſe mihi iudicauerint cum omnino omnes, quos multos

ſuturos confido, lectores, tum praecipue illi, quos in beati viri ſcholis vel ipſe habui commilitones vel ante me et poſt me iuſta cepit egregii praeceptoris veneratio, habebo ſane, quod credam, curae et laboris, officio mihi credito impenſi, praemium eſſe me conſecutum omnium longe exoptatiſſimum.

Scripſi Lipſiae ipſis Calendis Februariis 1821.

Ioh. Dav. Goldhorn.

CONSPECTVS.

SECTIO PRIOR

continens commentationes ad interpretationem grammatico-historicam pertinentes.

I. Differitur de modo, quo scriptores sacri in dogmatibus tradendis versantur. Pag. 1.

II. Historia dogmatis de regno Messiae Christi et Apostolorum aetate ad illustranda N. T. loca accommodate exposita. Pag. 22.

Appendix A. Notae et additamenta ad praecedentem commentationem varii generis. Pag 83, I.

Appendix B. Vberior expositio dogmatis de regno Messiae ex schedis b. auctoris dogmaticis petita. P. 83, XIII.

III. De historica librorum sacrorum interpretatione eiusque necessitate. Pag. 84.

IV. De exemplo Christi recte imitando. Pag. 100.

V. De argumento loci Matth. 25, 31 — 46. Pag. 136.

VI. De definiendo tempore itineris Pauli Hierosolymitani Gal. 2, 1. 2. commemorati Pag. 160.

VII. Commentatio in locum epistolae ad Philippenses 2, 5 — 11. Pag. 172.

VIII. Quinam sint Rom. 8, 23. οἱ ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος ἔχοντες ostenditur. Pag. 194.

IX. Proponitur exemplum iudicii de diuersis singulorum Scr. S. locorum interpretationibus ferendi, examinandis variis interpretum de loco Gal. 3, 20. sententiis. Pag. 211.

Ac exponitur quidem de dissensu interpretum in explicandis

A. Singulis verbis: ὁ δὲ μεσίτης ἑνὸς οὐκ ἔστιν p. 214.
ὁ δὲ Θεὸς εἷς ἐστιν. Pag. 226.

B. Integris propositionibus; nominatim

a. in constituendo sensu vtriusque enunciationis. P. 232.

b. in definiendo vtriusque inter se nexu. P. 258.

C. Conſilio vniuerſo totius loci, quod varie eſt conſtitutum, quia varie ſtatuerunt
a. de eo qui v. 20. vere loquatur p. 262.
b. de nexu commatis huius α) cum commate 19 vel ex parte p. 269. vel vniuerſo p. 284 β) cum commate 17. 18. p. 288. *vbi auctoris ipſius iudicium de nexu loci interpoſitum eſt* p. 305. γ) cum v. 16. p. 306. δ) cum totius a v. 16. rhyſeos argumento p. 308. ε) cum totius epiſtolae ſcopo p. 310. De quibus omnibus ſententiam fert auctor p. 316.

X. Differitur de Paulo πρὸ ἐτῶν δεκατεσσάρων ἁρπαγέντι ἕως τρίτε ἐρανȣ̃ καὶ εἰς τὸν παράδεισον ad 2 Cor. 12. 1—7. P. 318.

XI. Breuis expoſitio narrationis parabolicae apud Luc. 16, 1—13. P. 339.

XII. De definiendo tempore, quo ſcripta eſſe cenſenda ſit Pauli epiſtola ad Galatas. P. 351.

XIII. Argumentorum pro hiſtoricae interpretationis veritate breuis repetitio eiusque aduerſus variorum dubitationes vindiciae vltimae. P. 369.

SECTIO POSTERIOR

continens commentationes de Platonicae philosophiae ad theologiam Christianam apud veteris ecclesiae scriptores ratione.

I. De causis alieni Platonicorum recentiorum a religione Christiana animi. P. 391.

II. De doctoribus veteris ecclesiae culpa corruptae per Platonicas sententias theologiae liberandis commentationes XXII.

Prooemium P. 439.

§. I. Patres Platonicam Philosophiam non ita admirati sunt, vt ea ad probandam aliquam sententiam duci se passi sint. P. 450.

§. II. Vnam scripturam sacram patres veri fontem agnouerunt. P. 459.

§. III. Nil patres docuerunt, quod non crederent, S. S. auctoritate niti et defendi posse. Quod singulorum dogmatum examine demonstratur; nimirum

Cap. I. De Deo. P. 471.

Cap. II. De Λόγῳ. P. 484.

Cap. III. De Angelis.

Sect. 1. de angelis eorumque natura universe. P. 531.

Sect. 2. de angelis bonis eorumque cultu. P. 548.

Sect. 3. de angelis malis eorumque cum mulieribus humanis consuetudine. P. 566.

Sect. 4. de angelorum malorum s. daemoniorum cultu apud gentiles. P. 584.

Sect 5. de fontibus huius superstitionis. P. 601.

Cap. IV. De homine eiusque corpore et animo.

Sect. 1. de partibus hominis. P. 618.

Sect. 2. haereticorum de eadem re sententiae P. 633.

Sect. 3. De animae προϋπάρξει. P. 648.
Sect. 4. Fontes ſententiae de animae προϋπάρξει. P. 666.
Sect. 5. De animo humano ἐκ τῷ τῦ Θεῦ λόγῳ profecto. p. 677.
Sect. 6. De αὐτεξουσίᾳ ſ. libero arbitrio animi humani P. 690.
Sect. 7. De iis, qui αὐτεξουσίαν arctioribus limitibus circumſcribendam eſſe docuerunt P. 710.
Sect. 8. De corpore humano peccatorum ſede et fomite. P. 727.
Sect. 9. De fontibus huius ſententiae. P. 747.
Cap. V. De virtutis cultu.
Sect. 1. De prima virtutis laude in corporis caſtigatione a Patribus poſita. P. 759.
Sect. 2. Praeter Auguſtinum etiam haereticorum nonnulli ita docuerunt. P 774.
Sect. 3. De moderatione in cibis ſumendis et prudentia in eorum delectu inſtituendo P. 787.
Sect. 4. De ieiuniis Patrum Graecorum decreta. P. 801.
Sect. 5. De eadem re Patrum latinorum ſententiae P. 818.
Sect. 6. De virtutis cultu in corpore veſtiendo conſpicuo. P. 841.

I.

DISSERITUR DE MODO, QUO SCRIPTORES SACRI IN DOGMATIBUS TRADENDIS VERSANTUR

Non miraberis, Optime Schwarzi, me quoque inter eos esse, qui, quam ex honoribus ab Amplissimo Philosophorum in hac academia Ordine in *Te* hodie collatis, percipiunt laetitiam, *Tibi* quouis modo declarare student. Nosti enim iam a pluribus inde annis tantam inter nos intercedere amicitiam atque familiaritatem, vt, si quem amicorum *Tuorum* de his honoribus *Tuis* laetari, *Tibique* eos gratulari decebat, id profecto a me fieri deberet, idque eo magis, quo et honestioribus de causis nostra amicitia esset contracta, et temporis diuturnitate magis magisque confirmata. Etenim a quo primum tempore *Te* nosse mihi contigit, statim *Te*, cum propter communem, qua vtebamur, patriam, tum propter praeclaras, quas in *Te* esse videbam, animi virtutes, mirifice adamare coepi. Hunc vero

Nota editoris. Gratulatus est hac dissertatione b. auctor summos in philosophia honores *Christiano Augusto Schwarzio*, Gymnasii Gorlitiensis, cum a. 1809 moreretur, Rectori meritissimo, cujus *de morte Jesu* liber egregius, Lipsi. 1795, etiamnum in scholis theologorum recte laudatur, cujusque orationes scholasticae post obitum, curante ipso Keilio et Gediccio, Lipsiae 1810 editae sunt. Ac praefatio dissertatiunculae quidem, quanquam cum argumento ipso parum arcte nexa reperitur, haud tamen prorsus omittenda visa fuit, cum vestigia quaedam monstret rationis ac viae, qua b. Keilius ad illam potissimum literarum theologicarum partem, cui omnem fere vitam impendit, ductus fuerit. Scripta autem est ab eo haec dissertatio a. 1780 antequam scholas academicas habere coeperat.

vero quem iam in *Te* conceperam amorem, mox magis etiam accendi inflammarique ſentiebam tum, cum mihi in ſcholis *Excellentiſſimi Mori*, maxime iis, quibus ſcribendo diſputandoque exercebamur, *Te* quotidie coram videre, *Tuoque* iucundiſſimo ſermone frui liceret. Neque paruam ad eundem amorem apud me augendum atque confirmandum vim habuit et hoc, quod hunc ipſum Praeceptorem noſtrum Venerandum a *Te* non minus, quam a me ſemper factum eſſe, atque etiamnum, fieri, ſi quis alius, *Tu* profecto optime noſti, coli intelligebam. Cum enim huius Viri non modo inſtitutioni plurimum deberem, ſed eius etiam erga me beneuolentiae prorſus eximiae documenta multa eaque luculentiſſima haberem, non poteram profecto non eum amare, qui in hoc Viro colendo vel ſtudium meum incenderet, vel exemplum mihi praeiret imitatione digniſſimum. His autem omnibus acceſſit tandem ſumma cum ſtudiorum noſtrorum, tum ſententiarum etiam voluntatumque conſenſio, quae profecto tanta fuit, vt ipſi ſaepe de ea miraremur, ac, ſi quidem verum eſſet, quod et ſapientiſſimos viros ſemper iudicaſſe, et vſu ſaepe confirmatum fuiſſe diceretur, nullam poſſe veram amicitiam haberi, niſi quae animorum conſenſione niteretur, noſtram profecto firmiſſimam fore auguraremur. Quae cum ita ſint, quidni laeter, cum ad quos honores adſpirandi *Tibi* locum aliquando datum iri ſaepe deſperabas, hos, Thomaſiae gentis liberalitate ſuffultum, *Te* iam conſecutum videam? Quod autem hanc laetitiam meam palam *Tibi* ſignificare conſtitui, id non alia, velim, de cauſa factum eſſe exiſtimes, quam vt quam plurimis innoteſceret, quanti *Te Tuamque*, qua vterer, amicitiam facerem. Id ipſum autem alios noſſe profecto non tam, *Tua*, quam potius mea, cauſa cupiebam. Cum enim *Te* et ea doctrinae copia inſtructum, et tali etiam virtute praeditum eſſe ſcirem, qua non poſſes non optimo cui-

que

que probari, profecto non temere iudicabam, *Tuam* amicitiam apud quemlibet, qui his virtutibus pretium aliquod ſtatueret, mihi non exiguae fore commendationi. Quoniam vero moris etiam eſſe videbam, vt eiusmodi laetitiae de amicorum noſtrorum proſpera fortuna ſignificatio plerumque etiam adiunctam ſibi haberet commentatiunculam, doctrinae alicuius caput illuſtrantem, etſi non ignorabam, in tanta ingenii viriumque mearum imbecillitate vix quicquam a me afferri poſſe, quod *Tua* eruditione dignum eſſet, tamen morem illum prorſus negligere eo magis dubitaui, quo melius, *Te*, cum omnibus de doctrinae aliquo capite inſtitutis diſputationibus, tum maxime his, quae ad illud, ex quo huius qualiscunque libelli argumentum deſumtum eſt, literarum genus pertinerent, mirifice delectari meminiſſem. Ita enim ſperabam, fore, vt, vbi ab huius diei hilaritate ad *Te* rediiſſes, *Tibique* quaſi redditus eſſes, has, quas ad *Te* de modo, quo ſcriptores ſacri in dogmatibus tradendis verſantur, ſcribere iam conſtitui, obſeruationes, vel ideo non inuitus perlegeres, quoniam a me, quem impenſe amas, in amicitiae noſtrae quaſi pignus *Tibi* offerri videres.

Quod autem ipſum hoc inſtitutum meum attinet, profecto non verendum videtur, ne inanem aut parum vtilem operam me impendiſſe exiſtimes. Etenim cum ab omnibus concedatur, primarium Theologi munus hoc eſſe, vt chriſtianae religionis dogmata ex libris ſacris rite ac legitime deriuare, iisque ad alios docendos apte vti ſciat, quid tandem magis ipſi neceſſarium aut vtile fore putabimus, quam vt in rationem inquirat, qua ipſi ſcriptores ſacri in his dogmatibus tradendis verſari ſoleant? Quomodo enim vel dogma quodque recte definire, vel legitimum in eo tradendo modum tenere poterit, niſi quid et quantum in libris ſacris de eo tradatur, cognitum perſpectumque habeat? Aut quis dubitet Ieſum Apoſtolosque eius magiſtros eſſe dignos, a quibus, cum quae quoque loco ac tempore

dogmata nobis tradenda, tum qua ratione ea auditoribus ſint proponenda atque confirmanda, diſcamus exemplumque petamus? Id autem vt facere poſſis, opus eſt, vt in libris ſacris legendis inprimis ad hanc eorum dogmata tradendi rationem animum attendas; quippe quae vna eſt eius cognoſcendae legitima ratio. Neque enim, opinor, iure aliquis contendat, eam ex libris quidem ſacris vel ideo ſatis cognoſci non poſſe, quoniam ſcriptores iſti in iis componendis non id ſibi propoſuiſſe reperiantur, vt lectoribus ſuis religionis chriſtianae dogmata iis adhuc ignota traderent, ſed eorum conſilium hoc potius fuiſſe appareat, vt vel de vita rebusque a Ieſu geſtis exponerent, vel diſcipulorum eius fata enarrarent, vel denique eos, qui recentes ad religionem chriſtianam acceſſerant, de rebus iis, de quibus aut ipſi quaeſiuiſſent, aut quarum eos admonere aliis de cauſis neceſſarium vel vtile iudicaſſent, edocerent. Etſi enim id ita eſſe, a nemine negari poterit, niſi qui vel opinionibus ducatur praeiudicatis, vel ſtudio rixandi diſputandique teneatnr ineptiſſimo, tamen non modo plures in libris illis ſermones occurrunt, quos vel Ieſus ipſe vel Apoſtoli eius hominum inſtituendorum cauſa habuerunt, ſed ipſi etiam ſcriptores ſacri hinc illinc ſuae docendi rationis mentionem iniiciunt, qualisque ea fuerit, exponunt. Atque hi ipſi loci quaſi fontes ſunt, ex quibus, quas *Tecum* nunc communicaturus ſum, qualescunque obſeruationes ducere conſtitui. Vt autem hae ordine quodam a me proferantur, poſſintque ita melius dignoſci, et ad ſuum quaeque genus referri, facile vides, eas ad ſumma quaedam capita eſſe reuocandas. Poterunt autem, vt equidem exiſtimo, omnia, quae hic in quaeſtionem veniunt, tribus commode partibus abſolui, quarum *prima*, quae quoque loco ac tempore dogmata a ſcriptoribus ſacris tradantur, *ſecunda*; quomodo ea tradantur, *tertia* denique, quantum de quoque dogmate tradatur, exponet.

Quod-

Quodſi igitur primo loco quaeratur, *quae* ſcriptores ſacri *quoque loco ac tempore dogmata* proponant, facilis erit cuique, qui libros ſacros cum quadam animi attentione perlegerit, reſponſio haec: eos apud quosque auditores iis dogmatibus vti, quae non modo ſcire illorum inprimis interſit, ſed quae ad ſingulorum etiam captum ſint accommodata. Primum enim in ſingulis gentibus ad religionem chriſtianam adducendis hanc rationem tenebant, vt cum eos errores abiicere eas docerent, qui religioni chriſtianae prorſus repugnarent, tum ea potiſſimum dogmata iis traderent, quae, ſi religionem chriſtianam amplecti vellent, ſcire ac credere inprimis deberent. Itaque Iudaeis, a quibus euangelii tradendi initium fiebat, cum a Ieſu ipſo, tum vero, mortuo eo, ab Apoſtolis maxime primum omnium hoc perſuaſum fuiſſe legimus, vt et Ieſum verum Meſſiam eſſe crederent, et obſeruationi legis Moſaicae renunciarent. Ac primum quidem a Ieſu ipſo non adeo frequenter et copioſe propoſitum eſſe, mirari non debemus, cum eius conſilium non tam hoc fuiſſe ſciamus, vt omnes ac ſingulas religionis partes explicatius traderet, ſed homines potius, de moribus maxime rectius, quam hactenus fieri conſueverat, praecipiendo, ad eam ſuſcipiendam praepararet, eaque perficeret, quae, antequam illa propagari poterat, ab ipſo erant perficienda. Neque tamen prorſus illum de eo tacuiſſe, vel vnus ille locus e Io. VI, 29. teſtis eſſe poterit, in quo Iudaeis ſatis aperte profitetur, ſi quid, quo Deo ſe probent facere velint, in eum quem miſerit ille, credendum eſſe. Idque eum ſaepius repetiiſſe, e Io. X, 25. adparet, vbi, cum obteſtarentur eum Iudaei, vt tandem perſpicuis verbis ipſis ſignificaret, eſſetne Meſſias, nec ne, ſe hoc dixiſſe iam reſpondit, ſed eos fidem ipſi habere noluiſſe. Illud alterum autem, quod Iudaeis perſuadendum fuiſſe dicebam, de lege Moſaica non amplius ſeruanda, etſi ab eo nondum doceri poterat, cum

ipſi

ipſi prius moriendum eſſet, antequam illa lex aboleri poſſet, vel praedictum tamen ab eo fuiſſe legimus Io. IV, 21 — 24 oeconomiam Moſaicam finem eſſe habituram, doctrinamque veram ad alias etiam gentes peruenturam. Quod autem Ieſus per rei ipſius naturam Iudaeos nondum poterat ipſe docere, id iis tamen, ſi ad religionem ſuam adduci deberent, primum omnium perſuadendum eſſe, tam praeclare intellexit, vt, cum vel prima vice diſcipulos ſuos ad euangelium tradendum dimitteret, nihil eos docere iuberet, praeter vnum hoc, adeſſe regnum coelorum, regemque a Deo promiſſum. Matth. X, 7. Luc. X, 9. Vnde nec mirum nobis videri debet, quod, poſtquam, morte ſuperata, in coelum rurſus abierat, Apoſtolos hoc exemplum eius tam conſtanter ſecutos eſſe videmus, vt, quoties coram Iudaeis dicendi opportunitatem nacti eſſent, in hoc vno tradendo occuparentur, vt Ieſum verum Meſſiam fuiſſe idoneis argumentis ipſis perſuaderent, huncque vnum felicitatis auctorem a Deo conſtitutum, adeoque a quouis, qui ſuae ſaluti conſultum vellet, fide amplectendum eſſe oſtenderent. Cuius quidem rei primum idque longe praeſtantiſſimum exemplum habemus in illa Petri oratione, quam primo Pentecoſtes die habuit, (Act. II. 14. ſqq.) cuiusque vim prorſus inſignem fuiſſe nouimus. Sed praeter eam per omnem etiam Actuum Apoſtolicorum hiſtoriam id ipſum obſeruare licet, quoties ad Iudaeos dicendum fuerit Apoſtolis, eos ſemper hoc commemoraſſe, Ieſum eſſe verum illum Meſſiam a Deo per prophetas promiſſum, idque argumentis etiam ex V. T. ſcriptis petitis confirmaſſe. Exemplo eſſe poterunt loca haec: Cap. IV, 10. ſqq. XIII, 23. ſqq. XVIII, 5. 28. Quod autem obſeruationem legis Moſaicae attinet, a qua et ipſa Iudaei, qui ad religionem chriſtianam tranſire vellent, abſtrahi debebant, in eo etſi nouimus Apoſtolos diu multumque ſe accommodaſſe imbecilli Iudaeorum ingenio, quod legem a Deo ipſo latam nunc abiiciendam

eſſe,

esse, vix ac ne vix quidem sibi persuaderi sinebat, nihilominus tamen tantum abfuerunt, vt iis ea in re prorsus concederent, vt in conuentu iam Hierosolymitano Petrus aliique omnibus viribus impedirent, quo minus legis huius onus christianis etiam ex gentibus ortis imponeretur, (Act. XV, 10.) maxime vero Paulus in eo asserendo laboraret, idque non modo aduersus Petrum, qui vel pristinam suam sententiam mutauerat, vel quod verosimilius videtur, Iudaeorum metu adactus, occultauerat, grauiter defenderet, (Gal. 2.) sed in epistolis etiam ad Romanos, Galatas aliisque saepe doceret, legem illam nunc esse abrogatam, eiusque obseruationem omittendam; de quo haec v. c. loca videri possunt: Rom. VII, 6. Gal. IV. Hebr. VII, 11. 12. VIII, 8—13. Atque ita quidem in Iudaeis ad religionem christianam perducendis primi religionis doctores versati esse reperiuntur; longe vero aliter in Graecis gentibusque aliis. Alienissimum enim fuisset, si apud eas gentes de Messia dicere instituissent, quae eius ne notionem quidem habebant, nedum in illum credere possent. Neque vero tam imprudentes aut hebetes erant Apostoli, vt id ipsi non viderent, quin potius praeclare intelligebant, in his gentibus erudiendis et ad religionem quasi praeparandis vti cultum idolorum esse coarguendum, ita maxime illud primarium omnis religionis caput tradendum, vnum Deum esse, a quo omnia et olim sint creata, et nunc conseruentur atque gubernentur. Cuius rei admodum iuculentum exemplum praebet praestantissima illa Pauli oratio, quam Act. XVII, 22. sqq. Athenis habuisse legitur, et in qua illa eius sapientia inprimis admiranda videtur, qua inscriptione arae ignoto Deo consecratae suam in rem perquam commode vsus est. Neque minus euidens huius rei argumentum exhibet eiusdem Pauli oratio ea, qua Lystrenses, cum iam in eo essent, vt ipsi vna cum Barnaba, propter claudum sanitati restitutum, tanquam Diis sacra facerent, ab ista

in-

insania ita prohibuit, vt iis partim cultus idololatrici vanitatem declararet, partim ab vno Deo omnia creari ac sustentari ostenderet. Act XIV, 15. sqq. Quum vero haec ita perspicua sint, vt a nemine in dubium vocari possint, proximum iam erit, vt, quam primis religionis doctoribus sapientiam, in deligendis dogmatibus cuique genti ad religionem primum adducendae aptissimis conspicuam, hactenus vindicare studui, eandem eos porro etiam adhibuisse demonstrem tum, cum homines christianam religionem iam professos amplius atque vberius praeceptis eius instituerent. Nam tum etiam ea loco quoque dogmata proponebant, quae tradere vel necessitas aliqua cogebat, vel alia quaedam opportunitas suadebat. De qua quidem re omnes, quotquot ad nos peruenere, Apostolorum epistolae aperte testantur, quippe quae singulorum coetuum christianorum aut hominum, ad quos scriptae sunt, conditioni ita sunt accommodatae, vt, qui eas, nulla praeconcepta opinione impeditus, perlegerit, de eius, quod dixi, veritate nullo modo dubitare possit. Tantam enim in iis reperiet argumenti diuersitatem, vt eam vel fortuito cuidam casui scriptorumue sacrorum arbitrio tribuendam, (quod quam parum scriptoribus, diuino auxilio adiutis, dignum sit, in oculos profecto sponte incurrit,) vel in singularum, ad quas quaeque scripta est, ecclesiarum conditione causam eius quaerendam esse, statuat necesse sit [2]). Interdum enim in erroribus per doctores falsos sparsis confutandis, vel peruersis christianorum de hac vel illa re opinionibus corrigendis atque emendandis versantur, quo, vt taceam 1 ad Cor. epist. Cap. XV. quo mortuorum in vitam reditus contra adversarios eius grauiter defenditur, epistola ad Galatas scripta maxime pertinet, in

1) Videri possunt, quae hac de re scripsit *Zachariae* in Theol. bibl. Part. 1. p. VI. sqq. Introd.

in qua aduersus eos disputatur qui legem Mosaicam etiam a Christianis ex gentibus ortis obseruari volebant; cuius erroris vestigia vt in epistola ad Colossenses quoque occurrunt, ita eidem similis etiam est is, qui Paulo in epistola ad Romanos demonstrandi occasionem praebuit, non posse lege Mosaica obseruanda fauorem Dei teneri, sed viam eius sibi conciliandi viam esse fidem Christo habitam. Alio vero tempore in Christianis, qui vel vel vexationum atrocissimarum metu compulsi, vel aliis causis permoti, religionem iam susceptam abiecturi videbantur, confirmandis ita laborant, vt causas, cur religio, quam semel professi sint, iis retinenda sint, exponant, quod quidem consilium vti auctori epistolae ad Hebraeos propositum fuisse, a nemine dubitatur, ita Iacobum etiam in epistola sua scribenda secutum esse arbitror. Tum rursus ad quaestiones sibi ab aliis propositas respondent, cuius rei in 1. ad Cor. ep. Cap. VII. VIII. et XII. exempla luculenta habemus. Sed nolo omnia epistolarum argumenta percurrere, cum vel haec, quae breuiter commemorui, ei, quod posui, confirmando sufficere posse videantur. Quemadmodum vero in his singularum epistolarum argumenta admodum inter se diuersa esse reperiuntur, ita contra dogmata atque praecepta ea, quae scire omnes, siue ex Iudaeis essent, siue Graecis siue aliis quibusque gentibus orti, debebant, in nulla fere earum omissa videmus. Huc autem per se intelligitur, illa duo inprimis vniuersae religionis christianae summa capita pertinere, primum de fauore Dei erga omnes gentes per Christum declarato, deinde vero illud, de vita ab omnibus, qui dignos se religionis sectatores praebere velint, vna cum sensibus in melius mutanda, quam quidem rem libros sacros vno verbo μετάνοιαν appellare solere, neminem fugit. Vtrumque vero Apostolos apud quascunque gentes tradidisse, cum scripta eorum luculenter declarant, tum Paulus de se diserte profitetur Act. XX, 21. et XXVI, 20. Ne-

20. Neque vero, quod nunc quidem ſatis demonſtratum eſſe arbitror, in vniuerſis modo gentibus religione inſtituendis iſti doctores eius hac ſapientia vtebantur, vt dogmata cuique loco ac tempori aptiſſima proponerent, ſed ſingulis adeo hominibus ſuam doctrinam ita accommodabant, vt in iis quoque erudiendis ab eo potiſſimum tradendo initium facerent, quod ipſis maxime profuturum ſcirent. Cuius quidem rei illam, quam Act. XXIV, 25. legimus, narrationem exemplum et euidentiſſimum et vero etiam admiratione digniſſimum praebere, cum alii viri docti iam obſeruarunt, tum nuperrime vberius demonſtrauit *Eckhardus*, gymnaſii Iſenacenſis Director meritiſſimus [3]). Mirum enim videri poſſet, Paulum hic de iuſtitia potiſſimum et caſtitate, iudicioque extremo dixiſſe, niſi eius rei idoneas cauſas eum habuiſſe conſtaret. Iam vero cum hiſtoria nos doceat, non modo Felicem multa nefarie atque crudeliter feciſſe [4]) eoque nomine a Iudaeorum Caeſareenſium etiam primoribus Romae accuſatum fuiſſe, ſed Druſillam etiam caſtitatem parum ſeruaſſe, cum, nupta primum Azizo, Emeſorum regi, ſe per Simonem quendam ad nuntium marito mittendum, matrimoniumque cum Felice ineundum, peſſimis artibus ſollicitari paſſa fuerit, quilibet profecto ſummam Apoſtoli ſapientiam, in deligendo hoc ſermonis argumento mirifice declaratam, lubens admirabitur. Verum nec haec quidem omnia ſunt, quae de prudenti primorum religionis doctorum inſtitutione diſputari poſſunt, ſed dixi ſupra, eos in dogmatibus tradendis ſpectaſſe etiam, quid captui ſingulorum inteligendique facultati eſſet accommodatum. Vt autem hoc Ieſum ipſum iam in

2) In Prol. ſic inſcripta: *Pauli Apoſtoli oratio ad Felicem et Druſillam dicta ex Ioſepho et Tacito illuſtrata*, quam Iſenaci ſuperiori anno ab illo editam fuiſſe, ex Comment. Helmſt. de rebus nouis litterariis faſc, 2. ſcid. 9. eiusd. anni cognoui.

3) Vid. Tac. Annal. XII, 54. et Hiſt. V, 9.

in discipulis suis erudiendis fecisse, ex eo adparet, quod Io. XVI, 12. iis dicit, ἔτι πολλὰ ἔχω λέγειν ὑμῖν, ἀλλ' οὐ δύνασθε βαστάζειν ἄρτι, ita et hac in re Apostolos exemplum eius secutos esse videmus. Eius autem rei rursus testem habeo Paulum, qui 1. ad Corinth. III, 22. haec scribit: γάλα ὑμᾶς ἐπότισα, καὶ οὐ βρῶμα, causamque addit hanc: οὔπω γὰρ ἠδύνασθε· ἀλλ' οὔτε ἔτι νῦν δύνασθε. Neque aliud sibi vult, quod v. 1. dicit: οὐκ ἠδυνήθην λαλῆσαι ὑμῖν ὡς πνευματικοῖς, ἀλλ' ὡς σαρκικοῖς, ὡς νηπίοις ἐν Χριστῷ. In his enim causa est, cur Apostolus non poterat, vt dicit, cibum iis dare, quoniam religionem nondum erant satis edocti, sed potius tirones, quibus prima adhuc elementa erant tradenda. Similis locus est Hebr. V, 12. vbi, postquam eodem fere modo de exigua Hebraeorum religionis scientia auctor conquestus erat, πάλιν, inquit, χρείαν ἔχετε, τοῦ διδάσκειν ὑμᾶς τίνα τὰ στοιχεῖα τῆς ἀρχῆς τῶν λογίων τοῦ Θεοῦ· καὶ γεγόνατε χρείαν ἔχοντες γάλακτος, καὶ οὐ στερεᾶς τροφῆς. In quo quae sint prima, quae dicit, doctrinae diuinae elementa, ex iis, quae mox sequuntur, intelligitur. Nam Cap. VI, 1. 2. commemorat haec: doctrinam de scelesta factis fugiendis, de fide in Deum, de baptismo [5]) atque iis, quae cum eo coniuncta esse debebant, institutionem dico manuumque impositionem, denique de mortuorum in vitam reditu, poenisque post illum secuturis, Vt adeo hoc in loco summam omnium doctrinae christianae capitum habeamus, quibus Apostoli in prima christianorum institutione vtendum esse iudicauerint.

Sed

---

4) Puto enim pro βαπτισμῶν διδαχῆς legendum esse sic: βαπτισμοῦ, διδαχῆς, vt duo sint, quae commemorentur, baptismus nemqe atque religionis institutio, quae quidem vna cum manuum impositione, qua Spiritus S. dona impertiebantur, cum baptismo tum semper coniuncta esse solebat. Hanc autem coniecturam debeo optimo Praeceptori meo, Excell. *Moro*, qui eandem etiam in Versione huius epistolae germanica, quam an. 1775 edidit, secutus est.

Sed ſatis diu in prima earum, quae ſupra propoſitae ſunt, quaeſtione ſoluenda haeſi, quare ad alteram nunc erit progrediendum. Ea autem ſpectabat ad *modum*, quo ſcriptores ſacri dogmata quibusque vel lectoribus vel auditoribus proponunt, de quo hanc equidem obſeruationem poni poſſe arbitror: eos doctrinam ſuam cum Iudaeorum tum Graecorum ingenio ita accommodaſſe, vt in religione vtrisque tradenda rerum vterentur imaginibus iis, quibus vel cogitando, videndo atque vtendo eos maxime aſſuetos eſſe ſcirent, vel religionem iis proponi aliis de cauſis conſultum iudicarent. Atque vt et hic de Iudaeis dicendi initium faciam, eorum ingenio ac indoli primum Ieſum ipſum in docendo ſeruiiſſe, nos dubitare non ſinit parabolarum vſus ille frequentiſſimus. Conſtat enim, illas non alia de cauſa ab eo adhibitas fuiſſe, quam quoniam partim talis docendi hominesque religionis praeceptis inſtruendi modus inter eos admodum erat vſitatus, partim vero ipſa rerum iis tradendarum natura eiusmodi docendi rationem poſtulabat. Cum enim peruerſa, quam plerique Iudaeorum illius temporis ſibi de Meſſia eiusque regno informauerant, notio non pateretur, vt Ieſus iis veram regni ſui naturam verbis perſpicuis omnibusque imaginum inuolucris remotis deſcriberet, hoc quaſi temperamento vtendum eſſe ſapientiſſime iudicabat, vt, quibus res ipſa proponi non poſſet, ii his interea ſimilitudinibus atque parabolis acquieſcerent, donec ipſo olim euentu de illorum vero ſenſu admonerentur. Certe hanc cauſam Ieſus ipſe commemoraſſe legitur, cum diſcipuli eius illam ex eo ſciſcitarentur, Math. XIII, 11. coll. Marc. IV, 11. Quod enim ibi dicit, ſe propterea eiusmodi parabolis vti, quoniam auditores ſuos hebetes atque caecos eſſe videret, id ad ipſam illam opinionem eorum praeiudicatam referendum videtur, quae, quominus verum viderent, eos mirum quantum impediebat. Facile tamen apparet, id tantum de parabolis iis valere, qua-

quarum argumentum ad deſcribendam futurae Chriſti eccleſiae naturam pertinet. Sed praeter has etiam alias a Ieſu propoſitas eſſe videmus, in quibus cum nil niſi religionis aliquod caput adumbratum reperiatur, earum vſurpandarum nulla talis neceſſitas intelligitur. Quare non dubium eſt, quin hae illi, quae, vt ante dixi, inter Iudaeos tum obtinuit, conſuetudini ſint tribuendae. Harum autem in numerum quaenam ſint referendae, quanquam *Tu* quidem, *Cariſſime Schwarzi*, minime ignorabis, facere tamen non poſſum, quin vel illam vnam *Tibi* in memoriam nunc reuocem, quae de filio perdite viuente exponit. Ea enim cum modum, quo homo ad meliorem mentem redire debeat, tum promtiſſimam Dei peccata ipſi remittendi voluntatem tam praeclare deſcribit, vt vix quicquam ad hominem vel ſceleſte viuentem emendandum efficacius, vel de peccatorum grauitate dolentem conſolandum aptius dici poſſe videatur [6]). Quem vero magiſtrum ſuum Apoſtolos in docendo etiam ducem ſecutos eſſe, aliquoties iam vidimus, eius exemplum eos et hic imitatos eſſe conſtat. Id autem, ſi vel nullum aliud eius documentum haberemus, vna ad Hebraeos epiſtola abunde nos docere poſſet. Huius enim omne argumentum illorum, ad quos ſcripta eſt, ingenio opinionibusque ita eſt accommodatum, vt, quemadmodum qui ignoret id, fruſtra in ea interpretanda atque intelligenda laboraturus, ita is, qui in dubium vocare audeat, contra ipſam veritatem pugnare velle cenſendus ſit. Cum enim Hebraei, qui ex Iudaeis omnes erant oriundi, religione chriſtiana inprimis ideo offenderentur, quod eam omni illo, qui in Moſaica religione locum habebat, caerimoniarum apparatu, ſacerdotiique inprimis Leuitici ſplendore carere viderent, verendum profecto erat, ne religionem his omni-

5) Pluribus hoc docuit *Toellnerus in den theologiſchen Unterſuchungen* Vol. 2. Part. 1. p. 73. vbi in hanc omnem parabolam praeclare commentatus eſt.

omnibus ornamentis deſtitutam mox abiicerent, et ad Iudaismum redirent. Quare ſapientiſſimus huius epiſtolae auctor, huic eorum imbecillitati ſeruiendum eſſe ratus, illis oſtendere ſtudebat, omnia, quae fuerint in religione Iudaica, in chriſtiana non modo non deſiderari, ſed multo etiam praeſtantiora atque excellentiora reperiri. Hinc omnes illae Chriſti tanquam ſacerdotis victimam piacularem offerentis, (Cap. V, 1. ſqq.) ſacrificioque facto ſanctum ſanctorum intrantis (Cap. IX, 12.) imagines, hinc illa, quae inter vtriusque religionis auctorem, Ieſum atque Moſen (Cap. III, 1.) inſtituitur, comparatio, aliaque plura huius rei documenta, de quibus vt copioſius diſſeram non opus eſſe videtur, cum et res ipſa loquatur, et alii iam plures viri docti id ſatis demonſtrauerint. Praeter hanc vero epiſtolam in aliis etiam, in quibus ad chriſtianos ex Iudaeis ortos dicitur, huius, quod in Apoſtolis fuiſſe dixi, eorum ſe ingenio atque moribus accommodandi, ſtudii veſtigia non pauca reperire licet. Vt enim nunc taceam frequentiſſimum illum locorum V. T. vſum, huc inprimis etiam pertinere arbitror iſtud allegoricum interpretandi genus, quo cum Iudaei ab antiquiſſimo inde tempore admodum delectati fuiſſent, Apoſtolos etiam interdum vſos eſſe, vel luculentiſſimo illo Gal. IV, 21—31. de Sara et Hagare loco moniti, doctiſſimi quique interpretes, inque his ipſe *Lutherus* noſter 7) dudum viderunt. Sed ſufficiant haec de Iudaeis. Videamus etiam de Graecis, qui-

6) Is enim in Commentar. ad Galat. ita ſcribit: *Allegoriae non pariunt firmas probationes in theologia, ſed velut picturae ornant et illuſtrant rem. Nam ſi inſtitiam fidei contrà inſtitiam operum fortioribus argumentis Paulus non probaſſet, nihil efficeret* haec allegoria. *Quia vero ſupra hanc ſuam cauſam muniit firmiſſimis argumentis, ſumtis ab experientia, exemplo Abrahami, item a teſtimoniis ſcripturae, iam in fine disputationis addit allegoriam ceu ornatum quendam.* Praeterea vero legi etiam merentur, quae cum de re vniuerſa, licet paucis, grauiter tamen monuit *Niemeierus in der Charakteriſtik der Bibel.* T. 1. p. 271. [p. 286 ed. 5.] tum de loco ad Galatas ſpeciatim ſcripſit *Koppius* in edit. N. T. exc. VIII.

quibus et ipſis hactenus ſaltem ſe accommodarunt Apoſtoli, vt in religione iis vel tradenda vel commendanda non modo exemplis vocabulisque vterentur iis, quae ex eorum ſiue ſcriptoribus ſiue morum vitaeque genere ducta eſſent, ſed imagines etiam ab iis peterent rebus, quibus quotidie videndis maxime eſſent aſſueti. Quod vt vel vno exemplo confirmem, ſatis erit locum illum ex 1 Cor. IX, 24—27. excitaſſe, cuius cum imagines omnes a Graecorum ludis ductae ſint, aptiſſimas eas ad virtutis ſtudium Corinthiis commendandum fuiſſe, nemo profecto dubitabit, qui in huius vrbis vicinia celebratiſſimos illos Iſthmicos ludos olim actos fuiſſe meminerit. Sed et hoc alii iam ſatis docuerunt. Quare ad tertiam potius quaeſtionum propoſitarum animus feſtinat.

Eam vero meminiſti, *Amice Suauiſſime*, de eo poſitam fuiſſe, vt *quantum* ſcriptores ſacri de quoque dogmate traderent, conſtitueretur. Atque hic quidem me cum diligens ſcripturarum ſacrarum lectio, tum religioſum eorum, quae legeram, examen id docuerunt, ſcriptores ſacros plerumque ſolere dogmata ſimpliciter tradere, raro autem modum, quo res, quam tradunt, ſit intelligenda, definire. Quod etſi *Tu*, *Cariſſime*, optime noſti, non a me nunc primum moneri, ſed ſaepius iam a viris doctiſſimis, ſcripturarumque ſacrarum auctoritatem maximopere venerantibus demonſtratum fuiſſe, idem tamen non ignorabis, multos etiamnum eſſe, qui, cum quaecunque in compendiis ſuis dogmaticis tradi videant, ea et omnia in ſcripturis ſacris non minus definite atque copioſe expoſita eſſe, ſibi perſuaſiſſe videantur, de eo vehementer dubitent. Quare eo minus, opinor, inutilis *Tibi* opera videbitur, quam in hac re denuo examinanda ponere conſtitui. In quo quidem conſilio exequendo, vt equidem nulla opinione praeiudicata, ſed ſolo veritatis ſtudio duci me patiar, ita *Tu*, quaeſo, pro ea, qua ſemper vti ſoles, iudicii ſubtilitate

do

de illorum, quae proferam, vi ac pretio decerne. Primum omnium autem hoc monendum esse videtur, mihi sermonem nunc non esse de iis, quae mysteria dici consueuerunt. Sponte enim intelligitur, in iis, non potuisse a Scriptoribus sacris modum, quo quodque eorum intelligendum sit, tradi. Quare missis his, de aliis potius, quae in horum numerum referri non possunt, videamus. Nam et in his saepe modum, quo intelligenda sint, a scriptoribus sacris nullum describi defendo. Quod vt quo iure dixerim, appareat, id, age, quorundam doctrinae christianae dogmatum exemplo doceamus, ac praecipua, quae de iis agunt, scripturarum sacrarum loca hoc consilio percurramus, vt, num in iis de modo rei intelligendae aliquid praecipiatur, cognoscamus. Primum autem exemplum a dogmate de peccato originali s. vitiositate hominum ea, quae Adami culpa contracta, et ab eo ad omnes propagata esse dicitur, petere constitui. Atque cum Theologi fere omnes concedant huius dogmatis sedem quasi primariam esse in loco eo, qui ad Rom. V, a versu 12. vsque ad v. 19. legitur, ab illo examinando initium faciam. In eo vero simplicissima haud dubie sententia est, a qua locus omnis incipit, v. 12. *δι' ἑνὸς ἀνθρώπου ἡ ἁμαρτία εἰς τὸν κόσμον εἰσῆλθε*, quae non aliud sibi velle potest, quam hoc: cum vno homine peccatum in mundum venit, s. planius: vnus homo peccatum in mundum quasi introduxit, aut, per illum peccata inter homines esse coeperunt. Ita enim talia quilibet intelligit, qui per hominem quendam rem aliquam quae vbique reperitur, introductam esse audit, vt cogitet, hominem illum eius rei initium fecisse eamque nunc inter homines vel esse vel fieri coepisse. Quod autem hic per Adamum peccata inter homines esse coepisse dicuntur, id quomodo sit intelligendum, adparebit, si cum hac sententia v. 19. comparauerimus. Ibi enim hoc est: *διὰ τῆς παρακοῆς τοῦ ἑνὸς ἀνθρώπου ἁμαρ-*

ἁμαρτωλοὶ κατεστάθησαν οἱ πολλοὶ, per obedientiam vnius multi (i. e. omnes) facti sunt peccatores, nam illud κατεστάθησαν ἁμαρτωλοὶ nihil aliud sibi velle arbitror, quam facti sunt peccatores. Qui enim constitui dicitur, is fit talis, qualis constituitur, neque profecto quenquam fugiet, constitui millies dici pro *reddi*. Adeoque hic cum illud, quod v. 12. de Adamo in vniversum dicebatur, per illum peccata inter homines esse coepisse, illi notissimo eius peccato tribuitur, tum propter illud reliquos etiam homines peccare coepisse, dicitur. Quae si cogitentur, facile adparet, hic haud dubie nexum aliquem peccati Adamitici cum reliquorum hominum peccatis describi, sed qualis ille sit, et in quo cernatur, id profecto ex hoc loco nulla ratione intelligi posse videtur. Praeter hunc vero locum constat alium nullum extare, in quo de nexu hoc vtriusque generis peccatorum exponeretur. Quae enim praeterea hic laudantur loca, in iis naturalis modo, quae in hominibus omnibus est, vitiositas describitur, sed ita, vt quomodo ea ab vno ad alium propagetur nec hic explicetur. Verum huc saepe etiam trahuntur loca, quae ab hac re facile aliena videri possint. Talis mihi quidem videtur ille esse, qui est ad Ephes. II, 3. ἦμεν τέκνα φύσει ὀργῆς, et a multis inprimis vrgeri solet. Etsi enim lubenter profiteor, mihi nondum satis certo constare, quomodo illud φύσει sit interpretandum, tamen, cum in omni loco de sceleſia, quam cum Iudaei tum gentiles, nondum suscepta religione christiana, egerant vita sermo fit, equidem per hunc loci contextum minime dubium vero perquam simile reddi arbitror, omnem vitiositatis naturalis mentionem ab hoc loco alienam esse iudicandam. In quo quidem non parum lactor, me praeter b. *Toellnerum* [8]) etiam Vener. *Kop-*

7) *In den theologischen Untersuchungen* Vol. I. Part. 2. p. 145. Vbi omnino de vniverso hoc dogmate tam praeclare disputauit,

Koppium[9]) aſſentientem habere. Iam vero cum praeter haec, quae hactenus tractaui, loca, nullus ſit, e quo de hoc, quod dici ſolet, peccato originali amplius quid diſcamus, ſatis quidem, opinor, nunc intelliges, *Doctisſime Schwarzi*, verum eſſe, quod demonſtrare hoc exemplo ſuscepi, dogmata in ſcripturis ſacris ita tradi, vt ſimpliciter proponantur, modus vero eorum intelligendorum nullibi ſubtilius definiatur. Id ipſum autem altero exemplo oſtendere conſtitui, quod erit ex doctrina de morte Chriſti hominum cauſa facta, deſumtum. Atque hic quidem primum omnium certiſſimum eſt, Chriſtum pro hominibus mortuum hactenus dici, vt mors eius pro cauſa ſit habenda propter quam hominibus peccata remittantur. Id enim per omnem fere ſcripturam tam perſpicue traditur, vt vel paucis locis comparandis intelligi poſſit, coecumque eſſe oporteat, qui id ſe videre neget. Quid enim magis perſpicuum eſſe poteſt loco illo, qui II. Cor. V, 19. occurrit? Si enim ibi Deus homines per Chriſtum ſecum reconciliaſſe dicitur, notio reconciliationis his ſtatim verbis explicatur: *μὴ λογιζόμενος αὐτοῖς τὰ παραπτώματα αὐτῶν*, i. e. eos ita ſecum reconciliauit, vt iis peccata non imputaret, quod non poteſt alium ſenſum habere, quam hunc: vt eos non puniret propter peccata, nam cui peccatum aliquod imputatur, is propter illud punitur. Hanc autem reconciliationem, quae hic per Chriſtum facta eſſe dicitur, morti eius tribuendam eſſe, ex Rom. V, 10. intelligi poteſt. Ibi enim eadem per mortem Chriſti facta dicitur, atque alii plures loci confirmant, quos omnes commemorare, nunc quidem opus eſſe non videtur. In his autem locis omnibus haec, quam morti Chriſti deberi dixi, peccatorum remiſſio non modo vni morti eius conſtanter tribuitur, neque praeter illam ab vllo alio vitae eius euentu deriuatur, ſed ita etiam illi tribuitur, vt facile appareat, eam ab illa tanquam cauſa aliqua re-

vt neque ſubtilius, neque vero etiam moderatius quicquam ſcrib poſſe exiſtimem.

8) In Excurſ. II. epiſt. ad Epheſ. ſubiecto.

repetendam esse, neque alius rei, veluti doctrinae a Christo traditae, aut pietatis virtutisque hominum interuentu effectam fuisse. Quod si vero iam de modo, quo mors illa huius peccatorum remissionis causa fuerit, illamque effecerit, quaeritur, tria potissimum loca sunt, in quibus aliud quid, quam solam mortem commemorari videmus, quae, age, paucis examinemus. Primus est Rom. VIII, 3. in quo haec leguntur: ὁ Θεὸς τὸν ἑαυτοῦ υἱὸν πέμψας ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἁμαρτίας, καὶ περὶ ἁμαρτίας, κατέκρινε τὴν ἁμαρτίαν ἐν τῇ σαρκὶ, Deus misso, peccati causa, filio suo, induto corpore humanis simili, in hoc ipso corpore eius peccatum condemnauit, i. e. puniuit. Sic enim locum hunc, praeeuntibus doctissimis cum antiquioribus tum recentioribus etiam interpretibus, explicandum esse arbitror. Iam vero hac interpretatione admissa dicitur quidem hic, Deum peccatum in corpore Christi puniuisse, vel poenas peccati in corpore eius exegisse, sed quomodo hoc factum sit, non additur. Quasnam enim poenas ab illo exegit, et quomodo peccatum in corpore eius puniuit? an sic, vt, quod ipsa historia tradit, mortem, quae est poena peccati, corpori etiam Christi insontis immitteret? vel potius ita, vt poenas hominibus perferendas eorum loco ab illo exigeret? Enimvero non video, quomodo id ex hoc loco definiri possit. Progrediamur igitur ad alterum locum ex II. Cor. V, 21. qui ita habet: τὸν γὰρ μὴ γνόντα ἁμαρτίαν, ὑπὲρ ἡμῶν ἁμαρτίαν ἐποίησεν, ἵνα ἡμεῖς γινώμεθα δικαιοσύνη Θεοῦ ἐν αὐτῷ. In hoc autem loco interpretando quoniam constat interpretes in duas partes abire, cum vocabulum ἁμαρτίας in illo: ὑπὲρ ἡμῶν ἁμαρτίαν ἐποίησεν, vel ex consuetudine hebraica de sacrificio pro peccato explicent, vel abstracto pro concreto posito, de peccatore dictum esse statuant, de vtraque explicatione separatim erit videndum. Si igitur priori modo vocem ἁμαρτίας accipias, sensus hic erit: Deus eum, qui peccatum non nouerat, seu ipse non peccauerat, pro nobis sacrificium

pro peccato fecit, i. e. voluit per eum auferri peccata nostra, quemadmodum olim in oeconomia Mosaica per sacrificia hominum peccata auferebantur. Verum ita sponte intelligitur, praeter vnum hoc, quod pro nobis mortuus esse dicatur, nihil amplius addi, e quo de ratione, qua mors eius peccatorum remissionem effecerit, iudicari possit. At si sic explicetur: fecit eum peccatorem, diceretur quidem hoc, eum a Deo vt peccatorem tractatum esse, (ita enim hoc: peccatorem facere, nunc foret intelligendum,) sed qua ratione id factum esset, nec hic definiretur. Quomodo enim, rursus quaero, vt peccatorem tractauit? Nimirum vt peccata nostra ipsi imputaret. Quid vero, si dicerem, sic potius, vt eum quasi peccatorem pro nobis mori vellet? Restat iam tertius locus, Gal. III, 13. qui hic est: Χριστὸς ἡμᾶς ἐξηγόρασεν ἐκ τῆς κατάρας τοῦ νόμου, γενόμενος ὑπὲρ ἡμῶν κατάρα, de cuius loci ultimis tantum verbis nunc pro consilii mei ratione erit dicendum. Haec autem quomodo sint intelligenda, iudicandum erit ex iis, quae statim adduntur v. 14. γέγραπται γάρ· ἐπικατάρατος πᾶς ὁ κρεμάμενος ἐπὶ ξύλου. Quomodo enim homo talis, qui e trabe lignea pendebat, pro maledicto habebatur? nimirum hactenus, quatenus nunc poenam luebat atque punitus erat. Constat enim Iudaeos tales homines, supplicio demum peracto, suspendisse. Quae cum ita sint, dubium iam esse non potest, si Christus dicatur γενόμενος ὑπὲρ ἡμῶν κατάρα, id hoc sibi velle, eum in cruce pro nobis mortuum esse, sicque punitum atque maledictum fuisse, id quod ipsum agnouisse etiam vidi *Koppium*, si quidem mentem eius recte satis percepi. Vt autem ex his, quae hactenus tractauimus, locis nihil de modo, quo Christus morte sua remissionem peccatorum effecisse putandus sit, perspici potuit, ita multo minus de illo iudicari poterit ex tropis a cultu Leuitico ad illam translatis, quales sunt, cum sacerdos, victima hominumque expiator dicitur. Intelligitur enim, his non nisi rem ipsam imagine quadam adum-

adumbrari, ſignificarique hoc: Chriſto tanquam victima occiſo aeque certos eſſe poſſe homines, ſibi peccata a Deo remitti, atque olim fuerit Iudaeorum quilibet, qui victimam pro ſe offerri curauerit; ſed de cauſa, cur mors eius hanc vim habeat, hinc profecto iudicari minime poterit. Quae cum ita ſint, vides iam, *Amice Cariſſime*, et hoc exemplo id, quod oſtendere ſuſceperam, ita confirmari, vt vix pluribus eius rei documentis opus eſſe videatur. Conſtitueram tamen, non modo tertium eiusdem rei exemplum addere, ſed vniuerſae etiam obſeruationi huic quaedam quaſi corollaria adiungere, quae vel ad quasdam doctrinae theologicae partes illuſtrandas facerent, vel rationi, qua doctoribus chriſtianis hominibus maxime indoctis in religione erudiendis verſandum ſit, regendae ac moderandae inſeruirent; verum anguſti, quibus huius libelli ſpatium circumſcriptum eſt, limites me iſtud conſilium proſequi minime patiuntur. Hoc vnum tamen non poſſum non *Te* admonere, cum iam his exemplis demonſtratum ſit, raro dogmatum intelligendorum modum a ſcriptoribus ſacris definiri, hinc facile intelligi poſſe, quam inique atque adeo iniuſte faciant ii, qui, ſi quem de hoc vel illo dogmatis alicuius explicandi modo dubitare audiant, ſtatim vniverſum ab illo dogma reiici clamitent, eumque peſſimi in religionem animi accuſare non dubitent. Qua quidem ratione vt equidem olim iam viris doctiſſimis veraeque religionis amantiſſimis iniuriam ſaepiſſime factam eſſe, atque etiamnum non raro fieri ſummam arbitror, ita nec mihi ipſi maiorem fieri poſſe ſentio, quam ſi quis haec ideo a me diſputata eſſe diceret, vt ipſa, quorum exempla poſui, dogmata in dubitationem adducerem, cum id vnum docere voluerim, ea in ſcripturis non eſſe illo ſubtiliori modo definita, quo, cogente ac poſtulante ſumma eorum, qui ſecus de iis ſtatuerent, iniquitate, ea temporis ſucceſſu, ab eccleſiae doctoribus definita fuiſſe conſtat.

II.

HISTORIA DOGMATIS DE REGNO MESSIAE CHRISTI ET APOSTOLORUM AETATE AD ILLUSTRANDA N. T. LOCA ACCOMMODATE EXPOSITA.

Accedit quoque lucis nonnihil ad intelligendum ſcripturae ſenſum, ſi perpendamus, non modo *quid* dicatur, verum etiam, *a quo* dicatur, *cui* dicatur, *quibus verbis* dicatur, quo tempore, qua occaſione, quid praecedat, quid conſequatur. Aliud praecipitur rudi populo, aliud apoſtolis. Rurſus aliud praecipitur apoſtolis adhuc rudibus aliud formatis iam et inſtitutis.

Erasmus.

PROOEMIVM.

Notiſſima et vel in vulgaribus de arte interpretandi ſcriptis libellis ſaepius commendata eſt regula, qua praecipitur, ei, qui in ſcriptore aliquo antiquo explicando cum fructu atque laude verſari cupiat, diligenter curan-

Nota editoris. Scripſit b. Keilius hanc diſſertationem a. 1781, ut lectionum in Academia habendarum facultatem conſequeretur. In ea publice defendenda ſocium ſibi adjunxerat *Joh. Guil. Linde*, Thorunenſem, qui etiamnum Gedani munere ſacro ſummo cum dignitate fungitur, neque mediocrem inter doctos laudem affecutus eſt, ut alii taceantur, libris his: *Glaubens- und Sittenlehre Jeſu des Sohns Sirach*, ed. 2. auctior Lipſ 1795, *Sententiae Jeſu Siracidae* graece, ad fidem codd. et verſſ. Gedani 1793. *Jeſu Univerſal-Religion*, ein Seitenſtüak zu *Reinhards* Schrift über den Plan Jeſu Lipſ. 1811 ſine auctoris nomine, de quo libro edendo multa cum b. Keilio conſilia agitavit.

curandum eſſe, vt, quantum fieri poſſit, ingenium, mores, religionem, fata, opiniones denique omnes, cum eius, qui ſcribit, tum illorum etiam, ad quos vel ipſa oratio dirigitur, vel quorum ſaltem in vſus liber aliquis ſcriptus eſt, cognitas perſpectasque habeat, idque eo magis, quo longius auctoris alicuius aetas a noſtra ſit remota, hominumque, qui tum vixerunt, de rebus quibuscunque ſtatuendi dicendique ratio ab ea, qua nos vtimur, diuerſa. Neque profecto temere praeterque rationem haec dici ſtatuendum eſt. Etenim ſi verum eſt, (eſt autem profecto veriſſimum,) varium eſſe hominum, maxime illorum, qui locis temporibusque inter ſe ſint diſiuncti, ingenium et varios ſenſus, hincque varia etiam de rebus multis iudicia atque decreta, in promtu eſſe videtur eum, qui, quae ſcriptor aliquis ad illius, qua vixit, aetatis opiniones iudicandique rationem accommodate ſcripſerit, ex ſuo ingenio, ſuaeque aetatis opinionibus iudicet, non tam illius, quem ſibi explicandum ſumſerit, mentem declaraſſe, quam illius verbis ſuam potius de his illiſue rebus ſententiam expoſuiſſe, cenſendum eſſe. At vero, quam vnam veram certamque ſcriptoris alicuius mentem recte percipiendi rationem, ipſa ingenii humani indoles commendabat, quamque in ſcriptis humanis interpretandis doctiſſimos quosque viros dudum inſigni cum fructu ſecutos eſſe conſtabat, eam a librorum ſacrorum interpretibus hactenus vel prorſus ueglectam, vel multo ſaltem rarius, quam propter plurimas cauſas fieri debebat, adhibitam fuiſſe, id equidem ſaepe iam mecum magnopere ſum miratus. Quamquam vero iſtam admirationem facile minui ſentiebam, cum, quae cauſa tantam tamque turpem negligentiam progenuiſſet, quaererem, intelligeremque aliam nullam fuiſſe, quam illam multorum perſuaſionem, qua libros eos, quos ſacros nos habemus, non tam illis, inter quos eorum auctores verſabantur, quam omnibus potius cuiuscunque aetatis hominibus ſcriptos

eſſe

esse putant, iisque adeo nihil contineri posse contendunt, quod ad illorum tantum hominum captum aut sensum sit accommodatum, tamen et meo ipsius iudicio ita persuasus, et aliorum etiam Virorum doctorum [1]) hac de re praeceptis admonitus, semper mihi curandum esse putaui, vt, si scriptorem quendam sacrum legendum penitusque cognoscendum mihi sumsissem, praeter caetera sensus eius reperiendi subsidia inprimis etiam de opinionibus sollicitus essem, quas vel ipse, vel ii etiam, ad quos scripserat de his ipsis, quas ibi exponi videbam, rebus fuissent secuti. Quod cum nunquam sine fructu me fecisse intellexissem, idque dum facerem, saepe etiam de ratione, qua istarum opinionum vestigia in loco quoque recte essent agnoscenda atque obseruanda, cogitassem, decreueram quidem hoc ipso tempore, quo Praeceptoribus Fautoribusque, si quos haberem, meis impensae hactenus a me literarum, maxime sacrarum studiis operae documentum aliquod proponere constitueram, de hac ipsa re quaedam commentari. Sed cum, labore hoc vix suscepto, mox intelligerem, argumentum hoc multo amplius esse, quam quod angustis libelli academici finibus contineri posset, multoque etiam grauius, quam cui satisfaciendo me in tanta ingenii viriumque mearum imbecillitate parem futurum sperare vllo modo possem, malui equidem omne istud consilium abiicere, quam opus vires meas multum excedens aggrediendo, aliis iure deridendum me propinare. Etsi vero

1) Liceat ex his tres tantum nunc commemorare, qui nuperrime diligentem huius rei obseruationem commendarunt. Primus illorum est *Semlerus* in Diss. de discrimine notionum vulgarium et christianarum in libris N. T. obseruando. Hal. 1770. item in Diss. de discrimine inter σαρκικοὺς et πνευματικοὺς, §. 3. (Hal. 1778.) scriptisque pluribus. Alter est *Noesselt us* in libro: *Anweisung zur Kenntniss der besten allgemeinen Bücher in allen Theilen der Theologie*, §. 81. p. 103. edit. recentiss. Tertius denique *Reinhardus*, Prof. Viteb. in Diss. de locis quibusdam, qui in sermonibus Domini temere putantur communes, p. 4. [Inserta est haec dissertatio *Reinhardi* opusc. Acad. Lipsiae 1808 Vol. I, p. 191. ff.]

vero ita vniuersum quidem argumentum hoc persequendi consilium missum feceram, non poteram tamen ab animo meo, diutius iam isti intento, impetrare, vt omnem eius cogitationem deponerem et ad aliud tractandum me conferrem. Quare cum meminissem, id ipsum, esse in libris sacris quaedam ex opinionibus illorum temporum disputata, a multis adhuc viris doctrinae laude non destitutis in dubium vocari, earumque adeo cognitionem horum librorum interpreti quicquam vtilitatis afferre, ab iisdem negari, non inutilem prorsus operam me suscepturum putabam, si non quidem argumentis, sed magis exemplo aliquo paulo maiorem huius rei fidem facere studerem, quantumque eius rei observatio ad sensum scriptorum sacrorum recte cognoscendum, conferret, in singulari quodam argumento ostenderem. Id autem vnde potissimum desumerem cum aliquamdiu dubius haesissem, mox hoc ipsum, quod praesenti libello tractare constitui, mihi hac de re tum non conitanti oblatum, vel potius inuito propemodum fuit obtrusum. Cum enim in legenda editione N. T. a *I. B. Koppio*, librorum sacrorum interprete dexterrimo, curata, in Excurs. I. epist. ad Thessalon. subiectum incidissem, in quo ille, relicta vulgari formularum βασιλείας τῶν οὐρανῶν et βασιλείας θεοῦ interpretatione, aliam, quae de *solemni aliquo ac gloriosо* regno eas accipere iuberet, stabilire conatus esset, huius equidem rei nouitate perculsus, interpretationemque Viri doctissimi a vero locorum N. T. sensu alienam arbitratus, paulo curatius rem istam examinare apud animum constituebam. Iam vero cum non ignorarem, aliam sane fuisse Iudaeorum de ista βασιλείᾳ οὐρανῶν, quam Christi et Apostolorum sententiam, in eius notione indaganda non posse me feliciter versari, facile iudicabam, nisi rem ab initio repeterem, videremque, quomodo ista notio temporis successu aliter atque aliter immutata, tandemque rectius fuerit constituta. Hinc a

Iu-

Iudaeorum de hac βασιλείᾳ οὐρανῶν opinionibus primum exorſus, ad librorum dein N. T. de eadem doctrinam progrediebar, quidque Chriſtus et Apoſtoli de ea tradidiſſent, quaerebam. At enimuero perlectis omnibus N. T. ea de re locis, ipſum me in Viri doctiſſimi ſententiam delapſum non ſine ſumma admiratione animaduertebam. Quod qui tandem accidiſſet, cum iam ex me quaererem, non aliam eius rei cauſam eſſe intelligebam, quam quod, cognita primum Iudaeorum de Meſſiae regno opinione ad loca N. T. examinanda peruenisſem, in iisque legendis illud ſemper reſpexiſſem, quid ii potiſſimum homines, quibuscum res erat Chriſto et Apoſtolis, cum verba eorum audirent, cogitare debuerint. Quare cum ſic ipſe vſu meo cognouiſſem, quantum mihi Iudaicae hac de re opinionis cognitio ad mentem ſcriptorum ſacrorum rectius aſſequendam profuiſſet, hoc ipſum exemplum diſſertationis, quam meditabar, argumentum eligere conſtitui. In quo quidem propoſito magis etiam confirmabar eo, quod propter infenſiſſimas illius fragmentorum Guelpherbytanorum auctoris calumnias de hoc ipſo argumento ab aliquo inde tempore multum diſputatum, libellosque ea de re ſcriptos cupidiſſime lectos fuiſſe noueram, adeoque meum etiam qualemcunque eadem in re conatum inde etiam gratiae aliquid habiturum eſſe nullus dubitabam. Cum vero in his ipſis diſputationibus ideo potiſſimum plerisque rem minus feliciter ceſſiſſe intellexiſſem, quod, quae tum fuit de Meſſiae regno, opinionis indolem naturamque omnem ac varias eius per Chriſti doctrinam ipſaque fata eius effectas mutationes non accurate ſatis cognoverant, equidem hanc omnem cauſam non poſſe felicius diſceptari mihi perſuadebam, quam ſi quis omnem huius opinionis hiſtoriam diligenter excuteret, excuſſamque accurate proponeret. Id ipſum autem, licet tanta fuiſſet ſcriptorum hac de re multitudo, adhuc a nemine tentatum fuiſſe memineram, vno *Carol. Frid.*

Frid. Sixto[2]), Viro doctiſſ. excepto. Verum et hunc, quanquam pleraque recte vidiſſe arbitror, tamen, cum nimis amplum ſpatium breuiori libello complexus ſit, (quippe a Dauidis inde temporibus ad Chriſtianorum vsque poſt Hieroſ. euerſa aetatem progreſſus) prima potius huius hiſtoriae fundamenta ieciſſe, quam eius integrum aedificium exſtruxiſſe dixerim. Neque vero id ipſe hoc qualicunque libello efficere conſtitui, ſed eam tantum huius hiſtoriae partem, quae ad libros N. T. pertinet, aliquanto vberius exponere conatus ſum. Id autem ita mihi faciendum eſſe putaui, vt tribus potiſſimum partibus huius omnis rei enarrationem abſolverem, quarum *prima* exponeret, quae fuerit Iudaeorum tempore eo, quo Chriſtus nascebatur; de regno Meſſiae opinio, *ſecunda* hiſtoriam huius doctrinae inde ab eo tempore, quo Chriſtus ipſe homines docere incipiebat, vsque ad eius in coelum reditum, traderet, *tertia* denique eandem ab hoc inde tempore vsque ad Apoſtolorum mortem perſequeretur. In his autem ſingulis partibus pertractandis hanc ſequar rationem, vt primum omnium ex locis N. T. iis, qui ad quamlibet aetatem pertinent, aut aliis quibusdam ſcriptoribus, qui in ſubſidium recte vocari poterunt, doceam, quibus quaſi partibus dogma hoc quolibet tempore conſtiterit, deinde vero, his cognitis, alia inde librorum N. T. loca obſcuriora, ſed ad idem tempus pertinentia, illuſtrem ſenſumque eorum declarem. Nam ita demum conſilium, quod in hoc libello elaborando maxime a me ſpectatum fuiſſe dixi, recte mihi aſſecutur videbor. Sed iam ipſum opus erit aggregiendum. Faxit Deus feliciter!

PARS I.

---

2) Edidit is libellum ſic inſcriptum: De regno Chriſti, quaedam ad hiſtoriam huius doctrinae pertinentia. Altorf. 1776. 4.

PARS I.

Qua quae fuerit Iudaeorum, proximis ante Christum natum temporibus, de regno Messiae opinio exponitur.

§. I.

Ex quibus fontibus huius rei cognitio sit hauriendа.

Iam vero vt sciant lectores, quorum potissimum auctorum fide huius, quam nunc tradere animus est, Iudaicae opinionis cognitionem constare debere arbitrer, primum omnium hoc docendum videtur, quosnam in ista re exponenda duces sequi constituerim. Hic autem, quod quidem *Koppium* [3]) fecisse vidi, non dicam de illis V. T. oraculis, quibus Iudaeis olim regem aliquem, multis et sui ipsius virtutibus et imperii etiam ornamentis insignem, promissum fuisse nouimus, quoniam haec quidem qualem de isto rege eiusque regno notionem habere debuissent, non item, qualem vere habuerint, declarant. Etsi enim, quam illi tum sequebantur, opinio et ipsa ex illis diuinis V. T. oraculis suscepta fuerat, tamen, vt scite obseruauit *I. I. Hessius* [4]), quae in istis libris libris ea de re continebantur, non ea amplius, qua ibi proposita fuerant, simplicitate tradebantur, sed, peruersis librorum illorum interpretationibus, humanis subinde additamentis fuerant deprauata. Vnde cum nunc id ipsum a nobis quaeratur, quonam modo illa, quae diximus, loca explicauerint, quidque ex iis opinionis hauserint, facile intelligitur, ista quidem loca nunc non posse in fontibus huius rei cognoscendae recte haberi. Neque minus talmudicos etiam reliquosque antiquiorum Iudaeorum libros ab hac disputatione nunc arcendos esse putaui. Etsi enim equidem

3) l. l. p. 213. f. [ed. 2 p. 93.]

4) In libro: *von dem Reiche Gottes.* Vol. II. p. 101. edit. recentiss.

dem negare non audeo, plures in his esse, qui ad Apostolorum saltem aetatem proxime accedant, atque vel ipsa antiquiorum doctorum Iudaicorum verba atque sententias referant, vel talia certe tradant, quae ab illis accepisse videantur, malui tamen, si quidem praesto essent, eiusmodi nunc testibus vti, qui illa ipsa aetate, quam qui serius vixerunt, quique illud facile dubium alicui excitent, eos, quae ab antiquioribus illis peterent, vel parum accurate proposuisse, vel iis quaedam etiam de suis addidisse, quae ab illorum placitis discernere, nobis si non omnino negatum, difficillimum saltem fuerit. Multo minus vero recentiorum Iudaeorum hac de re commenta illius, de qua nunc loquimur, aetatis hominibus, nisi summa cum iniuria tribui poterunt. Quae cum ita sint, facile intelligitur, praeter N. T. libros atque Iosephum, nobilissimum ex hac ipsa aetate scriptorem, non alios nobis nunc relinqui scriptores consulendos. Atque in iis equidem eo lubentius acquiesco, quo magis, quae ex iis cognoscuntur, etsi pauca sint, illi, quod nunc potissimum specto, consilio sufficere intellexi. Neque tamen quisquam, opinor, iure me reprehendere poterit, si ad ea, quae ex illis, quos modo commemoraui, scriptoribus ab illius aetatis hominibus certo credita fuisse docuerim, vel uberius illustranda, vel serioris etiam aetatis testimoniis confirmanda, illos etiam Iudaicos scriptores interdum a me adhibitos fuisse viderit.

§. II.

Ipsa Iudaeorum de regni Messiae natura opinio proponitur.

His igitur praemissis nunc ad ipsam Iudaeorum de regni a Messia stabiliendi natura opinionem describendam erit progrediendum. Si igitur primum locos N. T. qui huc pertineant, consulimus, statim se nobis offert is, in quo hymnus Zachariae de instante Messiae aduentu laetantis continetur, Luc. I, 68—79. Ex eo autem satis perspicue intelligitur, istum Zachariam talem sibi Messiam informasse,

maſſe, qui populum Iudaicum ab hoſtibus, quibus tum parebat, liberaturus, imperiumque pacatum atque tranquillum inter eos eſſet habiturus. Etenim cum ab initio Deum hoc nomine laudat, quod nunc tandem populo ſuo λύτρωσιν parauerit, ea qualis ſit, mox ipſe ſignificat, his verbis eam deſcribens: σωτηρίαν ἐξ ἐχθρῶν ἡμῶν, καὶ ἐκ χειρὸς πάντων τῶν μισούντων ἡμᾶς. Atque vbi paulo poſt dicit, ſe mox ἀφόβως Deum colituros eſſe, id quomodo locum ſit habiturum, rurſus ſic declarat: ἐκ χειρὸς τῶν ἐχθρῶν ἡμῶν ῥυσθέντας. Quae omnia profecto tam plana atque perſpicua ſunt, vt non niſi per interpretandi rationem pro arbitrio ſumtam[5]), ad aliam eamque digniorem notionem transferri poſſint[6]). Hanc autem vt hic agnoscamus, me quidem non movet illud, quod v. 77. σωτηρία ἐν ἀφέσει ἁμαρτιῶν, i. e. ſalus cum peccatorum remiſſione coniuncta, commemoratur, quo quidem plerosque ad illam, quam dixi, digniorem notionem huic loco ſubiiciendam permotos fuiſſe vidi. Conſtat enim Iudaeos cauſam calamitatis atque miſeriae, qua ſub barbararum gentium imperio premebantur, non aliunde, niſi a ſummis, quibus dediti erant, peccatis repetiiſſe, adeoque non niſi his deletis, vllam ab iſtis malis liberationem ſperare potuiſſe. Vnde idem Zacharias dicit, Meſſiam illum coelitus miſſum (ἀνατολὴν ἐξ ὕψους) tanquam lucem illuxiſſe τοῖς ἐν σκότει καὶ σκιᾷ θανάτου καθημένοις, i. e. hominibus miſerrimis, iisque viam ſalutis monſtraſſe. Quam vero hoc in loco deprehendimus Meſſiae notionem, eadem ſubiicienda etiam

5) Talis autem profecto dicenda erit ea, qua v. c. *Macknight* in Comment. Harm. in quat. Euang. T. II. p. 35. vtitur; cum dicit Zachariam quidem non ad talem populi Deo ſacri liberationem reſpexiſſe, quae ad animum pertineret, ſed Spiritum S. qui per eum locutus ſit, plura his verbis complexum eſſe. Enimuero ſi talem interpretandi regulam ſequi velimus, vereor, ne quicquid alicui lubuerit, in libris ſ. facile reperiatur.

6) Idem iudicauit *Roſenmüllerus* in ſcholiis ad v. 68. itemque *Heſſius in der Geſchichte der drei letzten Lebensjahre Ieſu.* Vol. I. p. 24. [Vol. I, p. 75 edit. 7.]

etiam videtur verbis Simeonis, quibus Luc. II, 30—32, ſeruatorem a Deo miſſum praedicat, cum nec ipſa verba quicquam prodant, quod eam non admittat [7]), nec, niſi hac ratione probata, commode intelligi poſſit illud, quod populo Iſraëlitico gloriam inde conciliatum iri ſperat. Haec igitur loca vt ſatis declarant, ex Iudaeorum quidem opinione Meſſiae imperium ad externa potiſſimum huius populi commoda pertinere debuiſſe, ita idem intelligi etiam poſſe videtur ex fama illa, quam de rege aliquo ex oriente venturo rerumque potituro illa ipſa aetate obtinuiſſe, ab omnibus iam in hac cauſa laudata Ioſephi [8]), Taciti [9]), atque Suetonii [10]) loca docent, quamque ex hac ipſa Meſſiae expectatione ortam fuiſſe, dubitari nullo modo poterit [11]). His conuenit etiam illud peruulgatum Talmudis dictum: אין בין העולם הזה לימות המשיח אלא שעבוד מלכיות *nihil intereſt inter hoc ſeculum et dies Meſſiae niſi ſubiectio regnorum.* Nam et hoc declarat, Iudaeos eiusmodi reg-

---

7) Quod enim multi verbis illis: *εἰς ἀποκάλυψιν ἐθνῶν* ſignificari putant, deſcribi hic ſeruatorem vniuerſo humano generi deſtinatum, id Simeonem etiam cogitaſſe, certa ſaltem ratione doceri non poſſe arbitror, quin potius verbis his idem nunc dici puto, quod eſt in illis, quae praecedunt: *κατὰ πρόσωπον πάντων τῶν λαῶν.* Neque enim, quod plerumque faciunt, ea cum proximo *φῶς* iungo, ſed illud *φῶς* potius, praeeunte *Schöttgenio* in Annot. ad N. T. p. 676. ad *ἡτοίμασας* refero, vt ſenſus hic ſit: vidi ſeruatorem, quem nobis felicitatis auctorem paraſti. Hoc autem modo vocabulum *φῶς* ſaepiſſime dici, neminem fugit. Cum vero hunc ſeruatorem in conſpectu omnium nationum (*κατὰ πρόσωπον πάντων τῶν λαῶν*) Iudaeis datum dixiſſet, id etiam, quo conſilio factum ſit, addit, nimirum, vt ille ſeruator gentibus etiam innoteſceret (*εἰς ἀποκάλυψιν ἐθνῶν*) atque ſic gloria populi Iudaici illuſtraretur. (*καὶ δόξαν λαοῦ σοῦ Ἰσραήλ.*)

8) De bello Iud. l. VI. c. 5. §. 4.

9) Hiſtor. l. V. c. 5.

10) In Veſpaſ. c. 4.

11) Certe Euſebius eam, Chriſto adueniente, euentum habuiſſe ſtatuit H. E. l. 3. c. 8. p. 136. edit. Stroth. vbi Ioſephi locum commemorat, de eoque hoc iudicium addit: *ὃν οὗτος μὲν ἐπὶ Οὐεσπασιανὸν πεπληρῶσθαι ἐξείληφεν. ἀλλ' οὐχ ἁπάσης γε οὗτος ἢ μόνης ἦρξεν τῆς ὑπὸ Ῥωμαίους. δικαιότερον δ' ἂν ἐπὶ τὸν χριστὸν ἀναχθείη.*

regnum expectaſſe, in quo vt ipſi ab imperio aliarum gentium liberi eſſent futuri, ita hae iis ſeruiturae. Vnde etiam factum eſt, vt huius regni tempus iis vulgo diceretur: עת הגאולה, tempus liberationis, vel etiam עת הישועה, tempus ſalutis.

§. III.

Quae cum hoc Meſſiae regno coniuncta fore putauerint.

Vt autem perfectam et, quantum fieri poteſt, numeris omnibus abſolutam Iudaicae de regno hoc opinionis notionem habeamus, videndum etiam erit de iis, quae cum eo vlla quadam ratione conjuncta fore crediderint; idque nunc oſtendere conabimur, ita tamen, vt promiſſi noſtri paulo ante dati memores, ea tantum commemoremus, quae in iis ſcriptoribus, quos nos ſecuturos diximus, ea de re reperiantur. Ac primum quidem cum regni huius initio eos templi etiam Hieroſolymitani deſtructionem coniunctam fore ſtatuiſſe, manifeſte docet exemplum diſcipulorum Chriſti, quibus cum Ieſus de hac ipſa templi vaſtatione dixiſſet, ſtatim etiam regni eius cogitatio iniiciebatur, vt cum de tempore illius rei quaererent, huius etiam regni aduentum commemorarent; Matth. XXIV, 3. Id ipſum autem in Iudaeorum etiam ſcriptis traditur, cuius rei certiſſimus teſtis eſt locus is, quem *Lightfootus* [12]) ex Hieroſ. Berac. f. 5, 1. attulit, quemque, cum paulo longior ſit, quo minus integrum hic adſcribam, impedior. Continetur autem in eo narratio de Arabe quodam, qui cum Iudaeo aranti templi vaſtationem nuntiaſſet, mox etiam, Meſſiam natum eſſe, eidem retuliſſe dicitur. Huic autem hoc tandem iudicium additur; אמר רבי אבון למה לי ללמוד מן ערביי ולאו מקרא מלא הוא דכתיב והלבנין באדיר יפול וכתיב בחריה ויצא הטר מגזע ישי ונצר משרשיו יפרה, *Dicit R. Bon, quid opus eſt,*

12) In Hor. Hebr. et Talmud. ad Matth. II, 1.

eſt, vt diſcamus ab Arabe? Nonne planum eſt quod ſcribitur: Et Lebanon cadet per fortem? (Ieſ. X, 34.) *Et quid deinde ſequitur? Prodibit germen e ſtirpe Ieſſe* etc. (Ieſ. XI, 1.) Tum vero ex eodem illo, quem modo excitabam, loco Matth. XXIV, 3. et hoc intelligitur, Iudaeos cum his, de quibus hactenus vidimus, euentis, praeſentis etiam rerum humanarum conditionis finem expectaſſe. Addunt enim ibi diſcipuli Chriſti et hanc quaeſtionem: *τί τὸ σημεῖον τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος.* In qua cum *συντέλειαν τοῦ αἰῶνος*, vel, vt alibi plenius dicitur, *τοῦ αἰῶνος τούτου*, commemorant, eſſe huius formulae hanc, quam dixi, notionem, mox commodiore loco a nobis doceri poterit. Quomodo vero hanc *συντέλειαν τοῦ αἰῶνος* intellexerint, id quidem cum in N. T. libris nullibi definiatur, ex Iudaeorum ſcriptis erit cognoſcendum. Haec autem, vt ex loco inprimis perſpicuo, Babyl. Sanhedr. f. 92, 1. eiusque Gloſſa docuit idem *Lightfootus* [13]), eos ſic ſtatuiſſe declarant, vt mundum hunc tum deuaſtatum eiusque loco alium per mille annos conſtitutum iri putarent. Denique cum his omnibus rebus piorum etiam Iudaeorum in vitam reditum coniunctum fore iidem opinabantur. Quod, vt taceam loca a *Koppio* [14]) huius rei fidem faciendae cauſa iam allata, luculenter etiam intelligi poteſt ex eadem, quam modo ex *Lightfooto* laudaui, Gloſſa ad Babyl. Sanhedr. f. 92, 1. vbi diſerte traditur: צדוקים שעתיד הק"בה להחיותן לימות המשיח לאחר שיחיו שוב אין חוזרין לעפר בין לימות המשיח בין לעולם הבא *Iuſti, quos Deus reſuſcitabit in DIEBVS MESSIAE, poſtquam reuixerint, non reuertentur in pulverem, neque temporibus Meſſiae, neque ſeculo futuro.* Sed ne quis dicat, hoc eorum tantum, qui poſt illam de qua nunc dicimus, aetatem vixerunt, Iudaeorum teſti-

13) In libr. laud. ad Matth. XXIV, 3. Poſt hunc autem plures eundem locum commemorarunt.

14) In excurſ. I. ad epiſt. ad Epheſ. p. 389. N. T. [ed. 2. p. 94.]

teſtimoniis fuiſſe confirmatum, adeoque non poſſe antiquioribus commode tribui, proferam quoque teſtem ad illam ipſam aetatem pertinentem. Is autem eſt Ioſephus, quem in loco eo[15]), quo Phariſaeos mortuorum in vitam reditum ſtatuiſſe narrat, hanc ipſam piorum tempore regni per Meſſiam ſtabiliendi e mortuis reſurrectionem tradere voluiſſe, mihi quidem perſuaſiſſimum habeo. Id enim perſpicue docet illud, quod eos piis tantum reuiuiſcendi locum dari[16]), impios autem ſempiternis ſuppliciis ſeruari, credidiſſe dicit. Sed ipſa eius verba adſcribamus, quae ſic habent: ἀθάνατόν τε ἰσχὺν ταῖς ψυχαῖς πίστις αὐτοῖς εἶναι, καὶ ὑπὸ χθονὸς δικαιώσεις τε καὶ τιμὰς, οἷς ἀρετῆς ἢ κακίας ἐπιτήδευσις ἐν τῷ βίῳ γέγονε, καὶ τῶν μὲν εἱργμὸν ἀίδιον προστίτεσθαι, τῶν δὲ ῥαστώνην τοῦ ἀναβιοῦν. Idem aeque perſpicue tradit alio in loco[17]), in quo, cum quaedam dicendi formula occurrat, quae minus definita ſit, ea ex hoc loco facile intelligi poterit. Cum enim in illo Phariſaeos docere dicit, ψυχὴν πᾶσαν μὲν ἄφθαρτον, μεταβαίνειν δὲ εἰς ἕτερον σῶμα τὴν τῶν ἀγαθῶν μόνην, τὴν δὲ τῶν φαύλων ἀϊδίῳ τιμωρίᾳ κολάζεσθαι, nemo, opinor, dubitabit, qui locum hunc cum priore contulerit, id quod in h. l. dicatur, μεταβαίνειν εἰς ἕτερον σῶμα idem eſſe, quod ibi dictum fuerat ἀναβιοῦν, cum in vtroque loco de eadem re ſermo ſit. Quae cum ita ſint, facile vel me non monente intelligetur, quid de illorum ſententia ſtatuendum videatur, qui hoc poſteriori loco metempſychoſeos dogma Phariſaeis a Ioſepho tribui exiſtiment. Si enim hoc in loco de metempſychoſi agi ſumere vellemus, et hoc Phariſaeos do-

15) Antiq. Iud. l. XVIII. c. 4. §. 3. edit. Hauerc.

16) Hoc antem cum et Ioſephi loca perſpicue tradant, et ipſa etiam Iudaeorum teſtimonia confirment, miror profecto, id *Starkio* adeo dubium videri potuiſſe, vt hanc ipſam ob cauſam Ioſephi loca de mortuorum in vitam reditu explicanda eſſe negaret. cf. Eius *Hephaeſtion* p. 184.

17) De bello Iudaic. l. II. c. 8. §. 14.

docuiſſe, concedendum foret, piorum tantum animas in alia corpora eſſe tranſituras. Verum cum, quantum equidem ſcio, de tali metempſychoſi nemo vnquam cogitauerit, profecto non video, qui fieri potuerit, vt tot Viri docti nihilominus eam hic reperirent, eoque magis miror, eandem ſententiam nuperrime adhuc ipſi *Buſchingio* [18]) probabilem viſam fuiſſe. Manet ergo illud, quod ab initio poſui, eum hic piorum in vitam reditum deſcribi, quem Iudaei Meſſiae temporibus locum habiturum eſſe ſibi perſuadebant [19]). Hinc vero etiam intelligitur, vbi in ſcriptis N. T. ἀνάστασις νεκρῶν ex Phariſaeorum opinione commemoretur, ſemper hanc eſſe cogitandam, vt bene vidit *Tellerus* [20]). De eadem vero explicanda erunt illa etiam loca, in quibus *Schöttgenius* [21]) veſtigia reſurrectionis eorum hominum ſibi reperiſſe viſus eſt, quos Matthaeus Cap. XXVII, 52, 53. tempore mortis Chriſti in vitam

18) *Geſchichte der jüdiſchen Religion* p. 153. vbi, aliorum exemplum ſecutus, idem metempſychoſeos dogma, quod Phariſaeos totum ignoraſſe arbitror, iis ex locis etiam N. T. quibusdam (Matth. XIV, 2. XVI, 14.) vindicare ſtudet. Sed quam infirmum ſit, quod ex his locis petatur argumentum, vt quemlibet ſponte intellecturum eſſe arbitror, ita id dudum refutatum fuiſſe cognoui a *Frid. Wilh. Sartorio* in Comment. de Metempſychoſi Pythagorica a diſcipulis Chriſti et gente Iudaica ante excidium Hieroſolymitanum ſecundum non credita ad loca Matth. XIV, 2. XVI, 14 Io. XI, 2. Sap. VIII, 19. 20. (Lubben. 760. 4.) quam tamen videre mihi nondum contigit.

19) Idem iam ſtatuiſſe vidi *Gottl. Wernsdorfium* in Diſſ. de Metempſychoſi veterum non figurate ſed proprie intelligenda, Viteb. 741. p. 50. In eadem ſententia eſſe etiam videtur *Döderlein*, qui, cum in Biblioth. theol. Vol. I, ſect. 8. p. 627. ſcribit: *Daſs die Phariſäer ein tauſendjähriges Reich gehoffet, ſagt Ioſephus, und von andern fanatiſchen Partheyen berichtet es die Geſchichte*, non poteſt alios praeter eos, quos laudaui, Ioſephi locos in mente habere.

20) In Gloſſar. N. T. ſub voc. Reich.

21) In Progr. ſic. inſcripto: *Iüdiſches Zeugniſs von den Heiligen, die mit dem Meſſia aufgeſtanden*, quod inſertum eſt *Biedermanni Alt. und Neu. von Schulſachen.* Vol. III. p. 246. ff.

rediiſſe narrat. Neque profecto, ſi de his loca haec agerent, commode intelligi poſſet, vnde Iudaei rei tam ſingularis notitiam habere potuerint [22]). Sed haec iam de his dixiſſe ſufficiat.

§. IV.

Explicantur formulae quaedam dicendi Iudaeis hac de re vſitatae.

His ita conſtitutis ſuperſunt nobis formulae quaedam dicendi Iudaeis hac in re frequentatae paucis adhuc illuſtrandae. Prima earum eſt מלכות שמים, quae cum, ab initio diceretur de imperio eo, quod Deus in populum Iudaicum peculiari quadam ratione exercebat [23]), poſtea ad illud etiam, de quo nunc dicimus Meſſiae regnum transferri coepit. Quod etſi non poteſt multis ſcriptorum Iudaicorum teſtimoniis confirmari, vt fatetur ipſe *Schöttgenius* [24]). Vir in hoc literarum genere verſatiſſimus, inde tamen, eodem iudice, ſatis certo cognoſcitur, quod, cum primum Ioannes Baptiſta atque Ieſus in publicum prodirent, ſtatim formula hac: βασιλεία οὐρανῶν, (quae hebraicae illi reſpondet, permutaturque ſaepe cum his: βασιλεία Θεοῦ et βασιλεία Χριστοῦ) tanquam omnibus nota atque cognita vſi fuiſſe reperiuntur. Huic addi poteſt et illud, quod cum multi tum Iudaeorum λύτρωσιν aut παράκλησιν τοῦ Ἰσραήλ expectaſſe pluribus in locis dicuntur [25]), id de Ioſepho Arimathaeenſi ſic dicitur

22) Quin potius, ſi de hac re coniecturae aliquis locus ſit, Deum hos homines ideo in vitam reuocaſſe arbitror, vt Iudaeorum, qui talia, Meſſia adueniente, expectabant, animos ea re excitaret, eosque ſic ad Meſſiae cogitationem perduceret.

23) Cf. quae de hac re ſcripſit *Koppius* l. l. p. 228. [ed. 2. p. 110.]

24) In Differt. de Regno coelorum, Horar. Hebr. Vol. I. annexa, p. 1150.

25) Cf. Luc. II. 25. 38. Quomodo vero illa παράκλησις hic ſit intelligenda, §. ſeq. a nobis docebitur.

tur [26]), eum expectaſſe τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ. Ipſum autem huius regni tempus Iudaeis nomine ימות המשיח veniſſe, vt nemo dubitat, ita de eodem vſurpatam etiam fuiſſe formulam: עולם הבא, cui in N. T. libris reſpondet haec: αἰὼν μέλλων ſ. ἐκεῖνος tam copioſe atque perſpicue nuper docuit *Koppius* [27]), vt plura de eo nunc addere velle, profecto ſuperfluum ſit habendum. Quare ad aliam potius progredior, qua tempus illud, in quod ipſum Meſſiae regnum incidet, deſignarunt. Ea autem haec eſt: אחרית הימים, quae cum vi vocis indicet vltimos dies, eam de illo, quod dixi, tempore vſurpatam fuiſſe, nemini profecto mirum videbitur, qui Iudaeos in Meſſiae aduentu huius etiam, quae nunc eſt, rerum humanarum conditionis finem expectaſſe, ex iis, quae paulo ante ea de re ſcripſimus, meminerit. Dixiſſe autem eos hanc formulam de Meſſiae temporibus, perſpicue docet *Nachmanides*, qui ad Geneſ. XLIX, 1. ſic ſcribit: כי לדברי הכל באחרית הימים ימות המשיח הם *nam extremum dierum conſenſu omnium Doctorum ſunt dies Meſſiae.* Cum hac autem formula plane convenire illam, quae in N. T. libris in eadem re occurrit, συντέλεια τοῦ αἰῶνος τούτου, non opus erit, vt pluribus nunc doceam, cum nemo ſit, qui dubitet, τὰ αἰῶνα τοῦτον Iudaeos illud tempus dixiſſe, quod Meſſiae tempora praecedat.

§. V.

Illuſtrantur loca quaedam N. T. ad hanc aetatem pertinentia.

Atque ſic quidem, quae in hac parte tradere conſtitui, ſatis me perſecutum eſſe arbitror. Antequam tamen eam

26) Marc. XV. 43. coll. Luc. XXIII. 51.

27) In Excurſ. I. Epiſt. ad Epheſ. ſubiecto. Quod autem inconſtantiam illam attinet, quae in hac formula, mox de his Meſſiae temporibus, mox de illo etiam tempore, quod nobis vita aeterna dicitur, vſurpanda deprehenditur, de ea equidem ſic ſtatuo, antiquiſſimos quidem Iudaeos, qui de tali, quam nos dicimus, vita

eam relinquo, id vnum mihi faciendum reſtat, vt promiſſi dati memor, ea, quae Iudaeos de Meſſiae regno ſibi perſuaſiſſe hactenus docui, nunc ad alia quaedam N.T. dicta, quae ad hoc ipſum tempus pertinent, illuſtranda transferam. Horum autem primum eſt Luc. I, 32. 33. quo Mariae, Chriſti matri, de illo uaſcendo nuntius ab angelo affertur, eumque regem fore praedicitur. Hic enim ſi quaeratur, quaenam nunc regni huius notio obtineat, id ex iis, quae hactenus diſputauimus, facile iudicari poterit. Cum enim, vt vidimus, omnes iſtius temporis Iudaei, ne Zacharia quidem ſacerdote excepto, Meſſiam feliciſſimum in his terris regnum ſtabiliturum ſperaverint, nec Maria, quae et ipſa Iudaica gente orta fuit, ab hac opinione aliena fuiſſe videtur, aut iſtam ab ingenio iudaico tantopere abhorrentem, de regno Meſſiae ad animum tantum pertinente notionem, quam plerique interpretum huic loco ſubiiciunt, habuiſſe. Quomodo enim, cum audiret, Meſſiam thronum Dauidis eſſe occupaturum, gentisque Iudaicae regem futurum, ſibi perſuadere poterat, nec regnum nunc, nec gentem etiam iudaicam proprie dici, ſed hoc tale fore, quod in hominum tantum mentes rationeque in oculos minime incurrente exerceatur, hanc autem novam quandam gentem, in illius locum ſucceſſuram? Neque vero illud, quod regnum Meſſiae hic aeternum fore dicitur, obſtat, quominus nunc ex Iudaica opinione dictum exiſtimetur, cum et hoc in eorum de illo opinione fuiſſe, vel ex Io. XII, 34. intelligi poſſit. Quare quum angelus Meſſiae nunc ideam in Mariae animo excitare vellet, non poterat profecto aliis ea in re imaginibus vti, quam quibus iſtorum temporum homines erant adſueti. Vnde non erat, opinor, quod *Tellero*, qui et ipſe eandem, quam ha-

---

aeterna, plane non cogitaſſe videntur, hanc formulam tantum de Meſſiae temporibus dixiſſe, poſt vero, cum alii ex Chriſtianorum, vt videtur, commercio talis aeternae vitae notionem haufiſſent, ad illam deſignandam h a n c ab iis formulam transferri coeptam fuiſſe.

hactenus propoſui, regni Meſſiani notionem hic agnoverat [28]), opponeret *Langius* [29]), angelum non dici poſſe errore Iudaico fuiſſe imbutum. Neque enim hoc dicitur, ſed id tantum, eum opinioni Iudaicae hactenus ſe accommodaſſe, vt Meſſiae deſcriptionem ab ea peteret. Praeter hunc vero locum nunc illud etiam intelligi poterit, quid expectauerint ii, qui Luc. II., 38. dicuntur προσδέξασθαι λύτρωσιν Ἱερουσαλήμ [30]), vel, vt eſt de Simeone v. 25. παράκλησιν τοῦ Ἰσραήλ. Eſt enim, vt iam diximus, haud dubie idem, quod Marc. XV, 43. coll. Luc. XXIII, 51. de Ioſepho Arimathaeenſi dicitur, eum expectaſſe τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ. Sperarunt igitur regnum Meſſiae eiusmodi, quo ab hoſtibus ſuis liberati eſſent futuri, (λύτρωσιν) felicitateque ſumma fruituri (παράκλησιν). Vt adeo nec hic melioris alicuius notionis, quam multi quaerunt, veſtigia reperiantur, praeſertim ſi conferantur ea, quae ad haec ipſa loca hac de re ſcripſerunt *Lightfootus* atque *Schöttgenius*. Simili modo nunc illud etiam iudicari poterit, qualem paſtores iſti, de quibus Luc. II, 11. refertur, σωτῆρα ſibi informaſſe videantur, cum eum ab angelis natum audirent. Denique et hoc nunc intelligetur, quid Iudaeos cogitaſſe credibile ſit, cum Ioannes Baptiſta exoptatiſſimum iis nuntium ferret: ἤγγικε ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν, Matth. III, 2. Sed de horum verborum ſenſu vt, poſt ea, quae de iis ſcripſit *Koppius* [31]) plura nunc dicam, non opus eſſe arbitror.

Pars

---

28) In Gloſſar. N. T. ſub voc. Reich.

29) *In den exegetiſchen Verſuchen*, Part. V. p. 175.

30) Omiſi hic, conſentiente, vt videtur, *Griesbachio*, illud ἐν, quod in editionibus vulgaribus inſertum eſt, quoniam deeſt in pluribus Codd. atque etiam Verſſ. quibus conueniunt etiam alii quidam Codd. atque Verſio Vulgata, in quibus ſic eſt: omnibus expectantibus redemtionem Iſraëlis, vbi in vltimo illo: Iſraëlis, equidem arbitror eſſe explicationem τοῦ: Ἱερουσαλήμ.

31) l. l. p. 217. [ed. 2. p. 98.]

PARS II.

Qua Hiſtoria huius dogmatis inde ab eo tempore, quo chriſtus ipſe docere incepit, usque ad eius in coelum reditum traditur.

§. VI.

Huius partis argumentum.

Cum igitur ſic cognouerimus, qualis Iudaeis, antequam Chriſtus in publicum prodiret, de futuro Meſſiae regno fuerit opinio, ad illud tempus nunc erit progrediendum, quo ipſe doctoris perſonam ſuſcepit. Atque cum in hoc omni tempore nihil aliud in intelligi poſſit, quo, quae hactenus inter eos obtinuerat, hac de re opinio, immutari potuerit, niſi ipſa illa, quam dixi, Chriſti inſtitutio, facile intelligitur, in hac, quam nunc aggredimur, hiſtoriae propoſiti dogmatis parte duo nobis quaeranda eſſe *primum*, quid Chriſtus ipſe ſuae aetatis hominibus de iſto regno tradiderit, et quale eos regnum ſperare iuſſerit, *tum* vero, quamnam ii, qui hac eius inſtitutione vſi fuerant, de eodem regno ſententiam fuerint ſecuti. Vtrumque ſeparatim videbimus.

SECTIO I.

Chriſti de regno a ſe inſtituendo doctrinam exponens.

§. VII.

Qua ratione ea ſit recte cognoſcenda.

In hac igitur ſectione cum id mihi propoſitum ſit, vt in Chriſti de regno Meſſiae doctrinam inquiram, quilibet vel me non monente intelliget, hic nobis vnice pendendum eſſe a N. T. ſcriptis, maximeque Euangeliſtarum commentariis, quippe qui ſoli ſunt iſtius doctrinae

ctrinae recte cognoſcendae ſontes. Neque minus perſpicuum et hoc eſſe arbitror, non id mihi nunc agendum eſſe, vt, quae nobis ſecundum librorum ſacrorum decreta de Meſſiae regno credenda ſint, conſtituam, idoneisque illorum librorum locis ſingula confirmem, ac quolibet ad ſuum genus reuocato, ordine omnia exponam, aut, vt verbo dicam, dogmaticam de iſto doctrinae chriſtianae capite inſtitutionem ſcribam, ſed omnem, quam in me ſuſcepi, operam eo potius abſolui, vt, quae Chriſtus de iſto dogmate ſuae aetatis hominibus olim tradiderit, ex iis, quos dixi, N. T. libris eo prorſus modo eruam, quo quemlibet hiſtoriarum ſtudioſum in ſuperiorum temporum fatis aut antiquiorum doctorum ſententiis ex idoneis iſtarum rerum monumentis cognoſcendis verſari ſolere nouimus. In ea autem re ſi felices eſſe velimus, opus vtique erit, vt omnium, quae ex aliorum de iſta re inſtitutione hauſerimus, quaſi obliti, quantum fieri poteſt, Iudaei tum viuentis, iſtisque, quas ſuperiore parte expoſuimus, de Meſſiae regno opinionibus imbuti, ſed ad verum videndum cognoſcendumque idonei, nec in Deum virtutemque male animati, perſonam induamus, atque ſic demum praeparati libros ſacros ea de re conſultum adeamus. Ita enim fiet, vt Chriſti ea de re dicentis mentem recte a nobis perceptam, nec noſtras verbis eius opiniones ſubiectas fuiſſe ſperare poſſimus. Quare cum equidem haec in libris illis eo conſilio perlegendis aſſidue diligenterque cogitauerim, impenſe profecto laetabor, ſi veram Chriſti mentem non omnino male me aſſecutum eſſe, idonei harum rerum iudices iudicauerint.

§. VIII.

Quae Chriſtus de regno Meſſiae in vniuerſum tradiderit.

Chriſtus igitur quam primum inter homines palam prodibat, ſtatim de iſto regno, cuius ſummam inter Iudaeos

daeos tum expectationem fuiſſe vidimus, dicere incipiebat, eiusque inſtituendi tempus iam veniſſe declarabat, πεπλήρωται, inquiens, ὁ καιρὸς, καὶ ἤγγικεν ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ, Marc. I, 15. coll. Matth. IV, 17. Neque vero rem omnium deſideratiſſimam hominibus annuntiaſſe tantum ſatis habebat, ſed, ne dubii eſſent, a quonam iſtud feliciſſimum imperium expectare deberent, mox etiam hoc addebat, ſe eſſe eum, qui id ſit ſtabiliturus. De eo enim nemo dubitare poterat, qui nobiliſſimae illius orationis in monte habitae verba ea, quae Matth. VII, 21. 22. legimus, audiuiſſet. Idque ipſum apparebat etiam ex omnibus iis ſermonibus, in quibus alios ex regno iſto excluſos, alios contra in illud admiſſos fore ſignificabat, aut iis, qui ſuam doctrinam amplexi, recte factis eam exprimere ſtuderent, regni iſtius felicitatem praemii inſtar promittebat [32]). De ipſa autem regni a ſe inſtituendi natura atque indole, ſi pauca quaedam exceperis, quae fere omnia ad vniuerſam felicitatis notionem redeunt, quaeque ſequenti §pho paulo vberius perſequemur, nihil fere tradebat, omnique eius vberiore deſcriptione prorſus abſtinebat, in quo quale ſecutus fuerit conſilium, de eo in altera huius partis ſectione quaedam admonendi locus non incommodus erit. Sed quo rarius iſta de re differebat, eo frequentius atque copioſius de eo dicebat, quod ab illis fieri vellet, qui certam in regnum illud perueniendi ſpem ſibi comparare vellent. Hinc vti, occaſione ita ferente, ſingularum quarundam virtutum ſtudioſis felicitatem iſtius regni praemii loco proponebat, veluti τοῖς πτωχοῖς τῷ

32) Haec autem atque talia cum tradebat Ieſus, eo ipſo etiam ſignificabat, ſe Meſſiae ſibi munus tribuere. A nemine enim alio, niſi a Meſſia iſtud coeleſte regnum Iudaei expectabant. Id quod addi velim iis, quae eadem de re ante annum ſcripſi in libello: *de modo, quo ſcriptores ſ. in dogmatibus tradendis verſantur*, quem viris doctis non omnino improbatum fuiſſe, vt equidem impenſe ſum laetatus, ita, his ipſis eorum iudiciis excitatus, idem argumentum alio, ſi Deus vitam dederit, tempore vlterius proſequi conſtitui.

τῷ πνεύματι [33]), Matth. V, 3. porro ταπεινοῖς, Matth. XVIII, 3. 4. [34]) itemque iis, qui erga inimicos lenes essent, Matth. XVIII, 23. ff. ita omnino postulabat, vt, qui regni sui ciuis esse vellet, plane alius fieret, Io. III, 3. i. e. (vt omnis loci series docet,) emendatus, vel vt alio loco dicit, ad patris sui voluntatem vitam institueret, Matth. VII, 22. Hac autem cum omnia Christi praecepta contineantur, (nam quaecunque ille homines facere iussit, eadem et patrem suum velle,

33) Quinam hi sint, de eo inter interpretes etiamnum disputari constat, cum alius aliter phrasin intelligat. Mihi quidem si in tanto virorum doctissimorum dissensu meam qualemcunque sententiam dicere licet, videntur ii cogitandi esse, qui non modo vere pauperes sunt, sed animo etiam et mente iure se tales habent, i. e. qui non putant, se paupertate sua iniuriam pati, aut meliori se fortuna dignos esse, adeoque eam patienter perferunt. Vt enim taceam, hanc interpretationem contextui loci nostri optime conuenire, (tales enim homines in regnum Messiae olim peruenturos dici, plane consentit loco Iac. II. 5. in quo perspicue traditur, Deum pauperes potissimum κληρονόμους τῆς βασιλείας fecisse.) eandem etiam locum nostro parallelum apud Luc. VI, 20, magnopere suadere arbitror. Vt enim ibi pauperes, qui proprie dicuntur, sunt intelligendi, quod facile ex eo adparet, quod et simpliciter pauperes commemorantur, et iis etiam v. 24. opponuntur diuites, ita per se planum est, quod de illis affirmatur, eorum esse τὴν βασιλείαν Θεοῦ, id non posse simpliciter et secundum literam accipi, sed respectu quodam dictum existimari debere. Is autem qui sit, ex eodem v. 24. intelligi poterit, in quo diuites eiusmodi commemorari adparet, qui freti sint diuitiis suis, earumque causa religionem pietatemque omnem negligant, quos Marc. X, 24. (qui locus omnino nostrum mirifice illustrat,) dicit πεποιθότας ἐπὶ τοῖς χρήμασιν. Hinc enim sequitur, pauperes, qui illis opponuntur, tales esse debere, qui propter paupertatem suam non contemnant religionem, sed eam lubenter perferant. Quod si Matthaeum addito illo: πνεύματι indicare voluisse dicamus, cessabit tum omnis illa, quae tantam interpretibus molestiam creavit, eum inter atque Lucam diuersitas. Caeterum locum nostrum eodem fere, quo dixi, modo intellectum fuisse vidi a *Moschio im Bibelfreund* Vol. I. p. 194. *Hessio in der Geschichte der drey letzten Lebensjahre Iesu.* Vol. I. p. 138. [p. 456. ed. 7.] Neque multum ab ea abest *Strigerius*, qui in Hypomnemat. p. 169. ita scribit: Pauperes spiritu, i. e. spirituali obedientia, patienter ferentes paupertatem, seu parati ad eam ferendam, si fuerint excussi ex facultatibus.

34) In his homines eiusmodi cogitandos esse, qui se aliis postponant, seque iis inferiores censeri lubenter patiantur, cum omnis sermonis huius occasio declarat, tum Marcus etiam atque

velle, ſaepe profeſſus eſt) facile hinc intelligitur, omnem eius inſtitutionem ad iſtud de regno Meſſiae eiusque futura inauguratione dogma, tanquam ad vltimum aliquem finem reſpexiſſe. Qui enim futurae in regno iſto felicitatis particeps fieri cupiebat, is Chriſti doctrinam amplecti, eique morem gerere iubebatur, idque cum feciſſet, eius vt certiſſimam ſpem aleret, monebatur, Io. I, 12. coll. Rom. VIII, 17. Quae cum ita ſint, nemini profecto mirum videbitur, quod ſcriptores ſacri, vbi ſummam doctrinae a Chriſto propoſitae tradere volunt, vnum hoc dicant, eum κηρύξαι τὸ εὐαγγέλιον τῆς βασιλείας, vt eſt Matth. IV, 23. et IX, 35. inque hac ipſa re omne aduentus eius in has terras conſilium ponant, Luc. IV, 23.

§. IX.

Quid de natura et indole regni ſui docuerit.

Sed videndum nunc etiam erit, quale hoc regnum ſuum fore docuerit. Etſi enim §. anteced. iam diximus, eum perpauca hac de re protuliſſe, ſubinde tamen quaedam ſermonibus ſuis immiſcuit, e quibus vel de ipſa eius indole iudicari, vel id ſaltem intelligi poterat, quinam eo olim ſint potituri. Quod autem prius attinet, omnia fere, vt diximus iam eo redeunt, vt feliciſſimus huius regni ſtatus futurus eſſe dicatur. Id enim aperte ſignificat, cum eos, quos ad illud peruenturos dicit, beatos praedicat, vt fit Matth. V, 3. 10. Neque aliud haud dubie indicare voluit, cum hominibus ſuaderet, vt aliis omnibus rebus poſthabitis, hoc regnum vnice expeterent, Matth.

Lucas confirmant in locis iis, in quibus eundem, (vt docuerunt Harmoniarum ſcriptores,) Chriſti ſermonem exhibent. Is enim noſtri loci ſententiam ita expoſuit: (Cap. IX, 35.) εἴ τις θέλει πρῶτος εἶναι, ἔσται πάντων ἔσχατος καὶ πάντων διάκονος, hic autem eandem his verbis declarat: (Cap. IX. 48.) ὁ μικρότερος ἐν πᾶσιν ὑμῖν ὑπάρχων, οὗτος ἔσται μέγας. Qui pluribus haec expoſita legere cupiat, adeat *Noeſſelti* Diſſ. in h. l. (§. V.) inſertam Eius Opuscul. ad interpret. Scr. S.

Matth. VI, 33. [35]) quam ſummam ibi iis paratam fore felicitatem. Quid dicam illud, quod vel minimi regni coelorum ciuis felicitatem atque dignitatem multo maiorem futuram praedicat, quam, quae ipſi Ioanni, ſummo prophetae his in terris contigerit? Matth. XI, 11. coll. Luc. VII, 28. [36]). Praeter haec autem illud etiam de regni ſui natura coram Pilato quidem profeſſus eſt Chriſtus, Io. XVIII, 36. id non eſſe ἐκ τοῦ κόσμου τούτου, i. e. non tale, qualia ſoleant eſſe regna his in terris ſtabilita, vt facile adparet ex iis, quae ſtatim addit. Cum

35) Quod autem hic in iis, quae hominibus quaerenda dicit, praeter βασιλείαν Θεοῦ etiam δικαιοσύνην αὐτοῦ commemorat, eo haud dubie viam monſtrare voluit, qua quis ad illam βασιλείαν peruenire poſſet, eundem fere in modum, quo Matth. V, 20. docuerat, eorum, qui regni illius cives eſſe velint, δικαιοσύνην praeſtantiorem eſſe debere ea, quae Phariſaeis atque Sadducaeis probaretur. Quare δικαιοσύνη Θεοῦ nunc ſoret pietas et ſanctitas (de his enim virtutibus δικαιοσύνην nunc intelligendam eſſe, omnes fere interpretes concedunt) talis, qualem Deus poſtulat, quaque eius ſimiles ſumus. Verum cum tamen hic ſenſus paulo impeditior ſit, et ab hoc quidem contextu alienior, mallem equidem, ſi coniecturae nunc locus eſſet, pro αὐτοῦ legere αὐτῆς, vt ad βασιλείαν referatur. dicaturque δικαιοσύνη τῆς βασιλείας Θεοῦ, (pietas talis, quam poſtulat regnum illud, quaque eo digni reddimur,) eodem plane modo, quo Matth. XXI, 43 commemorantur καρποὶ τῆς βασιλείας Θεοῦ, qui et ipſi non alii eſſe poſſunt, quam fructus tales, quales eſſe debent in eo, qui dignus aliquando ciuis eſſe cupit. Atque ad eandem rationem locum noſtrum intellexit etiam *Dammius*, qui cum eum ſic verteret: *Suchet fürnemlich das Reich Gottes, und die Gerechtigkeit deſſelben*, ſe vocabulum δικαιοσύνης ad vocem βασιλείας nunc retuliſſe, eo docuit, quod, quaenam ſit δικαιοσύνη τῆς βασιλείας Θεοῦ in nota huic loco ſubiecta expoſuit. Eodem modo illum cepiſſe etiam videtur *Leſſius* in Explicat. Euangel. p. 206. etſi βασιλείαν Θεοῦ alio, quam equidem, ſenſu accipit. Expoſuit enim loci ſententiam ſic: *Trachtet aber vor allen Dingen nach der Tugend, die euch das Chriſtenthum lehret.*

36) Hunc enim, praeeunte *Koppio* in N. T. p. 221. [ed. 2. p. 102.] loci huius ſenſum eſſe putem. Neque enim nunc de praeſtantia cognitionis eius quam Ioannes habuit, prae illa, quae in antiquioribus prophetis fuit, ſermo eſſe videtur, vt poſt alios nuperrime voluit *Strothius* in Diſſert. qua cognitionem veterum de Chriſto et iis rebus, quae in diſciplina chriſtiana traduntur, parum certam ac perfectam fuiſſe, ex h. l. efficere ſtuduit, (Quedlinb. 776. 4.) Sed dicitur nunc potius de ea eius dignitate, quam inde eſt conſecutus, quod Meſſiae aduentum hominibus annuntianit. (v. 10.)

Cum hoc autem et illud coniunctum eſt, quod Phariſaeis dicit Luc. XVII, 20. regnum hoc non venturum eſſe μετὰ παρατηρήσεως, i. e. vt equidem puto, ita, vt obſeruari poſſit, aut modo adſpectabili [37]). Sic enim ſtatim explicatur: οὐκ ἔρουσιν, ἰδοὺ ὧδε, ἢ, ἰδοὺ ἐκεῖ.

Sed ad naturam huius regni penitus perſpiciendam facit et hoc, vt ſcias, quinam in illo olim ſint futuri. Quare quid et hac de re Chriſtus tradiderit, paucis videamus. Ac ſi quidem de indole ciuium huius regni quaeramus, bonos tantum virtutique deditos in illud admiſſum iri, cum ex eo planum eſt, quod, vt ſup. §. vidimus, his ſolis eius ſpem fecit, tum ipſe etiam diſerte profeſſus eſt pluribus locis, veluti Matth. XIII, 41. ſqq. 47. et VII, 21. 22. in quibus perſpicue tradidit, omnes malos ab iſto regno prorſus fore excluſos, ſi vel maxime ſuam doctrinam fuerint ſecuti. Quodſi vero ad ſtatum et gentem eiusdem regni ciuium reſpiciamus, locus eſt apud Matthaeum Cap. VIII, 11. 12. in quo praeter Patriarchas Iudaeorum dudum mortuos, exteris etiam gentibus locum in illo conceſſum, ipſorum autem Iudaeorum [38]) multis eundem negatum iri dicitur, idque ipſum ex alio etiam huic ſimillimo loco apud eundem ſcriptorem Cap. XXI, 43. intelligitur. Verum ne ſic quidem plenam omnibusque numeris abſolutam huius regni notionem tenemus, ſed reſtat adhuc, vt, quonam tempore, vel, vt planius dicam, poſt quamnam euentuum ſeriem, regni huius initium futurum ſit, videamus. Hac autem de re iudicari poteſt ex loco Matth. XIII, 40. coll.

---

37) Eodem modo explicauit etiam *Roſenmüller* in Schol. ad h. l. itemque *Elsnerus* in Obſerv. in N. T. p. 261. qui exemplis ſcriptorum profanorum docuit, hanc eſſe perpetuam vocis παρατηρήσεως ſignificationem. Quare neſcio profecto, qui factum ſit, vt *Koppius* l. l. p. 223. [p. 104. ed. 2.] verteret ſic: tum, eum homines expectabunt.

38) Hos enim ſignificari formula illa: υἱοὶ τῆς βασιλείας, omnes iam Intt. viderunt. Deſcribuntur enim his verbis inquilini regni, i. e. ii, ad quos regnum illud maxime pertinet, quibusque etiam deſtinatum eſt, opponunturque nunc extraneis.

40. coll. v. 43. et 49. in quo perſpicue traditur, incepturum eſſe regnum hoc ἐν τῇ συντελείᾳ τοῦ αἰῶνος τούτου. Iam vero cum ſuperiore parte docuerimus, συντέλειαν τοῦ αἰῶνος τούτου ſignificare illud tempus, quo, quae ante Meſſiae tempora fuit, terrae huius conditio ceſſabit, eique alia ſuccedet, adparet profecto hinc, id totum ad Iudaeorum ſententiam dictum fuiſſe. Praeter hunc vero locum, in quo vno hac de re conſulto dicitur, aliud etiam ſe nobis obtulit, e quo de regni huius tempore non infelici prorſus ratione iudicari poſſe videtur. Hoc autem illud eſt, quod ea, quae toties occurrit, pharaſis: εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, ſaepe permutatur cum hac: εἰσελθεῖν εἰς τὴν ζωήν. Sic quod Matth XVIII, 3. dicitur: εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, de eo adhibetur v. 8. 9. phraſis: εἰσελθεῖν εἰς τὴν ζωήν, et quae in hoc v. 9. proponitur ſententia, eam Marc. IX, 47. ita exhibet, vt, vbi Matthaeus habet: εἰσελθεῖν εἰς τὴν ζωήν, is dicat, εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ. Quare cum tam perſpicua ſit horum permutatio, nonne ex ea iure colligi poſſe videatur, duo haec, ζωὴν et βασιλείαν οὐρανῶν in vnum idemque tempus incidere debere, ita quidem, vt regnum hoc tum demum locum ſit habiturum, vbi noua aliqua vita (ζωή) praeceſſerit? Niſi enim tam arcte duo haec inter ſe coniuncta eſſent, non poſſet profecto vnum alterius loco poni. Accedit vero et hoc, quod et haec res mire cum Iudaeorum opinione conſpiret. Nam et hi, vt ſupra vidimus, mortuorum aliquam reſurrectionem Meſſiae regnum praegreſſuram eſſe putabant. Vnde facile intelligitur, illis quidem harum formularum permutationem nullo modo obſcuram aut miram videri potuiſſe.

Iam vero, ſi omnia, quae Chriſtum hactenus de regni ſui natura docuiſſe vidimus, in vnam ſummam colligamus, eaque cum Iudaeorum hac de re opinione comparemus, facile intelligemus, quae vniuerſa quidem fuerint in eorum opinione, eadem in Chriſti etiam do-

doctrina fuiffe [39]), (puto haec: regni illius feliciffimum fore ftatum, cum eoque coniunctam συντέλειαν τοῦ αἰῶνος τούτου et ζωὴν,) contra quae in eorum opinione magis definita effent, (veluti id, in quo felicitas huius regni futura effet, libertate ab imperio alieno, omninoque rerum externarum florentiffimo ftatu, et aliis pluribus,) ea Chriftum filentio prorfus praeteriiffe. Duo tamen erant in eius doctrina, quae a Iudaeorum fententia non parum recedebant, primum hoc, quod, vt aliquis in regnum hoc admitteretur, non fatis effe docebat, vt Iudaeus effet, fed hoc etiam requiri dicebat, vt meliori, quam hactenus egerit, vitae ftuderet, virtutique totus deditus effet, alterum vero illud, quod non Iudaeos tantum, fed et exteras gentes in illud perventuras effe declarabat.

§. X.

Conftituitur notio formulae: βασιλεία οὐρανῶν.

His autem ita pertractatis, multo felicius iam multoque etiam certius iudicari poterit de notione ea, quae formulae illi: βασιλεία οὐρανῶν in Euangeliftarum faltem libris fit fubiecta. Hanc autem vt rite conftituamus, eo magis neceffarium erit, quo minus plerosque interpretum veram eius mentem affecutos effe novimus. Plerumque enim, vt conftat, duplicem huic formulae notionem in N. T. libris fubiectam effe putant interpretes, alteram eam, quae frequentius obtineat, quaque inuifibile illud, quo Chriftus fuam in his terris ecclefiam tueatur, imperium fignificet, alteram vero paucioribus in locis obuiam, qua de beata olim in coelis vita dicatur. Verum cum huius duplicis fignificatus neque aperta fatis in libris illis reperirentur veftigia, neque certa etiam, (quod fieri tamen poffe, cre-

39) Atque haec quidem non poterant profecto ab eius inftitutione abeffe, fi eam ab illis hominibus intelligi volebat.

credibile erat) ſcribi poſſet regula, qua obſeruata, quaenam harum notionum quoque loco obtineret, dignoſci iudicarique poſſet, inſtituit nuper, vt dixi, *Koppius* in Exc. ſaepius laudato hanc viam deſerere, aliamque ingreſſus eſt, qua formula haec Iudaeorum, a quibus petita eſt, cogitandi loquendique rationi convenientius explicaretur, eique vna tantum vbique notio ſubiiceretur. Quanquam vero hac in re nullius, quantum equidem noui eorum, qui de eius libro iudicarunt, aſſenſum tulit [40]), nihil tamen ipſi oppoſitum fuiſſe vidi, quo hanc rationem falſam et a mente ſcriptorum ſ. alienam eſſe, certo efficeretur, ſed omnes potius vulgarem huius formulae interpretandae rationem repetierunt. Sed ne prius hac in re quicquam decernere videar, quam ipſi lectores iudicare poſſint, id potius nunc agam, vt, qualem ea, quae de hoc regno ex Chriſti doctrina hactenus cognouerimus, huius formulae notionem ſuppeditent, omnes, qui mente praeiudicatis ſententiis vacua ad

40) Proxime tamen ei accedere videtur *Heſſius* qui in libro: *Von dem Reiche Gottes*, Vol. II. p. 373. edit. recentiſſ. ſic ſcribit: *Ia ſelbſt des Meſſias erſte Ankunft und Gegenwart war eigentlich noch nicht das verheiſsene Meſſias-Reich ſelbſt, ſondern nur erſt eine Darſtellung und göttliche Beglaubigung der zur Regierung beſtimmten* Perſon, *nur daſs um ſo vieler Proben willen, welche ſie damals ſchon von ihrer Vollmacht gab, geſagt werden konnte: Es iſt vorhanden, dieſs göttliche Reich — nämlich in der Perſon deſſen, der durch Leiden zu dieſer Herrlichkeit gelangen ſollte. Erſt da dieſs geſchehen war, fieng ſein Reich wirklich an; erſt itzt konnte man ſagen: „Er ſitzt zur Rechten Gottes.“ — Aber ſo muſs auch hier wieder eine* Unterſcheidung *gemacht werden. Auch ſeine* Erhöhung zu Gott *war noch nicht diejenige* majeſtätiſche Darſtellung *oder* Offenbarung *dieſer göttlichen königlichen Würde, wovon der Geiſt der Weiſſagung ſo viel redet. Denn ein anderes iſt: zur höchſten Ehre und Herrſchaft in den Himmel erhoben werden; und ein anderes: Sich in dieſer höchſten Würde den Menſchen* darſtellen *und* zeigen. *Dieſe Unterſcheidung iſt ſchriftmäſsig. Die Apoſtel unſers Herrn glaubten und lehrten, Er ſey zur höchſten Ehre und Herrſchaft ſchon erhoben — und eben ſie glaubten und lehrten zugleich, er werde ſich erſt bey ſeiner Wiederkunft in dieſer höchſten Würde darſtellen und zeigen. Wer dieſe Unterſcheidungen nicht wohl bemerkt, der kann ſich von dem Meſſias-Reiche keinen ſchriftmäſsig-deutlichen Begriff machen.*

ad hunc libellum legendum accedant, ipſi videant. Quare agite, lectores, colligamus ex iis, quae nobis de hoc regno hactenus innotuerunt, ſumma quaedam capita, quae ad veram eius notionem, reperiendam viam nobis monſtrent. Vidimus igitur, regni huius felicitatem praemii inſtar promitti recte agentibus (§. 8.) atque bonos tantum in illud iri admiſſum (§. 9.) porro, dudum etiam mortuos, (veluti Iudaeorum Patriachas) in illo futuros eſſe, (ibid.) omninoque in regni huius inſtauratione nouam aliquam vitam fore. (ib.) Iam vero ſi haec omnia inter ſe comparentur, quis eſt, qui non intelligat, illud Chriſti regnum hac formula deſcribi, quod poſt mortuorum demum in vitam reditum inſigni aliqua maieſtate, eaque fere tali, qualis regnum triumphantium eſſe ſolet, ab ipſo inaugurabitur, quoque ii, qui eius doctrinam his in terris ſunt amplexi, vitamque ad eius praecepta inſtituerunt, beatiſſima felicitate fruentur, atque, vt verbo dicam, ſimillimum ei ſtatum, quem nos in vita aeterna futurum mente informare ſolemus?

§. XI.

Hanc notionem ipſis etiam N. T. locis convenire oſtenditur.

Sed vt appareat, hoc non temere aut feſtinanter a nobis dictum eſſe, ſed ipſis N. T. locis confirmari, vtemur inductione omnium, in quibus haec formula occurrit, locorum, iisque percurrendis planum faciemus, hanc, quam diximus, notionem non modo iis, quae iam attigimus, ſed caeteris etiam, de quibus nondum dicendi opportunitas fuit, praeclare conuenire. Ne vero nimia tot locorum mole obruamur, hoc compendio vtamur, vt in ſingulas claſſes ea diſtribuamus, deque iis, quae ad quamlibet earum pertinent, iunctim dicamus. Primum igitur nemo dubitabit, hanc notionem iis locis conuenire, in quibus, qui in hoc Chriſti regnum admitti velint, virtutis ſtudioſos eſſe debere, cum in vniuerſum,

Io.

Io. III, 3. Matth. V, 20.[41]) VII, 21.[42]) tum, qua ſingulas etiam virtutes, vt de patientia paupertatem facile perferente, Matth. V, 3.[43]) coll. Luc. VI, 20. de modeſtia cum animi demiſſione coniuncta, Matth. XVIII, 3. 4.[44]) de lenitate erga inimicos, Matth. XVIII, 23. ſſ. dici vidimus. In his enim locis non poſſe de illo, quod in dogmaticis libellis gratiae regnum dici ſolet, commode cogitari, tam perſpicuum eſt, vt in iis, interpretandis plerique

 fere

41) Quae enim hic commemoratur δικαιοσύνη, nunc in vniverſum pietatem atque integritatem indicare, multi iam interpretum viderunt, nec poteſt idonea de cauſa negari. Ineſt autem ea nunc, vt ex antecedentibus apparet, in eo potiſſimum, vt et recte viuas, et vero etiam recte doceas.

42) Hoc nominatim loco βασιλείαν τῶν οὐρανῶν de illo, quo docui, regno dici inde etiam intelligitur, quod v. ſeq. id proxime coniungitur cum ἐκείνη ἡμέρα, quae, vt paulo inferius demonſtrabo, indicat illud tempus, quo hoc Chriſti regnum ſtabilietur.

43) Cf. quae de h. l. diximus not. 33. Cum vero Chriſtus hic eiusmodi pauperes, quales nunc deſcribi, ibi a nobis oſtenſum eſt, in illo olim regno futuros eſſe doceat, mirum non debet videri, quod alio loco, qui eſt Matth. XIX, 20. coll. Marc. X, 24. diuites eos, qui fiduciam in opibus ſuis ponant, (πεποιθότας ἐπὶ τοῖς χρήμασιν, vt eſt apud Marc.) eo perventuros eſſe neget. Hinc autem intelligitur etiam, nec his in locis βασιλείαν οὐρανῶν aliud regnum indicare poſſe, quam quod in illo ſignificari docuimus. Atque ſic ipſi etiam Chriſti diſcipuli intellexerunt. Nam v. ſeq. mox quaerunt, quinam ergo ſeruari ſ futura iſta felicitate frui poſſe ſtatuendus ſit? id quod bene vidit *Moſchius im Bibelfr.* Vol. I, p. 188. vbi hunc omnem locum vberius explicauit.

44) Et de h. l. diximus iam not. 34. Nunc tamen hoc addimus, eundem locum viam nobis monſtrare ad intelligendum alium, qui eſt Matth. XIX, 14. coll. Marc. X. 15. et Luc. XVIII, 17. Cum enim hic dicatur, eum demum, qui ſe infantis inſtar demiſerit, ad regnum illud idoneum eſſe, facile intelligi poteſt, quid ſibi velit illud, quod in locis laudat. dicitur, eorum, qui puerorum ſimiles ſint, (τοιούτων) eſſe βασιλείαν οὐρανῶν, ſ. vt eſt in Marc. et Luc. eos poſſe εἰσελθεῖν εἰς αὐτήν, i. e. dignos eſſe, qui in illud regnum recipiantur, plane vt eſt Matth. V. 3. vbi omnes ſic intelligunt. Neque minus nunc ex eodem hoc Matthaei (XVIII, 4.) loco in quo quaſi ſedes eſt huius ſimilitudinis, perſpici poterit, quomodo intelligendum illud, quod in Marc. atque Luc. loc. laud. dicitur, δέχεσθαι τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ ὡς παιδίον, nimirum ſic: ſuſcipere illud regnum ea mente, qua pueri ſunt, vt non ſis honorum cupidus, neque externam in eo dignitatem expectes.

lere interpretum nobiscum conſentiant [45]). Cum hoc autem locorum genere proxime cohaeret illud, in quo boni tantum in illud receptum, mali vero ab eo excluſum iri dicuntur, Matth. XIII, 38. 47. et VII, 22. 23. Cum enim virtutis tantum amantibus eius ſpes facta ſit, nemo mirabitur, ſi et nunc non niſi hos in illud vere peruenturos eſſe pronuncietur. Quae cum ita ſint, intelligitur, ad hoc genus etiam ea loca pertinere, in quibus praeter Iudaeos probos virtutisque ſtudioſos aliae etiam gentes in illo futurae dicuntur, e quo genere maxime eſt locus Matth. VIII, 11. 12. in quo regnum coelorum de tali, quali Iudaei expectarunt, h. e. eo, in quo ciues eius ſub Meſſiae imperio ſumma felicitate fruantur, intelligendum eſſe, omnes etiam illae phraſes a connivio deſumtae declarant, quas quippe eos hac de re vſurpaſſe dudum viri docti docuerunt [46]). Id enim non alia de cauſa ita eſſe euenturum, quam quod iſtae quidem gentes Chriſti doctrinam fuerint ſecutae, Iudaeorum autem multi fidem ei habere recuſauerint, ipſe nos docet Matth. XXI, 43. Diſerte enim ibi hanc cauſam

---

45) Idem ſit etiam in loco Matth. V, 10. qui et ipſe ad hoc genus pertinet. Neque id mirum, cum et huius loci contextus ſingulare aliquod argumentum ſuppeditet, e quo illam *βασιλείαν* ita, vt dixi, intelligendam eſſe appareat. Etenim quod v. 10. eſt: *αὐτῶν ἐστιν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν*, id v 12. de eadem re ſic dicitur: *μισθὸς πολὺς ἐν τοῖς οὐρανοῖς ἐστὶ*.

46) Atque ex eo facile adparet, quomodo intelligendi ſint loci Matth. XXVI, 29. et Luc. XXII, 18 in quibus Chriſtus diſcipulis ſuis dicit ſe non amplius vinum cum illis bibiturum, vsque dum illud denuo bibat *ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ πατρός σου*, ſ. vt eſt in Luca, *ἕως ὅτου ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ ἔλθῃ*. Cum enim certiſſimum ſit, Iudaeos regni Meſſiani felicitatem epuli lautiſſimi imagine adumbrare ſolitos fuiſſe, nullo modo dubitari poterit, *βασιλείαν Θεοῦ* et hic de futuro illo Meſſiae regno eſſe intelligendam. Vnde et factum eſſe videtur, vt hoc in loco plurimi iam interpretum id conceſſerint, quanquam nec defuerunt, qui haec omnia de tempore poſt reditum Chriſti in vitam dicta eſſe ſtatuerent. Sed hos, puto, ſatis refelli, quod dicitur paulo poſt apud Lucam v. 29. 30. Ibi enim Chriſtus diſcipulis ſuis regnum aliquod promittit, cum eoque haec duo coniungit, primum, vt in regno ſuo cum illo olim edant et bibant, deinde, vt in thronis ſedeant, gentemque Iſraëliticam iudicent. Iam

ſam commemorat, quod in iſtis gentibus fructus regni coelorum deprehenderentur. Sed et hoc in loco βασιλείαν Θεοῦ ex noſtra ratione intelligendam eſſe, luculenter doceri poteſt loco Act. XIII, 46. in quo euentus eius rei, quam Chriſtus hic praedicit, traditur. Ibi enim Paulus Iudaeis fidem ipſi non habentibus, haec dicit: οὐκ ἀξίους κρίνετε ἑαυτοὺς τῆς αἰωνίου ζωῆς, *ihr begebet euch ſelbſt des Rechts zu jener immerwährenden Glückſeligkeit.* Hinc et illud pendet, quod Matth. XXI, 31. dicit Chriſtus, ſcortatores atque meretrices Iudaeos olim in regnum ſuum eſſe praeituras. Nam et huius rei hanc cauſam affert v. 32. quod iſti Ioanni fidem habuerint, cum hi id non feciſſent. Non minus vero hinc etiam iudicari poterit de loco Matth. V, 19. in quo alios maioris, alios contra minoris in iſto regno aeſtimatum iri dicitur. Adparet enim ex ipſo loci argumento, id nunc non alia ratione fieri poſſe, quam vt vel recipiantur in regnum iſtud, vel ab eo excludantur. Quare equidem his formulis non ſuperiorem aut inferiorem felicitatis gradum deſcribi arbitror, ſed minimum in regno coelorum cenſeri idem eſſe puto, ac nullo loco haberi, vt docuit iam ad h. l. *Wolfius* [47]). Simillimam autem huic ſententiam proponi etiam arbitror in parabola illa, quae Matth. XX, 1. ſſ. legitur, et in qua omni tempore tantopere argutatos fuiſſe multos nouimus. Qui enim v. 16. hui. Capit. in quo quaſi clauis eſt huius omnis parabolae, cum eius conſilio diligen-

vero ex hoc vltimo facile intelligi poſſe arbitror, de futuro Meſſiae regno hic eſſe cogitandum. Hoc enim, iudicem ſedere non modo alibi, vt infra ex Matth. XIX, 28. oſtendam, ad illud regnum ſimili modo refertur, ſed nullo etiam commodo ſenſu ad tempus poſt reditum Chriſti in vitam, aut aliud quoddam praeter illud, quod dixi, referri poteſt. Ad eundem vero modum etiam illud accipiendum erit, quod Luc. XXII, 16. de paſchate dicitur, id fore πεπληρωμένον ἐν τῇ βασιλεία τοῦ Θεοῦ i. e. in illo regno id multo perfectius celebratum iri. Hoc enim ſenſu ſaepiſſime aliquid dici πληροῦσθαι, quis eſt, quem fugiat?

47) In Cur. Phil. et Critic. in IV. Euang.

ligenter comparauerit, facile intelliget, primariam eius ſententiam hanc eſſe: multos, qui ſe caeteris praemio digniores habituri ſint, re ipſa olim cognituros, ſe illis fore inferiores [48]). — Sed progrediendum eſt ad aliud locorum genus, quod et ipſum cum his, quae modo tractauimus, magnopere eſt coniunctum. Cum enim, vt hactenus vidimus, bonis tantum huius regni ſpem fecerit Chriſtus, malosque omnes ex illo remotum iri docuerit, per ſe iam planum eſt, illud fore feliciſſimum, adeoque nec iis in locis, in quibus hoc ipſum traditur, Matth. V, 3. 10. VI, 33. XI, 11. [49]) de alio, quam hoc ipſo regno, eſſe cogitandum. Hoc ipſum autem, quod et Ieſus iſtud regnum ſuum tanquam feliciſſimum ſtatum deſcripſit, et homines etiam illius aetatis eandem de illo ſententiam fouerunt, lucem nobis accendit ad alios quosdam locos recte intelligendos. Primus eorum legitur Matth. XI, 12. coll. Luc. XVI, 16. eſtque cum v. 11. quem modo commemoravi, proxime coniunctus. Cum enim in hoc v. 11. Chriſtus dixiſſet, infignem fore eorum, qui regni a Meſſiae ſtabiliendi ciues ſint futuri, felicitatem atque dignitatem, addit nunc v. 12. hac ipſa de cauſa τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν βιάζεσθαι, καὶ βιασταὶ ἁρπάζειν αὐτήν, ſ. vt eſt in Luc. πάντα εἰς αὐτὴν βιάζεσθαι, i. e. vt puto, quemlibet illud ſummo cum ardore

48) Hanc autem ſententiam cum exemplo aliquo illuſtrare vellet Chriſtus, erat vtique hiſtoria aliqua fingenda, quae a variis rebus peti poterat. Quare non erat interpretibus in ea haerendum, ſed illa potius, quam dixi, primaria ſententia quaerenda. Id autem profecto non fecerunt ii, qui hic de Apoſtolis et caeteris naſcentis eccleſiae doctoribus, diuerſisque horum atque illorum, qui eos in docendi munere ſecuti ſunt, praemiis cogitarunt, inter quos eſſe vidi *Dammium* ad h. l. et *Heſſium in der Geſchichte der drey letzt. Lebensjahre Ieſu.* Vol. II. p. 22. ff. [*Lebensgeſchichte Ieſu* v. II, p. 82. ed. 7.] Neque minus a vero huius parabolae ſenſu aberraſſe videtur *Leſſius*, qui in Expoſ. Euangel. p. 494. primos de Iudaeis, extremos vero de gentilibus intelligit, hosque ad religionem chriſtianam acceſſuros, illos autem eam reiecturos eſſe, hic doceri exiſtimat. Id enim conſilio huius parabolae conuenire vehementer dubito.

49) Cf. quae de h. l. diximus, not. 36.

ardore et ſtudio expetere [50]). Quoniam enim norunt, in illo ſummam felicitatem eſſe expectandam, fit etiam, vt eius ardentiſſimo deſiderio ducantur. Secundus locus eſt Matth. XIX., 12. vbi commemorantur homines, οἵτινες εὐνούχισαν ἑαυτοὺς διὰ τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, i. e. qui abſtinent a matrimonio omnique re venerea, eo conſilio, vt eo certius in regnum Meſſiae intromittantur, ſi ſibi ab omni re praua et illicita cauerint. Eius vero rei cauſa facile haec eſſe intelligitur, quod eiusmodi homines felicitatem iſtius regni tanti

---

50) Ita enim verbum βιάζεσθαι dici, vt ſignificet, ad aliquid ſummo ſtudio niti, docuerunt *Krebſius* in Obſerv. Flav. ad h. l. et *Loesnerus* in Philon. ad h. l. quanquam vterque in eo errarunt, quod verba Matthaei, ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν βιάζεται reſpondere putant Lucae illis: ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ εὐαγγελίζεται, cum tamen facile appareat, haec Lucae verba per ſe poſita eſſe, verbisque Matthaei ea tantum ſimilia eſſe, quae in Luca ſequuntur: πᾶς εἰς αὐτὴν βιάζεται Hic tamen error eo deduxit eos, vt illud: ἡ βασιλεία βιάζεται ſignificatione activa cum aliis dictum putarent, verterentque ſic: regnum coelorum magna vi praedicatur, ſed repugnante, vt puto, loci ipſius contextu. Non modo enim Lucas perſpicue docet, illud βιάζεσθαι nunc ſignificatione paſſiua de hominibus, qui illud regnum expetunt, accipiendum eſſe, cum dicit: πᾶς εἰς αὐτὴν βιάζεται, ſed idem etiam confirmat Matthaeus addito illo: βιασταὶ ἁρπάζουσιν αὐτήν. Atque hoc modo praeter Interpretem Syrum et Perſam, qui, ſi fides habenda *Koechero* in Analect. ad Wolfii Cur. Phil. ad h. l. vertunt ſic: *cum violentia accipitur, attrahitur*, intellexit etiam locum hunc Chryſoſtomus, qui inter alia ad h. l. dicit: quis rapit regnum Chriſti? πάντες οἱ μετὰ σπουδῆς προσιόντες. Ex recentioribus autem eandem explicationem ſecutus eſt *Moſchius im Bibelfr.* Vol. I, p. 382. ſſ. Neque tamen quod hic regnum coelorum ab omnibus expeti dicitur, ita accipiendum erit, vt multi interpretum, inque his ipſe etiam *Moſchius* l. l. intellexerunt, ac ſi diceretur, multos ad coetum Meſſiae nunc accedere, ſed tantum de deſiderio huius regni erit explicandum. Nam ſi illud eſſet, profecto non adpareret, quare Chriſtus ſtatim in ſeqq. de incredulitate hominum ſuae aetatis tantopere quereretur, iisque hanc ipſam ob cauſam grauiſſimas poenas minaretur, quod tamen fit per omnem reliquum locum. Praeterea id ipſum etiam confirmatur v. 14. quo, cum dixiſſet Chriſtus, Ioannem eſſe illum Eliam, quem Iudaei ante Meſſiae tempora expectarent, eoque ipſo ſignificaſſet, ipſum etiam Meſſiam proxime adeſſe debere, haec omnia ab illis hominibus non agnoſci his verbis declarat, quae addit: ὁ ἔχων ὦτα ἀκουέτω, tum etiam illis: εἰ θέλετε δέξασθαι, i. e. ſi modo capere velitis. Quare omnis loci huius nexus hic eſſe videtur: atque huius feliciſſimi regni inde a Ioannis temporibus ardentiſſimum eſt inter homines deſiderium,

tanti faciant, vt eius conſequendae cauſa vim adeo ſibi facere non detrectent. — Neque vero alio ſenſu accipienda erit βασιλεία Χριστοῦ in loco Io. XVIII, 36.[51]) vbi Chriſtus, eam regnis humanis ſimilem fore negat. Id enim de regno tali, quale Chriſti regnum hactenus deſcripſimus, ſummo iure dici potuiſſe, quis eſt, qui inficias ire audeat? Reſtat denique alius adhuc locus, in quo et ipſo βασιλεία τῶν οὐρανῶν non alio, quam quem hactenus ſtabilire conatus ſum, ſenſu dicitur. Is eſt Matth. XVI, 19. vbi Chriſtus Petro tradit τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν, i. e. poteſtatem homines in illud regnum admittendi vel non admittendi. Admittebat autem homines in regnum illud, tum, cum eos

omnesque vnum hoc occupare cupiunt. Atque profecto ad eius vsque tempora doctrina V. T. adhuc obtinuit, ſed nunc, ſi modo capere velitis, adeſt iam Elias. Lucae autem locus ita cohaeret: lex et prophetae vsque ad Ioannis tempora fuerunt, et valuerunt, nunc autem regnum coelorum nunciatur, et a quolibet cupidiſſime expetitur. Sed non debetis putare, legem non amplius obſeruandam eſſe, imo vero eius vis ſemper manebit. Quam *Koppius* p. 221. [ed. 2, p. 102.] propoſuit h. l. explicationem, eam vix cuiquam probari poſſe putauerim.

51) Hoc autem loco attingendum ſaltem erit illud, quod ex iis, quae Chriſtus hic v. 37. addit, ſe ideo veniſſe in has terras, ἵνα μαρτυρήσῃ τῇ ἀληθείᾳ, adeoque πάντα ὄντα ἐκ τῆς ἀληθείας ἀκούειν τῆς φωνῆς αὐτοῦ, plerique luculentiſſime doceri poſſe putant, βασιλείαν Χριστοῦ vtique in ſcriptis N. T. de noua illa, quam Chriſtus his in terris inſtituit, religionis oeconomia dici, ne id vel ignoraſſe, vel conſulto praetermiſiſſe videar. Etſi vero bene noui, doctiſſimos viros, e quibus vel Summum *Erneſtium* noſtrum (in Progr. de triplici officio Chriſti.) [quod extat in *Ejusdem* Opuſc. theolog. p. 413. ſſ.] et *Noeſſeltum* (in Diſſ. de Chriſto homine regnante, §. 7. Hal. 1773) [quae repetita eſt in *Ejusdem* Opuſc. ad interpret. Scr. S. faſc. II, p. 358.] honoris cauſa nominaſſe ſufficiat, hoc argumento vſos fuiſſe, adeoque meo qualicunque hac in re iudicio iure diffidere debebam, non poſſum tamen non ingenue fateri, me huius argumenti euidentiam non videre. Non enim hic regni a Chriſto inſtituendi naturam deſcriptam reperio quod facere nec opus nunc erat, nec, ſi fieret, vtilitatis etiam quicquam habere poterat, ſed id vnum a Chriſto traditum eſſe intelligo, negotium, quod in his terris curaſſet, hoc tantum fuiſſe, vt verum hominibus traderet, non vero, vt imperium aliquod Romanis perniciosum ſtabiliret, adeoque ſe nec homines nouarum rerum cupidos diſcipulos habuiſſe, ſed veri tantum amantes doctrinam ſuam amplexos eſſe. Qualis autem rex futurus ſit, id nunc prorſus ſilentio praetermittit.

eos in iſtam ἐκκλησίαν, de qua ante dicitur, recipiebat. In illa enim qui erant, ii, vt ſupra vidimus, ſpem ad illud regnum perueniendi habebant. Atque hoc ita eſſe intelligendum, non modo ea confirmant, quae mox ſequuntur, videntur que ſic accipienda: quemcunque tu indignum iudicaueris, qui in coetum ſectatorum meorum recipiatur, is in coelo etiam indignus cenſebitur, et a meo olim regno excludetur, ſed ipſum etiam huius rei exemplum, de quo Act. VIII, 23. legitur, docet.

§. XII.

Continuatur.

Sed praeter hos locos, quos hactenus vidimus, alii etiam occurrunt, in quibus illa formula: βασιλεία τῶν οὐρανῶν non tam de ipſo illo futuro olim Meſſiae regno, vt in illis, dicitur, ſed omnia illa complectitur, quae inde a Chriſti temporibus huius regni cauſa facta ſunt, ſientque vsque ad illud tempus, quo ipſum ab eo regnum inaugurabitur. Ea vero, vt conſtat, eo potiſſimum continentur, quod regnum hoc hominibus a Chriſto eiusque diſcipulis fuit annunciatum, illisque via in illud perueniendi demonſtrata, atque coetus eorum, qui hac via incedere vellent, collectus. Atque haec omnia formula: βασιλεία οὐρανῶν, interdum comprehendi omnium luculentiſſime intelligi poteſt ex parabola Matth. XIII, 24. ſſ. ſi cum explicatione ea, quam Chriſtus ipſe diſcipulis ſuis ſuppeditauit v. 37. conferatur. Ibi enim inde ab eo tempore, quo primum hominibus doctrinam de hoc regno proponebat, vsque ad ipſam eius inſtaurationem progreditur. Eadem vero notio in reliquis etiam, quae eodem capite leguntur, parabolis obtinet. Ex his ea, quae v. 47. ſſ. occurrit, huic de qua modo diximus, ſimillima eſt, deſcribitque alia quadam ſimilitudine omnem huius regni rationem inde a prima ciuium eius collectione vsque ad id tempus, quo eius inſtituendi

initium

initium ita fiet, vt probi ab improbis ſecernantur. Quae vero omnis haec res eiusque vniuerſa ratio in his potiſſimum terris fata ſit expertura, illae parabolae docent, quae v. 31. et 33. exhibentur, atque ambae, vt facile intelligitur, eodem redeunt. Declarant enim, eam a paruis initiis ad maiora mox incrementa eſſe progreſſuram. Aliud argumentum tractant eae, quae leguntur v. 43. 44. etſi et hae rurſus inter ſe conueniant. Vtraque enim tradit, eum, qui ſemel praeſtantiam huius omnis rei cognouerit, aliis omnibus poſthabitis, eam vnice ſequi. Eadem denique notio locum etiam habet in v. 52. Cum enim ibi Chriſtus commemorat doctorem μαθητευθέντα εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, intelligit eum, qui ad ſuam de iſto regno doctrinam adductus et ad eam inſtitutus ſit, vt ipſe doctorem agere poſſit [52]). Praeter hoc vero Matthaei caput, in quo haec notio quaſi dominatur, eadem etiam alibi occurrit. Neque enim negari poterit, eam Marc. IV, 26. etiam obtinere. Adumbrat enim et haec parabola rationem, qua doctrina de hac omni re ſe in hominum animos inſinuet, ſuamque in iis ſenſim ſenſimque vim exſerat, idque vbi factum fuerit, meſſem etiam, quae qualis ſit, ex Matth. XIII, 39. cognoſci poteſt, ſecuturam eſſe declarat, adeoque rurſus omnem illam rem complectitur. Idem valet de alia etiam parabola, quae Matth. XXII, 2. legitur. Nam et hanc non modo de hominum ad illud diuinum regnum inuitatione, ſed de ipſa etiam futura eius inaugura-

52) Quod vero hunc talem doctorem patrisfamilias ſimilem eſſe vult, qui et antiqua et recentia ex cellis ſuis penuariis promat, id eo ſpectare arbitror, vt varia et multiplici ſcientia inſtructus eſſe debeat. Hanc enim varietatem deſcribunt illa antiqua et recentia, quae Chriſtus commemorat, argutanturque haud dubie, qui hic de V. et N. T. cogitant. Hic autem, quem dixi, ſenſus ipſo etiam loci huius contextu confirmatur. Vt enim Chriſtus varias in antecedentibus parabolas propoſuerat, eandemque rem diuerſis imaginibus adumbrauerat, ita ſuos etiam diſcipulos tales doctores eſſe cupit, eosque exemplum ſuum imitari iubet. Quare bene hunc loci ſenſum aſſecutus eſt *Heſſius in der Geſchichte der drey letzten Lebensjahre Ieſu.* Vol. I, p. 220. [ed. 7, p. 369.]

guratione exponere, v. 14. qui quasi epiphonematis loco additur, argumento est certissimo. Quanquam vero haec notio, vt hactenus vidimus, in parabolis maxime locum habet, eius tamen vestigia deprehendi etiam videntur in loco Marc. XII, 34. in quo Christus scribae, de vera erga Deum pietate caerimoniarumque pretio praeclare iudicanti, dicit: οὐ μακρὰν εἶ ἀπὸ τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ, quod, vt puto, hoc sibi vult: tu parum abes, quin doctrinam de regno caelorum suscipias, teque eius ciuem profitearis, s. planius: tua cogitandi ratio talis fere est, vt facile expectandum sit, te doctrinae meae fidem esse habiturum, sicque viam ad illud regnum tibi muniturum [53]). — Ex his autem locis cum iam certum sit, formulam βασιλείας οὐρανῶν hoc, quem dixi, latiore sensu [54]) interdum etiam vsurpatam fuisse, non erit, quod miremur, si eiusmodi etiam loca nobis occurrant, in quibus non tam omnis ille rerum, quas dixi, ambitus ea significetur, quam eius tantum aliqua pars

53) Nos forte diceremus: *Du bist auf dem rechten Wege zum Himmelreiche. Hessius in der Geschichte Iesu.* Vol. II, p. 167. [ed. 7, p. 269.] non male sensum h. l. expressit sic: *Deine guten Begriffe und Gesinnungen beweisen, dass du in der Verfassung stehst, ein würdiges Mitglied des göttlichen Reichs abzugeben. (Sie nähern sich der Denkungsart der Angehörigen des Messias.)*

54) Hunc autem latiorem huius formulae sensum cum non viderit *Koppius*, facile intelligi potest, non potuisse non fieri, quin loca ea, in quibus illa obtinet, durius quodammodo explicaret, sensumque iis a scriptorum s. mente paulo alieniorem tribueret. Id enim, quod pace Viri doctissimi dixerim, mihi quidem statuendum videtur de ratione ea, qua illas maxime parabolas, quae Matth. XIII. exstant, interpretatus est p. 221. [ed. 2, p. 103.] omninoque, quam earum explicandarum legem scripsit, vniuersae parabolarum indoli parum consentaneam esse arbitror. In omni enim parabola semper vniuersa aliqua comparatio est quaerenda, non autem, vt ille vult, a singulari quadam re, in ea commemorata, similitudo petenda. Quare si hanc, quam proposui, rationem iniisset, locum, opinor, non habuisset, quod *Seilerus in den Theolog. kritisch Betracht. neuer Schrift.* Vol. I, part. 2. 208. itemque alius quidam Vir doctus in Biblioth. Philol. Vol. I. p. 64. s. his maxime locis nixi, denuo ipsi opposuerunt, hac formula vtique tale in libris N. T. regnum describi, quod per religionem christianam his in terris inuisibili quadam ratione esset inchoatum, olim autem multo splendidius atque illustrius sit manifestandum.

pars ſpectetur, ſaltem ab interprete, qui definitam ſententiam habere cupiat, ſit cogitanda. Huius generis locus eſt Matth. XXI, 43. quem iam aliquoties alio conſilio vidimus. Si enim ibi regnum coelorum Iudaeis ablatum, aliisque gentibus conceſſum iri dicitur, facile adparet, id nunc potiſſimum de ſpe in hoc regnum olim perueniendi ac iure ad illud eſſe intelligendum, vt ipſe etiam *Koppius*[55]) hic interpretatus eſt. Contra Matth. XXIII, 13. dicitur de via et aditu ad illud regnum. Quod enim ibi dicitur, Phariſaeos clauſiſſe hominibus regnum hoc, id tum fiebat, cum iis aditum ad illud praecluderent eo, quod eius cognitione eos privarent, vt apparet ex Luc. XI, 52. Simili fere ratione Luc. X, 9. 11. indicat occaſionem ad hoc regnum accedendi. Hanc enim haud dubie intelligebant Apoſtoli, cum hominibus illis dicerent: ἤγγικεν ἐφ' ὑμᾶς ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ, i. e. propinqua vobis fuit occaſio ad illud coeleſte regnum perueniendi. In aliis denique locis dicitur etiam de doctrina de hoc regno, (λόγῳ τῆς βασιλείας, vt eſt Matth. XIII, 19.) Ex horum genere eſt Luc. XVIII, 29. Nam quod ibi dicitur: deſerere parentes atque cognatos ἕνεκεν τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ, id Marcus Cap. X, 29. exprimit ſic: ἕνεκεν ἐμοῦ καὶ τοῦ εὐαγγελίου, eoque aperte ſignificat de doctrina Chriſti nunc maxime eſſe cogitandum, idque ipſum etiam conuenit Matthaeo, (Cap. XIX, 29.) qui eius loco ponit: ἕνεκεν τοῦ ὀνόματός μου. Praeter hunc vero locum huc etiam pertinent ii, in quibus occurrit formula loquendi haec: δέχεσθαι τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, veluti Luc. XVIII, 17. et Marc. X, 15. Tum enim ſuſcipiebant homines regnum coelorum, cum doctrinam Chriſti amplectebantur, perque eam ius ad futurum illud regnum accipiebant.

Atque

55) l. l. p. 222. [p. 101. ed. 2.]

Atque ſic quidem, cum omnes fere [56]) Euangeliſtarum locos, in quibus formula illa: βασιλεία τῶν οὐρανῶν occurrit, attigerim, a quolibet attento eorum, quae ſcripſi, lectore ſatis arbitror intellectum fuiſſe, eam, quam §. X. conſtitui, eius notionem, iis omnibus praeclare conuenire, vt profecto, ſi libros ſacros audire velimus, regni a Chriſto inſtituendi initium poſt mortuorum demum in vitam reditum fore ſtatuendum ſit, ea vero, quae vel ipſe his in terris inſtituit, vel poſt mortem ſuam a diſcipulis fieri voluit, in praeparatione tantum ad illud futurum regnum ſint habenda.

§. XIII.

Quo tempore Chriſtus hoc regnum a ſe inauguratum iri docuerit.

Sed vt perfectam omnibusque numeris abſolutam eorum omnium, quae iſto tempore ad hoc dogma pertinuerunt, hiſtoriam pertexamus, opus etiam erit, vt quo tempore Chriſtus hoc regnum a ſe ſtabilitum iri, promiſerit, videamus. Hic autem primum hoc quaeri poterat, vtrum Chriſtus tum, cum iam inter homines verſabatur, an alio tempore regnum hoc eſſet inauguraturus. Atque hic quidem ſaepe coram diſcipulis ſuis profeſſus eſt, ſe prius ex eorum conſpectu eſſe abiturum, vbi ab hominibus ſuae aetatis reiectus, atque in vincula et

56) Conſulto enim eos omiſi, e quibus non adparet, quaenam huic formulae notio ſit ſubiicienda, cum in iis nihil occurrat, e quo certa ratione docere poſſis, eam ſic potiſſimum, vti velis, dici; qualis eſt Matth. VI, 10 vbi Chriſtus ſuos rogare iubet, vt mox veniat illud regnum, item Matth. XII, 28. in quo dicit, ex eo, quod daemonia eiiciat, intelligi poſſe, adeſſe iam regnum coelorum, quae ſententia ex Matth. XI. 5. illuſtrari poteſt, denique Matth. XIII, 11. in quo μυστήρια τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν haud dubie ſunt parabolae et occulti ſermones de regno illo coeleſti tales, quales hoc ipſo Capit. plures narrantur. In his enim locis plane non definitur, in quo ſit illud regnum coelorum, ſed nunc facile iudicari poterit, qualis et his locis notio ſit ſubiicienda.

et ad ipſam adeo mortem datus fuerit [57]) ſed poſt ſe eſſe rediturum, regnumque ſuum ſtabiliturum. Docet hoc inprimis Lucae locus Cap. XVII, 25. vbi diſcipulis ſuis declarat, antequam veniat ille dies, cuius modo mentionem iniecerat (v. 24.) prius ſibi multa eſſe perferenda. Qualis autem dies hic intelligendus ſit, apparet ex v. 30. vbi idem dicitur ἡμέρα ᾗ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου αποκαλύπτεται, i. e. ille dies, quo ſe hominibus rurſus conſpiciendum praebebit. Quorſum autem ille et abitus et reditus ſuus pertinere debeat, docet Io. XIV, 2. 3. vbi ſuos de hac ipſa re conſolaturus, ſe ideo abiturum eſſe dicit, vt locum iis apud patrem ſuum paret, ſed, vbi hoc factum fuerit, ſe rurſus eo conſilio eſſe rediturum, vt illos ad ſe recipiat. Hoc autem cum nemo dubitet, in regno Chriſti futurum eſſe, adparet hinc, hunc, quem dixi, reditum ſic eſſe intelligendum, vt ad huius ipſius regni inſtaurationem pertinere ſtatuatur. Sed, hoc cognito, de eo iam videndum erit, quonam tempore Chriſtus hunc reditum a ſuis expectari voluerit, vtrum eum mox inſtare, vel longiſſime adhuc remotum eſſe dixerit. Atque hic quidem ex loco hac in cauſa primario Matth. XXIV. coll. Marc. XIII. et Luc. XXI. perſpicue intelligi poſſe arbitror, Chriſtum eum cum excidio vrbis Hieroſolymitanae proxime coniunxiſſe. Quod vt ne leuitate aliqua ductus, quam a me alieniſſimam eſſe ſanctiſſime profiteor, aut nouitatis ſtudio abreptus ſtatuiſſe videar, ſed idoneis, vt mihi quidem videtur, argumentis perſuaſum me dixiſſe adpareat, ea, quae ſint, paucis exponam. Iam vero primum omnium inter omnes fere interpretes hodie conuenit, eum, qui v. 29. 30. commemoratur Chriſti aduentus ex eius quidem mente illis ipſis excidii Hieroſolymitani temporibus fuiſſe expectandum. Id enim non modo formulae illae poſtulant, quibus ea, quae de hoc ipſo aduentu di-

57) Cf. Matth. XVI. 21. XVII. 22. XX, 18. Marc. VIII, 31. IX, 31. X, 33. Luc. IX, 22. XVIII, 31.

dicuntur, iis, quae antecedunt, nectuntur v. 29.[58]) ſed luculentiſſime etiam docet diſerta Chriſti profeſſio, qua ταύτην τὴν γενεὰν, i. e. homines tum viuentes haec omnia cognituros eſſe declarat v. 34. Quare nunc quidem vnum hoc mihi erit demonſtrandum, in hoc ipſo, quem cum excidio Hieroſolymitano proxime coniungi vidimus, Chriſti aduentu, non alium, quam eundem, de quo ante dixi, eius ad regni ſui inaugurationem reditum eſſe intelligendum. Id autem duobus potiſſimum argumentis efficiam, quorum primum ex quaeſtione Chriſto a diſcipulis ſuis propoſita, quae huic omni ſermoni eius occaſionem praebuit, alterum ex ipſa loci ſerie erit depromtum. Primum igitur cum Ieſus diſcipulis ſuis ſignificaſſet, templum Hieroſolymitanum breui tempore funditus deſtructum iri, illi non poterant non per opiniones eas, quas tum inter Iudaeos de tempore regni Meſſiani receptas fuiſſe, ſuperiore parte oſtendimus, eo mox cogitando peruenire, vt tum et terram hanc immutandam, regnumque Chriſti, quem verum Meſſiam agnoſcebant, inſtaurandum fore crederent. Haec enim tria arctiſſime inter ſe coniuncta fore, inde a puero fuerant edocti. Hinc igitur fiebat, vt, cum tempus eius, de qua Chriſtus dixerat, rei ex illo ſciſcitari vellent, haec ipſa, quae poſui, coniungerent, eique hanc quaeſtionem proponerent: εἰπε ἡμῖν, πότε ταῦτα ἔσται; καὶ τί τὸ σημεῖον τῆς σῆς παρουσίας, καὶ τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος; in his autem verbis vt eos συντέλειαν τοῦ αἰῶνος, quam commemorant, de hac ipſa, quam dixi, terrae immutatione intellexiſſe, §. 3. ſatis iam a me fuit demonſtratum, ita nec aliam nunc Chriſti παρουσίαν cogitare potuerunt, niſi eam, qua ad illud, quod a Meſſia expectabatur, regnum in-

58) Εὐθέως μετὰ τὴν θλίψιν τῶν ἡμερῶν ἐκείνων, cum quo cf. quae ſunt in locis parallelis Marc. XIII, 24. et Luc. XXI, 25.

inſtaurandum eſſet aduenturus [59]). Haec autem ſi conceduntur, inde et hoc cogitur, nec Chriſtum, ſi in reſponſione ad quaeſtionem ſibi propoſitam quendam adventum ſuum commemoraret, alium videri ſignificare voluiſſe, quam quem diſcipulorum mentibus obuerſatum fuiſſe noſſet, ſi vel maxime aliud regnum cogitauerit, quam alii ſibi informaſſent. Atque ipſos Euangeliſtas hunc aduentum eius ad βασιλείαν retuliſſe, Lucae certe exemplo doceri poteſt, qui, vbi caeteri Euangeliſtae dicunt, Chriſtum aduenientem propinquum fore (Matth. v. 33. Marc. v. 29.) eius loco ponit, βασιλείαν Θεοῦ propinquam fore, v. 31. Atque hoc tam perſpicuum eſt, vt omnes fere interpretes concedant, aduentum hunc ad quandum βασιλείαν Χριστοῦ ſtabiliendam pertinere, et in ea tantum definienda a me diſſentiant. At vero, cum, vt ante vidimus, illa formula βασιλεία Θεοῦ ſemper ad futurum olim Meſſiae regnum referatur, quis eam et hic de eodem illo regno dici dubitet? Sed non opus eſt, vt haec nunc vrgeam, cum ipſa loci, qualis apud Matthaeum exhibetur, ſeries aperte declaret, Chriſtum hoc ipſum, quod dixi regnum nunc ſignificaſſe, quod alterum erat propoſitae rei argumentum. Age igitur, fingamus, nos plane ignorare, qualis Chriſti adventus nunc ſit cogitandus, videamusque, annon omnem loci ſeriem perſequendo, ex illo ipſo ea de re edoceri poſſimus. Poſtquam igitur Chriſtus v. 30. et 31. adventum quendam ſuum commemorauerat, v. 32. et 33. docet, ſi haec, quae v. 29. praedixerat, euenerint, cognoſci poſſe, illum proxime inſtare. His v. 34—36. addit, haec omnia hac ipſa hominum, qui tum viuebant, adhuc aetate eſſe euentura. Tum, vbi v. 37—41. mon-

59) Falluntur ergo egregie, qui eos παρουσίαν hanc de aduentu Chriſti ad excidium templi vrbisque Hieroſolymit., de quo modo dixerat συντέλειαν τοῦ αἰῶνος autem de fine oeconomiae Moſaicae intellexiſſe putant, cum ipſa hiſtoria duce doceri poſſit, eorum hanc, quam dixi, mentem eſſe debuiſſe.

monuerat, diem illum hominibus inopinato esse venturum, arripit inde a v. 42. vsque ad finem capit. occasionem sibi hac ipsa re oblatam, suos ad vigilantiam cohortandi, eademque in re pergit etiam Cap. XXV [60]), quod v. 13. facile quemque docere potest. Denique v. 14. ff. causam addit, cur huius diei nunquam obliuisci debeant sui, eamque in eo ponit, quod hoc die, prouti se gesserint, vel praemia vel poenas sint laturi, qui haud dubie est parabolae istius sensus. Atque cum sic discipulos suos monuisset, vt ad huius diei aduentum se praepararent, iam v. 31. sic pergit: ὅταν δὲ ἔλθῃ etc. quando autem Messias veniet, tum ea fient, quae sequuntur. Ea autem, vt nullus vmquam interpretum dubitauit, continent iudicii extremi regnique Messiani instaurationis descriptionem. At vero, nonne sic intelliximus, quemnam Christus aduentum in animo habuerit? Cum enim haec, quam descripsi, loci huius series tam plana sit, vt cuilibet, qui mente opinionibus praeiudicatis nondum obstricta ad eum perlegendum accesserit, sponte in oculos incurrere debeat, quis tandem statuat, alium hic aduentum describi, quam qui v. 30. capit. super. fuerat commemoratus, cum in vtroque loco eadem sit Messiae aduenientis descriptio, vt ἐν δόξῃ angelorumque comitatu stipatus venire dicatur, eaedemque descriptiones aliis etiam in locis occurrant, in quibus, nullo interpretum dubitante, de eodem eius ad vltimum iudicium aduentu dicitur, veluti 1 Thess. IV, 16. vt taceam eos locos, in quibus simili modo ad συντέλειαν τοῦ αἰῶνος regnique Messiae instaurationem angelorum praesentia refertur, quales sunt Matth. XIII, 41. 49. Sed hi ipsi loci nos etiam docere possunt, de quanam re tan-

60) Quae enim inde a v. 1. vsque ad v. 12. proponitur parabola, perspicue docet, quaenam eorum, quibus dies ille inopinantibus parumque praeparatis superuenerit, sors sit futura, vt adeo sponte adpareat, βασιλείαν Θεοῦ hic de ipsa regni huius instauratione dici.

tantae illae, quae v. 29. 30. deſcribuntur, coeli commotiones ſint intelligendae. Facile enim adparet, his verbis illam ipſam, quam Iudaei in regni Meſſiae inſtauratione expectabant, συντέλειαν τοῦ αἰῶνος deſcribi. Hanc autem explicationem mire confirmat locus ſimilis Apoc. VI, 12. ſſ. coll. v. 17. in quo eodem plane modo, verbisque, vt videtur ex noſtro loco maximam partem expreſſis [61]), tales rerum commotiones cum die Meſſiae, (qui idem eſt, quam aduentus eius,) coniunguntur. Illa enim ἡμέρα ὀργῆς, quae ibi v. 17. commemoratur, non tempus excidii Hieroſolymitani, ſed potius diem aliquem omnibus hominibus terribilem deſcribi, ex eo equidem intelligi poſſe arbitror, quod βασιλεῖς τῆς γῆς omninoque omnes et ſerui et liberi eius aduentu perterriti dicuntur. Quae omnia ſi cogitentur, profecto non videtur amplius dubitari poſſe, eum, quem dixi, Chriſti ad regni ſui inaugurationem aduentum hic ab eo ſignificari. Idque ipſum praeter argumenta iam allata v. 27. etiam confirmari videtur, in quo primum ἡ παρουσία τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου commemoratur. Ibi enim veri Meſſiae παρουσία fraudatorum illorum conatibus opponitur, quos Chriſtus v. 24. ſſ. ſub illa excidii Hieroſolymitani tempora ſe Meſſiam iactaturos dixerat. Hos autem dubitari non poteſt, quin Chriſtus hac ipſa Iudaeorum opinione, qua regnum Meſſiae vrbis ſuae interitum ſecuturum eſſe, ſibi perſuadebant, in rem ſuam abuſuros, ideoque Meſſiae tum perſonam mentituros eſſe putauerit. Quare cum horum mendaciis verum aduentum ſuum opponeret, eumque non occultum, ſed illuſtrem omnibusque conſpicuum fore [62]) diceret, non po-

61) Certe, quae v. 12. 13. ponuntur, pleraque cum iis, quae in noſtro loco ſunt, conueniunt.

62) Id enim ſimilitudine illa, quae v. 27. legitur, atque alibi etiam repetitur, v. c. Luc. XVII, 24. indicari, facile quemque intellecturum exiſtimo, qui huius et antecedentis verſus nexum paulo diligentius cogitauerit. Quod autem v. 28. additur prouerbium, id et ipſum de hac Chriſti παρουσία dici arbitror, hoc ſenſu: vbi

poterat alium nunc aduentum in mente habere, quam qui ad regni ſui inaugurationem pertineret.

§. XIV.

Continuatur.

Atque cum ſic ex iis, quae hactenus diſputauimus, ſatis intellectum fuiſſe opinemur, eam, quam propoſuimus, huius loci explicationem non modo hominum tum viuentium cogitandi opinandique rationi, ſed vniuerſi etiam loci contextui accommodatiſſimam eſſe, non opus eſſe videtur, vt, quas alii probarunt, h. l. interpretationes, ab eo alienas eſſe, vberius oſtendamus. Quod enim, (vt verbo ſaltem eas attingam, quae inprimis attentione aliqua dignae ſunt, tuleruntque plurimorum interpretum, qui ſemper in h. l. explicando mirum quantum diſſenſerunt, aſſenſum,) quod igitur eorum interpretationem attinet, qui παρουσίαν Chriſti hic deſcriptam de aduentu aliquo ad Iudaeos puniendos intelligunt, cuius ſententiae acerrimum ſe aliquot abhinc annis vindicem praebuit *Car. Fr. Bahrdtius*[63]), eam ſatis refelli arbitror eo, quod haec poena Iudaeis vrbis ſuae excidio infligenda in priore huius capit. parte ſatis iam deſcripta eſt, adeoque de ea in loco eo, qui a v. 29. incipit, non amplius ſermo eſſe poteſt, cum ille locus de alia haud dubie re, quam de qua ante dictum fuerat, exponat. Etenim v. 14. Chriſtus denunciauerat iam finem reipublicae Iudaicae, atque exercitum etiam in templo ſtantem commemorauerat, qui cum aderat, profecto etiam ipſum excidium iam inſtabat. Rem autem omnem, vt equidem arbitror, conficit locus parallelus Luc. XXI. vbi, antequam ea ponuntur, quae apud

opportunitas huius aduentus fuerit, ille etiam veniet. Haec enim haud dubie eſt vniuerſa, quae in hoc prouerbio latet, ſententia: vbi eſt occaſio alicuius rei, ibi etiam ſunt, qui ea vtantur.

63) In Diſſ. inaug. ad h. l. Erlang. 769.

Matthaeum ſunt v. 29. ſſ. diſerte dicitur v. 24. vrbem Hieroſolymitanam a gentibus tam diu iri calcatum, usque dum elapſa fuerint tempora iis a Deo deſtinata, i. e. vsque dum capta fuerit et penitus deſtructa [64]). Neque vero veriſimilior aut loci noſtri contextui convenientior eſt alia eius explicandi ratio, quam nuperrime inprimis ſtabilitum iuit *Lippoldus* [65]), eccleſ. Viteb. miniſter, quaque Chriſti ad regnum illud ſpirituale, quod per euangelii praeconium adierit, aduentus hic referri dicitur. Vt enim taceam, βασιλείαν Θεοῦ in libris quidem N. T. de illo ſpirituali regno, nunquam, vt ante vidimus, dici, huic interpretationi et hoc obſtare videtur, quod iam ante excidium Hieroſolymitanum euangelium per omnem terrarum orbem propagatum fore dicitur v. 14. Nam ὅλην τὴν οἰκουμένην, quae ibi commemoratur, non, vt multi interpretum volunt, de terra Iudaica, ſed vniuerſo potius terrarum orbe eo, quo tum dicebatur, ſenſu intelligendam eſſe, equidem inde perſpicuum eſſe arbitror, quod haec euangelii praedicatio εἰς μάρτυριον fore dicitur πᾶσι τοῖς ἔθνεσι.

Iam vero cum hoc, quem hactenus tractaui, loco ſatis, vt opinor, fuerit confirmatum, verum eſſe, quod ab initio poſui, Chriſtum regni ſui initium cum excidio Hieroſolymitano proxime coniunxiſſe, adeoque id hominum tum viuentium adhuc aetate expectari voluiſſe, ex eo nunc etiam iudicari poterunt alii, in quibus id ipſum, ſed breuius tantum, traditur. Talis eſt Matth. XVI, 28. coll. Marc. IX, 1. et Luc. IX, 27. Nam cum ibi Chriſtus dicitur ἔρχεσθαι ἐν τῇ βασιλείᾳ αὐτοῦ, id haud dubie hoc ſibi vult, eum venire ideo, vt

64) Noui quidem interpretes alios haec longe aliter explicaſſe. Sed haec interpretatio mihi quidem et facillima et contextui etiam loci convenientiſſima videbatur.

65) In libello caeteroquin non contemnendo: Interpretatio Sacrorum de Chriſto venturo oraculorum, Matth. X, 23. XXIV, 27. Io. XXI, 22. Dresd. 776.

vt regnum ſtabiliat, ſ. vt regnet [66]). Hinc enim eſt, quod Lucas pro iis, quae in Matth. ſunt: ἕως ἂν ἴδωσι τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἐρχόμενον ἐν τῇ βασιλείᾳ αὐτοῦ ponit haec: ἕως ἂν ἴδωσι τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ. Hoc autem Chriſti regnum nunc quoque de illo futuro et ſplendido eius regno intelligendum eſſe, cum loci ipſius contextus poſtulat, (dicitur enim de eiusmodi tempore, quo Chriſtus hominibus bene aut male facta remunerabitur,) tum nec v. 27. quenquam dubitare ſinit. Nam quod in v. 28. eſt: Meſſias ἔρχεται ἐν τῇ βασιλείᾳ αὐτοῦ, id v. 27. dicitur ſic: ἔρχεται ἐν τῇ δόξῃ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ μετὰ τῶν ἀγγέλων αὐτοῦ, [67]) quae, vt vidimus, ſolennis eſt Chriſti ad regnum ſuum venientis deſcriptio. Alius ex eodem genere locus eſt Matth. XXVI, 64. coll. Marc. XIV, 62. et Luc. XXII, 69. in quibus cum Chriſtus dicitur mox (ἀπ' ἄρτι, cuius loco apud Luc. eſt ἀπὸ τοῦ νῦν) coelum occupaturus, indeque in nubibus rediturus, id de quonam reditu ſit intelligendum, nemini, puto, obſcurum videbitur, qui Io. XIV, 3. et Act. I, 11. legerit.

§. XV.

Iudicium aliquod ea de re additur.

Cum vero huic, quam dedi, horum locorum explicationi euentus ipſe non reſponderit, adeoque, cum eam probauerim, verendum ſit, ne multis leuitatem quandam, aut, ſi lenius iudicauerint, imprudentiam ſaltem prodidiſſe videar, laudabo primum Viros quosdam doctos, qui eandem, quam ipſe propoſui, interpretandi rationem ſunt ſecuti, vt adpareat, me non pri-

66) Vt adeo ἐν τῇ βασιλείᾳ poſitum ſit, pro: εἰς τὴν βασιλείαν, cuius generis loquendi ſimile exemplum eſſe Luc. XXIII, 42. monuit iam ad h. l. *Wolfius.*

67) Atque hinc luculentiſſime intelligitur, in vtroque verſu de eadem re eſſe ſermonem. Quare miror *Moſchium in Bibelſr.* Vol. II. p. 387. ſſ. v. 27. interpretatum de aduentu ad iudicium extremum, v. 28. autem de aduentu ad excidium Hieroſolymitanum.

primum esse, qui talem interpretationem fuerit amplexus. Ex his autem primo loco nominandus videtur *Herderus*, qui in libro laudatissimo: Μαραν Αθα, *das Buch von der Zukunft des Herrn* (Rigae, 1779.) p. 293 ff. eandem interpretationem cum grauissima asseveratione defendit, argumentisque perquam idoneis [68]) confirmauit. Praeter hunc eam probarunt etiam *Hessius* [69]) atque *Sixtus* [70]). Neque longe ab hac ipsa explicatione abfuisse etiam videtur *Langius*, si quae infra posui verba eius [71]) cogitentur. Etsi vero hi omnes in eo inter se consentiunt, quod duo haec euenta arctissime nunc a Iesu nexa fuisse putant, in modo tamen et ratione huius nexus definienda eosdem inter se dissentire videas. *Herderus* enim l. l. p. 300. [p. 429.] putat, illis formulis εὐθέως atque ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις Christum significare voluisse, post excidium Hierosolymitanum alterum aduentum suum quouis temporis momento esse expectandum, ideoque eum vtrumque hunc aduentum ita descripsisse, ac si vno eodemque tem-

68) Neque tamen in horum numerum illud retulerim, quo p. 295. vsus est, quodque his verbis proposuit: *Soll Christi letztes Wort, das er als Pfand der Treue den Seinen auf Erden nachliess, keine Wasserblase seyn: wahrlich so muss es auch nicht als* metaphorischer Dunst *angesehen und gedeutet werden: oder wir ehren das Wort und die Person Iesu schlecht.* [Insertus est hic liber omnium theologicorum scriptorum *Herderi* collectioni, quae Tubingae prodiit, 1807. vol. VII, in quo loca ab auctore laudata leguntur p. 419. et 424.]

69) *In der Geschichte Iesu* Vol. II. p. 175. ff. [ed. 7, p. 282. ff.] Idem repetiit etiam *in der Geschicte und Schriften der Apostel Iesu*, locis plurib.

70) In libell. laudat. p. 20. f.

71) Extant illa *in den Exegetischen Versuchen*, Part. V, pag. 165. suntque haec: *Indess scheinet es freilich, als ob Iesus mit Fleiss etwas zweideutig (man verzeihe mir diesen etwas harten Ausdruck) davon* (nimirum de aduentu suo ad excidium Hierosolym. iudiciumque extremum,) *geredet habe, vielleicht weil die Jünger keine deutliche Erklärung davon tragen konnten. Ich wundere mich daher auch nicht, dass die Apostel in allen Briefen so schrieben, als ob das Ende der Welt nahe sey.* His per-

tempore essent euenturi. Enimuero haec, vt iis satisfaciant, qui minus viuido, quam in illo viro esse, scripta eius omnia testantur, ingenio gaudeant, verumque subtilius quaerant, vehementer vereor. *Hessius* autem atque *Sixtus* statuunt, Christum ex more illius aetatis de his duobus euentis simul quidem atque coniunctim loquutum fuisse, vt se ad hominum illorum captum accommodaret, sed quanto ea temporis interuallo disiuncta sint futura, plane non definiuisse, nec definire etiam voluisse. At enim quo iure hoc dici possit, equidem non video. Si enim discipuli Christi haec duo opinione sua coniunxerunt, vtique debuisset eos de isto errore monere, si eum ab iis seruari noluisset. Iam vero cum, vt ante vidimus, duo haec euenta arctissime inter se necteret, non poterant profecto verba eius aliter, quam sic, intelligere, vt et ipsum statuere crederent, duo illa vno eodemque tempore esse euentura. Quare maneo equidem in illo, quod iam aliquoties dixi, Christum vtique docuisse, regni sui instaurationem excidium vrbis Hierosolym. proxime esse secuturam. Si vero tum quaeratur, qui tandem fieri potuerit, vt suis aliquid promitteret, cui ipse tamen euentus minime constiterit, illud cum *Koppio* l. l. p. 219. [ed. 2, p. 100.] teneo, quod Marc. XIII, 32. diserte de se profitetur, se tempus illius rei non accuratius nosse. Atque hac quidem tam

---

quam similia sunt, quae nuperrime hac de re scripsit *Doederlein* in Bibl. theol. part. 8. p. 628. *Zwar scheint unser Heiland in Ansehung seiner Zukunft etwas dunkel zu sprechen, weil es unter die Sachen gehörte, die seine Jünger noch nicht tragen konnten. Doch unterscheidet er genugsam seine Zukunft zum Gericht über die Juden von der letztern zum Weltgericht.* (Hoc me non videre, ingenue fateor.) *Jene solle während der gegenwärtigen Generation erfolgen, von dieser, sagte er, weiss die Stunde niemand als mein Vater.* (At haec de vna eademque παρουσία dicuntur.) *Bei jener wird eine schnelle Flucht angerathen, bei dieser das Endurtheil gesprochen. Die Verbindung, in der er das sagte, mochte wohl manche Jünger glaubend machen, als ob nach der Zerstörung Jerusalems bald das Ende der Welt erfolgen würde. Hieraus scheint die Vorstellung der Apostel entstanden zu seyn, dass der Tag des Herrn nahe sey.*

tam perſpicua profeſſione fidei ſuae ita conſuluit, vt illa nullo vnquam modo labefactari poſſit. Neque vero in hac cauſa illud negligendum eſt, quod perquam vtile atque adeo propemodum neceſſarium fuerit, vt homines illius aetatis eam, quam ſemel imbibiſſent, opinionem ſeruarent. Vt enim nihil dicam de Iudaeis, quibus ſi errorem hunc eximere voluiſſet Chriſtus, aut nihil plane apud eos fuiſſet effecturus, aut, ſi vel maxime id fieri potuiſſet, operam certe in re poſiturus tanto labore parum digna neque cum primario illo, quod in ſe curandum ſuſceperat, negotio, (cultus diuini puto eiusmodi commendationem, qui ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ fieret,) magnopere coniuncta, ipſis etiam Chriſtianis eandem opinionem plurimum vtilitatis attuliſſe, dubitari nullo modo poteſt. Etenim, vt hoc vnum commemorem, eos hac ipſa proximi Chriſti reditus expectatione in tantis illis, quas tum experti ſunt, vexationibus ad quaeuis mala perferenda, mirum quantum fuiſſe excitatos, vel hoc docere poterit, quod, vt in ſequenti parte videbimus, Apoſtoli ſaepe ex hac ipſa re argumentum petiiſſe reperiuntur, quo ſuos ad conſtantiam in religione ſuſcepta omnisque generis incommodorum tolerantiam cohortarentur. Sed haec hac de re ſcripſiſſe ſufficiat.

§. XVI.

Illuſtrantur loci ii, in quibus Chriſtus ἐλευσόμενος dicitur.

Cum igitur perſpicuis, vt equidem puto, argumentis hactenus euicerim, Chriſtum illuſtrem ſuum ad regni a ſe ſtabiliendi inaugurationem reditum poſt excidii Hieroſolymitani tempora proxime a ſuis expectari voluiſſe, facilis nunc erit loci Luc. XVIII, 7. 8. intellectus. Quod enim ibi dicitur, Deum ſuos (ἐκλεκτοὺς) mox (ἐν τάχει) ab iniuriis aduerſariorum eſſe vlturum, in eo qualis vltio ſit cogitanda facile inde iudicari poteſt, quod ea mox cum Chriſti aduentu iungitur. In eo enim

enim christianos ab omnibus malis liberatum iri, non modo Christus ipse diserte professus est Luc. XXI, 28. sed Apostoli etiam pluribus in locis tradunt. Quare vt hinc facile intelligitur, nec hic alium Christi aduentum esse fingendum, ita nec hoc nunc mirum videri poterit, quod si hanc explicationem sequamur, ille aduentus mox futurus esse dicitur [72]). Neque vero alius Christi aduentus cogitandus erit in iis etiam locis, in quibus simpliciter venturus esse dicitur, nulla addita temporis, quo id fiet, mentione; quod ipsum plerumque etiam cuiusque loci contextu confirmatur. Sic cum Luc. XII, 40. de tempore eo dicitur, quo filius hominis veniet, facile docet cum ea, quae ante hunc locum legitur, tum etiam, quae post sequitur, parabola de eiusmodi nunc aduentu dici, qui et ad remuneranda recte facta, et ad male facta punienda pertinere debeat. Hoc autem cum ex locis, quos supra vidimus, tum futurum esse sciamus, cum regnum illud coeleste a Christo stabilietur, dubium nemini esse poterit, et hic aduentum eius ad idem illud regnum describi. Simili fere ratione iudicandum etiam erit de loco Io. XXI., 22. 23. in quo cum Christus de Ioanne haec dicit Petro: ἐὰν αὐτὸν θέλω μένειν ἕως ἔρχομαι, τί πρός σε; illud ἕως ἔρχομαι de eodem illo aduentu eius ad futurum olim regnum suum explicandum esse, inde perspicuum esse puto, quod homines per hunc ipsum sermonem in eam opinionem peruenisse dicuntur, vt Ioannem nunquam moriturum esse putarent. Id enim vtique necessarium fuisset, si vsque ad illud tempus vitam producere debuisset. Quod autem homines illi fieri posse putarunt, vt Ioannes tempus illud vita attingeret, id nobis non potest mirum videri, qui illos

72) In illis autem verbis, quae post sequuntur: ἆρα εὑρήσει ὁ υἱος τοῦ ἀνθρώπου τὴν πίστιν ἐπὶ τῆς γῆς, equidem πίστιν illam ad priora referendam atque de illa hominum fiducia intelligendam esse arbitror, qua se, Deo auxiliante, certo ab aliorum iniuriis liberatum iri sperant, vt sensus hic sit: si venerit Messias, num illam, quam dixi, fiduciam in hominibus reperiet?

illos tempus illud proximum credidiſſe ſciamus, Chriſtumque ipſum viderimus diſerte profeſſum fuiſſe, quosdam hominum tum viuentium illo tempore in vita adhuc ſuperſtites eſſe futuros.

§. XVII.

Idem fit locis iis, in quibus regnum coelorum iam veniſſe dicitur.

Eodem vero modo nunc iudicari etiam poterit de duobus aliis locis, in quibus Chriſtus profitetur, regnum coelorum illo iam tempore, quo ipſe inter homines verſabatur, veniſſe. Niſi enim hos cum iis aperte pugnare velimus, in quibus, vt hactenus vidimus, regnum Chriſti cum eius demum ex coelo reditu, qui poſt excidium Hieroſolym. futurus eſſe dicebatur, initium habiturum eſſe perſpicue traditur, neceſſario concedere debebimus, eos ſic eſſe intelligendos, vt in illis Chriſti iam in has terras aduentu huius regni aliquod quaſi initium factum eſſe dicatur. Atque ſic quidem explicandum eſſe, quod Chriſtus Luc. XVII, 21. Phariſaeis dicit, ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ ἐντὸς ὑμῶν ἐστι, ipſo etiam illius loci contextu confirmari videtur. Cum enim illi ex eo quaeſiuiſſent, quonam tandem tempore regnum Meſſiae eſſet appariturum, isque eos in illo regno multum apparatus in oculos incurrentis cogitare noſſet, reſponderat iis, regnum illud non eſſe venturum μετὰ παρατηρήσεως, i. e. vt ſupra docuimus, modo adſpectabili, vt, quod ſtatim additur, dicere poſſis ἰδοὺ ὧδε, ἰδοὺ ἐκεῖ. Cuius rei vt fidem faceret iis, ſic pergit: ecce enim iam adeſt illud regnum inter vos, adeoque non venit cum inſigni aliqua pompa, talem enim non vidiſtis. Qui ſi verus eſt, vt opinor, huius loci nexus, facile intelligitur, illud ἐντὸς ὑμῶν nunc vtique, praeeuntibus multis interpretum vertendum eſſe: *inter vos*, non autem, vt vult *Tellerus* [73]) ad animum referendum.

De

73) In Gloſſ. N. T. p. 335. edit. tert. vbi confert cum Rom. XIV, 17. Sed de h. l. dicetur a nobis Part. tertia.

De hoc enim nec Pharifaei ifti hoc intelligere potuerunt. nec contextus etiam intelligi permittit. Neque minus perfpicuum et illud effe arbitror, βασιλείαν Θεοῦ in hac fententia non ipfum, quod olim ſtabilietur, Meffiae regnum indicare, fed potius de eo tempore dici, quo homines ad illud tantum praeparabantur, adeoque hunc etiam locum ad eam claffem effe referendum, de qua §. XII. diximus. Simillimum prorfus iudicium ferendum etiam erit de loco Matth. XII, 28. coll. Luc. XI, 20. vt, cum et ibi dicatur, regnum coelorum iam veniffe, id eo, quo dixi, modo fit intelligendum.

§. XVIII.

Quid fibi velint ἡ ἐκείνη ἡμέρα et ἡ ἔσχατη ἡμέρα docetur.

Reftant adhuc aliae quaedam formulae, quae in Euangeliftarum libris hac in re occurrunt, paucis illuftrandae. Talis eft, cum κατ' ἐξοχὴν dies quidam commemoratur, quod fit Matth. VII, 22. Luc. X, 12. Hunc enim cum illa βασιλείᾳ Θεοῦ, de qua nunc dicimus, arctiffime effe coniunctum, deque illo tempore intelligendum, quo illud ipfum regnum olim inaugurabitur, nemo dubitabit, qui loca illa vel obiter infpexerit. Idem vero dies cogitandus etiam erit in locis iis, in quibus ἡ ἔσχατη ἡμέρα commemoratur. Quod facile docet illud, quod Chriftus faepe dicit, illo die, fe fuos in vitam effe reuocaturum, vt aeterna poſthac felicitate fruantur, cf. Io. VI, 39. 40. 44. 54. Hoc autem aliis in locis eum tum facturum dici vidimus, cum regni fui inaugurandi caufa de coelo redierit. Sed et hanc formulam a Iudaeis petitam interque eos de eodem refurrectionis tempore dici folitam fuiffe, ex Io. XI, 24. intelligitur, vbi Martha fimili modo mortuorum in vitam reditum illo die futurum effe dicit. Cum autem haec ex Iudaeis orta fuerit, non videtur dubitari poffe, quin talem nunc mortuorum refurrectionem cogitauerit, qualem Iudaeos Meffiae temporibus expectaffe, fuperiori

Parte

parte docuimus. Quod autem hunc diem vltimum dixerunt, id haud dubie inde factum, quod, vt ibidem demonſtravimus, tum terrae quandam immutationem, adeoque praeſentis etiam eius conditionis finem futurum eſſe opinabantur.

§. XIX.

Locus Matth. XIX, 28. explicatur.

Supereſt denique παλιγγενεσία illa Matth. XIX, 28. commemorata, quae cum et ipſa in varias interpretes ſententias diſtraxerit, ex hac quam nunc tractamus, cauſa optime illuſtrari poſſe videtur. Neque enim dubito, et hanc παλιγγενεσίαν, quae, vt dudum docuerunt interpretes, vi vocis indicat magnam aliquam rerum commutationem, de illo tempore interpretari, quo regnum Meſſiae illuſtri quodam modo olim ſtabilietur. Id enim non modo opinioni Iudaeorum conuenit, qui, vt modo diximus, Meſſia adueniente terram hanc aliquo modo innouatum iri putabant, ſed ipſe etiam loci noſtri contextus poſtulat. Primum enim haec παλιγγενεσία hic perſpicue iungitur cum iudicio quodam Chriſti et Apoſtolorum. Iam vero non modo Chriſtus pluribus locis tum demum vt iudex ſeſſurus dicitur, cum ad regnum ſuum inaugurandum venerit, v. c. Matth. XXV, 31. ſed illud etiam, quod Apoſtolis hic tribuitur, iudicium in loco parallello Luc. XXII, 29. 30. diſerte ad βασιλείαν refertur, quam Chriſtus iis promiſerat. Hanc vero cum ſupra (§. XI.) docuerimus, ibi neceſſario de futuro poſt mortuorum demum reſurrectionem Meſſiae regno intelligi debere, dubitari nullo modo poterit, et hanc, quae nunc dicitur, παλιγγενεσίαν ad idem tempus eſſe referendam. Deinde vero ex ſequenti etiam verſ. praeſertim ſi cum Marc. X, 29. conferatur, luculenter intelligitur, de eiusmodi nunc praemio ſermonem eſſe, quod in altera potiſſimum vita locum ſit habiturum. Quomodo autem illud in duodecim tribus Iſraëliticas iudi-

iudicium, quod Apoſtolis hic tribuitur, nobis intelligendum videatur, de eo in parte ſequenti quaedam monendi locus erit tum, cum de locis I, Cor. VI, 2. 3. et Apoc. XX, 4. dicemus.

SECTIO II.

Hominum Chriſto aequalium eiusque diſcipulorum de regno eius ſententiam enarrans.

§. XX.

Quale homines iſti a Chriſto regnum expectauerint.

Iam vero cum, quae Chriſtus de regno ſuo ipſo tradiderit, ſatis copioſe expoſuerimus, nunc illud etiam in hac altera ſectione erit quaerendum, fueritne per hanc eius inſtitutionem ea, quae illo naſcente inter Iudaeos de regno Meſſiae obtinebat, ſententia, aliquo modo immutata, nec ne? De quo vt iudicare poſſimus, age colligamus loca ea, e quibus de hominum eorum, qui eum docentem audierunt, maximeque diſcipulorum eius hac de re ſententia tutiſſime coniicere licet, quidque in illis tradatur, videamus. Ac primum quidem Iudaeos caeteros, qui non erant in diſcipulorum eius numero, etiamnum iſtam vulgarem de rege humano more imperante opinionem ſeruaſſe, patet ex loco Io. VI, 14. Ibi enim cum Iudaei Ieſum propter inſigne illud miraculum in quinque millibus hominum cibo ſatiandis editum Meſſiam declaraſſent, ille metuiſſe dicitur, ne regem ſe creatum venirent. Vnde luce clarius intelligitur, in hominum illorum de Meſſia opinione et illud fuiſſe, vt regem illum fore ſperarent. Neque tamen hoc vno illorum de Meſſia notio abſoluebatur, ſed, vt ex eodem hoc loco intelligi poteſt, eundem etiam prophetam futurum eſſe ſtatuebant. Sic enim de Ieſu iudicaſſe narrantur: ὅτι οὗτός ἐστιν ἀληθῶς ὁ προφήτης ὁ ἐρχόμενος εἰς τὸν κόσμον. Eandem vero, quam Iudaeos hos, ipſos etiam

etiam Chriſti diſcipulos de Meſſia opinionem fouiſſe, cum loca illa indicare videntur, in quibus frequentes de dignitate rixae inter eos fuiſſe dicuntur, tum planiſſime docet locus Matth. XX, 21. Etenim ſi vel maxime ex illa formula loquendi, καθίζειν ἐκ δεξιῶν καὶ ἐξ εὐωνύμων, quae in iſto loco occurrit, id, ſi per ſe ſola ſpectetur, effici non poſſit, diſcipulos tamen Chriſti eos, de quibus nunc dicitur [74]), humano more illam intellexiſſe, nos dubitare plane non finit v. 25. et 26. vbi negat Chriſtus, eos regum humanorum more eſſe regnaturos. Qua quidem admonitione profecto non opus fuiſſet, niſi et illos tale quid expectaſſe ſciuiſſet. Eadem vero res facili etiam coniectura ex Luc. XIX, 11. intelligi poſſe videtur. Ibi enim vt diſcipulos Chriſti diſerte ſtatuiſſe traditur, regnum coeleſte mox eſſe appariturum, ita cum hac opinione proxime iungitur illud, Chriſtum Hieroſolyma nunc petiiſſe. Vnde profecto veroſimillimum fieri arbitror, eos hoc ipſum regnum in vrbe Hieroſolymit. ſtabilitum iri, ſibi perſuaſiſſe, adeoque in eo humanum aliquod regnum cogitaſſe. Quare miror, *Cruſium* [75]) ex hoc ipſo loco docere voluiſſe, alium quam quem dixi, fuiſſe diſcipulorum errorem. Si enim nunc non de regno, quod proprie dicitur, ſed alio quodam cogitarunt, profecto non video, quid nunc ad rem fecerit illud, Chriſtum Hieroſolyma fuiſſe profectum [76]).

§. XXI.

---

74) Cf. Marc. X, 35. vbi, quod in Matthaeo matri horum diſcipulorum tribuitur, illi ipſi dixiſſe narrantur.

75) In Progr. II. de errore primorum et imbecillium Chriſti diſcipulorum, etc. p. 19.

76) Illa autem, quam Chriſtus hic ſubiungit, narratione notio τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ ſupra a nobis conſtituta, praeclare confirmatur. Perſpicue enim hic regnum illud vt futurum adhuc deſcribitur, atque tum demum ſtabiliendum, cum Chriſtus ex illa χώρᾳ μακρᾷ, in quam ſe nunc abire dicebat, rediiſſet. Cum quo etiam convenit illud, quod tum eos, qui bonis ſibi conceſſis bene vſi fuerint, praemiis, contra, qui male, vna cum ſui contemtoribus

§. XXI.

Illuſtrantur alii quidam loci.

Cum igitur ex his locis certum atque perſpicuum ſit, et ipſos Chriſti diſcipulos et vero etiam caeteros homines, qui Meſſiam illum agnoſcebant, eum proprio ſenſu regem fore credidiſſe, facile nunc iudicari poterit, quid Nathanaël ille cogitauerit, cum Ieſu diceret: (Io. I, 50.) σὺ εἶ ὁ βασιλεὺς τοῦ Ισραήλ. Neque magis nunc difficile iudicium de illis etiam verbis erit, quibus ciues Hieroſolymitani Ieſum vrbem eorum intrantem laetabundi excipiebant: εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος βασιλεὺς ἐν ὀνόματι Κυρίου, Luc. XIX, 38. coll. Marc. XI, 10. Io. XII, 13. Neque enim cuiquam dubium eſſe poterit, Chriſtum et hic regem dici eodem ſenſu, quo tum omnes accepiſſe vidimus. Hunc autem cum populum Iſraëliticum liberaturum eſſe ſperarent, vt eſt Luc. XXIV, 21. facile nunc intelligetur, iſtam liberationem non alio referri potuiſſe, quam ad hoſtes aduerſariosque huius populi debellandos. Praeter hanc enim nemo facile aliam ab humano rege expectet.

§. XXII.

Quando Chriſtum regnum ſuum ſtabiliturum putauerint.

Si vero porro de eo quaeratur, quando illud regnum a Ieſu inauguratum iri putauerint, dubitari nullo modo poterit, quin id proxime futurum ſperauerint, tempusque eius rei peragendae cupidiſſime expectauerint. Hinc enim fiebat, vt cum eundem illum, quem tum ſequebantur, Ieſum a primariis gentis ſuae viris peſſime habitum et ad mortem adeo traditum iri audirent, id ſibi perſuaderi adeo non paterentur, vt ea potius re magnopere

---

atque rebellibus poenis affectum iri tradit. Id ipſum enim alibi etiam in reditu eius euenturum eſſe dicitur, vt Matth. XXV, 14. ſſ. vbi de tempore iudicii in regni eius inauguratione exercendi ſermonem eſſe, ſupra a nobis fuit demonſtratum.

pere offenſi deprehenderentur [77]). Illuſtre huius rei exemplum praebet Petrus, (Matth. XVI, 22.) cui cum Ieſus illo ipſo tempore, quo Meſſiam illum declarauerat, (v. 16.) de hac inſtante morte ſua dixiſſet, ea res tam indigna videbatur, vt omnem huius rei cogitationem ex animo eius depellere ſtuderet, ideoque grauiſſimam etiam apud illum reprehenſionem incurreret. Huius autem obiurgationis etſi reliquos etiam Chriſti diſcipulos, qui eandem audierant, ſemper memores futuros fuiſſe, credibile videri poterat, mox tamen eius adeo obliti fuiſſe reperiuntur, vt illo ipſo tempore, quo de hac re denuo dixerat Chriſtus, eandem tamen de regno per illum ſtabiliendo ſententiam prodere non dubitarent, vt docet locus Matth. XX, 21. ſſ. de quo modo (§. XX.) dicebamus [78]). Quare nec mirum nobis videri debet, quod, vt ibidem ex Luc. XIX, 11. vidimus, Chriſto vltima iam vice Hieroſolyma petente, eandem adhuc opinionem tenerent, regnique eius initium in hac ipſa vrbe mox futurum eſſe ſperarent. Neque vero cum paulo poſt omnia alia euenire, mortisque Chriſto ſubeundae denunciationem ipſa re confirmari viderent, mirari ea de re definebant, ſed ſe iſta morte ſummopere perturbatos fuiſſe declarabant. Docet hoc exemplum diſcipulorum Emmauntem proficiſcentium, de quo Luc. XXIV, 13. ſſ. refertur. Nam et hos morte potiſſimum eius, quem Meſſiam fore ſperauerant [79]), offenſos fuiſſe, facile inde adparet, quod id ipſum Chriſtus iis ſcripturarum

---

77) Neque id quisquam mirabitur, qui, quantum Iudaei iſta, quam dixi, opinione imbuti, tali Chriſti morte perturbari debuerint, vel ipſe cogitauerit, vel ea legerit, quae ſuper ea re ſcripſit *Heſſius* in libro: *Von dem Reiche Gottes.* Vol. II. p. 195 omninoque integra illa Sect. XIII.

78) Et hoc qui factum fuerit, vt in tam perſpicua mortis Chriſto imminentis denunciatione tamen ſibi iſtam opinionem eripi non paterentur, rurſus bene docuit idem *Heſſius in der Geſchichte Ieſu.* Vol. II. p. 104. ſ. [ed. 7, p. 188.]

79) Id enim dicitur verbis illis: *ἠλπίζομεν, ὅτι αὐτός ἐστιν ὁ μέλλων λυτροῦσθαι τὸν Ἰσραήλ.*

rarum ſacrarum auctoritate confirmaſſe dicitur, (v. 26.) mortem Meſſiae omnino fuiſſe ſubeundam. Quae cum ita ſint, multo magis erit, quod latronis illius vna cum Chriſto e cruce pendentis de regno Meſſiae perſuaſio in admirationem nos coniiciat, cum a reliquorum Iudaeorum ipſorumque Chriſti diſcipulorum opinione magnopere ſit diuerſa. Non modo enim Chriſtum cruci iam affixum Meſſiam agnoſcebat, ſed vel tum, ſi morti ille ſuccumberet, fieri poſſe ſibi perſuadebat, vt nihilominus olim regnaret. Id enim perſpicue declarant preces illae, quibus Ieſum morti iam proximum compellabat: μνήσθητί μου, Κύριε, ὅταν ἔλθῃς ἐν τῇ βασιλείᾳ σου, Luc. XXIII, 42. Quomodo autem ille haec verba intellexerit, id vtique nunc paulo vberius quaerendum videtur. Ac vt de eo incipiam, quodnam ille regnum cogitaſſe videatur, equidem non video, cur aliam, quam caeteris Iudaeis, de eo opinionem illi fuiſſe putemus, cum et ipſe Iudaeus fuerit, adeoque haud dubie iisdem etiam inde a puero opinionibus innutritus. Neque vero quicquam de illo regno ſignificauit, quod illorum opinioni non conueniret, cum hoc vnum ex eius verbis intelligi poſſit, eum feliciſſimi alicuius ſtatus notionem ſibi de iſto regno informaſſe. Quod autem Ieſum rogabat, vt in regno illo inaugurando ſui memor eſſet, id equidem arbitror ſic intelligendum eſſe. Sciebat, ſe hominem ſceleſtum fuiſſe, hosque poſt mortem in gehennam detruſum iri edoctus fuerat. Hinc facile iudicare poterat, ſibi nullam in regno Meſſiae partem fore, cum Iudaei, vt part. ſuper. vidimus, pios tantum in vitam reuocatum huiusque regni felicitatis participes redditum iri crederent. Quod vt et ſibi contingeret, cum vehementer optaret, rogabat iam Ieſum, vt, cum ad regnum ſuum olim eſſet acceſſurus, ſui quoque memor eſſet, ſeque vitae reſtitutum eius felicitate frui iuberet.

beret [80]). Cum autem Chriſtus illi confirmaret, eum eodem adhuc die ſecum in Paradiſo fore, hoc ipſi ſignificare voluiſſe videtur, eum in locum piorum poſt mortem eſſe perventurum. Conſtat enim Iudaeis Paradiſum ſ. Gan Eden illum locum fuiſſe [81]), in quo piorum animas poſt mortem verſari crederent, vsque dum in ſeculum futurum olim reciperentur. In hoc autem ſi homo iſte ſe poſt mortem futurum noſſet, ſperare etiam poterat, ſe ad regnum Meſſiae aliquando iri admiſſum. Vnde facile cognoſci poteſt, quomodo haec Chriſti reſponſio eius deſiderio ſatisfecerit. Sed vt ad Chriſti diſcipulos redeamus, eos poſt eius in vitam reditum denuo videmus, de proxime inſtante regno eius ſpem aliquam concepiſſe. Hinc enim eſt, quod poſtquam Ieſus denuo cum illis verſari coeperat, iisque ad eandem, qua in diſcipulis Emmauntem abeuntibus fecerat, rationem perſuaſerat, mortem ſibi neceſſario fuiſſe ſubeundam, ex illo tum, cum Hieroſolymis eos manere iuſſiſſet, quaerebant: (Act. I, 6.) Κύριε, εἰ ἐν τῷ χρόνῳ τούτῳ ἀποκαθιστάνεις τὴν βασιλείαν τῷ Ἰσραήλ; i. e. an nunc, Domine, priſtinum regno Iſraëlitico ſplendorem reſtitues? Quod cum quaererent, facile adparet, eos eandem adhuc, quam ante eius mortem habuerant, de regno illius opinionem tenuiſſe, id quod agnouit iam ad h. l. Chryſoſtomus. Verum cum mox Ieſum ex ipſorum conſpectu in coelum auferri vidiſſent, eumque alio demum tempore inde rediturum audiuiſſent, non modo illam tam propinqui regni ſpem abiicere cogebantur, ſed de ipſa etiam eius indole paulo aliter ſtatuere diſcebant. Sed de his in ſequenti parte vberius dicemus.

EPILO-

---

80) Atque talis etiam videtur *Oetteri* explicatio fuiſſe, de qua refert *Langius in den exegetiſchen Verſuchen* Part. V. p. 175.

81) Docuit hoc multis illorum teſtimoniis *Wetſtenius* ad h. l. cf. etiam *Roſenmüllerii* Scholia ad h. l.

EPILOGVS.

Sic igitur, cum et ſecundam propoſiti argumenti partem ſatis, vt videtur, fuerim perſecutus, ad tertiam nunc eſſet progrediendum. Verum cum hae, in quibus enarrandis hactenus verſatus ſum, huius hiſtoriae partes tantum jam praeter opinionem huius libelli ſpatium impleuerint, vt academicae ſcriptionis fines fere iam transgreſſus ſit, tertiae partis tractationem nunc prorſus omittendam eſſe video. Sed ſi tale lectorum de hoc qualicunque libello iudicium expertus fuero, vt operae huic rei impenſae poenitere me non poſſit, alio, ſi Deo viſum fuerit, tempore, quod ſemel ingreſſus ſum, iter conficere ſtudebo, ſin tale non fuiſſe intellexero, habebo vel tum, quod in medio curſu me ſubſtitiſſe laeter.

APPENDIX

NOTARVM ET ADDITAMENTORVM AD COMMENTATIONEM PRAECEDENTEM.

Exegetica academicarum b. Keilii diſſertationum parte prorſus in corpus redacta et typis jam exſcripta, felici aliquo ſato, vbi nemo opinari potuerat, repertae fuerunt notae et additamenta haud pauca, ab ipſo auctore vario tempore commentationi de regno Meſſiae adjecta atque emendatiori, quam per aliquod tempus meditatus fuerat, illius editioni haud dubie deſtinata, quae quum omnino viderentur non minus ad b. auctoris laudem tuendam quam ad lectorum vtilitatem adjuuandam haud parum factura, noſtrum duximus, illorum etiam his copiam facere eo modo et loco, quo ſolo fieri potuit, rati, moleſtiae ipſis creatae culpam tolerabiliorem futuram, quam negligentiae vix excuſandae ſuſpicionem.

In his autem notis quum vix vno loco eorum aliqua ratio habita ſit, quae recentiori tempore a magni nominis theologis, *Storrium* dico, *Noeſſeltum, Bauerum, Schottum* et *de Wette*, auctoris de regno Meſſiano ſententiae oppoſita fuerunt, neque alienum a totius ſylloges conſilio, neque moleſtum lectoribus fore viſum eſt, eorum etiam epitomen aliquam addere, quae ad defendendam aduerſus illorum virorum dubitationes ſuam N. T. locorum interpretationem propoſuit, ut ipſi lectores judicare poſſint, quomodo in ea vel vindicanda, vel amplificanda, vel limitanda verſatus fuerit, atque adeo videant, vnde haud dubie factum ſit, quod promiſſi ad finem commentationis diſertis verbis editi ipſum poenituerit ita, ut ab addenda tertia parte prorſus abſtinuerit.

Petita autem haec ſunt ex ipſius b. viri ſchedis dogmaticis, quarum editori copia facta eſt, ipſo vltimo vitae anno ſumma diligentia repetitis atque adeo renovatis, ita, vt certiſſime poſſit adfirmari, in hac ipſa, quam hic expoſuit, ſententia eum, quum diem ſupremum obiret, vere eſſe verſatum. Hinc duobus, quae iam ſequitur appendix conſtabit capitibus.

A.

Notae et additamenta ad praecedentem commentationem varii generis.

1) p. 29 in. ad verba: *ad Apoſtolorum aetatem:*
Miſchnae nimirum auctor, R. Iuda ſanct. Sec. II. vixit (a. Chr. 120 natus) adeoque opus ſuum aeuo Apoſtolis proximo conſcripſit. Similiter liber Sohar, ſi non eadem gaudet antiquitate, ſermones tamen et dogmata R. Simeonis, filii Jochai, complectitur. Omnino autem opiniones Iudaicas, quae in ſeriioribus etiam Iudaeorum ſcriptis, ad ſextum vsque ſeculum aetatem producentibus, proponuntur, ſeculo primo antiquiores eſſe, bene demonſtrauit auctor libri: kritiſche Geſchichte des Chiliasmus vol. I. pag. 16. ſq.

2) pag. 30. ad not. 6:
Eandem interpretationem ſequitur etiam *Baumius* in libro: von dem Nationalreiche Chriſti, aus dem Holländ. Götting. 1783. p. 60. ſqq. Nec ab ea multum recedit *Pfenninger* von der Popularität im Predigen. vol. I. p. 110 ſqq.

3) p. 30. ex. ad verba: *liberationem ſperare potuiſſe:*
Eosdem vero etiam credidiſſe, Meſſiam peccata haec populi expiaturum, et pro iis multa mala lubiturum, multis locis docetur in libro: kritiſche Geſch. d. Chil. vol. I, p. 288.

4) p. 30. ex. ad verba: *ἀνατολὴν ἐξ ὕψους*:
Significatur nimirum his verbis, ſi concretum pro abſtracto poſueris, qui ortus eſt e coelo; qui loquendi modus prorſus ſimilis eſt ei, quo Ieſus apud Ioannem de ſe pronunciauit: exii a patre atque in has terras veni.

5) p. 31. in. ad verba: *quod populo Israelitico gloriam.*
Hoc non vniuerſe dixi, ſed relate ad Simeonem. Vtique enim dici poteſt, gloriam populi Iudaici in eo cerni, quod ex eo ſeruator omnium gentium ortus fuerit.
Sed cum hoc Iudaei ignorarent, Meſſiam ad alias gentes etiam pertinere debere, profecto de eo nunc non poterant cogitare. Atque in hoc ipſo nouum argumentum eſſe videtur, propter quod locus eo, quo dixi, modo ſit explicandus.

6) p. 31. ad not. 7 verba: *φῶς* ſaepiſſime dici:
Simillimo modo de Chriſto dicitur Ioann. VIII, 12. vbi iunguntur haec: *φῶς τῆς ζωῆς*, dux ad felicitatem, quem qui ſequantur non poſſint eſſe infelices atque miſeri, ſed perpetua felicitate frui debeant. Eodem modo Deus Iacob. I, 17. dicitur *πατὴρ τῶν φώτων*, pater lucidus i. e. beatiſſimus vel beatificus, a quo omnia bona ad nos deſcendunt, vt h. l. explicarunt jam Beza et Grotius.

7) p. 33. ad not. 14.
Pertinet huc etiam illud, quod Luc. XIV, 14. 15. *ἀνάστασις τῶν δικαίων* et *βασιλεία τοῦ Θεοῦ* tanquam ſynonyma ſibi inuicem ſubſtituuntur.

8. p. 34. med. poſt Ioſephi verba: *ῥαῳδίαν τοῦ ἀναβιοῦν.*
Id ipſum etiam confirmant alii quidam loci, qui de eadem re exponunt et ex quibus clarius etiam intelligitur, de metempſychoſi ſermonem non eſſe. Alter quidem eſt de bello Iud. III, 8. 5. *ἄρα οὐκ ἴστε, ὅτι τῶν μὲν ἐξιόντων τοῦ βίου κατὰ τὸν τῆς φύσεως νόμον, καὶ τὸ ληφθὲν παρὰ τοῦ Θεοῦ χρέος ἐκτινόντων, ὅταν ὁ δοὺς κομίσασθαι θέλῃ, κλέος μὲν αἰώνιον, οἶκοι δὲ καὶ γενεαὶ βέβαιοι, καθαραὶ δὲ καὶ ἐπήκοοι μένουσιν αἱ ψυχαὶ, χῶρον ἱερὸν λαχοῦσαι τὸν ἁγιώτατον, ἔνθεν ἐκ περιτροπῆς αἰώνων ἁγνοῖς πάλιν ἀντενοικίζοντει σώμασιν; ὅσοις δὲ καθ' ἑαυτῶν ἐμάνησαν αἱ χεῖρες, τούτων μὲν ᾅδης δέχεται τὰς ψυχὰς σκοτιώτερος.* Alter vero locus legitur in libro contra Apionem l. II. 30. p, 488. edit. Havercamp., t. II. atque ſic habet: *τοῖς μέντοιγε κατὰ τοὺς νόμους πάντα πράττουσι τὸ γέρας ἐστὶν ἐκ ἄργυρος, ἐ δὲ χρυσὸς, ἐ μὴν ἐδὲ κοτίνε ςέφανος, ἢ σελίνε καὶ τοιαύτη τις ἀνακήρυξις, ἀλλ' αὐτὸς ἕκαςος, αὐτῷ τὸ συνειδὸς ἔχων μαρτυροῦν, πεπίςευκε, τοῦ μὲν νομοθέτε προφητεύσαντος, τοῦ δὲ Θεοῦ τὴν πίστιν ἰσχυρὰν παρεσχηκότος, ὅτι τοῖς τοῦ νόμου διαφυλάξασι κἂν εἰ δέοι θνήσκειν ὑπὲρ αὐτῶν, προθύμως ἀποθανοῦσιν ἔδωκεν ὁ Θεὸς γενέσθαι τε πάλιν καὶ βίον ἀμείνω λαβεῖν ἐκ περιτροπῆς.* Itaque *Flattius* etiam horum locorum ſenſum parum recte percepit in Comment.: Etwas über die Lehre der Phariſaeer von dem Zuſtande nach dem Tode in Beziehuug auf einige Stellen des Ioſephus u. des N. T. inſerta *Pauli* Memorabil. Part. II. p. 1157. cf. *Ammonii* diſſert. inauguralis de adumbrationis doctrinae de animorum immortalitate a Ieſu Chriſto propoſitae praeſtantia. Erlang. 1793. p. 30. ſq. [Repetita eſt in opuſcc. theol. 1793. p. 53 ſqq.]

9) p. 35. med. ad v. *Büſchingio probabilem:*
Huic tamen nuper acceſſit etiam Auctor der krit. Geſch. d. Chiliasmus vol. I. pag. 34.

10) p. 35. in not. 18. ad verba: *Phariſaeos ignoraſſe:*
Idem ſtatuit *Moshemius*, Diſſert. ad Hiſtor. eccleſ. pertinent. Vol. II. p. 603 ſqq. cf. *Bruckeri* hiſtor. philoſoph. crit. T. VI. p. 431 ſq.

11) ibid. in not. 18. ad verba: *ex his locis argumentum:*
Nam Matth. 14, 2. facile adparet, non de metempſychoſi, ſed de ſingulari quadam reſurrectione Herodem nunc cogitaſſe, plane vt Iudaei, cum Eliam tempore Meſſiae rediturum ſperabant. Nam et tunc non animam ejus in aliud corpus transituram exiſtimabant, ſed eum ipſum e mortuis rediturum in vitam eſſe ſibi perſuadebant. Nimirum vti Luc. 9. 7. docet, de eo dubii haerebant homines, vtrum Ieſus Ioannes eſſet an alius quidam antiquorum prophetarum. Iam vero ſi antiqui cujusdam prophetae anima in Chriſto fuiſſet, ea in multis aliis jam corporibus verſari debuiſſet: neque etiam dici poteſt, eos, ſi Ioannem rediiſſe credidiſſent, ipſo vultu de ejus rei falſitate potuiſſe edoceri. Non enim nunc ad vultum id referebant, ſed, vt ſtatim additur, ex miraculis in iſtam ſuspicionem pervenerant. Omnino enim Chriſtum nunc plane non agnoſcebant. Atque hoc modo intelligi etiam poſſe videtur, qui fieri potuerit, vt Herodes, tanquam Sadducaeus (ſi talis fuit, quod perquam veriſimile videtur) de mortui cujusdam reſurrectione cogitaret. Poterat enim vnius cujusdam hominis in vitam reditum ſingulari Dei cura effectum concedere, et tamen omnium hominum reſurrectionem negare. Idem valet etiam de Matth. 16, 4. Si vero Ioh. 9, 2. metempſychoſeos veſtigia reperirentur, primum pugnaret locus hic cum Ioſepho, qui piorum tantum animas in alia corpora transituras a Phariſaeis creditum eſſe narrat, hic autem impii anima in aliud corpus migraſſet. Neque vero opus eſt, ut, cum Apoſtoli quaerunt, an ille, qui coecus natus erat, ipſe peccaſſet, eos de metempſychoſi cogitaſſe dicamus. Quid enim, nonne etiam opinari poterant, Deum praeuidiſſe, iſtum hominem multa eſſe peccaturum, eoque eum poenae loco coecum naſci voluiſſe?

12) ibid. ad finem not. 18
cf. de *Sartorii* libro hoc Acta Erudit. 1761, April. Exſtat etiam Car. Frid. *Strömborn* Diſſ. oſtendens Iudaeos et Herodem *μετεμψυχωσιν* non credidiſſe ad Matth. 14, 2, Marc. 6, 14. Luc. 9, 7. Gryphiae 1783. 4.

13. p. 35. ex. ad verba: *Schöttgenius viſus eſt.*
Cum enim docet, antiquiſſimos Iudaeos credidiſſe, magnam ſanctorum multitudinem Meſſiae temporibus in vitam eſſe rediturum, eos hanc, de qua Euangeliſtae teſtantur, *paucorum* reſurrectionem in animo habuiſſe putat, quod profecto ſecus eſt. Neque tamen ego argumento, quod hic poſui, magnam vim tribuerim. Nam de illa etiam, de qua ipſe intelligo, reſurrectione, quaeri poteſt, vnde ejus notitiam habuerint, quamquam in ea facilius intelligitur, qua ratione ad illam pervenerint, quam ſi illo modo intellexeris, quoniam illud per-

versa de regno Messiae opinione nititur, hoc autem absque diuina aliqua reuelatione nemini in mentem venire potuisse videtur.

14) *p.* 36. ex. ad verba: *βασιλεία Θεῦ* et *β. Χριςῦ*: atque ex Dan. 2, 44. fluxisse videntur. Ceterum *Semlerus* in libro: neuer Versuch die gemeinnützige Erklär. des N. T. zu befördern p. 6. dicit: videri sibi *βασιλειαν τοῦ Θεοῦ* dictam fuisse propter oppositam *βασιλειαν τοῦ σατανᾶ*, cujus tyrannidi gentiles fuerint obnoxii, cuiusque artibus Iudaei tantopere fuerint vexati atque pene oppressi. Quae quidem sententia vereor, vt argumentis historicis possit defendi.

15) p. 37. in. ad verba: *αἰῶν μέλλων.* Hanc formulam enim in N. T. etiam libris eodem modo dici, adparet, ex Luc. 20, 35: ubi *αἰὼν ἐκεῖνος* arctissime jungitur cum *τῆ ἀναςάσει νεκρῶν.*

16) p. 38. in nota 27. ad verba: *de tali vita aeterna:* Id enim docent Iosephi loca, in quibus malos perpetuo carcere clausos fore dicit, de piis autem vnum hoc commemorat, eos in vitam esse redituros atque meliorem in his terris vitam acturos. Danielis autem locus (cap. 12, 2.), qui plerumque de mortuorum resurrectione explicatur, doctissimorum interpretum haud paucis de illa non agere videtur. Extat liber Casti Innocentis *Ansaldi* de futuro seculo ab Hebr. ante captiuitatem cognito, Mediol. 1748. 8. in quo fortasse hac de re quaedam monita sunt, conferendus etiam *Origenis* locus l. V. c. Celsum, p. 610. edit. de la Rue. *Iac. Windet Στρωματεὺς ἐπιςολικὸς* de vita functorum statu ex Hebr atque Graec. comparatis sententiis concinnatus Lond. 1663. *Theod. Dassouti* dissert. qua Iudaeorum de resurrectione mortuorum sententia explicatur.

17) p. 38. ex. ad verba: *et hoc in illorum opinione.* — Si vero quis dicat, hoc pugnare cum eo, quod regnum Messiae mille tantum annos duraturum esse Iudaei putauerint, respondi potest, vel antiquissimos illos Iudaeos hanc opinionem de regno millenario nondum habuisse, quod non prorsus improbabile videtur, quum apud Iosephum certe ejus vestigia non reperiantur, (quanquam huic argumento non nimia fides est habenda) vel eos *ἀιῶνος* vocabulum, non illo, quo nos, aeternitatis sensu accepisse, quod tamen hic locus, quem nunc tractamus, non admittere videtur.

18) p. 39. med. ad vocem (*παράκλησιν*) Solatium nimirum in talibus locis indicat salutem, quam Messias adfert; cujus ipsius notio inest Act. 3, 16. in voce *ἀναψύξεως.*

19) p. 43. in n. 33 ad verbum *loco Iacobi* 2, 5. Etsi nimirum h. l. de eventu sermo est, tamen, cum et hic pauperes, qui proprie dicuntur, intelligantur, vtique inter se conueniunt, estque in Iacobi loco veluti implementum ejus, quod Christus hic dicit, pauperum fore regnum coelorum, nempe sic, vt possint fieri ejus *κληρόνομοι.*

Chrysost. Homil. XV. in Matth. p. 35. haec habet: *οἱ πτωχοὶ — — οἱ ταπεινοὶ καὶ συντετριμμένοι τὴν διάνοιαν.*

πνεῦμα γὰρ ἐνταῦθα τὴν ψυχὴν καὶ τὴν προαίρεσιν εἴρηκε. τοὺς ἀπὸ προαιρέσεως ἑαυτοὺς ταπεινοῦντας καὶ καταγέλλοντας μακαρίζει πρώτους, καὶ τινὸς ἕνεκεν οὐκ εἶπεν οἱ ταπεινοὶ ἀλλ' οἱ πτωχοὶ; ὅτι τοῦτο ἐκείνης πλεῖον.

20) *ibid.* not. med. ad verba: *freti diuitiis:* Dicuntur nimirum hi, jam tenere ſolatium ſuum, i. e. frui jam ſummo bono ſuo, nempe diuitiis cf. Matth. 6, 2.

21) p. 43. med. ad verba: *vt plane alius fieret*, Ioh. 3, 3. Sic enim nunc illud ἄνωθεν γεννηθῆναι intelligendum eſſe illud docet, quod Nicodemus ita intellexit v. 4. Iterum naſci vero eſt, aliam vitam inſtituere, in melius mutari.

22) p. 44. in not. 34. ad verba: *In quibus eundem ſermonem:* facile nimirum adparet, ſi Matth. atque Marcum inter ſe comparaueris, haec in itinere quodam Capernaitico accidiſſe.

23) p. 44. in. ad *Ioh.* 1, 12. *Rom.* 8, 17.
In priore enim loco Chriſtus dicitur omnibus, qui in eum credidiſſent potestatem conceſſiſſe, vt ſe Dei liberos appellarent; in altero autem illi dicuntur a Deo haereditatem accepturi, i. e. bonis omnis generis maximeque felicitate aeterna ab illo ornandi.

24) p. 45 in not. 35. ad verba:
a) *omnes interpretes.* — quanquam non deſunt, qui de juſtitia per Chriſtum parta et hominibus a Deo imputanda accipiant.

b) *poſtulat:* vellem ſcripſiſſem: *largitur;* ita nimirum hoc fere ſemper dicitur; vt εἰρήνη Θεῷ, concordia, quam Deus concedit, et all.

c) *paulo impeditior:* id ineſt in eo, quod illud ἀντῷ nunc non ad primarium, quod praecedit, ſubſtantiuum refertur, ſed ad vocem Θεῷ, quae a vocabulo βασιλείας pendet.

d) *a contextu alienior:* Quid enim nunc attinet, illud addere, vnde oriatur iſta δικαιοσύνη, praeſertim in eo loco, vbi homines ipſi hanc δικαιοσύνην quaerere jubentur.

25) p. 45 ex. ad verba: *regna his in terris ſtabilita.*
Fortaſſe tamen etiam hoc ſic intelligi poteſt, vt dicat, regnum ſuum non in hoc mundo, in hac rerum terrenarum ambitu, ſtabilitum iri, quia paulo poſt ejus loco ponitur: οὐκ ἔστιν ἐντεῦθεν· vel etiam, quod nunc demum ſuccurrit, ita: regnum meum non eſt hinc, non eſt ex hoc mundo, i. e. non *accipio* regnum meum ex hoc mundo, alias enim miniſtros meos hic haberem.

26) p. 47 ex. ad verba *mira cum Iudaeorum opinione conſpiret:* Huic opinioni prorſus etiam accommodata eſt ratio, qua Chriſtus hac de re loquitur, Luc. 20, 35. οἱ καταξιωθέντες τοῦ αἰῶνος ἐκείνου τυγχάνειν, de quo loco haec habet auctor der krit. Geſch. des Chiliasmus vol. I. p. 366. nicht daſs Chriſtus dieſes ſelbſt gelehrt, ſondern weil er nach den Begriffen redete, welche die meiſten unter ihnen haben mochten, als wollte er ſagen: die Gerechten, von denen ihr ſprechet, daſs ſie die-

ſer Auferweckung zum Leben, und des Lebens im künftigen Seculum gewürdigt werden ſollen etc.

27) p. 48. in f. §. IX. ad verba: *ſatis eſſe, ut Iudaeus eſſet.* Etſi enim hoc concedebant, ſi regnum illud venire deberet, a peccatis eſſe abſtinendum, adeoque quum Ioannes μετάνοιαν poſtularet, ad eam ſe paratiſſimos oſtenderent, (vnde etiam in Babyl. Sanhedr. c. VI. Gemariſtae dicunt: ſi Iſraelitae uno die poenitentiam agant, ſtatim veniet Meſſias) id tamen opus eſſe non videbant. vt, qui in illud regnum peruenire vellet, ſanctitati etiam ſtuderet, ſed de eo ita potius docebant: omnis Iſrael particeps erit futuri ſeculi.

28) p. 51. in n. 41. ad verba: *non poteſi idonea de cauſa negari.* Dicitur nimirum nunc δικαιοσύνη ὑμῶν, opponiturque Phariſaeorum δικαιοσύνη, adeoque non poteſt de juſtitia per Chriſtum parta, vt plerique vulgarium interpretum voluerunt intelligi, parum curantes, quod in antecedentibus ad eam δικαιοσύνην non modo τὸ ποιεῖν ſed et τὸ διδάσκειν requiritur.

29) p. 53 in n. 46. a) ad verba: *nullo commodo ſenſu.* Non enim dicere poſſum, quam exilis mihi videatur horum verborum ſenſus, inde oriundus, ſi de *doctrina* Apoſtolorum, qua morum praecepta agendique normam hominibus propoſuerint, ea intelligantur.

b) ad vocem πληρῶσθαι
Vt cum Phil. 2, 2. dicitur: πληρώσατε μὲ τὴν χαράν, perfectum reddite gaudium meum. Similiter Ioh. 3, 29. χαρὰ ἡ ἐμὴ πεπλήρωται et 2 Cor. 10, 6. ὅταν πληρωθῇ ὑμῶν ἡ ὑπακοή. Cf. etiam Ioh. 15, 11. 16, 24. 17, 13. 1 Ioh. 1, 4.

c) ad vltima verba, *quem fugiat.*
Haec autem ad Iudaeorum de regno Meſſiano opinionem accommodatiſſime ſcripta eſſe ita ſenſit *Papius*, in Handb. z. richt. Verſtehen u. Gebr. der Sonntagsevang. Brem. 1787. T. II. p. 441. vt haec adeo ſcriberet: Ich erkläre mich nun hier freilich nicht für den Chiliasmus, aber das muſs ich doch nach Wahrheit ſagen, daſs Chriſtus allerdings in dieſer Stelle ſagen k ö n n e, er wolle einmal wieder in dem ſichtbaren Reiche Gottes mit ſeinen Jüngern Mahlzeit halten. Aber ob er es nothwendig ſagen w o l l e, das läſst ſich nicht mit der völligſten Gewiſsheit entſcheiden. Denn es iſt nichts Ungewöhnliches nach jüdiſchen Begriffen, ſich die Glückſeligkeit des künftigen Lebens unter dem Bilde fröhlicher Gaſtmähler zu denken; ſ. oben Kapit. 14, 15. Nach dieſen Begriffen kann der Sinn des Ausſpruchs Jeſu ſeyn: wir werden uns nicht wieder in dieſem Leben ſo verſammeln, nicht eher wieder als in dem künftigen Leben, wenn ich alles auf Erden vollendet habe und in meiner Herrſchaft beſtätiget bin.

30) p. 53. med. ad verba: *meretrices Iudaeos praeituras.* Id nimirum προάγειν ſaepe ſignificat, vt cum Matth. 2, 9. de ſtella illa magis ex oriente profectis viſa dicitur προάγειν αὐτοὺς et c. 21, 9. commemorantur ὄχλοι προάγοντες.

31) ibid. ad verba vltima: *cum ejus conſilio.*

Vult nimirum Petrum monere, vt ſibi caueat, ne ceteris dignioremſe putet.

32) p. 54. in. ad verba: *ſe digniores habituri.*
Hi enim ſunt πρῶτοι illi, qui opinione ſua primi ſunt.

34) p. 56. in nota 50 ad verba: *doctrina V. T. obtinuit.*
Poſſet quidem hujus commatis ſenſus hic etiam eſſe: lex atque prophetae de illo praedixerunt, atque vaticinati ſunt; ſed, quem ego poſui ſenſum, propter Lucae locum praetuli; verbum προφητεύειν autem apud Matthaeum vniuerſe vti Luc. 1, 67. interpretatus ſum: diuino afflatu loqui.

35) p. 56 in nota 51. ad verba: *verum hominibus traderet.*
Ita nimirum μαρτυρεῖν vtique accipi poterit. Saltem Ioh. 3, 11. eodem ſenſu dici videtur illud: ὁ ἑωράκαμεν μαρτυροῦμεν, quod vidimus, id nunciamus, ſ. de eo teſtamur, nimirum aliis illud tradendo. Neque tamen in tradendo vero regni ſui naturam ponit. Cf. etiam *Storrii* h. l. explicatio in *Flattii* Magaz. für chriſtl. Dogm. u. Moral. vol I. p. 110. not. 1. Quae autem *Noeſſeltus* in nota ad alteram differt. laud. edit. quae eſt in Opuſculorum ad interpr. S. S. pertinentium faſc. II. p. 360. huic meo de ipſius loci Iohannei explicatione iudicio oppoluit, loci natura et conſilio adcuratius facile examinatis concidunt.

36) p. 59 in. ad verba: v. 14. *qui quaſi.*
Hujus autem verſus ſenſus hic eſt: multi quidem ad felicitatem hujus regni inuitantur, ſed pauci ea vere fruuntur, quoniam bona ſibi oblata negligenter habent et irreverenter, vt homo ille nuptiali veſte haud ornatus.

37) p. ead. med. ad verba: *viam ad illud regnum muniturum.*
Ita tamen et in h. l. res redit ad primariam illam notionem regni coelorum. Eſt nimirum hic ſenſus: tu ea es conditione, vt facile poſſis ad meum coetum transire, atque hoc ipſo futurae illius felicitatis particeps fieri. cf. Luc. 10, 11. de quo loco idem valet.

38) p. 60 in. ad verba: *ſaltem ab interprete cogitanda.*
Itaque ne dicendum quidem vere eſſet, formulam βασιλ. οὐρ. hic alio ſenſu dici, ſed eſſe tantum has formulas loquendi minus definitas, in quibus, quomodo id, quod de βασιλ. οὐρ. dicitur, factum ſit aut fiat, interpreti ſit definiendum, vt cum Phariſaei hoc regnum hominibus clauſiſſe dicuntur, quaeri debet, quomodo hoc factum ſit; eo nempe, quod homines cognitione doctrinae Chriſtianae impediebant, eoque ipſo efficiebant, vt in regnum ab illo ſtabiliendum non admitterentur.

39) p. ead. med. ad verba: *ejus cognitione impedirent.*
Id autem faciebant, quotiescunque diuinam Ieſu auctoritatem negabant aut adeo impugnabant.

40) p. 60 ex. ad verba: δίγεσθαι τὴν βασιλείαν.
Aut ſi verum eſt, quod volunt quidam, veluti Schoettgenius differt. de regno coel. in hor. hebr. vol. I *ſuscipere regnum coelorum* Iudaeis dictos eſſe eos, qui ſocietati gentis et religionis Iudaicae adjungerentur, quod facile adparet, non aliter potuiſſe intelligi, quam ſic: accedere ad eam ſocietatem, in qua

quis ius accipit, in communionem illius regni olim veniendi, etiam hic commode eodem modo intelligi poſſet, atque adeo non opus eſſet, de *doctrina* hic interpretari. In quam rem admodum luculentus teſtis eſt Marc. 10, 15. coll. Luc. 18, 17. vbi qui jam ſuscepit *βασιλ. τ. Θ.* tamen in illam intraturus adhuc dicitur, vt adeo prius perſpicuum ſit: ſich zu der Geſellſchaft begeben, in der man die Hoffnung zu jenem Reiche erhält; locique integri ſenſus hic ſit: wer ſich nicht mit der Geſinnung und Denkungsart, wie die eines Kindes iſt, zu der Geſellſchaft begiebt, in welcher er Hoffnung zu einem künftigen Reiche erhält, der wird doch keinen Theil an demſelben haben. — Hac autem explicatione admiſſa clariorem etiam lucem acciperet phraſis ſupra laudata, Matth. 21, 43. auferetur regnum coelorum a vobis, et alii genti dabitur, i. e. priuilegium quaſi et jus ad iſtud regnum adſpirandi, quod ex veſtra opinione veſtrae genti veluti proprium et peculiare eſt, ab ea auferetur et ad aliam transferetur.

41) p. 62. med. ad verba; *quorſum abitus et reditus pertineat*: Dici hic etiam debuiſſet de parabola Luc. 19, 12. ſqq. quae eandem rem ab alia parte adumbrat.

42) p. 63 *ad not.* 58. Si quis enim omnem hanc dicendi formulam: *ἐνθέως μ. τ. θ. τ. ἡ. ε.* cogitauerit, facile intelliget, eam nunc temporis adcuratius definiendi cauſſa eſſe adhibitam, adeoque non poſſe nunc verti vniuerſe: repente; tum enim potius jungi debuiſſet illis verbis: *ὁ ἥλιος σκοτισθήσεται.* — Quod autem ad *γενεὰν* attinet, quanquam haud negari poteſt, interdum ſignificare genus et familiam, tamen cum *γενεὰ αὕτη* dicitur, ſemper deſcribitur haec hominum aetas. Atque hanc etiam h. l. obtinere ſignificationem patet ex v. antec. vbi Chriſtus dicit: *ὅταν ἴδητε ταῦτα πάντα*, quo perſpicue ſignificat, homines tum viuentes haec eſſe conſpecturos.

43) p. 63, ex. ad verba N. T. *τί σημεῖον τῆς σῆς παρουσίας.* Cur haec duo tanto et indefinito temporis interuallo diſtantia quaerendo conjunxerint diſcipuli, ejus nullam ego video rationem praeter illud a majoribus inde imbutum animis praejudicium, quod Hieroſolymorum idem atque mundi futurus eſſet interitus. Reſponſio vero, qua Chriſtus quaeſtionem illam excepit, tam vagis videtur atque dubiis verbis concepta, vt minime ſit mirandum, quod dubii atque incerti fuerint interpretes, vtrum de Hieroſolymorum excidio tota oratio, an de mundi ſimul interitu aliqua pars ejus, et quidem a v. 29 et deinceps intelligenda eſſet. Mihi quidem, vt *duo* momenta quaeſtioni inſunt, ita etiam *duo* reſponſione contineri videntur. Nec eo tamen magis intelligo, cur tam vagis et indefinitis verbis v. 29, *εὐθέως δὲ* etc. fouiſſe magis illud praejudicium Chriſtus videatur quam iis idem eripuiſſe, niſi dicamus ſapientiſſime hoc eſſe incertum relictum, quo ſemper in extremum illum aduentum Chriſti homines intenti paratique forent; quo certe praecepto Chriſtus orationem concluſit v. 42. *γρηγορεῖτε ἕν*, poſtquam jam ante v. 36 plura hac de re ab hominibus anquiri fruſtra docuit. Ita *Sahlius* in N. T. ex interpret. Caſteſl. cum nott. alior. et ſuis Havn. 1780.

44) p. 64 ult. ad verba *vbi v. 37—41 monuerat.*
Quae autem v. 40 et 41. dicuntur eo pertinere arbitror, quod in iſto aduentu exactiſſimum proborum atque improborum diſcrimen inſtitui debere dicatur, quo fieri adeo poſſit, vt alter abſumatur et in poenam rapiatur, alter evadat et liberetur.

45) p. 65 med. ad verba: *regni Meſſiani inſtaurationis deſcriptionem.*
Neque tamen videtur hic judicium in Chriſtianos, ſed potius in gentes reliquas deſcribi, vt, prouti hae aduerſus illos ſe gesſerint, ſiue mercedem accipiant, ſiue poenas dent. Paucis verbis idem traditur Matth. 10, 41. 42. coll. Marc. 9, 41. Ioh. 13, 20. et pluribus locis. Vnde etiam intelligi poteſt, cur ceteri Euangeliſtae iſtius judicii deſcriptionem omiſerint, quod alioquin vix facturi fuiſſe videntur. Sed id non neceſſarium eſſe judicabant, cum jam aliis locis idem tradidiſſent; Matthaeus autem cum inprimis inter Iudaeos, Chriſtianis magnopere infenſos ſcriberet, iſtius rei commemorationem ſaepius repetere e re ſua omnino judicabat.

46) p. 66 ad not. 61. Vidit hoc etiam *Hartwigius* in der Apologie der Apocalypſe vol. II. p. 10.

47) p. 68 in. ad verba: *usque dum capta fuerit.*
Cum enim foediſſime deſtruitur, *conculcatur* a gentibus. Id autem fiet tam diu, vsque dum tempora ad eam rem gentibus a Deo conceſſa elapſa fuerint. Significatur ergo his verbis anni circiter tempus aut ſupra, quod inter vrbis excidium perficiendum effluxit.

48) p. 68 med. ad verba: *non de terra Iudaica.*
Hanc nimirum vocabulum *οἰκουμένη* nunquam indicat, quanquam multi ex hebraico כֹּל הָאָרֶץ docere voluerunt: verum hoc ſemper vertitur *πᾶσα γῆ*, non autem *πᾶσα οἰκουμένη*. Docuit hoc inprimis *Krebſius* in Obſerv. Flav. ad Luc. 2, 1.

49) p. 68 med. ad verba: *εἰς μαρτύριον πᾶσι.*
Id autem hoc ſibi velle videtur: vt omnes gentes eam cognoſcant, ſciantque cur puniantur, ſi illam non fuerint amplexi.

50) p. 69 med. poſt verba: *Chriſti venientis deſcriptio.*
Marcus autem loco l. vtrumque coniunxiſſe videtur, cum dicit: *ἕως ἂν ἴδωσι τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ ἐληλυθυῖαν ἐν δυνάμει.*

51) p. 70 ad notam 70.
Simile quid vidit etiam auctor hiſtoriae criticae Chiliasmi vol. II. p. 447. vbi ſic ſcribit: Chriſtus hatte von der Zerſtörung Jeruſ. in ſolchen Figuren u. Bildern geredet, daſs es das Anſehn hatte, er habe Jeruſalems u. der Welt Ende unmittelbar mit einander verbunden, oder er rede, wo er von jenem Erfolge ſpricht, vom Ende der Welt ſelbſt.

52) p. 70 ex. ad verba: *Herderus putat.*
Idem repetiit *in den Briefen das Studium der Theol. betreff.* vol. III. epiſt. 36. p. 458 ſq. vbi inprimis notanda ſunt haec verba: Wo iſt nun dieſes zweiſchneidigen Schwerdtes Schärfe? Wo wäre ſie, ſelbſt wenn wir geradezu bekennen müſsten, Ieſus habe ſich in der Nähe dieſes: Bald, wie dort bei dem

Feigenbaum geirret? Was ſchadete es, da er es ausdrücklich nicht wiſſen, alſo auch nicht beſtimmen wollte? — Ab hac Herderi ſententia non multum abeſſe videtur Anonymus in den Beiträgen zur Beförd. des vern. Denkens in der Rel. faſc. III. p. 64. 72. vbi idem etiam de locis in Apoſtolorum epiſtolis obuiis defenditur.

53) p. 71 ex. *ad locum Marc. XIII, 32. Alb. Schultens* Diſſ. in h. l. exſtat in Eius Opuſc. minor. Lugd. Bat. 1769.

54) p. 72 ad verba vltima §. XV. *conſtantiam tolerantiam.*
Illius rei exemplum eſt Hebr. 10, 25 ſqq. huius Phil. 4, 5. vbi Paulus ſuos ad lenitatem inprimis in calamitatibus ferendis cohortatur.

55) p. 72 ex. *ad Luc. XVIII, 7. 8.*
In hoc autem loco: *καὶ μακροθυμῶν* verto: quanquam non praeſto eſt auxilio; hoc nimirum ineſt phraſi *μακροθυμεῖν ἐπί τινα*, non praeſto eſſe alicui, eſtque e contextu definiendum, vtrum ſit praeſto eſſe auxilio an poenae. *Καὶ* autem alibi etiam, vt Hebr. 3, 9. eſt quamuis. *Ἐν τάχει* autem aliis etiam locis ſignificat mox, breui v. c. Apocal. I. 1. 22, 6. quod intelligitur ex cap. I. v. 3.

56) p. 73 ex. ad verba: *moriturum eſſe putarent.*
Eodem modo hunc locum Patres etiam intellexerunt, v. c. Tertullianus, qui libro de Anima c. 50. ſic ſcribit: obiit et Iohannes, quem in aduentum Domini remanſurum fruſtra fuerat ſpes.

57) p. 74 *ad finem §. XVI.*
Pertinet huc etiam locus Matth. 10, 23. in quo et ipſo non alius Chriſti aduentus eſt cogitandus, quam de quo hic dicitur, quod ipſa loci ſeries facile docet. Ante nimirum Ieſus dixerat, ſi in aliqua ciuitate vexarentur, eam eſſe deſerendam et aliam petendam. Ne vero hic diſcipuli obiicerent, ita mox nullam ipſis ciuitatem reliquam fore, addit nunc: antequam omnes Iudaeae ciuitates ſint obituri, ſe iam eſſe venturum; nimirum ad *τέλος* illud, quod v. 22 commemorauerat. Commemorari hic etiam debuiſſet locus Matth. 26, 64. coll. Marc. 14, 62.

58) p. 75 in. ad verba: *nec contextus intelligi permittit.*
Quid enim adtinet nunc *ſedem* illius regni commemorare, cum de *tempore*, quo venturum eſſet, ſermo ſit, quod, ſi verba ex noſtra mente intelliguntur, nunc vtique definitur.

59) p. 75 in. ad loc. *Matth.* 12, 28.
Verbum autem *φθάνειν*, quod hic occurrit, ſaepe nihil aliud ſignificare, quam venire ſimpliciter, docet praeter alia exempla locus 2 Cor. 10, 14.

60) p. 75 med. ad verba: *ἐσχάτη ἡμέρα.*
Dicitur haec dies etiam *ἡμέρα, ᾗ ὁ υἱὸς ἀνθρώπου ἀποκαλύπτεται* Luc. 17, 30. vel indefinite, *αἱ ἡμέραι τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου* ib. v. 22. 26. de quo loco *Sahlius* in N. T. duce Caſtellione et cum notis alior. et ſuis. Havniae 1780 haec habet: duo ipſe Chriſtus *κατ' ἐξοχὴν* ſuos dies commemorauit, vnum de

Hierosolymis alterum de toto orbe repraesentandi judicii Matth. 24. 29. et ab Apostolis hi duo passim commemorantur. Hisce suis de diebus hic partim pluraliter loquitur, vt v. 26, vbi dicit, quod vtrique conueniet; partim singulariter, vt v. 24. 30. 31. vbi horum alterum inprimis significat. Sed hic praecipue de horum vno, et quidem priore, i. e. iudicii Hierosolymitani die loquitur. Quare *μία τῶν ἡμερῶν τȣ̃ υἱοῦ τȣ̃ ἀνθρώπȣ* quaenam esset, nisi duorum dies ille prior, quem cum videre maxime desiderarent afflicti Christiani, ex voto tamen non visuri forent? Vide Rom. 9, 10. *ἐξ ἑνὸς*, ex uno duorum fratrum. Sic ergo et hic vertit: veniet tempus cum vnum *duorum* Filii hominis dierum cernere cupietis.

61) p. 75. ex. ad verba; *mortuorum resurrectionem cogitaverit.*
Atque Christus ipse commemorat *ἀνάστασιν τῶν δικαίων* Luc. 14, 14. cf. etiam quae superius in additamento 26 et 27 notata sunt.

62) p. 78 in. ad verba: *καθίζειν ἐκ δεξιῶν.*
Significat nimirum haec formula per se: vna cum altero imperare, ipsiusque in regno comitem esse et socium.

63) p. 78 ex. ad verba: *alium, quem quam dixi errorem.*
Putat autem Crusius, errorem discipulorum Iesu in eo fuisse, quod sine passionibus sibi persuaserint gloriam regni Dei, et illa ipsa aetate *statim* apparituram esse. Eos autem non cogitasse regnum aliquod mundanum, sed illud ipsum, quod in antedecentibus sic fuerit descriptum: *ἦλθε ὁ υἱὸς τȣ̃ ἀνθρώπȣ ζητῆσαι καὶ σῶσαι τὸ ἀπολωλός.*

B.

Ulterior dogmatis de regno Messiae in praecedenti commentatione tractati expositio.

Petita haec expositio est ex schedis b. auctoris dogmaticis, quibus in nouissimis de Christianae doctrinae dogmatibus scholis vsus est. In his autem §. 45. ita scriptum legitur:

„Quod ad regni Messiani institutum attinet, in eo „annuntiando quemadmodum Iesus quidem a ciuili, „quale Iudaei tum expectabant, imperio moliendo alie„nissimus fuisse deprehenditur, ita tamen nec in eo „commemorando vel de noua religionis salutisque cum „publicae tum priuatae oeconomia, vel de sectatorum „suorum coetu, vel de inuisibili aliquo in eos imperio „in aeternum continuando cogitauit, sed felicem potius „rerum statum post nouum demum suum in terras adven„tum pluriumque aliorum euentuum seriem locum habi„turum illo significauit, eandemque ipsius notionem ipsius „quoque Apostoli constanter tenuerunt. Ipsam vero „felicitatem in isto regno expectandam, exceptis paucis „quibusdam, iisque ad discipulos maxime pertinentibus „locis (Matth. 5, 5. Luc. 22, 16. 18. 29. 30. Matth. „26, 29. 19, 28.), nullibi adcuratius descripsit, sed „vniuersis tantum vocabulis significauit, inque eius ob„tinendae conditione potius explicanda haesit, eamque „in continuo pietatis ac virtutis studio, ex fide sibi „habita profecto (Joh. 3, 3. Matth. 5, 3. 18, 3. 4. „23. Marc. 16, 6. Matth. 7, 21.) vnice posuit, „hincque ad hoc ipsum virtutis studium potissimum „commendandum atque promouendum primarium haud „dubie in vniuerso religionis suae instituto consilium „spectauit: id quod omnis etiam reliqua institutio ipsius „huiusque vniuersa conditio virtutisque exemplum ab „eo propositum confirmant.

In huius paragraphi vberiori explicatione, vernaculo quidem ſermone propoſita, poſtquam b. auctor eorum ſummam repetierat, quae in commentatione de regno Meſſiae pluribus expoſita ſunt, atque adeo poſuerat: *βασιλείαν Χριςȣ̃, Θεȣ̃, τῶν ȣ̓ρανῶν* in omnibus N. T. locis vno tantum ſenſu dici, nimirum eo, vt ſignificetur ea rerum omnium conditio et ratio, quae poſt ſolennem Meſſiae reditum locum ſit habitura, ita pergit:

Hoc autem ita vere ſe habere primum omnium accuratiſſime docuit *Koppius* in excurſu I. epiſtolae ad Theſſal. I. a ſe editae, adiuncto; quem equidem confutaturus initio, poſt ipſe ſecutus ſum in hiſtoria dogmatis de regno Meſſiae Lipſ. 1781. propoſita, ita tamen, vt propter nonnulla maxime parabolarum loca, in quibus amplior ſignificatio obtinere mihi tunc quidem videbatur, arctioribus limitibus quibusdam illius viri ſententiam circumſcribendam cenſerem. Verum ſaepius repetita omnis rei disquiſitione illius argumentis ita me vidi conuictum, vt prorſus in eadem cum illo mente me nunc verſari libere iam profitear. Sed multum abfuit, vt Koppii meaque ipſius de *βασιλείᾳ Χριςȣ̃* ſententia communi doctorum plauſu exciperetur; imo breui tempore poſt exſtiterunt, qui illius vanitatem docere inſtituerent. Horum agmen duxit egregius theologus, *Gottlob. Chrn. Storrius*, diſſertatione de notione regni coel. in N. T. Tubing. 1782. quae repetita eſt in eiusdem Opuſc. academ. ad interpr. S. S. I. p. 253. Huic ſe adiunxit *Joh. Aug. Noeſſeltus*, in diſſert. ad locum Pauli Rom. 14, 7. Hal. 1785. quae ſimiliter inſerta fuit ipſius opuſculis ad interp. S. S. faſc. II. p. 112. in quo ipſo alio etiam loco, nimirum in diſſertatione de Chriſto Homine regnante p. 360. contra meam loci Joh. 18, 39. explicationem diſputauit. Neque tamen prorſus defuerunt, qui Koppianae rationi ex parte certe accederent, in leuioribus tantum ab ea recedentes; quibus tamen et ipſis alii ſe oppoſuerunt.

Inter illos primus fuit *Jac. Casp. Rud. Eckermannius* theol. Kilon., qui ſymbolarum theologic. a ſe editarum vol. 2. Faſc. I. p. 7. prolixiori de notione *βασιλείας* et *παρουσίας Χριϛȣ̃* inſtituta disputatione hoc efficere ſtuduit: in *Apoſtolorum* ſcriptis omnino *βασιλείαν* dici de regno Meſſiae in futuro demum huius reditu inaugurando; *Jeſum* ipſum autem hac formula omnem ſuae doctrinae aſſeclarum numerum ſignificaſſe, atque adeo de regno ſuo tanquam vere iam inſtituto et coepto locutum fuiſſe, eaque ipſius dicta, in quibus de eodem regno tanquam alio tempore demum exſpectando pronunciaſſe videatur, tropice de doctrinae vlteriori propagatione eſſe intelligenda. Huic autem paulo poſt ſe oppoſuit *Car. Chr. Flattius,* theol. tunc Tubing. in diſſert. de notione vocis *βασ. τ. ȣ̓ρ.* ex ipſis Chriſti ſermonibus eruta, Tub. 1794. — repetita poſt in ſylloge comment. theologic. a Kuinoelio, Ruperti et Velthuſenio edit. vol. 8. in qua Eckermanno hoc quidem concedendum eſſe cenſet, quod iſtam vocem de coetu cultorum Jeſu, huiusque in ipſum imperio dici docuerit, contra vero negat, de iis tantum dici, quae Jeſus inter illos ipſe praeſens fecerit et inſtituerit, verum ad ea etiam pertinere, quae futuro tempore ipſis ſit exhibiturus, cum ad aeternam eos felicitatem ſit perducturus. Quae quidem, quis non videt verbis tantum differre ab antiquiorum de duplici Chriſti, gratiae nimirum et maieſtatis, regno doctrina. Neque tamen vllo modo Eckermannus his Flatti dubitationibus moveri ſe paſſus paullo poſt in *enchiridio ad adiuuandum ſyſtematicum doctrinae Chriſtianae ſtudium* vol. 3. p. 720. non modo repetiit, quae olim de *βασιλείας Χριϛȣ̃* ſignificatione in Jeſu ſermonibus propoſuerat, ſed eo etiam progreſſus eſt, vt, quod antea negauerat, in Apoſtolorum etiam ſcriptis eandem vbique obtinere oſtenderet. — Eodem autem fere, quo Eckermannus primum hac de re ſcri-

pſerat, tempore alius Theologus Anonymus (quanquam poſtea innotuit, eundem fuiſſe *Hebenſtreitium*, Diaconum Neoſtadii ad Orilam praematura aetate literis ereptum, qui ſub ficto *Φιλεριδαίνοντος* nomine librum ſatis nobilem edidit: obſeruationes ad moralem S. S. interpret. pertinentes) in *Henkii* Promtuario exegeticis, hiſtoricis et dogmaticis vſibus deſtinato vol. 2. faſc. 2. de eadem re expoſuit, profeſſus, Koppianam illius phraſeos interpretationem omnino quam plurimis in locis eſſe admittendam, ac nonniſi paucos aliquos eſſe, ad quos maxime Luc. 17, 20. referendum cenſuit, in quibus *βασ. Χρ.* haud dubie de doctrina Jeſu eiusque cultorum coetu dicatur, ita vt prorſus fere in mea ſententia eſſe eum adpareat. Atque in eadem de duplici illius cognominationis ſignificatu mente omnes fere verſati ſunt, qui poſt illos denuo de eo ex inſtituto disputauere, quorum, haud ita multorum, nomina et ſcripta recenſuit *Wilh. Mart. Leber. de Wette* in bibl. dogm. V. et N. T. p. 207. qui et ipſe cum *Henr. Aug. Schotto* in epit. theol. chriſt. p. 118. et *Godfr. Laur. Bauero* in theol. bibl. N. T. I, §. 17. IV, §. 8. eorum numero acceſſit.

Neque tamen illorum argumentis de explicationis a me ſecundum Koppium defenſae vanitate hodienum mihi perſuaderi, atque apud me effici potuit, vt in vllo N. T. loco per *βασιλείαν Χρ. inuiſibile* quoddam et *ſpirituale*, quod dicunt, regnum ſignificari crederem. Illud potius teneo, Jeſum et Apoſtolos, vbicunque *βασιλείας τῶν οὐρανῶν* mentionem faciant, de eo rerum ſtatu eſſe locutos, qui poſt Jeſu in has terras reditum, effecta per eum mortuorum reſurrectione habitoque de illis iudicio eſſet locum habiturus, non ita diu poſt illius a ſuis diſceſſum, quum diſertis verbis homines tunc viuentes eorum euentuum teſtes futuros eſſe dixiſſet. — In hac autem mente ne temere etiamnum verſari videar, graviſſima certe ex illis N. T. dictis examinanda ſunt,

quibus doctiſſimi illi, quos dixi, interpretes et theologi impediri ſe profeſſi ſunt, quo minus in meas partes transirent.

Ex Jeſu autem ipſius ſermonibus omnium inſtar vno ore prouocarunt ad Joh. 18, 36. 37. in quo quippe loco Jeſus ipſe claris verbis dixerit: *ἐγὼ εἰς τοῦτο γεγέννημαι — ἵνα μαρτυρήσω τῇ ἀληθείᾳ*, hisque verbis ipſe explicauerit, quo ſenſu *βασιλέα* ſe dixerit et *βασιλείαν* condiderit. Luce enim clarius patere, regnum, regem et ciues ſenſu morali de verae religionis doctrina et cultu hic dici. Verum mihi longe ſecus res habere ſe videtur. Poſtquam enim Jeſus libere confeſſus erat: *ὅτι βασιλεὺς εἰμὶ ἐγώ*, addidit, nihil plane eſſe, quod vel ipſe talem ſe eſſe neget, vel Pilatus de ſuae confeſſionis veritate dubitet; veri enim ſummam ſemper apud ſe fuiſſe reuerentiam neque vllo tempore ac pacto ſe ab illa receſſiſſe et receſſurum, *εἰς τοῦτο γὰρ γεγέννημαι*, etc. Quid quod moniturus quodammodo Pilatum officii, addit: quicunque honeſti et veri (vtrumque enim per *ἀλήθειαν* ſignificari videtur) cultor eſt, me intelligit, mecum facit mihique obſequitur. Neque latuit Pilatum Jeſu conſilium; cum indignatione nimirum aliqua his Jeſu dictis reſpondit: *τί ἐστιν ἀλήθεια*; quid attinet nunc de veri ſtudio disputare, de tua potius re agitur. Nihil aliud igitur Jeſus iſtis verbis voluit, quam in confeſſionis ſuae veritatem confirmandam hoc addere, ſe nec velle nec poſſe aliter dicere ac dixerit, niſi ſummam veri reuerentiam, cuius aliis commendandae et iniungendae prouinciam a Deo ſuſceperit, ipſe iam velit deferere mendacioque committendo ſalutem quaerere. —

Qualis autem rex ſit qualeque ipſius regnum, eius hic certe nullam plane mentionem fecit. Eſſe ſe regem quidem, minime vero talem, qui nouas res moliatur, et a cuius temeritate quidquam Pilato timendum ſit v. 36. ſatis iam declaraverat: *οὐκ ἔστιν ἡ βασιλεία μοῦ*

ἐντεῦθεν, plane non ab hominibus pendet, nec in humanarum rerum ambitu cernitur. Quod quum dixiſſet, haud dubie credere poterat, Pilatum ab omni vlteriori quaeſtione de regiae dignitatis adfectatione ipſi crimini data deſtiturum eſſe. Hunc autem quoniam videbat poſtulare, vt vno verbo vel negaret vel adfirmaret de regio nomine et imperio, libere dixit, eſſe ſe regem nec licere ſibi, vt aliter reſpondeat. Ad hunc autem ipſum Jeſu ſummum et imperterritum in confitendo vero ſenſu animum etiam Paulus reſpexit, vbi 1 Timoth. 6, 13. obſecratur diſcipulum ἐνώπιον Χριςȣ̃ Ἰησȣ̃ τȣ̃ μαρτυρήσαντος ἐπὶ Ποντίου Πιλάτȣ τὴν καλὴν ὁμολογίαν, neque aliud quid ex verbis Jeſu Timotheum diſcere iuſſit, quam quid et ſe in profitenda et defendenda fide Chriſtiana deceat. Non igitur ex h. l. recte colligitur, morali ſenſu Jeſum regem ſe dixiſſe atque de morali regno ſuo aliquo eſſe locutum.

Eodem autem prorſus modo de aliis etiam quibusdam Euangeliorum locis iudicari debet, in quibus quidem non ſine veri aliqua ſpecie contendunt, de regno Meſſiano aliquo verba fieri, quod iam inauguratum ſit vereque floreat. Hoc in nonnullis praecipue parabolis factum eſſe reperitur, deſcribendae rei cuidam factis, quae in primaria hominum ad Jeſu doctrinam inſtitutione, eorumque per communem fidem illi habitam ad vnum coetum conſociatione locum habuiſſe narratur. In harum parabolarum initio ſic dicitur: ὡμοιώθη ἡ βασιλεία τῶν ȣ̓ρανῶν v. c. ἀνθρώπῳ σπείροντι, οἰκοδεσπότῃ et al., qua phraſi nonnullis viſum eſt innui, rem in parabola narratam ſignificare aliquid, quod in βασιλείᾳ Χριςȣ̃ locum habeat, et a quo magnam partem illa adeo pendeat, ita vt amplius dubitari non poſſit, illam βασιλείαν a Chriſto dici vere iam praeſentem atque a ſe adminiſtratam. Verum in hac ipſa etiam phraſi, obſcurius omnino et parum adcurate adhibita, item ineſt

regni futuro demum tempore inaugurandi notio, quod promulganda Jesu doctrina, cultoribusque eius in vnum coetum cogendis praeparetur, vnde, qui amplectenda illa doctrina in hunc coetum ingressi fuerint, recte iam illi dicantur illius regni ciues, laetissimaque felicitatis in illo exspectandae spe fruantur.

Omnium luculentissime hoc doceri potest ex parabola de lolio inter triticum clam disseminato, quam Jesus proposuisse narratur Matth. 13, 24. seq. atque ipse latius adeo explicuisse v. 37. sqq. Haec nimirum parabola similiter incipit a verbis: *ὡμοιώθη ἡ βασιλεία τῶν ὀρανῶν ἀνθρώπῳ σπείροντι καλὸν σπέρμα.* Hoc autem loco per *βασιλείαν τῶν ὀρ.* nequaquam significari a Jesu promulgationem doctrinae suae collectumque per eam aliquem cultorum coetum, (quae collectio omnino sementis factae imagine depingitur) ex ipsa parabolae a Jesu addita explicatione patet. Quanquam enim veros sui nominis cultores, boni seminis nomine notatos, v. 38. *υἱὸς τῆς βασ.* vocat, hoc tamen nomine aperte propterea tantum eos condecorauit, quod ipsa sibi habita fide digni redditi sint, qui regni sui aliquando inaugurandi ciues a Deo legantur. Ipse enim v. 41. 42. diserte docet, instante *τῇ συντελείᾳ τοῦ αἰῶνος τούτου* (quam alio loco demonstrabo secundum N. T. libros cum regni Messiani inauguratione simul euenturam esse) angelos a se missos esse descensuros, qui bonos a malis segregent atque in regni Messiani felicitatem traducant, *ἐν βασιλείᾳ τοῦ πατρὸς αὐτῶν.* Patet igitur cuiuis attento lectori, postero demum tempore bonos in illius regni communionem dici venturos, neque hos illius *υἱὸς* v. 38. dictos fuisse alia de causa, quam propter certissimam huius regni spem ipsis factam. Ex hoc ipso autem loco rectissime intelligitur, quo sensu Jesus de *βασιλείᾳ τῶν ὀρανῶν* ad initium parabolae dixerit, quoque modo eadem phrasis in aliis etiam parabolis, vbi obscu-

rior dicendi modus eſt, explicari debeat. Certe hoc ipſo ex loco clariſſima lux affunditur alii cuidam, quem ſimiliter crediderunt de *βασιλεία θεῦ* ita exponere, vt de ea tanquam vere praeſente iam et inaugurata plane non poſſit dubitari. Eſt autem is apud Luc. 17, 20 21. Narratur nimirum Jeſus Phariſaeis interrogantibus, *πότε ἔρχεται ἡ βασιλεία τῦ θεῦ*; haec reſpondiſſe: *οὐκ ἔρχεται ἡ βασιλεία τῦ θεῦ μετὰ παρατηρήσεως — — ἡ β. τ. Θ. ἐντὸς ὑμῶν ἐστιν.* Quod ſi ex hoc vno tantum loco Jeſu de ſuo regno ſententia nobis repetenda et cognoscenda eſſet, omnino nobis credendus eſſet docuiſſe, illud iam vere adeſſe et florere, atque adeo recte illos ſtatuere, qui iſta compellatione inuiſibile atque morale aliquod regnum ſignificatum fuiſſe contendant. At quum aliis locis multo pluribus atque verbis clariſſimis de eodem regno aliquando demum, atque multo cum ſplendore et publica pompa inaugurando dictum fuiſſe certiſſimum ſit, concedendum erit, in hoc vno loco Jeſu verba ad ceterorum ipſius dictorum normam eſſe interpretanda. Ad haec autem ſi reſpexerimus, omnino aliquo modo dici potuit *βασιλεία τῦ θεῦ* iam adeſſe, quoniam is, qui illud regnum inſtituturus ſit, iam inter homines adeſſet, illius inſtantem inaugurationem publice nuntiaret ac per ſuos nuntiari atque adeo doceri iuberet, qua ratione in illius partem venire quiuis homo poſſit, ita, vt qui huic doctrinae obſequatur, iam nunc illius ciuis dici queat, *υἱὸς τῆς βασ.*, vti apud Matthaeum dici tales legimus. Haec autem ipſa haud dubie Jeſus verbis *ἐντὸς ὑμῶν ἐςι* ſignificare voluit, prorſusque errant, qui haec verba eo modo interpretantur, vt dicant, Jeſum dixiſſe de regno in *animis* hominum conſpicuo, atque propterea pro inuiſibili habendo. Huius enim interpretationis nec in loci contextu nec in vocis *ἐντὸς* ſignificatione vlla iuſta cauſa eſt. Haec enim quamuis ad ſignificandum internum animi ſenſum adhi-

beri poteſt, ac vere etiam adhibita fuit; non minus tamen recte pro aduerbio loci quoque habetur, externam viſibilem cuiusdam rei ſedem et locum denotante. Hoc ipſo enim modo haec vox in altero, quo praeter noſtrum tantum occurrit N. T. loco Matth. 23, 26. poſita reperitur in verbis: *ἐντὸς τοῦ ποτηρίου καὶ τῆς παροψίδος.* Hic nempe quiuis videt, *ἐντὸς* de loco proprie dici, quamquam ipſa res, cuius explicandae cauſa Jeſus hoc exemplo vtitur, omnino eſt interna et moralis. Jam ſi in noſtro etiam loco iſtam vocem eodem modo intellexeris, Jeſus omnino hoc dixiſſe cenſendus erit: haec *βασιλεία* iam inter vos eſt (h. e. in vrbe, patria, non in animis veſtris), potuitque vere ita dicere ratione eorum, quae ad ſui regni aliquando inaugurandi praeparationem et annuntiationem facta erant. Haec ipſa autem eiusmodi fuerunt, vt recte adfirmare poſſet, non eſſe venturum regnum *μετὰ παρατηρήσεως*, ſed a paruis initiis prorſus ea ratione exorſurum, quam ipſe pluribus parabolis Matth. XIII. adumbrauerat. In his ipſis autem paruis ſui regni initiis nullo modo potuit de vera illius inauguratione cogitaſſe tanquam iam facta. Etenim in hoc ipſo loco, vt alibi, paulo poſt pluribus de ea tanquam futura et fulguris inſtar ſumma celeritate exſtitura exponit, ſimulque de hominum leuitate et amentia vti de calamitatibus et doloribus a Meſſia antea exantlandis conqueritur, atque v. 30. demum eodem redit, vt dicat, poſt haec omnia vere adfuturum regni ſui initium; vnde luculenter patet, nullo modo v. 21, de eodem tempore Jeſum dicere voluiſſe, nec, quae ibi pronuntiauit verba, de regni ſui inauguratione vere iam facta explicari poſſe. Quare non ſatis accurate dicitur apud *Schottum* Epitom. theol. dogm. p. 118.: *apud Luc.* 17, 20. 21. *de regno diuino et praeſenti et futuro agitur.* In his enim commatibus *neutrius* diſerta fit mentio; ſed ratione futuri tantum, de quo inferius demum

v. 30. ſermo inſtituendus erat, Jeſus dixit, initia quaedam parua iam fieri. Faſſus tamen eſt ſua interpretatione vir doctiſſimus, omnino Jeſum in illis verbis de *futuro* ſuo regno dixiſſe, quod alii prorſus negauerant.

Simili vero modo de aliis etiam nonnullis N. T. locis iudicandum eſt, in quibus idem *Schottus*, l. et l. l. aſſentiente *de Wette* in theol. bibl. §. 92. contendit, de *βασιλείᾳ Χρ.* ita exponi, vt neceſſario pro vere *praeſente* atque iam *inaugurata* haberi debeat. Prouocauit nimirum vterque ad Matth. 12, 28. vbi Jeſus, poſtquam Phariſaeorum de ipſius cum Satana clandeſtino foedere criminationibus reſponderat, haec addit: *εἰ δὲ ἐγὼ ἐν πνεύματι θεοῦ ἐκβάλλω τὰ δαιμόνια, ἄρα ἔφθασεν ἐφ᾽ ὑμᾶς ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ.* In his verbis Jeſus eo reſpicit, quod Judaei Meſſiam futurum ſibi perſuaſerant Satanae poteſtatem et imperium eſſe deleturum, atque adeo miſeros illos, quos eo ipſo tempore occupatos eſſet habiturus, ipſius tyrannide liberaturum; hinc pergit, quum viderint, a ſe cum maxime vere ejici diabolum ex hominum obſeſſorum corporibus, non habere amplius eos, quod vel de ſe Meſſia vel de regno Meſſiano vere exſpectando dubitent, quippe cuius ipſe dux et rex iam adſit. Verum quoniam ſe auctorem regni praeſentem dixit, non item voluit regnum iam vere praeſens dicere. Etenim ſi Jeſus haec dicens, regnum, cuius mentionem faciebat, vere iam obtinere ipſe ſtatuiſſet et ab aliis credi voluiſſet, non poſtulaturus fuiſſet a Judaeis, vt ratiocinando illud agnoſcerent, quippe ſua ipſius maieſtate et ſplendore ipſorum in ſe oculos conuerſurum. Quare iſtis verbis *ἔφθασεν* — prorſus nullo modo aliud quidquam Jeſus ſibi voluit, quam quod ineſt illis *ἤγγικε ἡ. β. τ. Θ.* quibus in prima ſtatim inſtitutione vſus eſt: ante portas eſt, iam inſtat, proxime aderit. Ac omnino ille aoriſtus *ἔφθασεν* adhibetur de eo, quod, quamquam nondum vere exſtat, breui tamen tempore aderit. Sic Paulus 1 Theſſ. 2, 16.

de Judaeis, poſt Jeſum iniuſtiſſime cruci affixum doctrinae etiam illius propagationem prohibentibus dicit, ἔφθασεν ἐπ᾽ αὐτοὺς ἡ ὀργὴ εἰς τέλος· quae quidem verba non poſſunt ſignificare aliud quidquam niſi hoc: certiſſime poena ipſos tandem corripiet.

Neque aliud quid ineſt Jeſu verbis, a Matth. 11, 12 ſeruatis, collatis cum Luc. 16, 16, qui quidem poſterior paulo clarius refert, dixiſſe dominum: ὁ νόμος καὶ οἱ προφῆται ἕως Ἰωάννου· ἀπὸ τότε ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ εὐαγγελίζεται, καὶ πᾶς εἰς αὐτὴν βιάζεται, quae ita intelligo: vsque ad Johannis tempora prophetis et legi tantummodo honos habitus fuit; poſtquam vero de regno diuino nuntius allatus eſt, omnium in illud animi ſunt conuerſi ac quo quisque poteſt violento impetu illud intrare geſtit. Rectiſſime Jeſus dicit: ἡ βασ. εὐαγγελίζεται. Etenim ipſe et Johannes ſecundum Matth. 3, 3. 4, 17. ab hac ipſa praedicatione omnem ſuam rem erant ingreſſi, ἤγγικε ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν· μετανοεῖτε. Huius autem ipſius regni quum illius temporis Judaei ſummo flagrarent deſiderio maximaque omnes tenerentur exſpectatione; non poterat non iſte de appropinquante hoc regno nuntius magno ſtudio inter eos excipi, vnde etiam ſecundum Matth. 3, 5. magna hominum multitudo ad Johannem confluxit, maior adeo ad Jeſum Joh. 4, 1. atque ab vtroque ſuſcipiendo baptismate ad illius regni communionem voluit initiari, quo, ſimulac vere inauguratum fuiſſet, illius dignitate et felicitate frui liceret. Hoc ipſum nimirum ineſt verbis: πᾶς εἰς αὐτὴν βιάζεται. Ita enim vt intelligantur poſtulant verba, quibus Jeſus apud Matth. vſus eſſe legitur: ἡ βασ. τ. ο. βιάζεται καὶ βιασταὶ ἁρπάζουσιν αὐτήν, ſummo ſtudio regnum diuinum appetunt violentoque impetu illo potiri nituntur homines. Quum igitur Jeſus de ſola illius regni praedicatione et annuntiatione excitatisque per illam hominum illius

conſequendi ſtudiis dicat; quo quaeſo jure inde aliquis colligat, illud regnum a Jeſu iam vere inſtitutum et inauguratum dictum fuiſſe?

Eandem vero de regno Meſſiae, futuro demum tempore inaugurando, neque iam tunc, cum ipſi viuerent, inter homines florente ſententiam Apoſtoli etiam tenuerunt et Chriſtianis inculcarunt; neque vllo aliquo ex illorum epiſtolis et ſermonibus loco aliter eos ſtatuiſſe certo doceri poteſt, quamquam etiam in his nonnulli, maxime *Schottus* l. l. §. 97. in nota a) ſibi viſi ſunt contrariae ſententiae veſtigia reperiſſe.

Sic v. c. Coloſſ. 1, 13. Paulus dicit, Coloſſenſes a Deo ex Satanae poteſtate liberatos eſſe, eo quod *μετέστησεν ἀυτὸς εἰς τ. β. τῦ υἱοῦ ἀυτῦ*; vnde patere dicunt, ex Apoſtoli mente illud regnum iam vere adfuiſſe. Verum ex conſtanti omnium N. T. ſcriptorum doctrina Chriſtiani regni diuini ciues eſſe dicuntur propter hanc vnam cauſam, quod in coetum eorum recepti ſint, quibus certiſſima felicitatis in regno Meſſiano praeparatae ſpes et iuſtiſſima exſpectatio facta ſit, vel vti plerumque vno verbo dicitur, quod ſint *κλητοὶ* h. e. inuitati ad regni Meſſiani felicitatem olim conſequendam. Vtrum autem hac felicitate aliquando vere ſint fruituri, an carituri, id vnice ab ipſorum moribus et factis pendere docentur, indeque ſaepiſſime monentur, vt *ἀξίως τῆς κλήσεως* viuant h. e. ea ratione, quae deceat homines, ad tantae beatitatis ſpem erectos, quo ea vere etiam potiantur. Hinc ſaepius alii *κληρονομεῖν τὴν βασ. τ. θεῦ* alii contra *οὐ δύνασθαι κληρονομεῖν, λαμβάνειν* dicuntur. De quibus omnibus quoniam Apoſtoli admonebant recte vocantur *συνεργοὶ εἰς τὴν βασ. τ. Θ.* Col. 4, 11.

Pariter ſe res habet in alio eiusdem Apoſtoli effato, quod eſt Rom. 14, 17. vbi contendunt *βασιλείαν τ. Χρ.* de doctrina Chriſti dici atque de imperio, quod per illam

in hominum animis exerceat. Paulus nimirum h. l. in eo eſt, vt Romanos ab eiusmodi eſculentorum vſu dehortetur, quibus nonnulli credebant, non ſine peccato cultores Chriſti veſci poſſe, ne his ipſis imbecillioribus ſua liberaliori agendi ratione offenſioni ſint. Hanc autem adhortationem hoc argumento munit: *ὀυ γάρ ἔςιν ἡ βασ. τ. Θ. βρῶσις καὶ πόσις, ἀλλὰ δικαιοσύνη καὶ ἐιρήνη καὶ χαρὰ.* Hunc vero locum cum aliis *Noeſſeltus* opuſc. vol. 2, p. 111. ita intelligendum eſſe aſſeruit: „Chriſtianos nos eſſe non eo demonſtramus, neque praecipuam laudem conditionis noſtrae, qua Chriſtiani ſumus, poni oportet in eo, quod liceat veſci iis aut ea bibere, quae ſint Israelitis lege moſaica vetita, ſed virtute et pace ſeu concordia et aliorum gaudio promovendo per Sp. ſ. i. e. tali, quod ſit doctrinae chriſtianae a Sp. ſ. profectae conſentaneum;“ atque ex hac ipſa loci explicatione elucere dicit p. 112. 117., *βασ. τ. Χρ.* latiori ſenſu, quam a Koppio et me ipſo poſitum ſit, nimirum morali etiam de doctrina Jeſu eiusque in hominum animis efficacia ab Apoſtolis dici. Attamen quamquam illa ipſa, quae Noeſſelto Apoſtoli verbis inesſe viſa eſt ſententia, per ſe ſpectata nec inepta haberi poteſt, nec erronea, vix tamen Apoſtoli menti vere obverſata fuit, eiusque conſilio conſentanea eſt iudicanda. Etenim haud dubie hoc ſibi voluit Apoſtolus: felicitatis in regno Meſſiano exſpectandae ſpes non in ciborum quorundam aut vſu aut abſtinentia eſt poſita, imo ab ea aduerſus alios beneuolentia eſt ſuſpenſa, quae in ciborum etiam delectu illorum imbecillitati cedit, quo concordia cum illis ſeruetur, ipſorumque adeo tranquillitas adiuuetur. Hanc quippe Apoſtoli mentem fuiſſe ex illis cognoſcere licet, quae v. 18. addita ſunt: *ὁ γὰρ ἐν τούτοις δουλεύων τῷ χριςῷ, ἐυάρεςος τῷ θεῷ, καὶ δόκιμος τοῖς ἀνθρώποις* h. e. quicunque exercendis his virtutibus (ad has enim v. 17. laudatas omnino referen-

dum eſt pronomen τούτοις) obſequium Chriſto debitum praeſtare ſtudet, Dei gratiam atque fauorem ſibi conciliabit fratrumque plauſum feret. Huius autem fauoris diuini fructus quinam alii poſſint exſpectari, quam praemia ab ipſo fidis Chriſti cultoribus propoſita, in Chriſti regno illis tribuenda? Vnde intelligitur, Paulum v. 17. non tam de iis dicere voluiſſe, quae doctrinae chriſtianae ſint conuenientia, quam de iis, quibus Dei fauorem et gratiam praemiorumque ab eo ferendorum ſpem ſibi quisquam parare poſſit. Hinc verba βασιλεία θεοῦ ἐστιν — vertenda ſunt: ſpes felicitatis in regno Meſſiano conſequendae non eo nititur, vt quis a certo quodam cibo et potu abſtineat; prorſus eodem modo quo Joh. 17, 3. quisque concedit vertenda eſſe verba: αὕτη δέ ἐστιν ἡ αἰώνιος ζωὴ — aeternae vitae conſequendae in eo poſita eſt ratio. Ex his autem procliue eſt ad intelligendum, quid de alio Pauli loco 1 Cor. 4, 20. cenſendum ſit, quo ſimiliter theologi dixerunt affirmari, βασ. τ. οὐρ. de morali et ſpirituali regno aliquo, iam vere praeſenti, in N. T. poſitum eſſe. Nimirum in verbis: οὐ γὰρ ἐν λόγῳ ἡ βασιλεία τ. θ. ἀλλ' ἐν δυνάμει, quae hic occurrunt, Apoſtolus haud dubie hoc ſibi voluit: regni diuini felicitate vt potiaris, non tam verbis quam factis eſt efficiendum, eodem plane modo, quo Jeſus ipſe pronuntiauit: Matth. 7, 21. — In ſuperioribus quippe Paulus dixerat, ſe, quando ipſe Corinthi praeſens futurus eſſet, de quorundam hominum ſuperbientium non tam verbis quam factis eſſe ſciscitaturum. Huius autem ſui conſilii cauſam in eo eſſe addit: quod in factis vera laus atque omnis promiſſae felicitatis ſpes ſit poſita. Ita vero ſi locum intellexeris, ipſe vides, plane non dici, vti nonnullis viſum eſt, doctrinam omnemque religionem chriſtianam non cerni in vanis orationibus, ſed in ſtrenue factis. Haec enim propoſitio non modo prorſus a ſententia et omni ſcriptoris conſilio aliena eſt,

ſed et ipſa duritie aliqua et obſcuritate ſatis graui laborat.

Certum igitur eſt, nec Jeſum nec Apoſtolos de Meſſiano regno vnquam ita eſſe locutos, vt de eo tanquam vere iam conſtituto et in terris parato dixiſſe credi poſſint, imo vnamini conſenſu docuiſſe, illud tum demum adfuturum eſſe, eaque ipſa, quae in illo ſperanda ſint, tum demum euentura, cum ipſe ad illud inaugurandum redux in terram factus fuerit.

Longe igitur abfuerunt ab eo, vt βασιλείας nomine vel doctrinam Chriſtianam vel coetum cultorum Chriſti, quod plurimi ſibi perſuaſerunt, inſignirent, contra vbique iſta compellatione eam rerum omnium conditionem deſignarunt, quae poſt ſolennem Chriſti reditum locum ſit habitura.

In deſcribenda autem illius felicitatis, quae regni Meſſiani ciuibus parata ſit, natura, Jeſus ipſe et diſcipuli paucis tantum verbis et vniuerſis ſententiis defunguntur, a communi felicitatis notione repetitis, multoque diligentius et frequentius de recta illius conſequendae ratione disputant. Hanc vero in ſtrenuo virtutis et officii, quod quemque pro Dei ipſius voluntate et iuſſu habere oporteat, exercitio, cum vniuerſa virtute commendanda tum ſingulis virtutibus inculcandis, vnice poſuerunt, Joh. 3, 3. Matth. 5, 3. 18, 3. 4. 23. et multis aliis locis. Hoc tamen obſequium, virtutis et officii legibus praeſtitum, ſeuerum eſſe debere Jeſus docuit nec ſanctitatis ſpecie tantum externa ſimulandum Matth. 5, 20. Quale obſequium, quum non poſſet ſine recta in Deum atque ſe ipſum, illius legatum, fide locum habere, nonnunquam etiam haec ipſa fides tanquam cauſa felicitatis conſequendae ab eo proponitur, ita tamen, vt ſimul grauiſſime pronuntiet, iunctam eam eſſe debere aſſiduo recte agendi ſtudio, Matth. 7, 21. Neque aliter Apoſtoli in hac re verſati ſunt, quod

teſtantur loca 1 Cor. 6, 9. 10. Gal. 5, 20 21. Eph. 5, 5. 2 Petr. 1, 5—11. et alia. Ipſam autem felicitatem tali virtutis ſtudio conſequendam vniuerſis plerumque nominibus, σωτηρίας, δόξης, τιμῆς, εἰρήνης, denotant, omnium ſaepiſſime ζωῆς αἰωνίου compellatione. Hanc autem Jeſus et Apoſtoli haud dubie de vita, proprie dicta, intelligi voluerunt, quoniam manibus, ſecundum illius temporis de mortuorum in Orco conditione perſuaſionem, vera vita carendum erat, neque ea aliter reddi mortuis vllo modo poſſe videbatur, quam corpore et animo, eadem, quae ante mortem obtinuerat, ratione coniungendis. Haec ipſa vero vitae recuperatio, ſingulari aliquo modo in regno coeleſti futura, quoniam omnis felicitatis grauiſſima pars eſſe cenſebatur, ea de cauſa ζωῆς vocabulo vniuerſe conditionem ab omni parte beatam ſignificabant.

Quaenam autem huius beatitatis ſingulae partes ſint futurae de eo rariſſime Jeſum quidquam pronuntiaſſe legimus, atque talia tantum, quae Judaeorum de regni Meſſiani bonis expectationi conſentanea eſſent. Sic v. c. Matth. 5, 5. dicit: μακάριοι οἱ πραεῖς· ὅτι αὐτοὶ κληρονομήσουσι τὴν γῆν· in quibus verbis ἡ γῆ haud dubie de terra Palaeſtinenſi eſt interpretandum, in qua quippe regni Meſſiani ſedem futuram eſſe confidebant Judaei; de hoc autem ipſo regno v. 3. diſerte dictum eſt. Verum praeter hunc locum nullus alius reperitur, in quo de illis quidquam perhibeatur, quae omnibus ac ſingulis Meſſiae cultoribus in eius regno expectanda ſint. Quae autem alibi promittuntur, ſimiliter a rerum humanarum et humani regni ratione repetita, ad Apoſtolos tantum pertinuerunt. Sic Luc. 22, 16. 18, 29. 30. Matth. 26, 29. in vltima coena Apoſtolis nuntiat, ſe peracta hac coena cum illis in ſuo demum regno eſſe iterum coenaturum, idque multo magnificentius. In hac autem locutione non tam coenae

proprio ſenſu cum illis inſtituendae quam dignitatis plane ſingularis ipſis tribuendae promiſſionem ineſſe ex Luc. 22, 29. 30. clariſſime patet, vbi commemorata iſta communi coena ſtatim adieciſſe legitur Chriſtus, illos occupaturos eſſe thronos ipſis poſitos et XII. Judaeorum tribus in iudicium vocaturos. Haec ipſa autem promiſſio latius explicata ab eo fuit, vbi ſecundum Matth. 19, 28. dixit fore, vt, poſtquam ipſe ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ in ſolio regio conſederit, et illi, duodecim ſellis inſidentes, iudicium ſint exercituri. Haec pauciſſima tantum de felicitatis in regno Meſſiano exſpectandae natura et partibus in Jeſu ſermonibus commemorata reperiuntur; multo autem diligentius et frequentius de via ac ratione praecepiſſe legitur, qua ad illius fructum eniti homines oporteat. Ex quo certiſſime colligitur, hanc ipſam virtutis et ſanctitatis commendationem Jeſum omnium maxime ſpectaſſe, Meſſianaeque felicitatis ab eo propterea tantum mentionem factam, quo alacriori ad illam expetendam diſcipuli et auditores fierent animo. Hos enim intellexerat quam maxima illius felicitatis ſpe teneri, obſequiique ſibi doctrinaeque ſuae praeſtiti cauſas vnice fere ex illa ſpe ſuſpenſas habere.

Hoc nimirum apud Matth. 19, 27. ipſi ſatis aperte profeſſi ſunt, vbi Petrus ſuo et ceterorum nomine ex Jeſu quaerit, quanam re ipſis compenſaturus ſit omnium bonorum iacturam, ipſius cauſa a ſe toleratam. Cui ſapientiſſimus doctor ita eſſe reſpondendum vidit, vt haud prorſus de eo deſperarent, quod pro ſummo ab ipſis bono haberi notiſſimum ipſi erat. Neque tamen animum eiusmodi praemiis inhiantem ſibi probari parabola ſtatim adiecta de mercenariis in vinea opus facientibus ſatis luculenter docuit. Praeterea haud perperam conieciſſe videtur *de Wette* theol. bibl. §. 194. Euangeliſtas in narrandis his Jeſu promiſſis ſuam ipſorum

dicendi rationem haud dubie ſecutos eſſe, ac quae ille altiora et digniora edixerit, non ſatis recte intellecta ſuorum verborum humilitate induiſſe. Verumtamen et ipſi melius postero tempore mentem Jeſu ceperunt, vt ipſorum ſcripta testantur, in quibus, praeter Apocalypſin Johanneam, nulla pene priſtinae illius in ſperanda futura felicitate tenuitatis vestigia reperiuntur, expectandaque regni coelestis beatitas in eo potius cerni ab iis dicitur, quod laetiora cognitionis et virtutis incrementa arctiorque cum Deo, Jeſu ceterisque coelestibus familiaritas locum habitura ſint. Ex hac igitur mutata Apostolorum docendi de regno Meſſiano ratione recte colligimus, non excidiſſe conſilio ſapientiſſimum doctorem, effectumque vere fuiſſe ſuis de regni Meſſiani felicitate promiſſionibus, quod efficere voluerat apud, diſcipulos, vt fidei ſibi habendae virtutisque ſtrenue colendae cauſam in illis haberent efficaciſſimam.

Quae quum ita ſe habeant, nullo modo Jeſus accuſari poteſt hac ſua de regno Meſſiano doctrina ipſe quodammodo vltimo omnis ſuae inſtitutionis fini offeciſſe, qui in eo erat, vt homines virtute colenda atque morum honestate in omnibus ſeruanda diuinae voluntati obtemperarent. Etenim, quae in illa regni Meſſiani exſpectatione aduerſabantur πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ a ſe commendatis, pauciſſimis tantum attigit, nec vllo modo diſcipulis inculcauit, imo ita de ejus conſequendae ſubſidiis ſemper docuit, vt hi ipſi dignius de doctoris ſua vera mente ſtatuere non poſſent et ipſi diſcere et alios docere.

Omnis enim coram populo inſtitutio, cuius egregia exempla v. c. Matth. 5, 6. 7. Joh. 8, 31—36. ſervata ſunt, ita fuit comparata, vt quisque intelligere non poſſet tantum ſed deberet etiam, veram animi probitatem, a prauarum libidinum tyrannide libertatem et haud fucatam Dei reuerentiam, recte agendo

comprobandam, vltimum eſſe inſtitutionis ſcopum, nihilque vel aliud vel magis eum ſpectare quam illud, quod Paulus Tit. 2, 12. egregie dixit ſummum numen per Jeſum efficere voluiſſe, vt nimirum πάντες ἄνθρωποι σωφρόνως, δικαίως, εὐσεβῶς ζήσωσι ἐν τῷ νῦν αἰῶνι. Huic autem ipſius inſtitutioni ipſa eius etiam vita, morum perfectiſſima ſanctitate ſummaque in Deum pietate prae omnibus inſignis, ita reſpondit, vt ne vnus quidem dubius haerere poſſet, quanam in re ſummam ſtudiorum omnium laudem, dignitatem et mercedem ab hominibus ponendam eſſe Jeſus ipſe cenſeret et alios doceret.

III.

DE HISTORICA LIBRORUM SACRORUM INTERPRETATIONE EIUSQUE NECESSITATE.

Interpretationem librorum ſacrorum grammaticam eſſe debere, h. e. talem, quae non niſi verborum ſenſu recte intellecto res, quae ſub illis latent, cognoſcere ſtudeat, omni tempore doctiſſimi quique et peritiſſimi viri cum ipſi ſtatuerunt, tum aliis etiam perſuaſum iuerunt, et contra ſecus ſentientes aſſeruerunt. Erat enim hoc vtique aduerſus eos propugnandum, qui e rebus magis quam verbis literarum ſacrarum ſenſum cognoſci vellent; idque quam inſigni rei theologicae cum emolumento factum olim fuerit ab *Erneſtio* noſtro [1]), quem et me Praeceptorem habuiſſe, inter ea, quae fauſta mihi euenerunt, praecipuo loco ponendum eſſe arbitror, neminem ignoraturum aut praefracte negaturum eſſe exiſtimo. At enimuero hac grammatica librorum ſacrorum

Nota editoris, Scripſit hanc commentationem b. auctor invitaturus ad audiendam orationem, quam Profeſſionis theologicae extraordinariae adeundae cauſa recitauit a. 1788, quo ipſo iam tempore adornandae inſtitutioni N. T. hermeneuticae, quae anno demum 1810 vere prodiit, operam ſe dediſſe ipſe profeſſus eſt huius commentationis p. 92. Ceterum haec commentatio germanice verſa fuit a *Car. Aug. Hempelio*, Rev. Min. Cand. Lipſ. 1793, quo auctori munus Profeſſoris theologici et Praepoſiti in Academia Vitembergenſi gratularetur, quod tamen munus vere non adiit, quum abitum iam parans in *Mori* inter ea mortui locum ſuffectus eſſet.

1) In duabus notiſſimis illis diſſertationibus: *pro grammatica interpretatione librorum inprimis ſacrorum* et *de vanitate philoſophantium in interpretatione librorum ſacrorum*, inſertis iam Opuſc. eius philol. critic. p. 219. ſſ. edit. 2.

rum interpretatione commendanda et vindicanda alia, qua istorum librorum interpretatio commendari debet, virtus penitus propemodum neglecta et obliuioni fere tradita fuisse videtur. Dico autem hanc, quod omnis sacrorum etiam librorum interpretatio, aeque ac humanorum quorumcunque, historicae debeat indolis esse. Huius vero historicae interpretationis vix quenquam memini, qui mentionem iniiecisset, praeter vnum *Semlerum*, qui saepe et studiose eam literarum sacrarum interpretibus commendauit, quanquam ipse vix videtur eam recte satis vbique instituisse: et tamen ea non minus, vt puto, quam grammatica illa, meretur spectari, cum haec quidem non nisi adiumentum nobis ostendat, quo ad sacrae scripturae intelligentiam liceat peruenire, illa autem ipsam interpretationis naturam describat, summumque nobis finem ob oculos ponat, ad quem illa omnis dirigi debeat, sitque praeterea vtraque arctissime quidem inuicem nexa, neque tamen ita coniuncta atque copulata, vt non possit vna absque altera esse. Quare cum denuo mihi imposita esset academicae scriptionis edendae necessitas, non alienum mihi esse ab hoc scribendi consilio visum est, si de hac historica, quam dixi, librorum sacrorum interpretatione quaedam commentarer, eamque futuris potissimum literarum sacrarum cultoribus commendare instituerem. Id autem ita faciam, vt cum de vniuersa eius indole differam, tum vero etiam eius sequendae necessitatem demonstrem.

Quaenam igitur primum mihi dicatur *historica* librorum sacrorum *interpretatio*, facillimo videtur negotio doceri posse. Cum enim *interpretari* scriptorem aliquem, ipsa rei natura declarante, nihil aliud fit, quam docere, quamnam sententiam ille singulis libri sui verbis loquendique formulis subiiecerit, vel efficere, vt alter librum eius legens eadem cogitet, quae *ipse* scribens cogitauit; facile intelligitur, omnem interpretationem hactenus *historicam* esse, quatenus rem in facto positam et histo-

rica

rice veram quaerit, eamque repertam esse docet, idque argumentis etiam historicis, testimoniis nimirum et auctoritatibus aliisque περιστάσεσι historiae subiacentibus, confirmat [2]). Non enim id curat interpres, quale sit, quod scriptum est ab altero, vtrum vere an falso dictum sit, sed de hoc vno est sollicitus, vt quid ab eo dictum fuerit, intelligat, sique hoc alterum docuerit, iure suo omnibus muneris sui partibus sibi perfunctus esse videtur [3]). Scire autem et docere, quid cogitauerit aliquis, verbisque significauerit, nonne erit *rem facti* intelligere? Summa igitur similitudine cum historici munere coniunctum est interpretis munus. Vt enim ille ante omnia hoc sibi quaerendum esse statuit, quid factum sit ab altero, non vero, quam bene aut male id factum sit, aut quid fieri ab eo debuerit, ita huius etiam studium in hoc vno debet versari, vt, quid dictum scriptumue sit ab altero, cognoscat aliisque declaret. Hoc autem si in quolibet scriptore fieri debet, haud dubie etiam in sacris fieri debebit, cum satis constet, eos non alio, quam humanos, modo intelligi posse [4]), adeoque horum etiam librorum hactenus erit *historica* interpretatio, quatenus in iis explicandis id quolibet loco quaeri

2) Vtraque de causa sensum scripti alicuius historicum dici posse, agnouit etiam *Storrius* in Diss. de sensu historico (Tubing. 1778. 4.) p. 1.

3) Consentientem in his habeo *Ernestium*, qui l. l. p. 224. haec habet: *In interpretatione nihil aliud quaeritur, quam quid dictum sit, non quale sit, aut quam vere dictum. In libris humanis multa dicta esse, quae falsa sint, quis nescit? et tamen etiam falsa ista recte interpretari possumus. In libris autem divinis, cum persuasum sit nobis, verissima esse omnia, quae tradantur, reliquum iam est solum hoc, vt quid dictum sit, videamus.*

4) Cf. quae de hac re paucis monuit *Ernestius* in Institut. Interpr. N. T. part. I. sect. 1. cap. 1. §. 16. [p. 27 ed. 5. ab *Ammonio* a. 1809 adornatae] pluribus vero postea disputarunt *Gelbricht*, scholae Gizens. Collega, in comment. qua docetur, *interpretationem librorum diuinorum ab interpretatione librorum humanorum nihil differre*, Zwae, 1774 4. et God. *Herderus in den Briefen, das Studium d. Theol. betr.*, P. I. p. 1. ff. [vid. sämmtl. Werke vol. 9, p. 1.] cfr. etiam *Revision d. teutschen Literatur*, part. III. p. 28 sq.

quaeri debet, quid ſcriptores ſacri cum ipſi cogitauerint, tum lectores etiam ſuos, quibus libri ipſorum primum fuerant deſtinati, cogitare voluerint. Eiusmodi autem hiſtoricam librorum ſacrorum interpretationem cum poſtulo, facile intelligitur, me non de eo iam dicere, quod *Semlerus* plerumque vrget, vbi de hiſtorica illa interpretatione loquitur, eam nimirum huc eſſe reuocandam, vt intelligatur, multas ſententias libris ſacris contineri, quae illis, quibus ſcripti ſunt, temporibus et locis ita ſint accommodatae, vt non poſſint ad noſtrae aetatis lectores eodem modo transferri, iisque tanquam diuinitus probatae commendari [5]). Quanquam enim, vt poſt ipſe dicam, in rebus ſententiisque, quae in libris ſacris traduntur, diligenter hoc eſt animaduertendum, quid cum illius aetatis, qua ſcriptus eſt liber quisque, illorumque, quibus deſtinatus eſt, hominum decretis, opinionibus ac moribus conſentiat, aut non conſentiat; interpreti tamen non conuenit definire, vtrum hae ſententiae eiusmodi etiam ſint, vt earum non poſſit eadem ſemper, et apud omnes homines auctoritas eſſe [6]), ſed hoc

5) In quam rem, praeter alia multa eius teſtimonia, videri poſſunt, quae ſcripſit v. c. in Praef. Paraphraſi 1. epiſt. ad Corinth. praemiſſa: *Atque*, inquiens, *huius quidem generis ſcriptores vt fere parui pendunt diligentiam hiſtorici interpretis, ſolent ſcripturae ſacrae partes omnes eodem in loco habere; itaque e. c. Epiſtolarum Pauli omnes partes et ſententias pari ſtudio agitare, atque ſtudioſius ſic tractare vel voculas et particulas, vt aliquid efficiant, quod ad noſtram hodie rem et vtilitatem faciat. Sed hac ratione, niſi vehementer fallor, continua impedimenta interpretationis iuſtae conſecrantur; nec praecipua laude mihi digna videtur illa tam humilis diligentia, quae ancipiti ſacrae ſcripturae omine facile imperitos fallere poteſt.* Epiſtolarum *certe ea dos eſt atque indoles, vt hiſtoriam fere continuam occupent; itaque multa a Paulo ita ſcribuntur, quia iſto tempore ſic ſcribi oportebat; talia vero iam non a nobis eo ſenſu augenda ſunt, qui e. c. Corinthiorum omnem ſtatum non ſequitur, qui vt verbo dicam, vſum ſapientis lectoris aliorum temporum occupat, atque in locum hiſtorici ſenſus infert.* Cum his conferri etiam poſſunt, quae ſcripſit in Appar. ad liberalem N. T. interpret. p. 182 ad §. 72. et p. 205 ad §. 77.

6) In quo excutiendo tota verſatur *Storrii* Diſſert. not. b. commemorata.

hoc conſtituere, Theologi magis, quam interpretis eſſe arbitror. Illius enim eſt, quaerere, quodnam ſingulis ſententiis a ſcriptoribus ſacris expoſitis pretium ſit ſtatuendum, et quaenam iis hac noſtra aetate auctoritas tribuenda, quonamque modo in noſtrum vſum ſint convertendae; huius autem, vt iam dixi, munus in hoc vno continetur, vt quid a ſcriptoribus illis traditum fuerit, oſtendat. Quodſi autem eo redit omnis illa hiſtorica interpretatio, cogitur iam, hoc vnum fore verae et legitimae interpretationis κριτήριον, vt vno ſaltem aut pluribus, quibus in tali re vti licet, argumentis doceri poſſit, hanc nec aliam fuiſſe, eſſeque potuiſſe ſcriptoris ſacri mentem; reliqua autem omnia, quae argumentorum loco laudari poſſint vel ſoleant, qualia ſunt e. c. hanc illamue ſententiam vel in ſe ſpectatam commodam eſſe et facilem, aliam vero incommodam pluribusque difficultatibus obnoxiam, vel eam Deo ſcriptoreue diuino dignam eſſe, aliam vero indignam, vel denique analogiae fidei, quae dici ſolet, aliorumque ſcripturae locorum auctoritati, conuenire, aliam vero vtrique aduerſari, et quae plura ſunt huius generis, haec, inquam, omnia nullam in ea re firmam et certam fidem efficere poſſe. Vtut enim talia veriſſima ſint, tamen iis nunquam efficitur, eiusmodi aliquam ſententiam ab hoc ſcriptore hoc etiam in loco traditam, verbisque eius ſubiiciendam eſſe, ſed hoc non niſi hiſtoricis poterit argumentis doceri. Quae cum ita ſint, non poſſum equidem calculum meum *Jungii*, Norimbergenſis Theologi, ſententiae adiicere, qua in iis certe librorum ſacrorum locis, in quibus Deo humana v. c. membra tribuantur, aut ipſum alicuius rei poenitere dicatur, aut alia tradi videantur, quae ſanae rationis de Deo menteque humana decretis aperte repugnent, huiusque generis ſimilibus locis, non niſi hac ipſa ſana ratione in auxilium vocata definiri poſſe ſtatuit, quonam illa modo ſint intelligenda et explican-

plicanda [7]). Putauerim enim, in eiusmodi locis interpretandis illud potius quaerendum esse, quamnam scriptores, in quorum libris talia loca occurrant, eorumque aequales de Deo menteque humana, aliisque, de quibus dicitur, rebus sententiam fouerint, exque ea sensum illorum locorum constituendum, cum satis constet, non omni tempore eandem iis de rebus sententiam obtinuisse, vel apud eos etiam homines, qui diuina aliqua institutione gauderent [8]).

Ab hac autem legitima cuiusque scriptoris interpretandi ratione profecto non opus esse arbitror, vt multis ostendam, quam longe aberrent, qui vel ad illius, cui ipsi addicti sunt, coetus sacri doctrinae formulam literas sacras interpretantur, eiusque decreta omnibus earum locis accommodant, magnaque saepe cum vi obtrudunt, vel ipsi sibi effingunt, quae a scriptoribus sacris tradi et vt vera proponi atque commendari debeant, cumque ipsis e. c. certum esse videatur, Deum non posse abhorrente a consueto naturae cursu modo agere et operari, absurdum esse genios malos statuere, aut aliquam in homines vim et potestatem iis concedere, doctrinam de morte Christi vicaria Deo indignam esse et ab omni sana de eo statuendi et iudicandi ratione abhorrere, et quae plura sunt huius generis, haec iam ad omnia illa loca, in quibus talia tradi existimantur, transferunt, eaque ita detorquent, vt nihil, quam quod ipsis probetur, in iis defendi aliis persuadeant, vel qui opinionum suarum philosophicarum in libris sacris argumenta quaerunt, iisque

---

7) In commentatt. philos. et theol. (*Philosophische und theologische Aufsätze*, Norimb. 1779 8.) Vol. I. p. 42 et 52.

8) Apposite igitur scripta esse existimo, quae monet *Semlerus* in libro sic inscripto: *Neuer Versuch, die gemeinnützige Auslegung und Anwendung des N. T. zu befördern* (Hal. 1786 8.) p. 4. *Was man anthropopathische und gar anthropomorphische Vorstellungen und Redensarten nennt; ist die erste Denkungsart, so in allen alten Religionsordnungen zum Grunde liegt.* cfr. Ejusdem Appar. ad liberalem N. T. interpr. p. 178 ad §. 71.

iisque eos in omnibus consentaneos esse volunt, vel cuiusvis aeui fata et historiam aliasque res absconditas ex illis cognoscere cupiunt, vel quicquam aliud ad legendos cognoscendosque hos libros ipsi afferunt. Haec enim omnia historicae illi interpretandi rationi penitus aduersari, per se planum est, nec vlla indiget demonstratione.

Sed vt accuratius adhuc intelligatur, quidnam huic, quam commendo, historicae interpretationi conueniat, quidque ea postulet, paulo vberius iam erit definiendum, quaenam interpreti eam secuturo curanda sint atque instituenda. Cum vero scripti alicuius sensus partim ex singulorum verborum formularumque loquendi significatione, partim ex plurium verborum sententiarumque inuicem iunctarum nexu, denique etiam ex ipsis, de quibus agitur, rebus intelligatur, quomodo in his omnibus quaerendis et examinandis historica ratio sit sequenda, paucis erit exponendum. In singulorum igitur verborum formularumque loquendi significationibus explorandis non sufficit scire, quid verbum quodque in hac illaue lingua omnino significauerit, sed quaerendum etiam est, quo sensu illo nominatim tempore, quo liber is, quem explicandum nobis sumsimus, scriptus est, inque ea, qua vixit auctor eius, gente et regione fuerit vsurpatum. Tum vero quaeri etiam debet, quinam cuiusque verbi sensus in hoc potissimum, quem interpretamur loco, obtineat, et quemnam quasi ambitum nunc complectatur. Constat enim, saepe verbis quibusdam non modo ampliorem angustioremue, quam qui ipsorum significatione descriptus est, ambitum tribui, sed loco significationis ipsorum alium etiam sensum iis esse subiiciendum [9]. In vtroque igitur quaerendo non pro lubitu versandum est interpreti, sed omnia potius ad ipsius scriptoris sententiam et mentem sunt reuocanda, atque cum

9) De qua re conferenda est lectu dignissima commentatio *Mori, de discrimine sensus et significationis in interpretando*, repetita in Dissertatt. theolog. et philol. Vol. I. p. 61. ff.

cum ad posterius quidem verborum genus, quorum significationi alius sensus est substituendus, tropica potissimum vocabula et loquendi formulae pertineant, in his omnium maxime cauendum est interpreti, ne ab historica interpretandi ratione recedat. Facile enim fieri solet, vt interpres tropice explicet, quae scriptor proprie voluerat accipi, aut contra proprie dicta existimet, quae tropico sensu scripta fuerant, aut peruerso saltem modo ea intelligat. Itaque diligenter hoc attendere debet interpres, vt non modo certo sciat, scriptorem aliquem hanc illamue sententiam proprie aut tropice intellectam voluisse, sed si de eo ipsi constiterit, teneat etiam, qua ratione eam voluerit intellectam. In plurium autem vocabulorum sententiarumque inuicem iunctarum nexu indagando non minus necesse est, vt id potissimum quaeratur, quaenam scriptor verba inuicem nexa esse voluerit, et quemnam eorum nexum sibi cogitauerit, neque hoc neglecto ea inter se iungantur, quae interpreti videantur hoc illoue modo inuicem necti posse. In rebus denique, quae apud quemlibet scriptorem traditae reperiuntur, sedulo spectandum est hoc, vt earum omnium, quantum fieri potest, easdem plane notiones sibi formet interpres, quae scriptoris, lectorumque eius menti sunt obuersatae; alioquin nullo modo poterit eorum, quae dicuntur, sensum illum assequi, qui in ipsius scriptoris tum, cum scriberet, animo insedit. In rebus igitur iis, quae sensibus subiacent, quarumque in libris s. mentio aliqua iniicitur, quales sunt v. c. hominum, quorum res gestae narrantur, mores et ritus, regionumque, in quibus illi vixerunt, situs et indoles, hoc curandum erit interpreti, vt earum omnium eam conditionem cognitam sibi reddat, quam scriptor quisque eiusque lectores illo ipso tempore oculis suis vsurparunt, quo liber eius est exaratus. Multo magis vero in iis rebus, quae animo tantum comprehenduntur, in eo ipsi erit elaborandum, vt omnium, quas ipse sibi formauit, aut ab aliis accepit, harum re-

rerum notionum penitus quasi obliuiscatur, et in eius potius, qui librum quemque scripsit, eorumque quibus destinatus est, notiones his de rebus conceptas, inquirat. Quod vbi factum fuerit, tum has istorum hominum notiones ita animo debet amplecti, vt omnem quasi eorum personam induat, et quaenam ipsis haec scribentibus aut legentibus ideae necessario debuerint obuersari, diligenter cogitet [10]). Atque ita quidem omnia in scripto aliquo explicando ad ipsius auctoris eiusque lectorum notiones putem esse revocanda, praeterque has nihil aliud ad sensum eius perspiciendum in auxilium esse adhibendum. Quomodo autem singula haec sint reperienda, id facile intelligitur, non posse in angustis huius scriptiunculae limitibus a me nunc exponi, sed alius isque commodior de iis dicendi atque praecipiendi locus mihi dabitur, si ad institutionem Hermeneutices N. T., quam paro, olim edendam vitam viresque Deus mihi concesserit.

Iam vero satis, vt puto, natura historicae interpretationis in vniuersum exposita, profecto non poterit intellectu adhuc difficile esse, cur vt hanc interpretandi rationem in sacris etiam libris sequamur, necessarium sit iudicandum. Sponte enim intelligitur, ab ea omnem, quae quidem in re exegetica locum habere possit, certam persuasionem pendere. Cum enim interpretari, vt supra dixi, nihil aliud sit, quam docere, quidnam scriptor aliquis haec vel illa scribens cogitauerit, suosque lectores etiam cogitare voluerit, quomodo tandem certus fieri possis, te dicta eius recte esse interpretatum, nisi hoc ipsum teneas, hanc vel illam sententiam eius fuisse, nec aliam vllam esse potuisse? Si enim hoc est, quod quaeritur, nulla profecto alia vera iudicanda est interpretatio, quam quae auctoris menti est consentanea. Quare si vel maxime constet, interpretationem loci alicuius

10) Digna sunt lectu, quae de hac re monuerunt *Wetsienius* regul. VII. de Interpretatione N. T. p. 878. T. II. N. T. graeci, et *Turretinus* in Tractat. de sacrae scripturae interpretatione, p. 371. edit. Teller.

cuius neque vſui loquendi ſingulorum verborum, neque contextae etiam orationi repugnare, atque ſententiam etiam commodam efficere, et tamen non doceri poſſit, eandem ſententiam animo etiam ſcribentis obuerſatam fuiſſe, neque tibi ipſi perſuaſum eſſe poterit, veram te interpretationem reperiſſe, neque aliis etiam id perſuadere poteris. Haec enim perſuaſio non poterit prius locum habere, quam neceſſitas quaedam huius illiusue ſententiae cum verbis ſcriptoris copulandae fuerit intellecta, quae ſi vel maxime non poterit abſoluta dici, eiusmodi tamen eſſe debet, quae moralem, qui dicitur, aſſenſum gignat. Talis autem neceſſitas tum demum adeſſe iudicabitur, ſi planum fuerit factum, ſcriptorem pro ſua conditione ſuoque conſilio atque aequalium opinionibus et neceſſitatibus non potuiſſe non ea ſcribere, quae tibi videantur in eius oratione ineſſe. Quae cum omnia ipſa rei natura nitantur, nullus equidem video, cur non de ſacris etiam libris debeant valere, cum nihil plane intelligam, quo, vt aliam in his explicandis viam inſiſtamus, moneamur; niſi forſitan defendere aliquis audeat, hos libros non ad ſingulorum hominum aut vnius aetatis, ſed omnium potius hominum loquendi ſtatuendique rationem eſſe conformatos, nec quicquam etiam continere, quod quorundam modo hominum neceſſitatibus ſit accommodatum. Atque equidem non omnino negauerim, vtique fuiſſe, qui etſi non diſerte hoc defenderent, in interpretandis tamen libris illis ita verſarentur, vt profecto ſic ſtatuiſſe iudicandi ſint. Vt enim taceam nunc illam obſoletam iam Cocceianorum ſententiam, quae verba ſcripturae ſ. tantum vult ſignificare, quantum poſſint, itemque alia de ſenſu typico, allegorico et myſtico ſomnia, quae omnia ex peruerſa eiusmodi de libris ſacris opinione profecta ſunt, vnde, quaeſo, ſolennis illa multorum conſuetudo, ea, quae ad certae cuiusdam aetatis aut certi hominum generis decreta moresue accommodate ſcripta ſunt, ita detorquendi atque

per-

peruertendi, vt, quem ex illo tempore colorem quasi duxerunt, prorsus amittant, videanturque nostris opinionibus et moribus plane consentanea? vnde porro orta hinc non minus vulgaris libido, vbique communes locos et vniuerse dicta inueniendi [11]), nisi ex vana illa persuasione, quae in libris sacris contineantur, omnibus hominibus scripta esse debere? At enimuero quantopere haec opinio a vero abhorreat, sitque adeo ipsi librorum sacrorum auctoritati aduersaria, vix opus est, vt multis demonstrem, cum res satis sit aperta. Primo enim consilium, quo plerique librorum sacrorum scripti sunt, non aliter patiebatur, quam vt maximam partem certis quibusdam locis, temporibus et hominibus essent accommodandi. Non enim hoc consilio scriptos esse constat, vt systema aliquod omnium religionis capitum exhiberent, sed aut in vniuersae cuiusdam gentis, maxime iudaicae, aut plurium hominum societatis, aut singulorum etiam hominum vsum vel publicum vel priuatum compositi sunt, vel fortuitis etiam causis suam debent originem. Talis certe profecto fuit plerarumque epistolarum ab Apostolis scriptarum origo. Nunc enim nuntius de turbulento alicuius coetus christiani statu ortisque in eo dissensionibus ac rixis acceptus, nunc literae ab eiusmodi coetu aliquo ad Apostolum datae, nunc metus, ne vel falsorum doctorum peruersitas noxiis Christianorum animos erroribus inficeret, vel vexationum, quae ipsis a gentilibus infligebantur, vis et atrocitas ad religionem iam susceptam rursus abiiciendam et deserendam eos sollicitaret atque impelleret, nunc aliae similes causae scribendarum ad hanc illamue ecclesiam epistolarum occasionem praebuerunt; vt nihil dicam de epistolae ad Philemonem consilio, quae non nisi serui alicuius fugitiui in gra-

11) De qua iure suo questus iam est *Reinhardus* in Diss. I. *de locis quibusdam, qui in sermonibus Domini temere putantur communes*. Viteb. 1780. 4. [cf. *Ejusdem* Opusc. acad. vol. I, p. 191.]

gratiam cum domino reducendi causa est exarata [12]). Si vero eiusmodi fuit librorum sacrorum consilium, vt omnes certum aliquod hominum genus in hoc illoue statu constitutum spectarent, nonne, quaeso, necesse erat, vt toti his hominibus eorumque necessitatibus accommodarentur? aut qua tandem ratione consilio suo potuissent respondere, si non fuissent hoc modo conscripti? Deinde vero ipsum etiam eorum argumentum satis luculenter declarat, eos non esse eiusmodi, vt nihil contineant, quod mutationi alicui sit obnoxium, aut certi cuiusdam temporis imaginem referat, eiusque quasi notam aliquam sibi habeat impressam. Magna enim eorum pars tota in historico argumento exponendo versatur, rerumque earum, quae cum religione aliquam habent coniunctionem, seriem atque decursum enarrat, hincque non potest non multa etiam eiusmodi complecti, quae vel a singulorum hominum aut gentium vniuersarum ingenio, studiis, opinionibus, ritibus ac moribus pendent, vel huius illiusue loci aut regionis naturam et indolem spectant, vel vllo alio modo cum pristinorum temporum historia coniuncta sunt exque illa repetenda atque illustranda. Tum vero vel ea etiam, quae ad ipsam religionis causam eiusque dogmata pertinent, suntque ex peculiari quadam institutione diuina profecta, triplici modo historicam indolem nacta sunt. Primo enim inter omnes constat, Deum in doctrinae illius salutaris, cuius notitiam generi humano singulari, quam dicere solemus, reuelatione, voluit impertire, capitibus patefaciendis hunc modum tenuisse, vt non omnia eodem tempore hominibus cognita redderet, nequa eadem etiam veluti in luce omnibus aetatibus conspicienda ea praeberet, sed temporis successu alia atque alia aperiret, inque hominum notitiam adduceret, atque iis etiam, quae ex parte iam

12) Cferri possunt, quae de vario hoc librorum sacrorum consilio in singulorum temporum hominumque conditione quaerendo scripsit *Zachariae* in Theol. bibl. Vol. I. p. 6. ff. Introd.

iam innotuerant, clariorem indies lucem quasi accenderet. Hinc dudum iam a Theologis non modo certae quaedam notabiles periodi huius, quae generi humano diuinitus contigit, institutionis sunt constitutae [13]), sed a multis etiam saepe iam monitum fuit, has diuersas diuinae reuelationis periodos literarum sacrarum interpreti diligenter esse obseruandas, cauendumque, ne, quam haec illaue aetas doctrina alicuius notitiam habuit, alii tribuat, neque adeo N. v. c. T. meliorem et puriorem multarum rerum cognitionem V. T. libris inferat. Hoc autem quam commode fuerit admonitum, quamque bene historicae illi, quam posiulo, interpretandi rationi conueniat, quis est, qui non intelligat? Debebunt igitur singula, quae quolibet tempore cognita fuerunt, religionis dogmata et praecepta diligenter obseruari, poteruntque ea in integrum aliquod corpus colligi et secundum eas, quas quaelibet aetas earum sibi formauit notiones, describi [14]), existetque hinc biblicae aliquod Theologiae systema, quod pro singulorum temporum conditione non minus varium erit, quam a nostro systemate theologico diuersum [15]). Deinde vero ea ipsa etiam, quae cuiuslibet aetatis hominibus diuinitus innotuerunt, eo modo ipsis sunt patefacta, qui et ingenio ipsorum cogitandique ac dicendi rationi conueniret, et vni-

13) In peculiaribus quidem scriptis factum hoc est a *Rosenmüllero* nostro in doctissima commentatione, cuius nuper auctior et emendatior editio prodiit, sic inscripta: *Abhandlung über die Stufenfolgen der göttlichen Offenbarungen*, Hildburgh. 1784. 8. itemque *Hessio* in libro: *Von dem Reiche Gottes*, edit. 2. Turic. 1780. 8. [edit. 3. prod. 1796.] cfrri etiam potest *Lessingii* scriptum: *Die Erziehung des Menschengeschlechts*. Berol. 1780. 8.

14) Cuius rei qua V. quidem T. periculum aliquod fecit E. D. *Küsterus*, Magdeburgensis Theologus, in der *biblischen Religionsgeschichte der vier ersten tausend Jahre von Schöpfung der Menschen bis zur Geburt* I. C. Magdeb. 1778. 8.

15) Sic enim meo quidem iudicio biblicae Theologiae notio videtur constituenda, quanquam non ignoro, alios alio sensu eam dixisse. Eodem tamen modo eam definivit *Gablerus* in Orat. de iusto discrimine theologiae biblicae et dogmaticae, regundisque recte vtriusque finibus. Altorf. 1787.

vniuerſae temporis, quo viuebant, conditioni eſſet accommodatus. Hinc futurus e. c. generis humani ſoſpitator mox prophetae mox regis nomine fuit praenunciatus, prout qualibet aetate vel huic vel illi ſummam homines ſolebant auctoritatem tribuere. Hinc Apoſtoli etiam in religione chriſtiana Iudaeis Graecisue tradenda ſingulorum conditionem omnemque ſtatuendi rationem diligenter cogitabant, eique omnem ſuam inſtitutionem accommodabant, ideoque, vt vel vnum huius rei exemplum commemorem, vbi ad Iudaeos verba faciebant, Ieſum poſt ſuum e mortuis in vitam reditum Meſſiam a Deo eſſe conſtitutum declarabant, (Act. II, 36.) vbi vero cum gentilibus ipſis res erat, qui nullam Meſſiae notionem habebant, viuorum ac mortuorum iudicem eum declaratum eſſe docebant. (Act. X, 42. XVII, 31.) Atque ex hoc ipſo exemplo ſatis perſpicue ſimul intelligitur, non modo vtilem ſed neceſſariam adeo fuiſſe hanc religionis capitum hominibus tradendorum rationem. Quemadmodum enim gentiles Apoſtolos neutiquam fuiſſent intellecturi, ſi de Meſſia a Deo conſtituto cum iis locuti fuiſſent, ita omnino nemo hominum inſtitutionem diuinitus nobis conceſſam capere potuiſſet, niſi ea illo, quo dixi, modo ad cuiusuis hominum aetatis cogitandi intelligendique rationem fuiſſet conformata. Simili vero modo hoc etiam vel me non monente intelligitur, hanc omnem, de qua hactenus dixi, hiſtoricam librorum ſacrorum quaſi ſpeciem ac formam permultum ad fidem auctoritatemque eorum confirmandam conferre [16]), eaque hoc etiam effectum eſſe, vt iam multo vtiliores nobis ſint iſti libri, quam ſi vniuerſum aliquod doctrinae diuinae ſyſtema continerent [17]). Nunc enim non tan-

16) De qua re legi merentur, quae paucis quidem, ſed perquam commode diſputavit *Döderlein* in praeclaro libro: *Chriſtlicher Religionsunterricht nach den Bedürfniſſen unſerer Zeit*, part. II. p. 31. ſſ. et 177. ſſ.

17) Vid. quae de hac re monuit *Storrius* in Diſſert. laud. §. 6. p. 12. pluribus autem de hac omni cauſa diſputauit *J. B.*

tum quae religionis diuinitus reuelatae capita ſint habenda, inde cognoſcimus, ſed ſcriptorum ſacrorum exemplo diſcere etiam poſſumus, quomodo doctori in tradenda religione animisque auditorum ſuorum applicanda ſit verſandum. Verum haec cum ad cauſam meam nunc non pertineant, miſſa iam facio. Vnum enim hoc nunc oſtendere volebam, in ſacris etiam libris plerisque in locis talia tradi, quae vel ipſa ſint hiſtorica, vel aliquid ſaltem habeant, quod hiſtoricum poſſit dici; idque ipſum vltimo tandem loco eo etiam confirmatur, quod non potuit non cuique ſcriptori ſacro pro varia ingenii ſui animique conditione proprius eſſe vt dicendi ſententiasque inuicem nectendi, ita cogitandi etiam et argumentandi modus, eoque ipſo neceſſario hoc effici debuit, vt non vnam eandemque omnes religionis dogmatum notitionem ſibi formarent, ſed alius ab alia parte ea ſpectaret, ſintque adeo, quae ſinguli de hoc illoue doctrinae ſacrae capite tradiderunt, hac etiam de cauſa quodammodo inter ſe diuerſa, poſſitque iam cuiusque ſcriptoris quaſi peculiare doctrinae ſyſtema condi [18]). Si autem talis eſt librorum ſacrorum indoles, qualem hactenus deſcripſi, intelligitur iam, ad eos etiam hiſtoricam, quam ſaepe dixi, interpretandi rationem non modo poſſe, ſed debere etiam transferri, ſi quidem tutam ac certam in iis explicandis velimus viam perſequi. Quemadmodum enim haec ſola, vt ſupra docui, ad veram cuiusque ſcriptoris mentem cognoſcendam ducit, ita, vt poſſit ea in his etiam libris locum habere, hac ipſa hiſtorica eorum indole efficitur. Ea enim poſtulat, vt vnus tantum isque plane definitus ſenſus ſingulis eorum verbis et ſententiis ſubeſſe iudicandus ſit; quod ſi

---

Luederwald in der Unterſuchung der Gründe, warum Gott der heil. Schrift mehr eine erzählende als lehrende Einrichtung gegeben habe. Helmſt. 1781. 8.

18) Cuius rei exemplum imitatione digniſſimum, quanquam minus proſpero, vt videtur, ſucceſſu nuper praeivit *Kleukerus* in libro ſic inſcripto: *Johannes, Petrus und Paulus als Chriſtologen betrachtet.* Rigae, 1785. 8.

non eſſet, omnis horum librorum interpretatio lubrica foret et nullo certo fundamento nixa. Si enim nullus certus et definitus ſenſus in illis lateret, cuilibet profecto quicquid ei lubuerit, ſcriptoribus ſ. obtrudendi poteſtas foret conceſſa. Quod cum ita apertum ſit, vt vnicuique ſponte debeat in oculos incurrere, mirari equidem ſatis non potui, qui tandem fieri potuerit, vt peruerſiſſima illa eademque perniciofiſſima de multiplici literarum ſ. ſenſu opinio, quam dudum alta obliuione tectam penitusque obliteratam putaueram, noſtra aetate denuo patronum nanciſceretur illum virum, qui adhuc quidem multis in defendenda hiſtorica interpretatione nimius propemodum eſſe viſus fuerat [19]).

---

19) *Semlerum* dico, qui in libro ſupra (not. 8.) laud. pluribus in locis talia ſcripſit, in quibus haud obſcura huius opinionis veſtigia agnoſcere mihi videor, qualia ſunt e. c. quae p. 21. ſſ. leguntur: *Eine Summe der allgemeinen chriſtlichen Vorſtellungen, die ſich ohne mehr und weniger bey allen Chriſten immer fort finden müſſe, hat Jeſus ſo wenig als ein Verfaſſer der Evangelien oder der Briefe zuſammengeſetzt; gewiſs darum, weil es der Natur einer moraliſchen Fertigkeit nicht angemeſſen war. Eben ſo wenig iſt ein* einziger Sinn *der Reden Jeſu und der Apoſtel in kenntlichen, unveränderlichen Beſtimmungen allen ſo ungleichen Chriſten vorgeſchrieben oder vorgeſagt worden.* Quibus plane contraria olim ſcripſit et ſtatuit, v. c. in Obſervatt. ad Exercitat. parad. Philoſophia ſcripturae interpres p. 213. ſq. Sed legi merentur, quae aduerſus hanc eius ſententiam iam monuerunt auctores utiliſſimi ſcripti: *Bibliothek der neueſten theolog. philoſ. und ſchönen Literatur*, Vol. III. Sect. II. p. 337 ſſ. itemque *Seilerus* in der *Beilage zu den gemeinnützigen Betracht. der neueſten Schriften, auf das Jahr* 1786. Part. III. p. 254. ſſ. Neque tamen diffitendum eſt, ipſum virum Venerandum in aliis eiusdem libri locis veram huius, de qua dicere inſtitui, hiſtoricae interpretationis vim auctoritatemque agnoviſſe, quorſum pertinent e. c. quae p. 240 leguntur: *Hier* (in chriſtlichen Staaten) *ging die hiſtoriſche Erklärung des* wirklichen, *damaligen Inhalts des N. T. welche eigentliche hermeneutiſche Darſtellung des Maaſes und Umfangs der Reden Chriſti, der Reden und Schriften der Apoſtel ſeyn ſollte, faſt geradehin verloren, und es trat die jetzt zuſammengeſetzte Reihe der nun in dieſen Lehrern daſeienden Vorſtellungen, geradehin an dieſen alten* hiſtoriſchen wahren *Platz; man vertauſchte alſo die Sammlung und Anwendung jetziger Gedanken mit derjenigen Erklärung, welche den blos hiſtoriſchen Umfang derjenigen Vorſtellungen hätte liefern ſollen, die bei den Zuhörern oder erſten Leſern jener Schriften wirklich nur da waren.*

IV.

DE EXEMPLO CHRISTI RECTE IMITANDO.

Esse hoc in Christianorum officiis, vt exemplum magistri sui et Servatoris, quod, dum in his terris viveret, quavis virtute colenda factisque exprimenda ipsis praeivit, debeant imitari, ad eiusque normam omnem et mentem et vitam suam componere, id quidem ab omnibus, qui nomen eius profitentur, agnoscitur, nec potest profecto vlli ignotum aut dubium esse, cum plura sint, quae nos id facere admoneant. *Primo* enim ea est exempli eius praestantia, vt nullus vnquam hominum extiterit, qui vel similis ei vitae sanctitate fuisset, ne dicam, ipsum superasset. Fuit enim ab omni peccato ita vacuus, vt ne inimici quidem eius et aduersarii vllius sceleris, vere ab eo admissi, eum possent accusare, cogereturque non modo Iudas ille Iscariota, qui prodiderat eum, fateri, se insontem prodidisse, (Matth. XXVII, 4.) sed ipse etiam iudex eius, Pilatus, agnosceret, nullius eum criminis coargui posse. (Matth. XXVII, 24.) Immo tantum abfuit, vt vllo vnquam vitio se contaminaret, vt omnia potius et dicta et facta eius virtuti essent conuenientissima, sitque adeo, quem libri sacri eum fuisse praedicant, (Hebr. VII, 26.[1]) sanctissimus vti-

Not. edit. Hanc dissertationem b. auctor scripsit ac publice defendit pro licentia summos in theologia honores capessendi; ad quam solemnitatem, d. 29. Novembr. a. 1792 celebratam, inuitauit ciues Academicos *Ern. Guil. Hempelius*, Theol D. et Prof. P. Ord. programmate, in quo disseritur de loco Gal. 3, 20.

1) Hoc enim, non vero alio in loco, quem ex Ioh. VIII, 46. hac in causa plerumque commemorant, hanc Iesu sanctitatem om-

que iudicandus. Iam vero cum ea ſit virtutis, vt rectae iudicandae, ita ſedulo etiam colendae, difficultas, vt omnibus vehementer optandum ſit, eam non modo praeceptis deſcriptam habere, quae neque omnia poſſunt amplecti, quae ſubeſſe ei ſunt iudicanda, neque animum etiam magnopere mouere, ſed viua quoque imagine expreſſam videre, eaque tali, in qua non tantum ſingulae eius formae adpareant, ſed omnia etiam ad plenam perfectamque eius ſpeciem effingendam conſpirent, quaeque hac ipſa pulchritudine ſua nos ita percellat, vt ad eam nobis etiam adiungendam non tam alliciamur, quam potius abripiamur; quidni lubenter illud virtutis exemplum amplexemur, ad eiusque normam totos nos conformemus, quo nullum neque nobilius neque perfectius vnquam poteſt cogitari, quodque adeo absque omni errandi periculo tuto poſſumus ſequi? Id ipſum vero vt faciamus, *ſecundo loco* poſtulat etiam amor, ad quem nos ſibi Chriſtus multis et maximis beneficiis, nobis exhibitis, obſtrinxit, et nexa hinc ſpes, ipſius iterum fauoris ea re nobis conciliandi. Amoris enim ea eſt natura, vt, vbi is vigeat, ibi ſemper etiam adſit ſtudium eum, quem amamus, imitandi eique nos ſimiles reddendi. Vt enim in omnibus fere, quae ab aliis fieri videmus, ipſa natura duce, ad ea imitanda ferimur; ita hoc multo magis accidit in iis, quae fiunt ab his, qui cari nobis ſunt et dilecti, quoniam et maius pretium omnibus ſtatuimus, quae ab iis proficiſcuntur, et certius etiam ſperamus, nos hoc ipſo iis eſſe placituros eorumque gratiam inituros, ſi ad eorum nos exemplum conformauerimus. Si autem hoc ſtudium, mores et facta eorum, qui a nobis

---

nisque peccati fugam deſcribi. nemini, qui contextum illius loci vel leuiter inſpexerit, dubium eſſe poterit. Agitur enim ibi de eo, quod non niſi vera tradiderit Ieſus, hacque ipſa de cauſa a Iudaeis ſpretus atque repudiatus fuerit, adeoque ἁμαρτία, quae ibi ab illo aliena eſſe dicitur, vnice ponenda eſt in impoſtura et fraude, quae docendo admittitur, minime vero in ſcelere, quod virtute factis violanda committitur.

amantur, imitandi, non poteſt a vero atque ſincero amore diuelli, ſequitur inde, recte eum praeter alia hac etiam re agnoſci, genuinumque iudicari. Quare ſi volumus iam noſtrum etiam erga Chriſtum amorem declarare, deque ipſius quoque erga nos amore in poſterum etiam certi eſſe cupimus, non poſſumus profecto luculentius ei aut apertius eius documentum exhibere, vel tutius nobis ſpei ipſius erga nos amoris in poſterum etiam tenendae praeſidium parare, quam ſi ſimiles ei cum ſentiendo tum agendo fieri ſtudemus; hincque Ioannem etiam videmus in officiis eius, qui ſuam cum Chriſto coniunctionem [2]) velit tueri, hoc ponere, (1 epiſt. II, 6.) vt eandem, quam ille tenuit, viuendi agendique rationem ſequatur. His vero *tertio loco* accedit etiam ſpes, ſimilium cum Chriſto virtutis probitatisque praemiorum olim deportandorum, ſi quidem vtriusque etiam cultu ſimiles ei nos praeſtiterimus. Diſerte enim dicitur Deus decreuiſſe, vt, quae filii ſui ſors fuerit, eandem nos etiam habeamus, Rom. VIII, 29. Quemadmodum igitur Chriſtum novimus ſuae erga Deum pietatis atque obedientiae praemium hoc tuliſſe, vt in coelum ad ipſum reciperetur, hominumque rex conſtitueretur, (Phil. II, 9. Hebr. XII, 2.) ita nos etiam, vbi eandem virtutem ac probitatem vita noſtra prodiderimus, ſimilis felicitatis per hunc ipſum Dominum noſtrum nobis partae, (Hebr. II, 10.) participes erimus futuri; (Rom. VIII, 17. 2 Tim. II, 11. 12. 1 Petr. IV, 13.) ideoque id ipſum iubemur in cogitando exemplo eius ſpectare, eum, ſuperata crucis ignominia, ad dextram Dei ſublatum, felicitateque ipſi deſtinata potitum eſſe. (Hebr.

---

2) Hanc vero cum Chriſto coniunctionem hoc ipso contineri, vt qui cum eo coniunctus ſit, amet eum, huncque amorem ſuum eo nominatim declaret, vt acceptam ab eo doctrinam teneat, factisque exprimat, iamque ipſius etiam erga ſe amoris documentum hoc habeat, vt omnis generis beneficiis ab eo ornetur, praeclare demonſtrauit S. V. *Morus*, Praeceptor pie colendus, in *Diſſertt. theolog.* Vol. I. pag. 265. ſq.

XII, 2.) Huius autem felicitatis, nobis etiam ſperandae, cum diſerte haec conditio ponatur, vt ſentiendo agendoque ſimiliter ei nos geramus, intelligitur iam, exempli ipſius imitationem certiſſimum eſſe eius parandae tuendaeque nobis adminiculum, nosque adeo, ſi hanc neglexerimus, noſtrae ipſorum ſaluti fore defuturos. Haec vero omnia quanquam non poſſunt non magnam iam ad animos noſtros in imitationem exempli, a Chriſto nobis propoſiti, abripiendos atque incitandos vim habere, multo tamen maiorem illud habeat neceſſe eſt, quod *ultimo* adhuc *loco* eſt commemorandum, cerniturque in eo, quod hoc ipſum dicitur conſilium fuiſſe, quod Chriſtus in virtute colenda ſpectauerit, vt exemplum nobis imitandum praeiret, (1 Petr. II, 21.) hincque diſerte nobis cum ab eo ipſo, tum ab eius etiam apoſtolis officii loco iniungitur, vt exemplum virtutum, vel per vniuerſam vitam ab eo proditarum, vel ſingulis factis declaratarum, diligenter inſpiciamus, easdemque noſtra etiam vita et factis referamus. (Io. XIII, 15. XV, 12. Epheſ. V, 2. Phil. II, 5. Col. III, 13. 1 Petr. II, 21. 1 Ioh. III, 16.[3]) Haec enim Chriſti voluntas, aperte nobis ſignificata, tanto magis nos debet in atten-

3) Omitti hic plura loca, quae a multis olim hanc in rem ſunt laudata, (Matth. XVI, 24. Marc. VIII, 34. X, 21. Luc. IX, 23. XIV, 27. Ioh. VIII, 12.) vix puto, quanquam eſſe miraturum, cum facile adpareat, ἀκολουθεῖν τῷ χριςῷ et ὀπίσω αὐτοῦ ἐλθεῖν in his locc. non de imitatione exempli eius dici, ſed de ipſius potius comitatu et ſectatione, religionisque eius profeſſione. De eadem vero etiam in alio adhuc Matthaei loco (cap. XI, 29.) ſermonem eſſe arbitror, qui tamen etiamnum a plerisque in hac cauſa ſolet commemorari. Neque enim Chriſtus hoc ibi a Iudaeis, legum rituumque Moſaicorum onere preſſis, (κοπιῶσι καὶ πεφορτισμένοις cf. Matth. XXIII, 4. Actor. XV, 13.) poſtulat, ut ſuam manſuetudinem et animi demiſſionem imitentur; ſed id potius vult, vt ſibi in diſciplinam ſe committant, (μάθετε ἀπ' ἐμοῦ) cum ſit doctor facilis adfatu ſuperbiaeque quae Pharisaeos occupabat, Matth. XXIII, 6 – 12. expers; (πρᾶος καὶ ταπεινὸς τῇ καρδίᾳ,) quem loci huius ſenſum praeclare conſtituit S. V. *Reinhardus*, Vir nunquam mihi absque ſummae pietatis ac reuerentiae ſignificatione nominandus, in Diſſert. *de locis quibusdam, qui in ſermonibus Domini temere putantur communes.* (Viteb. 1780. 4.) pag. 10. ſq. [cfr. *Eiusdem* opuſcc. acadd. ed. *Pölitz*. Vol. I. p. 200.]

tionem erigere, a nobisque animaduerti, quanto minus nobis ignotum esse potest, eum nostrum olim iudicem esse futurum, adeoque vitam nostram et mores hac etiam ex parte examinaturum, qua ipsius exemplo plus minusue responderint.

Ex his autem vt planissime adparere arbitror, exemplo Christi legis iam auctoritatem vimque, quae dicitur, obstringentem esse tribuendam, [4]) hincque id recte etiam in fontibus officiorum nostrorum cognoscendorum poni; [5]) ita et hoc inde intelligi posse existimo,

---

4) De quo nescio, annon aliter visum fuerit Ven. *Lessio*, dum in Compendio Theol. moralis, (*Handbuch der christl. Moral*, *3te Aufl.* Goetting. 1787. 8.) Introd. Sect. IV. §. 73. haec scriberet: *Die Beyspiele guter Menschen, welche uns die Bibel aufstellt, allein genommen, beweisen in der Moral nichts. Selbst das Beyspiel Jesu allein genommen, ist keine Regel in der Moral. Nur alsdann wird dieses, so wie jene, Regel: wenn ausdrücklich befohlen wird, es nachzuahmen. — Die biblischen Beyspiele sind folglich gar keine Regel in der Moral.* Nimis etiam exiliter de eodem exemplo statuere mihi videtur S. V. *Doederlein im kurzen Entwurf der christlichen Sittenlehre*, §. 48. pag. 65 edit. 1. vbi haec de illo tradit: Nur *als Rechtfertigung mancher Arten des Betragens, die einige im Christen für fehlerhaft erklären; als Mittel den richtigen Sinn mancher Anweisungen von ihm zu fassen; als Belehrung über die wahre Gesinnung, womit man handeln soll, und als Empfehlung der Tugend, welche durch die unentweihte Allgemeinheit seiner guten Gesinnung, die Harmonie und Festigkeit seines Betragens, die Stärke der überwundenen Versuchungen, die Grösse der Belohnungen, die Verbindung jedes Christen mit Jesu und die Sehnsucht einst zu ihm zu kommen,* 1 *Ioh.* 3, 3. *grössere Stärke als bey jedem andern Beyspiele erhält, kann das Beyspiel Jesu genuzt werden.*

5) Quod negasse tamen videtur *Crusius*, qui in Theolog. moral. Vol. 1. pag. 808. de hoc Christi exemplo haec habet: *Wir müssen deswegen nicht sowohl aus dem, was Christus gethan hat, einzeln lernen wollen, dass wir es auch thun müssen, es sey denn, dass er es sage; denn sonst könnte das, was seiner Person und Amte eigen ist, mit dem, was vor uns nachahmlich ist, verwechselt werden, wir könnten auch auf zufällige Sitten der damaligen Zeit kommen, an denen nichts gelegen war. Sondern daraus, dass Christus selbst gethan hat, was er will, dass wir thun sollen, soll eine Bewegungsursache zum Gehorsam vor uns gemacht werden. In demjenigen, was er uns gebietet, sollen wir darauf sehen, dass er es selbst gethan hat, und dass er also von uns nicht zuviel verlangen kann, wenn er, der Herr, unser Vorgänger ist. Die Lehre*

noſtrum iam eſſe, vt quonam modo eius imitatio recte ſit inſtituenda atque moderanda, omni ſtudio indagemus, cum non tantum admodum credibile ſit, facile poſſe ea in re peccari, [6]) ſed conſtet etiam, vtique fuiſſe cum docendo [7]), tum agendo [8]) a multis peccatum. Ea autem de re cum nonnulla etiamnum praecipi viderem, quae vero mihi non viderentur conſentanea, putaremque, eam adhuc neque plene, neque definite ſatis fuiſſe pertractatam; non ſuperuacaneum fore iudicaui, ſi per hanc, quae denuo mihi praeter omnem ſpem exſpectationemque meam non tam oblata eſt ſcribendi occaſio, quam impoſita neceſſitas, vberius de illa exponerem,

---

aber, was wir thun und laſſen ſollen, muſs aus ſeinen Worten und aus andern Texten der Schrift gelernt werden. (Eſtne vero hoc exemplum Chriſti imitari, ſi argumentum modo virtutis colendae inde petimus, quod ipſe eam coluit, ad ea autem, quae fecit, minime reſpicimus?) Alii vero librorum doctrinalium ſuper Theologia morali auctores id agnouerunt quidem, attamen ipſam huius exempli commemorationem in ſingulis officiis exponendis plerumque fere omiſerunt: ſaltem a nullo adhuc eiusmodi ſcriptore tam diligenter de eo fuit admonitum, quam a Magnif. *Reinhardo* in praeſtantiſſimo illo libro, ſuper hac doctrina edito, factum vidi, cuius libri praeter alias, quas plurimas habet, easque pereximias dotes, etiam haec non poſtrema mihi eſſe videtur, quod omnia fere officia ad exemplum Chriſti aut Dei referuntur, ab eoque non modo commendantur, ſed qua naturam etiam et affectiones explicantur.

6) Niſi enim diligenter tibi proſpexeris, quidnam eorum, quae Chriſtus fecit, et quatenus debeas imitari, facile fieri poterit, vt ea tibi imitanda ſumas, quae debebas potius omittere, vel alio ſaltem modo imitatione tua exprimere.

7) Peruerſius tamen vix quisquam ea de re praeceperit auctore libri *de imitatione Chriſti*, qui ſub *Thomae Kempiſii* nomine ſolet circumferri; de quo libto lubenter aſſentior iudicio S. V. *Reinhardi Syſtem der chriſtl. Moral* Vol. I, p. 472. [Vol. II, p. 375 ed. 4.] Cf. etiam Ill. *Zimmermann über die Einſamkeit.* (Lipſ. 1784.) Vol. II. cap. 6. pag. 145.

8) Sic e. c. *Chryſoſtomus* iam peruerſam quorundam ieiunii Chriſti imitandi conſuetudinem haud obſcure mihi videtur notare, dum in *Homil.* XLVII. in Matth. p. m. 425. haec ponit: *μάθετε, φησιν, ἀπ' ἐμοῦ, ὅτι πρᾷός εἰμι καὶ ταπεινὸς τῇ καρδίᾳ, καὶ οὐκ εἶπεν ὅτι ἐνήστευσα· καίτοιγε εἶχεν εἰπεῖν τὰς τεσσαράκοντα ἡμέρας, ἀλλ' ὁ λέγει τοῦτο, ἀλλ' ὅτε πρᾷός εἰμι καὶ ταπεινὸς τῇ καρδίᾳ.* Praeter hoc autem ieiunium plura etiam ad imitationem exempli Chriſti peruerſe fuiſſe inſtituta eiusque auctoritate defenſa, ne ignariſſimum quidem poterit latere.

eamque, quantum quidem per academici libelli fines licuerit, totam praeceptione complecterer. Quod quidem consilium meum licet vix cuiquam improbatum iri existimem, vehementer tamen vereor, vt eius exequendi rationem multis probem. Verum lubenter patiar, alios a me dissentire, modo hunc laboris mei fructum tulero, vt aliis ad hanc rem altius rimandam meliusque constituendam hac scriptione mea auctor existam.

Vt vero modus, quo exemplum Christi nobis est imitandum, recte possit definiri, primum omnium hoc nobis quaerendum erit, quaenam in ipsius exemplo nostrae imitationi proposita sint iudicanda. Hoc enim cognito constitui demum poterit, quanam nobis ratione in singulis imitando assequendis atque exprimendis sit versandum. Iam vero tria puto hac in re in censum venire, quae singulatim sint spectanda. Primum enim imitandi nobis sunt *sensus*, quibus se Iesus in omni vita sua regi passus est, quique vniuersum animi eius characterem constituerunt, tum *facta* etiam, quibus illos animi sensus declarauit et coram aliis prodidit, denique etiam *modus, quem in agendo secutus est.* Haec igitur tria cur nobis sint spectanda, quoque modo singula imitatione sint exprimenda, iam deinceps erit explicandum.

I.

Primum igitur *sensus*, quibus se Iesus in omni vita sua regi passus est, quique vniuersum animi eius characterem constituerunt, hac in causa nobis spectandos esse, id quidem nemini obscurum esse poterit, qui id modo secum cogitauerit, a sensibus quidem, quibus animi nostri regantur, cuiuscunque actionis nostrae decus ac meritum pendere, eosque solos efficere, vt, quae fecerimus, e virtutum vel scelerum genere sint censenda. His enim demtis quid quaeso, aliud relinquitur, praeter facta, sola vel vtilitate vel noxa, a nobis aliisue inde capta, aestimanda? Si igitur virtutis exemplum a Chri-

ſto nobis ſumere volumus, profecto non tantum facta eius, ſed ſenſus etiam, e quibus illa profecta fuiſſe intelligimus, iique omnium maxime nobis ſunt ſpectandi; hincque ex his ipſis etiam ſenſibus eius plures nobis in libris ſacris diſerte et nominatim ad imitandum proponuntur, quo pertinent v. c. amor erga Deum, (Io. XV, 10.) et homines, (Io. XV, 12. 13. Epheſ. V, 2. 1 Io. III, 16.) animus eius demiſſus (Phil. II, 5.) et placabilis, (Col. III, 13.) contemtus ignominiae et mortis, (Ebr. XII, 2.) patientia in ferendis calamitatibus et malis. (1 Petr. II, 21 - 23.) His igitur iam et reliqui, qui in illo eminuerunt, recti bonique ſenſus erunt adiungendi; quales ſunt ſtudium eius, Deo obediendi eiusque gloriam promouendi, animus fiducia erga eum plenus, eique omne factorum ſuorum regimen permittens, ſtudium veritatis bonaeque apud alios exiſtimationis, animus candidus, ſimplex et aequabilis, beneuolentia, miſericordia ac lenitas erga alios, amor erga patriam, reuerentia erga parentes et magiſtratus, aliique plures. Hi autem ſenſus eius quomodo nobis ſint imitandi, vix puto admonitione aliqua indigere, cum facile intelligi poſſit, eos omnes a nobis etiam aſſumi non modo poſſe, ſed debere etiam, ſi quidem ad eandem cum ipſo virtutis laudem velimus adſpirare. Duo tamen ſunt, quae nobis ea in re diligenter erunt obſeruanda ſeduloque curanda; quorum *primum* quidem hoc eſt, vt ne vnum tantum alterumue horum ſenſuum, ad quos ſumendos fouendosque ipſa forſitan natura proniores nos finxerit, aut quos caeteris facilius poterimus in noſtram poteſtatem redigere, inde deligamus, ſed vt omnes potius, quos Chriſtum vnquam prodidiſſe cognouerimus, aſſumere ſtudeamus. Neque enim vera virtus, vt omnes agnoſcunt, qui iuſtum ei norunt pretium ſtatuere, eo cernitur, vt vno alteroue pio et recto ſenſu regamur, ſed omnes, quotquot ei ſubſunt, ſenſus pios ac probos complectitur, eorumque arctiſſima coniunctione concentu-

que accuratiſſimo continetur. Si igitur Ieſus omnium perfectiſſimam abſolutiſſimamque virtutis imaginem exhibuiſſe cenſendus eſt, non modo omnium profecto optime ex ipſius vita et moribus cognoſcere poterimus, quinam ſenſus perfectam virtutem efficiant, eamque abſoluant, ſed fateri etiam debebimus, nos non prius poſſe de aliqua virtutis cum ipſo ſimilitudine gloriari, quam vniuerſam quaſi mentem eius animique indolem induerimus; hincque magnopere proderit nobis, hanc ipſam vniuerſae mentis animique eius indolem, ab Euangeliſtis quidem non niſi ſingulorum eius dictorum factorumque narratione declaratam, a pluribus autem viris doctis plenius ac copioſius deſcriptam [9]) identidem cogitare, obque oculos nobis ponere. *Tum* vero nec in eo nobis erit acquieſcendum, vt, quotquot Chriſtus fouit virtutis probitatisque ſenſus, eosdem nos etiam aſſumamus, ſed hoc etiam expendendum erit, quales fuerint hi ſenſus eius, et ad

---

9) Horum e numero, mea quidem opinione, palmam caeteris fere praeripuerunt, *Zollikoferus* in *Sermonum ſacror.* Vol. II. (Edit. III. Lipſ. 1772. 8.) ſerm. VII. p. 157. ſq. [in recentiſſima omnium huius egregii oratoris ſermonum collectione, quae Lipſiae 1798. XV. voluminibus prodiit, haec concio legitur Vol. I. p. 107 ſq. *Ueber den ſittlichen Charakter Ieſu*, cui iungenda eſt eiusdem Vol. p. 297 ſq. altera eiusdem argumenti: *Ueber die Nachahmung des Beyſpiels Chriſti.*] *Lessius* in libro: *Ueber die Religion, ihre Geſchichte, Wahl und Beſtätigung.* Vol. II. p. 732. ſq. itemque *Eberhardus* in *Amyntor.* epiſt. 36 – 39. Tum nuperrime etiam Pl. Rev. *Ioh. Frid. Henr. Cramerus*, ad aedem S. Crucis Dresdenſem Diaconus, librum popularibus vſibus deſtinatum ſuper imitatione exempli Chriſti edidit, intra paucorum menſium ſpatium altera iam vice typis repetitum, *(Ueber die Nachahmung Ieſu*, 2te *Aufl.* Dresd. 1792. 8. maj.) qui et ipſe vniuerſam magis animi Ieſu indolem, quam facta eam teſtantia, perſequitur; quanquam, vt mihi quidem videtur, conſilio Auctoris conuenientius fuiſſet, ſi non in vniuerſis tantum haeſiſſet, ſed ſaepius ſaltem, quam factum vidi, ad ſingula Ieſu dicta et facta deſcendiſſet, omninoque in ea parte, qua de ſingulis eius virtutibus exponitur, paulo vberior fuiſſet. Pleniorem vero vniuerſae animi Ieſu indolis deſcriptionem continebit ſextum Volumen *Characteriſtices bibl.* a S. V. *Niemeyero* dudum promiſſum, nuncque, vt ſperare nos iuſſit, proxime edendum. Promulſidem eius nuperrime iam dedit in Compendio Theolog. popular. *(Populäre und praktiſche Theologie*. Hal. 1792. 8.) pag. 248 – 252. [p. 258 – 262. edit. 5. ibid. 1805.]

quemnam perfectionis gradum in iis proceſſerit, cum et hoc ad ſimilitudinem cum eo requiratur, vt, quantum per noſtram quidem imbellicitatem fieri poterit, ad eundem cum ipſo virtutis gradum enitamur. Neque enim hic perſonae ipſius dignitas aut origo eius ſingularis quicquam nos morari debet, quaſi nobis non liceret, ad eandem cum ipſo metam contendere, cum nos quidem per ipſam naturam noſtram (Libri ſymbolici perpetuam dicunt naturae inclinationem p. 51. in Apol. A. C.) ad vitioſitatem abripiamur, ille autem, quippe Dei filius, et qua humanam etiam originem peculiari vi diuina procreatus, nulla naturae labe fuerit infectus aut internae ad peccandum incitationi obnoxius. Quanquam enim hoc vtique fuit, nouimus tamen, eum non modo externis ad peccandum ſollicitationibus, iisque plurimis et maximis, fuiſſe expoſitum, (Ebr. IV, 15.) ſed non minus, quam nos, per gradus tantum ad ſummum virtutis faſtigium peruenisse, (Luc. II, 52.) adeoque ipſius etiam virtutis ſtudium a noſtro hac in re non fuiſſe diuerſum. Tum vero ſi vel maxime non poterimus ad eundem prorſus, quem ille eſt aſſecutus, perfectionis gradum adſcendere, tamen vt quam proxime ad eum accedamus, opera nobis danda erit. Hinc igitur, vt vno ſaltem alteroue exemplo id illuſtrem, ſi Chriſti erga Deum *pietatem* volumus imitari, non modo in eo nobis erit elaborandum, vt ſimili in Deum pietati omnino ſtudeamus, ſed id etiam curandum erit, vt haec pietas nullo loco aut tempore in nobis deſideretur, ſed conſtans potius ſit nullaque re labefactanda, neque vanam etiam ab hominibus gloriam captet, ſed ſoli Deo probari cupiat. Talem enim Ieſus vbique erga Deum pietatem demonſtrauit. Eodem modo nec hoc ad *fiduciam* Ieſu *erga Deum* imitandam ſuffecerit, vt eam omnino alamus, ſed quam fieri poteſt, ſumma etiam eſſe debebit. Quanta enim Ieſus Dei fiducia teneretur, non modo quibuscunque vitae ſuae mutationibus ſuſtinendis declarauit, ſed

omnibus etiam actionibus ſuis prodidit, ſiue doceret, ſiue miraculorum edendorum cauſa patris auxilium implora-ret, ſiue quae ſibi eſſent euentura, praediceret,[10]) ſiue denique vlla alia ratione conſilium, cuius cauſa in his terris verſabatur, perſequeretur. Si porro *animum obedientem*, quem Deo in munere ſibi demandato ſuſcipiendo atque gerendo praeſtitit, nobis ſumimus imitandum, non ſatis erit, vt et ipſi hoc in Deum animo regamur, ſed neceſſe eſt, vt ei etiam lubenter, promte, conſtanter et quibuscunque poterimus in rebus obediamus. Quam enim Ieſus Deo declarauit obedientiam, ea non modo voluntaria fuit et promta, (Hebr. X, 9.) ſed conſtantiſſima etiam (Ioh. XVII, 4.) atque tanta, vt vel in acerbiſſimis quoque fatis eius voluntati ſe ſubiiceret, (Matth. XXVI, 39. Ioh. XVIII, 11.) et ne ipſam quidem mortem refugeret (Phil. II, 8.) [11]). In *amore* autem, quo *erga alios* ferebatur Ieſus, imitando parum profecto praeſtiterimus, ſi et ipſi ſimili nos in hos illosve homines amore regi ſinamus, ſed huc potiſſimum nobis erit reſpiciendum, vt erga quoscunque, nulla neque gentis, neque conditionis, neque religionis ratione habita, atque ipſos adeo inimicos noſtros amoris beneuolentiaeque ſenſum ſumamus, eumque quouis tempore ac modo efficacem praebeamus. Quod denique *patientiam*

---

10) Cfrantur v. c. quae de inſigni in Deum fiducia, quam ſua e mortuis reſurrectione ſtatim ab initio muneris ſui praedicenda declarauit, dum nimirum rem plane incredibilem non *ſemel*, ſed *ſaepius* praedixit, neque *ſuis* tantum ſed *publice* ea de re locutus eſt, et *confidenter*, vt *omnes* euentus veritatem poſſent examinare, inque ea re praedicenda non *ambiguis*, ſed *propriis* ac *perſpicuis* verbis vſus eſt, ſe *die tertio* vitam eſſe recuperaturum. — pluribus expoſita ſunt a S. V. *Reinhardo* in Prol. *de Chriſto ſuam, dum viueret, reſurrectionem praedicente,* (Viteb. 1784. 4.) pag. 19. [Legitur haec proluſio in *Reinhardi* opuſcc. acad. ed. *Pölitz* Lipſ. 1809. Vol. II, p. 30.]

11) Cfrri poſſunt, quae de hac interna obedientiae Ieſu praeſtantia ſcripſit S. V. *Morus* in Prol. *de Chriſto, demandatum ſibi a patre duplex negotium exſequente cum virtute et hactenus patri obediente*, inſerta *Diſſertt. theolog.* Vol. I. p. 308. ſq.

attinet, quam in calamitatibus et malis perferendis declarauit Iesus, fuit ea non ex indolentia quadam profecta, sed cum acerrimo potius malorum sensu coniuncta, neque vlla etiam necessitate producta, sed voluntaria, nulla porro vanitatis studio innixa, sed ex animo Deo se submittente vnice enata, neque vnquam labefactata, sed ad finem usque constantissima. [12]) Eiusmodi igitur patientiae nobis etiam studendum erit, si hac quoque virtute similes ei fieri cupiamus.

II.

At enimuero ad hanc cum Iesu similitudinem non sufficit, iisdem nos cum illo sensibus regi, sed factis etiam hi sensus nobis sunt declarandi, quoniam alias inutiles essent futuri atque infructuosi. Itaque iam porro et hoc ex Christi exemplo discendum nobis erit, quibusnam factis sensus, quos sumsimus, prodere debeamus, ideoque secundo loco ipsa etiam *facta* eius nobis erunt imitanda, quae quippe sensuum, quibus regebatur, fructus quasi fuerunt atque effectus. De hac autem factorum Iesu imitatione ita plerumque praecipiunt, vt eorum nonnulla tantum nobis imitanda esse defendant, alia autem inde prorsus eximenda censeant, hucque omnia ea referant, quae vel personae et muneri eius propria fuerint, vel temporum, quibus vixerit, aut hominum, quibuscum versatus sit, moribus accommodata. Verum magnopere vereor, vt haec recte satis et vere disputentur. Etsi enim lubenter concedo, ea, quae modo posui, non posse ad eundem plane modum, quo a Iesu facta sunt, a nobis repeti, dubito tamen, an recte defendi possit, nullam plane in ea imitationem cadere [13]). Quid enim,

---

12) Hanc insignem patientiae Iesu praestantiam atque magnitudinem coloribus inprimis viuidis adumbrauit Celeb. *Eberhardus* l. l. epist. 38. et 39.

13) Quod ipsum agnouit etiam S. V. *Reinhardus* in *System. Theol. moral.* Vol. I. p. 470. edit. 1. [Vol. II. p. 370. edit.

quaeſo, perſonae Ieſu magis proprium fuit, quam quod miracula edidit et multa, et maxima? et tamen facile puto adparere, vel haec etiam ita nos poſſe imitari, vt quemadmodum Ieſus vi illa miraculoſa, a patre ſibi conceſſa, (Act. X, 38.) non niſi ex illius voluntate atque conſilio inque hominum potiſſimum commodum vſus eſt, ita et nos corporis animiue viribus, quibus Deus nos inſtruxit, eodem modo vtamur;[14]) vt taceam iam illud, quod, cum Deo eſſet aequalis, tamen eo ſe demiſit, vt hominum ſimilis fieret, Deique ſe miniſtrum gereret, (Phil. II, 6 - 8.) quod profecto et ipſum perſonae ipſius proprium eſt cenſendum, et tamen in eo ipſo, quem modo laudaui, loco imitandum nobis proponitur. Quid porro arctius cum munere ipſi demandato fuit coniunctum, quam mors noſtri cauſa ab eo tolerata? et tamen hanc ipſam mortem diſerte iubemur imitari. (1 Ioh. III, 16.) Quod autem temporum ſuorum rationi hominumque, quibuscum vixit, moribus ſe accommodauit Ieſus, id quidni nos etiam imitemur ſic, vt et ipſi noſtrorum temporum rationi aequaliumque moribus nos accommodemus, neque iis deferendis eorum iram atque indignationem in nos deriuemus? Iam vero ſi vel ea etiam poſſumus atque adeo debemus imitari, quae vtique ab imitatione noſtra maxime aliena videri potuiſſent, profecto ſtatuendum videtur, *omnia Ieſu facta noſtrae imitationi propoſita eſſe;* adeoque non erit, quod in vulgari illa Theologorum voce, qua *omnem Chriſti actionem noſtram imitationem eſſe* defenditur, iure reprehendatur. Quae cum ita ſint, id iam agendum erit, vt quonam

---

4.] quanquam easdem caeteroquin factorum Ieſu nulla imitatione nobis referendorum claſſes poſuit, quas ſupra commemorauí.

14) Eandem horum miraculorum imitandorum rationem commendauit etiam *Doederleinius* in *Opuſc. theolog.* p. 43. itemque auctor ignotus commentationis *de imitatione Chriſti*, inſertae libro ſic inſcripto: *Vermiſchte Aufſätze zur Beförderung der chriſtlichen Weisheit und Rechtſchaffenheit*: (Norimb. 1789. 8.) pag. 42. ſq.

modo id fieri poſſit debeatque, vt omnia Ieſu facta imitemur, indagemus.

Atque hic quidem primum omnium hoc quaſi axiomatis loco ſumendum mihi videtur, *nullum factum Ieſu ſingulare nobis imitandum eſſe ſic, vti tempore, loco et reliquis, quae in eo obuenerunt, περιστάσεσι fuerit definitum, multoque minus ipſum repetendum.* Ita enim vt ſtatuam, plura ſunt, quae me inducunt. Primum enim ipſa res conditionisque Ieſu et noſtrae diuerſitas id non patitur, vt ſingula eius facta eo, quo dixi, modo imitemur. Neque enim nos eodem in munere, quo Chriſtus ex mandato patris ſui fungebatur, ſumus conſtituti aut eodem cum illo loco ac tempore viuimus, vt eadem, quae ille fecit, nos etiam facere poſſimus, ideoque nec iis faciendis poſſumus obſtringi. Tum vero nec ipſius imitationis naturae hoc conuenit, vt eadem faciamus, quae Chriſtus fecit. Ea enim profecto non poſtulat, vt idem, quod alter fecit, nos quoque faciamus. Id enim rectius dixeris, ſimiam alterius agere, quam eum imitari. Vera autem imitationis natura eo, ſi quid video, cernitur, vt ſimile quid facias ei, quod alter fecit, et quidem propterea, quoniam is fecit, vel planius, vt argumentum actionum tuarum earumque regundarum modum ab alterius actionibus repetas. His tertio loco et hoc accedit, quod ipſa factorum Ieſu ratio eiusmodi eſt, vt ea neutiquam poſſimus imitando ſingula repetere. Multa enim fecit, quae eadem facere nos vel non poſſimus, vel non debeamus. Quis enim eſt, qui non intelligat, neutiquam fieri poſſe, vt aegrotos v. c. nullis remediis adhibitis, ſanitati reſtituamus aut mortuos in vitam reuocemus, aut alia his ſimilia agamus? Ut autem aeque ac Ieſus matrimonio abſtineamus, omnibusque facultatibus noſtris nuntium mittamus et in voluntariam paupertatem concedamus, vel legis Moſaicae ritus obſeruemus; haec aliaque plura ipſius Ieſu Apoſtolorumque eius diſertis praeceptis facere prohibemur.

Iam vero ſi multas Ieſu actiones cum non poſſumus, tum nec debemus imitando repetere, profecto hoc inde cogitur, a tali eorum imitatione plane nobis eſſe abſtinendum. Atque id ipſum vltimo tandem loco ex eo etiam adparere arbitror, quod nullibi ſingulare aliquod Ieſu factum hoc modo imitandum nobis proponitur. Neque enim vllus laudari poterit ſcripturae locus, in quo idem, quod Ieſus inter hos illosue homines vel hoc illoue loco fecerit, nos etiam facere iubeamur. Vnus tamen mihi forſitan hic opponi poſſet locus, in quo tale quid poſtulari videatur; verum et hic, ſi diligentius fuerit examinatus, ab eiusmodi ſuſpicione prorſus vacuus reperietur. Dico autem illum, qui continet narrationem de pedibus Apoſtolorum a magiſtro ipſorum lotis, legiturque Io. XIII. Ibi enim v. 14. Ieſus diſcipulos ſuos diſerte dicitur monuiſſe, vt, quemadmodum ipſe, magiſter, pedes illorum lauiſſet, ita et ipſi idem ſibi inuicem faciant, (εἰ ἐγὼ ἔνιψα ὑμῶν τοὺς πόδας, ὁ κύριος καὶ ὁ διδάσκαλος, καὶ ὑμεῖς ὀφείλετε ἀλλήλων νίπτειν τὰς πόδας,) adeoque facile videri poſſet, eum idem hic factum ab ipſis repeti voluiſſe. Verum ſi quis illam narrationem vel paululum expenderit, facile intelliget, hanc omnem actionem Ieſu ſymbolicam fuiſſe, debuiſſeque adeo Apoſtolos alius rei, ea ſignificatae, admonere. Id enim luculenter docet v. 13. in quo Ieſus, peracta lauatione, quaeſiuiſſe eos dicitur: γινώσκετε τί πεποίηκα ὑμῖν; Haec autem quaeſtio prorſus incommoda et paene ridicula fuiſſet, ſi ad ipſam Ieſu actionem ſpectaſſet, debuitque adeo haud dubie de conſilio illius intelligi, ita vt ſenſus eius hic fuiſſe exiſtimandus ſit: *noſtisne, quid ſibi velit, quod me nunc facientem vidiſtis, quoque conſilio id fecerim?* Simili vero modo etiam Petro ſatis perſpicue ſignificauit, occultius aliquod conſilium huic rei ſubeſſe, cum miranti ei, quod pedes ipſi vellet lauare, haec diceret: ὃ ἐγὼ ποιῶ, σὺ οὐκ οἶδας ἄρτι, γνώσῃ δὲ μετὰ ταῦτα (v. 7.) Quodnam autem eius hac in re inſti-

tuenda fuerit consilium, id discipulis in seqq. haud obscure traditur declarasse, dum additur, eum hoc monuisse illos, vt ad animi submissionem, quam ipsis hoc amoris officio praestando declarasset, respicerent, eamque sibi etiam imitandam sumerent: (v. 14 - 16.) vt adeo idem eos hac actione docuerit, quod alio in loco disertis verbis iis dicitur iniunxisse, Marc. X, 43. 44. Si autem hoc fuit Iesu consilium, omnisque actio haec symbolicam vim habuit, sequitur inde, illum etiam locum, in quo discipulos suos, verbis huic ipsi actioni accommodatis, ad eius imitationem dicitur excitasse, (v. 14.) non proprie sed de illa potius re intelligendum esse, quam actione illa voluit adumbrare; nimirum de studio, aliis inseruiendi, cum animi submissione coniuncto. Quod si omnes semper cogitassent, nemo videtur in eam opinionem, quam multis tamen hodieque probari nouimus, fuisse delapsurus, vt ipsum hoc pedilauium sibi etiam imitandum repetendumque statueret; eodemque modo ab aliorum etiam Iesu factorum imitatione profecto abstinuissent homines, si de eo, quod me iam abunde puto demonstrasse, ipsis fuisset persuasum, nullum factum eius quoad singulas περιστάσεις nobis esse imitandum, multoque minus ipsum repetendum.

Iam vero de rectiore atque conuenientiore factorum Iesu imitatione cogitantibus nobis atque quaerentibus illa ipsa, quam modo tractauimus, de pedilauio Christi narratio ducis ac monitoris loco esse poterit. Quemadmodum enim Iesus hanc actionem a discipulis suis voluit spectari, ita et reliquae eius actiones nobis erunt spectandae, cum omnes eorum, quae nobis etiam sint agenda, veluti signa sint atque documenta. Quonam igitur modo factum illud a discipulis ad ipsorum imitationem voluit transferri? Nempe sic, vt iuberet eos id, quod ipse, magister, discipulorum pedes lauasset, tanquam speciem vniuersi generis, studii nimirum, aliis inseruiendi, cum animo demisso et humili coniun-

eti, ſpectare, idque ipſum, quod vniuerſum erat hac in re, imitandum iis proponeret. Quidni ergo in reliquis etiam actionibus Ieſu examinandis eodem modo verſemur, vt a ſingulis ad vniuerſum genus progrediamur, cui factum aliquod tanquam ſpecies quaedam ſubeſſe iudicandum eſt, iamque id, quod in eo eſt vniuerſum, teneamus? Atque hanc ipſam factorum Ieſu imitandorum rationem, non modo illa narratione, ſed aliis etiam in locis libri ſacri haud obſcure nobis monſtrant, et ipſi praeeunt. Sic enim v. c. non iubemur, crucis ſupplicium pro aliis ſubire, ſed omnino vitam pro iis ponere; (1 Io. III, 16.) non iubemur, colaphos et conuitia immerito ab aliis in nos coniecta patienter ferre, ſed omnino mala quaecunque, iniuſte nobis illata, tolerare; (1 Petr. II, 20 - 23.) ſimiliterque alibi etiam, vbi ipſa res facile docebat, non poſſe nos ad id ipſum, quod Ieſus fecerat, faciendum obſtringi, id monemur, vt quemadmodum is, cum Deo eſſet aequalis, tamen eo ſe ἐκένωσε, demiſerit, vt eius ſe miniſtrum gereret, ita nos etiam non noſtrae ſemper gloriae inhiemus, ſed animo potius ſimus humili et infra alios ſe demittente. (Phil. II, 3 - 9.) Haec igitur via, ab ipſis libris ſacris monſtrata, nobis in aliis etiam erit inſiſtenda atque perſequenda, resque adeo tota ſic moderanda, vt, *quod in factis Ieſu, miſſis omnibus, quae perſonis, locis et temporibus propria ſunt, vniuerſum deprehendimus, idem et nobis, in hoc munere, hoc in loco atque inter hos homines conſtitutis, hancque agendi occaſionem nactis faciendum ſtatuamus*; [15]) hoc-

15) Atque ad hunc ipſum modum rectiſſime iam de exempli Chriſti imitatione praecepit *Frid. Spanhemius* in *dub. Euangel. Part. III. dub. LIV.* p. 218. *Diſtinguenda*, inquiens, *imitatio rei quoad actum in ſpecie ab imitatione eius quoad genus. Prior hic κακόζηλος, non poſterior. Et vt in apparatu Chriſti inſidentis pullo aſinae non ſpecies actus imitanda, ſed genus, manſuetudo nimirum et humilitas eius, vt in lotione pedum eadem tantum imitanda, ſic in ieiunio Chriſti imitatio virtutum ieiunio illo deſignatarum haud quaquam improbanda, imitatio vero actus illius quoad ſpeciem abſurda, niſi non tantum cl-*

que modo omnia, ni fallor, facta eius, qualiacunque etiam fuerint, poterimus imitari. Ad hunc modum ſupra iam (pag. 112.) admonui, ipſa adeo miracula eius nobis exemplo eſſe poſſe, ſi id, quod vniuerſum in iis eſt, imitemur, vt nimirum conceſſis nobis a Deo corporis animiue viribus non niſi ex ipſius voluntate inque eius gloriam hominumque commodum vtamur; ſimiliterque et hoc, quod Iudaeorum ſe moribus in vita cum publica, tum priuata adcommodauit,[16]) ita nobis imitandum eſſe dixi, vt et nos noſtrae aetatis moribus, quoad

---

bos omnes interuallo quadraginta dierum a nobis prohibere poſſimus, ſed et eſuriem. Atque id ipſum ſibi etiam voluiſſe videtur *Gabr. Biel*, dum ſententiam ſuam, qua *omnem actionem Chriſti noſtram eſſe inſtructionem* defendit, ita limitandam ſtatuit, vt id *quoad ſubſtantiam* tantum, non vero *quoad modum* actionis valere diceret: cuius rei notitiam debeo S. Ven. *Le Bret*, qui de ea expoſuit in Diſſ. *de originibus et viciſſitudinibus eccleſiae Wirtembergicae*, Part. I. (Tubing. 1790. 4.) p. 41. Qui vero factum fuerit, vt noſtris temporibus in vniuerſum quidem nemo, quantum equidem noui, hac de re hunc in modum praeciperet, cum tamen in exemplo Ieſu ſingulis in cauſis commendando omnes eandem fere rationem ineant, id equidem profecto non video. Quod enim *Reinhardus* in Theol. mor. Vol. I, p. 359. [Vol. II, p. 372. ed. 4.] dicit, id tantum nobis in exemplo Ieſu eſſe imitandum, quod in vniuerſis morum praeceptis ſit habendum, *(was in der Denkungsart und dem Verhalten Ieſu als allgemeine moraliſche Wahrheit angeſehen werden muſs,)* id non videtur huc referendum. Id ipſum enim quaeritur, quidnam in eius exemplo pro vniverſis morum praeceptis ſit habendum. [Ad hanc auctoris b. ſententiam reſpiciens *Reinhardus* in operis ſui editione quarta Vol. II, p. 373. ita monuit: *will man bey der Frage, welche Handlungen I. nachgeahmt werden müſſen, ſagen: es ſey nicht nöthig irgend eine auszunehmen und ſie in Klaſſen abzutheilen, mit Abrechnung der individuellen Umſtände ſeyen ſie vielmehr alle muſterhaft für uns; ſo iſt dies nur eine andre Vorſtellungsart der Sache, bey der man jedoch, ſobald man ins Einzelne geht, auf alle die Einſchränkungen znrückkommt, welche hier durch die gänzliche Ausſchlieſsung gewisser Handlungen I. angedeutet ſind. Uebrigens hat die von mir gebrauchte Vorſtellungsart auch Cruſius in der Moraltheol. I,* 801 *ff. jene hingegen Keil vorgezogen in der Diſſertation u. ſ. w.* — Ed.]

16) Id quibus potiſſimum in rebus fecerit, pluribus, quanquam iis non apte ſatis omnibus delectis, exemplis docuit *Nicol. Burchard. Surland* in Diſſert. ſub praeſidio *Geo. Henr. Ribovii* Goetting. 1752, defenſa, *de antiquitatibus iudaico - chriſtianis.*

per alia officia fieri poterit, nos accommodemus. Eodem igitur modo in aliis etiam factis eius ad imitationem nostram transferendis nobis erit versandum. Vbi igitur eum duodecimo v. c. aetatis anno templum legimus adiisse, ibique inter doctores consedisse, deque rebus diuinis cum iis collocutum esse, [17]) (Luc. II, 46 - 49.) hoc inde discemus nobisque imitandum sumemus, nos etiam rebus diuinis cogitandis lubenter debere occupari, earumque notitia ingenium nostrum mature excolendum curare; aut vbi eum nuptiis Cananaeis interfuisse, laetitiaque ipsi ibi parata ita vsum fuisse intelligimus, vt oblatam sibi muneris sui partis cuiusdam explendae occasionem cupide arriperet, miraculoque patrando vini inopiae succurreret, eaque re simul etiam eos, qui nuptias illas celebrabant, ex difficultate, qua se implicitos videbant, expediret, (Ioh. II, 1 - 10.) id ipsum nobis etiam agendum esse statuemus, vt libenter in communionem gaudii aliorum veniamus, eoque ita fruamur, vt reliquorum quoque officiorum nostrorum semper memores simus, nominatimque etiam iis, qui difficultatibus quibusdam se im-

---

17) Id enim arbitror equidem verbis illis significari, quibus se apud parentes dicitur excusasse: *οὐκ ἤδειτε, ὅτι ἐν τοῖς τοῦ πατρός μου δεῖ εἶναί με;* (v. 49.) Etenim *τὰ τοῦ πατρὸς* non de templo, vt plerique volunt, accipienda puto, sed intelligo potius de *iis, quae pertinent ad patrem*, h. e. *de rebus diuinis;* illud autem *εἶναι ἐν τινι* ex vsu linguae graecae nunc interpretor, quo significat: *in aliqua re versari aut occupari;* (cf. *Pricaeus* ad 1 Tim. IV, 15. itemque *Loesnerus* in *Obseru. Philon.* ad h. l.) vt adeo sensus vniuersae sententiae hic sit: *an ignoratis, me rebus diuinis discendis atque meditandis debere occupari?* Atque hunc quidem sensum contextus loci aperte mihi videtur postulare. Neque enim Iesus id nunc docere vult parentes, quonam in loco quaerere eum debuissent, sed illud potius excusare, quod Hierosolymis remanserat, eaque re in sollicitudinem eos adduxerat. Praecesserat enim illud: *τί ἐποίησας ἡμῖν οὕτως; ἰδοὺ, ὁ πατήρ σου κἀγὼ ὀδυνώμενοι ἐζητοῦμέν σε.* Quod autem Deum *patrem suum* adpellavit, eo simul et hoc videtur indicare voluisse, hunc proprie sibi parentem esse, ideoque eius etiam potiorem sibi curam esse debere, quam quidem parentum humanorum; quod acute iam vidit Celeb. *Hessius* in vita Iesu, (*Geschichte der drey letzten Lebensjahre Iesu,*) Vol. 1. libr. 1, cap. 2, pag. 128. [p. 163. ed. 7.]

plicuerunt, parcamus et quouis modo ſuccurramus;[18]) aut vbi denique eum illos etiam aegrotos ſanaſſe cognoſcimus, qui ſe poſt hoc beneficio admodum indignos praeſtarent, (Luc. XVII, 11 - 17.) id nos ea re doceri admonerique iudicabimus, vel eos etiam, qui beneficiis noſtris indigni ſint, a nobis eſſe adiuuandos.

Neque vero hoc vniuerſum agendi genus, quod ex iis, quae Chriſtum feciſſe legimus, nobis eſt repetendum, ſingulis ſemper factis nobis oſtenditur, ſed ſaepe etiam pluribus exemplis ſpectandum cognoſcendumque proponitur; tumque multo minus in eo quaerendo a nobis poterit errari. Sic, vt et hic vno alteroue exemplo vtar, omnis propemodum vita eius teſtatur, eum inſcios v. c. atque ignaros edocuiſſe, errantes in viam reduxiſſe, ſceleſtos et pravos correxiſſe, neque malorum, quibus alii premebantur, commiſeratione tantum tactum fuiſſe, ſed ea etiam tollere ſtuduiſſe, omninoque quouis modo erga alios beneficum ſe praebuiſſe, hacque ratione de negotio a patre ſibi demandato ſemper ſollicitum, in eoque peragendo per omnem vitam ita totum fuiſſe, vt ne tum quidem ſegnior fieret, ſi nullum laboris fructum videret, vel eo prorſus deſtitueretur. Simili modo pluribus etiam narrationibus docemur, eum, vsque dum tempus mortis ſuae a Deo deſtinatum adeſſet, vitae ſuae ſecuritati diligenter proſpexiſſe, (Matth. XIV, 13. Ioh. VII, 1. VIII, 59. X, 39. XI, 54.) neque minus famae etiam ſuae integritati conſuluiſſe, (Matth. IX, 4. 5. Luc. V, 30. ſq. Io. VIII, 49. Luc. XI, 17. ſſ. coll. Matth. XII, 24 - 32.) ideoque ſedulo etiam id operam dediſſe, vt ſuſpicione apud alios vel prorſus careret, vel vbi eam incurriſſet, a ſe rurſus amoueret;[19]) ab honeſtis

---

18) De quo poſteriori officio per huius ipſius facti Ieſu occaſionem praeclare expoſuit S. V. *Reinhardus* in *Sermonib. ſacr.* Vitembergae habitis, pag. 31. ſq.

19) De qua re peculiari nuper libello expoſuit *Io. Guil. Rau* in Prol. *de ſapientia Ieſu Chriſti in ſuſpicione et fugienda et a ſe dimouenda*, Erlang. 1792. 4.

autem vitae delectationibus minime abhorruiſſe, (Matth. XI, 19.) lubenterque in communionem gaudii aliorum veniſſe; (Luc. V, 29. VII, 36. XI, 37. XIV, 1.) a miſeris vero iuuandis ne ſabbati quidem ſanctitate ſe prohiberi paſſum eſſe; (Matth. XII, 9 - 13. coll. Marc. III, 1 - 5. et Luc. VI, 6 - 10. it. Luc. XIII, 10 - 17. XIV, 2 - 5. Io. V, 5 - 9.) magiſtratui porro, quae exigeret, etiam vbi opus non fuiſſet, tamen ſoluiſſe, (Matth. XVII, 24. ſq.) atque ſoluenda docuiſſe, (Matth. XXII, 21.) eique cum ipſum ſe ſubjeciſſe, tum ab iis etiam, quorum cognitio ad hunc potius pertineret, quam ſui muneris eſſet, prorſus abſtinuiſſe; (Luc. XII, 14. Io. VIII, 1 - 11.) denique hominibus a religione patria alienis minime ſe ſubtraxiſſe, ſed vel eorum etiam virtutem agnouiſſe, iuſtoque elogio ornaſſe, atque ipſorum neceſſitatibus lubenter ſuccurriſſe, (Ioh. IV, 1 - 43. Matth. VIII, 1 13. [hunc nimirum centurionem gentilem fuiſſe, adparet ex v. 10.] coll. Luc. VII, 3. Matth. XV, 21 - 28. coll. Marc. VII, 24 - 30.) et quae plura ſunt huius generis. Eſt vero etiam, vbi ipſi ſcriptores ſacri agendi Ieſu rationem vniuerſe tantum notant, a ſingulis autem eius exemplis commemorandis penitus abſtinent; quod fit v. c. Luc. II, 52. vbi in vniuerſum traditur, eum parentibus ſuis obedientem fuiſſe. Haec igitur atque talia omnia, ſiue ſingulis exemplis declarentur, ſiue vniuerſe notentur, nobis etiam, quamcunque eius rei occaſionem nactis, imitanda eſſe, nulli profecto iuſtae dubitationi poteſt obnoxium eſſe.

Occurrunt vero inter facta Ieſu etiam talia, quae non poterunt ad vniuerſum aliquod genus a nobis referri, niſi prius cauſa eorum atque conſilium fuerit intellectum; quo haec inprimis pertinere arbitror, quod paupertatis incommodis ſe ſubiecit, vitamque caelibem egit. Huius autem vtriusque rei cauſae haud dubie in muneris ipſius ratione ſunt quaerendae, quod quippe non patiebatur, vt matrimonium iniret, eiusque tenui

conditione plurimum adiuuabatur, cum nimirum haec eo faceret, vt falſae Iudaeorum de regno Meſſiano opiniones facilius infirmarentur,*) doctrinaeque eius atque miraculis praecipua auctoritas conciliaretur,**) eſſetque ipſe ab omni lucri cupiditatis ſuſpicione vacuus, poſſetque illuſtriſſimum nobis virtutis exemplum praebere.[20]) Quae cum ita ſint, facile intelligitur, vtrumque nobis ita imitandum eſſe, vt et ipſi iis, quae muneris, ex Dei voluntate nobis iniuncti, ratio poſtulet, lubenter nos ſubiiciamus, eorumque exſequendorum cauſa vel ipſis etiam vitae huius leuamentis atque voluptatibus renunciemus. Quod autem multi hic quoque commemorant ieiunium, per quadraginta dies in deſerto ab eo ſuſceptum, id equidem hac in cauſa plane non puto in cenſum venire. Neque enim ipſe id inſtituit, ſed ſubire coactus eſt, cum nullum ei in deſerto illo, in quod divini ſpiritus impulſu ſeceſſerat, (Matth. IV, 1. Marc. I, 12. Luc. IV, 1.) cibi genus ſuppeteret; adeoque id totum non tam ad facta, quam fata potius eius puto referendum, noſtraeque imitationi plane non propoſitum iudicandum.[21])

---

*) Ita nimirum non poterat ſperari, eum Iudaeos ex poteſtate Romanorum eſſe liberaturum ac in priſtinam libertatem vindicaturum.

**) Si enim parentibus opulentioribus ortus fuiſſet Iesus, tum Iudaei potuiſſent doctrinam eius pro inſtitutionis humanae fructu habere, eiusque miracula ex ſimili fonte vel arte quadam magica deriuare.

20) Hactenus nimirum illuſtre dicendum, quod nulla vnquam inter mores et doctrinam eius repugnantia locum habuit, ne in illo quidem praecepto, quod mundanarum rerum curam legum diuinarum obſequio vult poſthaberi (Matth. V, 29. 30.) quod profecto in contemtum abiiſſet, niſi ipſe exemplo ſuo vim et robur ei addidiſſet. — Quae tamen omnia pluribus perſequutus eſt idem, quem modo laudaui, *Io. Guil. Rau* in libello, cui *praemiſſa eſt brevis inquiſitio in cauſas, cur Iesus Chriſtus paupertati ſe ſubiecerit, praecipuas*, Erlang. 1787. 4.

21) Cfri etiam poteſt *Ioa. Gottfr. Koerneri* Diſſ. qua oſtendit, *Ieiunium Chriſti nec legem eſſe, nec exemplum propoſitum.* Lipſ. 1776. 4.

Cum autem facta Iesu, vt statim ab initio huius sectionis admonui, spectentur nunc tanquam sensuum, quibus regebatur, fructus atque documenta, erunt iam ad hos ipsos sensus, quos iis prodidit, simul etiam referenda, vt quot modis singulos sensus declarauerit, inde cognoscamus. Quod si fecerimus, etiam hac ex parte exempli eius consideratio vtilissima nobis virtutis schola fiet, vt intelligamus, quam late pateat singulorum sensuum demonstrandorum campus, discamusque hinc de ambitu cuiusque virtutis rectius statuere. Tum enim intelligemus, ipsius v. c. *animum Deo obedientem* eo fuisse declaratum, quod non modo iis, quae Deus ipsi iniunxerat, agendis atque perficiendis semper fuit occupatus, sed omnia etiam ad normam, praescriptum ac voluntatem eius peregit, nihilque vel immutauit, vel omisit, vel contra ipsius voluntatem admisit; (Matth. XXVII, 40.) *pietatem* autem in eodem munere gerendo eo conspicuam factam esse, quod ad id apte et feliciter gerendum mature se atque studiose praeparauit, inque eo administrando nihil sui honoris emolumentiue causa fecit, sed solam Dei voluntatem respexit, neque vllo negotio voluit immisceri, quod a patris sui voluntate esset alienum, ab iis autem, quae Deus facere eum iusserat, peragendis nullis se impedimentis aut incommodis absterreri passus est, et vel ipsas vitae necessitates iis postposuit; (Io. IV, 34.) *studium* vero, *gloriam Dei promouendi* ex eo eluxisse, quod nihil eorum, quae fecit aut dixit, sibi arrogauit, sed quicquid vel verum docuit, vel magnum patrauit, vel salutis tribuit, vel honoris reportavit, id omne ad patrem suum retulit, tumque id etiam operam dedit, vt homines cum rectius de Deo statuere, tum digniori etiam modo colere eum doceret, et ne locum quidem ipsi sacrum vlla re profanari sineret. (Io. II, 14. Matth. XXI, 12. Luc. XIX, 45.) Tum item intelligemus, *amorem* quidem atque *beneuolentiam* erga alios eo ipsum prodidisse, quod omnibus se, licet tot ac

tantis negotiis eſſet occupatus, affabilem colloquiisque ſuauem et hilarem, et ad quaelibet officia paratum oſtendit, neque hilaritatis moroſum caſtigatorem ſed liberalem potius auctorem atque promotorem egit, quodque cum dignis, tum indignis benignum ſe exhibuit, nullamque aliis benefaciendi occaſionem omiſit, iisque vel non rogatus ſuccurrit, multo minus vero rogatus quenquam ope ſua deſtitutum dimiſit, ſed lubens ac laetus cum adiuuit; hoc ipſum autem *ſtudium aliis benefaciendi* declaraſſe eum, inſcios docendo, prauos impietatis ſuae conuincendo et ad mentem meliorem adducendo, miſeros quosque adiuuando auxiliumque iis ferendo, triſtes conſolando, pauperibus de ſuo aliquid praebendo, (Io. XIII, 29.) denique hominibus omnibus ſalutem aeternam procurando; eius porro *miſericordiam* ſpectaſſe cum corporis (Matth. XV, 32. Marc. VIII, 1.) tum animi neceſſitates, (Matth. IX, 36. XI, 28.) atque ipſam adeo huius prauitatem (Matth. XXIII, 37. Luc. XIX, 41 - 42.); *animi* vero ipſius *lenitatem* in eo adparuiſſe, quod virtutem etiam imperfectam aeſtimauit, (Marc. X, 17. ſq. XII, 34.) erroresque et vitia aliorum non acerbe taxauit aut irriſit, ſed excuſauit potius atque corrigere ſtuduit, (Matth. XXII, 29. Io. IV, 21 - 24. Matth. XVI, 8. IX, 11. ſq. XXVI, 40. 41.) indignationem etiam iuſtiſſimam cohibuit, iniuriasque ſibi illatas patientiſſime tulit; (Luc. IX, 55. 56.) hanc ipſam denique *patientiam*, quam cum his, tum aliis malis atque calamitatibus perferendis declarauit, eo fuiſſe ſpectatam, quod mala ſibi imminentia neutiquam ſubterfugit, neque vel aduerſus Deum, qui ea ipſi immiſerat, murmurauit, vel de inimicis ſuis, qui ea ipſi infligebant, conqueſtus eſt, aut minis minas oppoſuit, (1 Petr. II, 23.) ſed pro illis potius eſt deprecatus, (Luc. XXIII, 34.) neque animum etiam ſuum atque fiduciam in Deum iis frangi et labefactari, vel ab vllo amoris aliis exhibendi officio ſe auocari paſſus eſt. Haec autem

omnia nonne ampliſſimum nobis noſtrorum etiam ſenſuum ſimili modo demonſtrandorum campum aperiunt, ſingularumque virtutum ambitum accuratiſſime nobis cognoſcendum proponunt?

Ad hunc igitur, quem hactenus deſcripſi, modum exemplum Chriſti, quatenus factis eius continetur, ad noſtram imitationem puto eſſe transferendum; eodemque modo etiam tum erit tractandnm, vbi in Theologia morali tanquam fons officiorum noſtrorum cognoſcendorum ſpectatur, vt nempe id, quod in factis eius eſt vniverſum, in officiis noſtris habeamus, ſi vel maxime nullo diſerto mandato nobis fuerit iniunctum: id quod vtique interdum locum habere arbitror, vt, cum ipſius exemplo ad Deum in publicis etiam conuentibus colendum excitamur, aut decori in rebus etiam externis ſervandi admonemur.

III.

Verum ad officia noſtra explenda non ſatis eſt, ſcire, quidnam nobis ſit agendum, ſed opus etiam eſt, vt quonam modo id agendum ſit, teneamus, cum quae recte a nobis fiunt, facile poſſint praua reddi, ſi perverſo modo peragantur. Itaque tertio loco hoc etiam in exemplo Chriſti nobis erit ſpectandum, *quemnam modum in agendo ſecutus ſit*, cum et hunc non niſi optimum fuiſſe virtutique conuenientiſſimum plane non liceat dubitare, ſitque haec omnino praecipua exemplorum vtilitas, vt modum etiam officii recte faciendi nobis declarent [22]). Iam vero cum demonſtratum modo fuerit, facta Ieſu non ita nobis eſſe imitanda, vt eadem, quae ipſe fecit, nos etiam facere inſtituamus, facile intelligitur, nec hic nobis in ſingulis factorum eius περι-

22) Quem exemplorum vſum in reliquis quidem, praeter Chriſtum, exemplis biblicis pluribus demonſtrauit S. Rev. *Wolfius* in Diſſert. *de exemplis biblicis in Theologia morali caute adhibendis*, (Lipſ. 1785.) inde a §. 16. pag. 38. ſq.

ϛάσεσι fore haerendum atque ſubſiſtendum. Si enim non debemus ipſum id, quod fecit, imitando repetere, profecto nec ſingulae περιϛάσεις, quae in eo faciendo locum habuerunt, nobis erunt repetendae. Quemadmodum igitur in ipſis quidem factis Ieſu, id tantum, quod vniuerſum in iis eſt, nobis imitandum eſſe docui, ita et hic non niſi ad vniuerſam agendi rationem, quam factorum ſuorum moderandorum modo nobis prodidit, imitandam obſtrictos nos poterimus cenſere; adeoque haec iam nobis erit quaerenda atque cognoſcenda. Id autem ſi facere inſtituimus, mox reperiemus, eam in vniverſum quidem ad haec duo fere rediiſſe, *vt ſapienter omnia atque prudenter faceret, vtque non modo ſingulis virtutibus iuſtum ſemper temperamentum adhiberet, ſed vniuerſas etiam arctiſſime inuicem copularet.* Huno vtrumque igitur agendi modum, quem omnis profecto vita eius prodit, innumerisque fere documentis teſtatum facit, cum et nos in omni actione noſtra inſtituenda virtuteque colenda ſequi debeamus atque imitari, id iam mihi agendum adhuc eſſe video, vt quonam modo id fieri debeat, quidque nobis ea in re potiſſimum ſit ſpectandum, oſtendam.

Iam vero *ſapientia* duabus fere, vt conſtat, rebus cernitur, quarum altera quidem in eo ponitur, vt nihil ſine certo conſilio cogitataque ratione agamus, neque alium vnquam, quam iuſtum atque honeſtum agendi finem nobis proponamus; altera autem in eo conſiſtit, vt aptiſſima quaeque ad finem noſtrum conſequendum adminicula deligamus. Hoc igitur ſi iam ad exemplum ſapientiae a Chriſto demonſtratae transtulerimus, facile intelligetur, de priore eius parte, quae iuſto atque honeſto fine perſequendo continetur, in ſuperioribus iam ſatis dictum eſſe, quare vnum hoc nunc relinquitur, vt de adminiculis, quibus ad virtutem colendam atque exercendam vſus eſt, quaeramus. Ea autem cum vniuerſa fuerunt, tum ſingulis etiam virtutibus propria. Ad

vniuerſa primum quidem retulerim perpetuam diuinae voluntatis, quae ipſum haec agere, haec docere atque haec pati poſtulaſſet, eique hunc bene de hominibus merendi locum deſignaſſet, memoriam atque recordationem. Ea enim ipſum ad indefeſſum illud huius diuinae voluntatis exequendae ſtudium, tantamque animi hilaritatem excitavit, vt patris opera, quamdiu adhuc eius rei opportunitas adeſſet, ſtudioſiſſime ſibi peragenda cenſeret, (Io. IX, 4.) eamque rem ſummae voluptati ſibi duceret, (Io. IV, 34.) vtque vel tum, cum, morti iam proximus ſummis animi doloribus angeretur, tamen non ſuam, ſed Dei voluntatem perfici vellet. (Matth. XXVI, 42. coll. Marc. XIV, 36. et Luc. XXII, 42.) Tum vero huc etiam pertinet precum vſus, cumque eo plerumque fere coniuncta in ſolitudinem ſeceſſio; (Marc. I, 35. Luc. VI, 12. XI, 1.) quae duo, quam inſignem ad animum in officii lubenter conſtanterque faciendi alacritatem incitandum, vim debuerint habere, res ipſa declarat. Quod autem ea adminicula attinet, quae ad ſingulas virtutes facilius colendas adhibuit, patientiae v. c. in calamitatibus perferendis demonſtratae adminiculum hoc ei fuit, quod iam ante, quam in ipſum ingruerent, ſaepe de iis cogitauit, (Matth. XVI, 21. coll. Marc. VIII, 31. et Luc. IX, 22. Matth. XVII, 22. 23. coll. Marc. IX, 30 - 33. et Luc IX, 43 - 45. Matth. XX, 17-19. coll. Marc. X, 32-34. et Luc. XVIII, 31-34.) eoque ipſo cum hoc cauit, ne inopinato in eum irrumperent, tum animum etiam ad eas tolerandas confirmavit. Ad conſtantiam autem in negotio ſibi demandato inter tot mala atque incommoda perficiendo non modo illud, de quo dixi iam, eum excitauit, quod Dei, non ſuam cauſam ſe agere meminerat, ſed hoc etiam, quod laetiſſimum exitum, quem ea res eſſet habitura, fructumque vberrimum, quem inde eſſet reportaturus, proſpiciebat. Nouerat enim, ſe ſuperata morte in vitam

iri reſtitutum[23]) et ad Dei dextram ſublatum; (Matth. XXVI, 64. Io. XII, 23 - 26. Io. XVII, 1 - 5. 11. 13.) hincque huius ipſius deſtinatae ſibi ſortis felicioris reſpectu habito (id enim ſibi vult illud ἀντὶ τῆς προκειμένης χαρᾶς, quo eodem ſenſu illud ἀντὶ legitur etiam Epheſ. V, 31. Luc. I, 20.) omnia illa mala ipſamque mortem dicitur pertuliſſe, Ebr. XII, 2.[24]) Quibus vero rebus animum ſuum ad tentationes feliciter ſuſtinendas confirmauerit, luculenter docet nobilis hac in re locus, Matth. IV, 1. ſqq. Vſus nimirum eſt breuibus quibusdam librorum ſacrorum ſententiis, quas ita in promptu habuit, vt vel deſideratae ſtatim praeſto ei eſſent, vel ſponte etiam ipſi ſuccurrerent. Haec autem atque omnia reliqua adminicula, quae Ieſu cum in vniverſo virtutis cultu, tum in ſingularum quoque exercitio profuerunt, nobis etiam commendata debebimus habere, ſi quidem ad eandem cum illo virtutis metam volumus contendere, eiusque ſapientiam, in horum adminiculorum vſu demonſtratam, imitari; cumque inter ea nominatim etiam hoc fuerit, vt de feliciori conditione, rectam muneris ſui adminiſtrationem vitamque ad virtutis regulas transactam conſecutura, identidem cogitaret, eamque quam primum conſequi cuperet, nec nobis vitio verti poterit,[25]) ſi noſtrum etiam animum, cogitandis ſubinde commodis ex vita bene transacta, cum nunc, tum olim maxime, in nos redundaturis, fe-

---

23) Cfr. S. V. *Reinhardi* Pr. ſupra iam laudatum, *de Chriſto ſuam, dum viueret, reſurrectionem praedicente.* Viteb. 1784. [opuſcull. acadd. Vol. II, p. 30.]

24) Ad quem locum cf. Celeb. *Storrium* in Commentar. ad hanc epiſt.

25) Quod magno conſenſu faciunt nunc Theologi et Philoſophi, Kantianae philoſophiae formulam profeſſi, quibus tamen, praeter alios, nuper etiam aduerſarium ſe praebuit Celeb. *Io. Frid. Flatt* in Symbolis ad Theologiam chriſtianam, cum dogmaticam, tum ethicam, eiusque hiſtoriam, *(Beyträge zur chriſtlichen Dogmatik und Moral, und zur Geſchichte derſelben*, Tubing. 1792. 8.) pag. 96. ſq.

licitateque ad ipſius exemplum inde reportanda, excitaverimus, et vbi ſegnior in virtutis ſtudio factus fuerit, his quaſi ſtimulis admouendis, ad eam denuo perſequendam conſtanterque colendam reddiderimus alacriorem; praeſertim, cum, vt ſupra iam admonui, (pag. 102.) huius ipſius ſortis Chriſti beatioris in exemplo eius nobis proponendo diſerte admoneamur (Ebr. XII, 2.).

Quod porro *prudentiam* attinet, quae nobis, exemplum Chriſti imitaturis, cum ſapientia eſt coniungenda, eam in vniuerſum quidem in eo poni conſtat, vt quae facere conſtituerimus, recte etiam atque feliciter exſequamur, hincque non modo impedimenta nobis obiecta e medio tollamus, omnesque cum ſecundae, tum aduerſae fortunae caſus ad finem noſtrum obtinendum conuertamus, ſed temporis etiam locique atque hominum opportunitates diligenter obſeruemus, iisque omnibus nos accommodemus. Haec autem ſi eius eſt natura, facile puto adparere, eam omnia, quae in re aliqua agenda quicquam momenti poterunt habere, curare et proſpicere debere, hincque multis ſe documentis prodere poſſe: idque ipſum in eo etiam prudentiae exemplo, quod Chriſtus praebuit, deprehendemus. Quocunque enim eum cogitatione noſtra fuerimus comitati, ſiue docenti, ſiue miracula patranti, ſiue familiariter cum aliis viuenti, amicitiasque cum iis contrahenti atque fouenti nos ei adiunxerimus, vbique eum luculentiſſima prudentiae documenta edentem conſpiciemus. Quanta enim prudentia homines rudes adhuc et ſublimioris veritatis ipſis tradendae parum capaces ad perfectiorem inſtitutionem ſenſim ſtuduit praeparare, eorumque ingenia nunquam praecipitauit, ſed omnia potius ad eorum cum percipiendi facultatem, tum opinandi etiam rationem accommodate docuit, [26]) atque ea vbique tradidit,

---

26) De hac accommodatione Ieſu ad captum et opiniones hominum, de qua noſtris temporibus a multis in vtramque partem fuit diſputatum, videndus inprimis eſt S. Ven. *Reinhardus*

quae vel cuique loco ac tempori aptiſſima eſſent, vel iis, quibus tradebantur, maxime profutura cognituque neceſſaria, omninoque quamcunque alios de re vtili admonendi occaſionem arripuit! [27]) Quam prudenter porro miraculorum a ſe edendorum rationem ita moderatus eſt, vt nunquam fine fructu vim tantam oſtenderet, neque vana ſpectacula ederet, vel ab iis ea ſibi extorqueri pateretur, qui nihil, niſi mirabile quid videre cuperent, neque animum, praeiudicatis opinionibus vacuum, veroque cognoſcendo aptum, ad ea ſpectanda afferrent, inque iis edendis ita omnia inſtituit, vt cum iis, quorum cauſa fiebant, tum ſpectantibus etiam vtilia fierent, peracta autem intempeſtiue praedicari ſaepe prohibuit; [28]) Quam prudenter item a regum potentumque commercio abſtinuit, omnesque eos a ſuo conſortio arcere ſtuduit, de quorum vel malignitate perſuaſus eſſet, vel integritate

---

in *Syſtem. Theol. moral.* Vol. II. p. 226. ſq. edit. 1. [Vol. III, 207. ſq. ed. 4.] vbi ea de re ita differitur, vt ſingula huius accommodationis exempla ad certas claſſes referantur, quod a nemine adhuc factum memini. Praeter hunc tamen legi etiam merentur, qui nuperrime ea de re ſcripti ſunt, libri peculiares: *Bemerkungen über die Lehrart Jeſu, mit Rückſicht auf jüdiſche Sprache und Denkungsart,* (auctore *Car. Victor. Hauffio*) Offenbach. 1788. 8. eiusdemque Auctoris *Kleiner Beytrag zur Unterſuchung der Frage: Ob und wie weit es einem weiſen Manne überhaupt und beſonders einem göttlichen Lehrer anſtändig und erlaubt ſey, ſich zu den Meynungen und Irrthümern herabzulaſſen?* etc. Uratislav. 1791. 8. itemque *Herm. Fr. Behn über die Lehrart Jeſu und ſeiner Apoſtel in wie fern dieſelben ſich nach den damals herrſchenden Volksmeynungen bequemt haben.* Lübec. 1791. 8. denique *I. Heringa über die Lehrart Jeſu und ſeiner Apoſtel, mit Hinſicht auf die Religionsbegriffe ihrer Zeitgenoſſen, aus dem Holländiſchen,* Offenb. 1792. 8.

27) Vid. *Heſſum über Lehren. Thaten und Schickſale unſers Herrn*, pag. 60. ſq. [in recentiſſima editione quae 1806 duobus voluminibus prodiit, haec leguntur vol. I. cap. 3. cui inſcriptum est: *Ueber die Rückſichtnehmung Jeſu auf Zeiten, Gelegenheiten, Zuhörer bey ſeinem Lehramte.*]

28) Etiam hic eſrdus eſt laudatus modo *Heſſii* liber, p. 360. [edit. rec. vol. II, cap. 12, p. 339 ſſ.] itemque *Niemeyerus* in *Theol. popular.* p. 252. ſq. [ed. 5. p. 262. ſſ.]

iuſtam dubitationem aleret; (Io. II, 24.) quamque non minus prudenter contra aduerſariorum calumnias ſe defendit, inſidiasque ſibi ab iis ſtructas effugit, dolosque eorum eluſit! Quantam denique in omni vitae ſuae inſtituendae ratione prudentiam eo etiam prodidit, quod diligenter cauit, ne iis, quae diceret, aut faceret, vel aliorum imbecillicitas offenderetur, vel malitia atque improbitas ad damnum ſibi inferendum incitaretur, vel imprudentia atque temeritas ad praua conſilia ineunda et perſequenda adduceretur! — Verum abſtineo ab vberiore prudentiae eius explicatione, cum facile praeuideam, me ei ne leuiter quidem adumbrandae, nedum plenius deſcribendae parem eſſe futurum. Neque multum etiam proderit, eam in vniuerſum cognouiſſe, ſed ſi volumus etiam imitari, in ſingulis potius cauſis diligentius et accuratius nobis erit perſequenda. Hunc autem in finem omnia narrationum de vita factisque eius momenta, ne leuiſſimis quidem exceptis, omnesque cum loci et temporis περιστάσεις, tum hominum etiam rationes diligenter nobis erunt expendendae atque conſiderandae, vt quo ſingula quaeque ſpectauerint, quidque iis effectum fuerit, intelligamus[29]). Eam vero in rem cum non modo ingenio atque profunda mentis humanae agendique hominum rationis cognitione, ſed multa etiam

---

29) In qua re praeter Chryſoſtomum et recentiores quosdam Interpretes inprimis conſuluiſſe proderit Ven. *Heſſii* libros, quos *de vita rebusque a Ieſu geſtis* edidit, (*Geſchichte der drey letzten Lebensjahre Jeſu. Neueſte Ausg. Zürich*, 1781. 2. Voll. 8. cui adpendicis loco acceſſit is, quem aliquoties iam commemoraui, liber: *Ueber die Lehren, Thaten und Schickſale unſers Herrn*, ibid. 1782. 8. [Prior octauum editus eſt ao. 1806. mutato indice: *Lebensgeſchichte Jeſu*, poſterior autem tertium vti iam monitum eſt, ao. 1806.] in quibus quippe ſentiendi agendique Ieſu ratio diligentius fere, quam in caeteris eius generis ſcriptis explicatur. Vniuerſae autem obſeruationes quaedam huc facientes occurrunt in S. V. *Doederleinii* commentatt. *de hiſtoriae Ieſu tenendae tradendaeque neceſſitate ac modo*, ſeparatim primum Ienae ann. 1783 – 86. 4. editis, nuper autem in *Opuſcul. theolog.* Sylloge, (Ien. 1789. 8.) denuo recuſis, pag. 1. ſq.

eruditione atque doctrinae adparatu opus fit, quae non poſſunt omnia ab hominibus literarum ignaris poſtulari; vel me non monente intelligitur, doctorum religionis praecipuum munus eſſe, vt in enarranda atque explicanda Ieſu hiſtoria in eiusmodi prudentiae, ſingulis in cauſis ab eo declaratae, documenta animos hominum conuertant, eaque vberius illuſtrent atque explanent, inque ſuum eos vſum transferre doceant: cuius rei vel in pericopis euangelicis, quae in eccleſia noſtra ſingulis diebus dominicis ſolent explicari, multam ſibi occaſionem oblatam reperient [30]). In quo tamen non diffiteor, eos talia ſubinde eſſe deprehenſuros, quae quonam potiſſimum conſilio facta fuerint, quidue ſibi voluerint, vix ac ne vix quidem poterunt definire. Id vero cum tribuendum eſt breuitati, qua ſcriptores euangelici in vita Ieſu tradenda vtendum ſibi eſſe ſtatuerunt, tum repetendum etiam ab eo, quod aliud plane in ea perſcribenda conſilium ſunt ſecuti, quam hoc, vt ad imitandi rationem accommodate eam deſcriberent. Vbi vero adhibitam a Ieſu prudentiam ſingulis ex cauſis atque exemplis cognitam nobis perſpectamque reddiderimus, profecto non licet dubitare, quin multa ſimus reperturi, quae in noſtram quoque vtilitatem conuertere, inque ſimili cauſa poſſimus imitari; quod illuſtri nuper exemplo docuit eruditiſſimus diſciplinae Reinhardianae alumnus, *Traug. Benj. Deckerus*, cum docendi rationem a Ieſu vſurpatam hodiernis religionis doctoribus imitandam proponeret [31]). Ad eundem igitur modum

---

30) Quod ipſum non tantum monuit iam, ſed quarundam etiam harum pericoparum exemplis praeclare illuſtrauit *Reinhardus* in elegantiſſimo libello: *de vi, qua res paruae afficiunt animum, in praeceptis de moribus diligentius explicanda*, (Viteb. 1789. 8.) pag. 82. ſq. opuſc. acad. 2, 153 ſqq.

31) In libello, qui ſic inſcribitur: *Einige Regeln, welche der chriſtliche Prediger für die Einrichtung ſeiner Vorträge aus den Reden Chriſti abziehen kann.* Viteb. 1792. 4. Cfrri vero etiam poſſunt, quae ea de re cum vniuerſe ſcripſit S. V. *Sex-*

eius etiam actiones miraculoſae vitaeqûe priuatae inſtituendae ratio nobis erunt examinandae, vt, quantam vbique prudentiam demonſtrauerit, cognoſcamus, diſcamusque hinc, noſtram etiam vitam omnesque actiones, muneris vel conditionis cauſa ſuſcipiendas, ſimili prudentia moderari. Neque tamen omnes agendi modi, quibus adhibendis ſuam Chriſtus prudentiam prodidit, ad imitationem noſtram temere erunt transferendi, [32]) cum non eadem omnes deceant, neque idem etiam agendi modus omnibus temporibus et locis conueniat, et multa praeterea, quae Ieſus hoc illoue modo agenda inſtituit, imitantur ratione plane peculiari, quae ipſum inter atque vel Deum, vel gentem Iſraëliticam eiusque ſacerdotes vel alius generis homines interceſſit [33]). Itaque in ſingulis diligenter erit expendendum, annon forſitan ex peculiari eiusmodi perſonae ipſius ratione ſint repetenda, poſſintque eodem modo a nobis etiam, ſaluis re-

---

troh in libello: *Ueber die Beförderung des praktiſchen Studiums der Geſchichte Jeſu*, (Goetting. 1785. 8.) pag. 35. ſq. tum ſingulatim expoſuerunt *Ioa. Gottlob Steinert* in Comment. *de conſilio Ieſu, homines quouis modo inuitantis ad vſum ſenſus communis in religione*, Lipſ. 1792. 8. et *Guil. Chriſt. Gottl. Weiſſe* in Diſſert. *de more Domini, acceptos a magiſtris iudaicis loquendi ac differendi modos ſapienter emendandi.* Viteb. 1792. 4. Quomodo vero in erroribus aliorum confutandis aduerſariorumque criminationibus repellendis verſatus fuerit Ieſus, id ſe oſtenſurum quidem profitetur *Geo. Bernh. Grautoff* in Sched. *de Chriſto praeceptore polemico*, Goetting. 1775. 4. edito, ſed nil fere, niſi varia aduerſariorum errorumque eorum a Ieſu confutatorum genera perſequitur, de ipſa vero eius ea in re verſandi ratione pauciſſima tantum exponit. Multo meliora ſunt, quae, quanquam alio conſilio, ea de re ſcripſit Celeb. *Tzschuckius* in *Commentar. logico-rhetor. de ſermonibus I. C.* pag. 156. ſq.

32) Quod pluribus etiam admonuit *El. Stoeber* in Spec. IV. *de ſacrorum exemplorum imitatione cautius inſtituenda*, (Argentor. 1771. 4.) §. XXXII-XXXIV. pag. 86. ſq.

33) Ea de re legenda inprimis, quae ſcripſit Ven. *Heſſius über die Lehren, Thaten und Schickſale unſers Herrn*, p. 274. [ed. rec. vol. II, cap. 10. p. 239: *Ueber Jeſu religioſe, bürgerliche und häusliche Verhältniſse und ſein Betragen in denſelben.*]

liquis officiis noſtris, inſtitui. Quod ſi fecerimus, non verendum videtur, ne peruerſam exempli eius imitandi rationem ineamus, ſed ſatis potius ab ea nobis cautum fore arbitror.

Alterum autem, quod in agendi Ieſu ratione obſervandum nobis imitandumque dixi, inque eo cerni monui, *quod iuſtum ſemper ſingulis virtutibus temperamentum adhibuit, vniuerſas autem arctiſſime inuicem copulauit*, cum ex ſingulis exemplis, tum ex vniuerſae vitae eius contemplatione erit iudicandum atque cognoſcendum. Illud nimirum, quod iuſtum ſemper ſingularum virtutum modum tenuit, non niſi ſingulis exemplis conſiderandis poterit intelligi et ad imitationem a nobis transferri; horumque largiſſimam etiam a vitae eius ſcriptoribus copiam nobis ſuppeditatam reperiemus. Sic fiduciam quidem ſummam erga Deum aluit, ſed eandem tamen ita moderatus eſt, vt nunquam plura ab eo expectaret, quam quae recte expectare poſſet: cuius rei luculentiſſimum documentum tum dedit, cum peſſimus ille virtutis ipſius inſidiator ab eo poſtularet, vt lapides in panem immutaret, aut de templi faſtigio ſe demitteret. (Matth. IV, 3. 6.) Tum patriam quidem ſuam praecipuo amore complexus eſt, huncque amorem multis etiam modis teſtatum fecit, neque tamen eo ita ſe occoecari paſſus eſt, vt popularium ſuorum vitia vel non videret, vel ſilentio ſaltem praetermitteret, aut erga aliarum gentium homines iniquus eſſet; quin illa non minus ingenue aperuit, grauiterque taxauit, quam horum etiam virtutem lubenter agnouit, inſtamque ei laudem tribuit. Eodem modo in illo etiam amore, quo parentes ſuos atque cognatos excepit, diligenter proſpexit, ne muneris ſibi demandati officiis vnquam officeret. Hinc enim, cum eum aliquando tempore parum opportuno conſilioque haud graui adiiſſent, non dubitavit profiteri, eos nunc quidem nihil ad ſe pertine-

re[34]). (Matth. XII, 46. coll. Marc. III, 31. et Luc. VIII, 19.) Ad eundem porro modum etiam amorem erga alios quoscunque ita moderatus eſt, vt, quanquam ſumma erga eos lenitate vteretur, tamen vitiis eorum nunquam indulgeret, ſed ea vel in amicis etiam atque hoſpitibus caſtigaret, (Luc. XI, 37. ſq. XIV, 7. ſq.) nedum in aliis reprehendere dubitaret. Neque minus in externis etiam rebus, veluti honore et vitae deliciis aeſtimandis ac quaerendis iuſtum vbique modum ſeruare ſtuduit. Vnde aliorum de dictis factisque ſuis iudicia non quidem penitus neglexit, ſed confutauit potius atque correxit, (Luc. XI, 14-28. XV, 1-10. Io. V, 17. ſq. VIII, 14. ſq.) neque tamen ita ea curauit, vt ab iis quae muneris ratio facienda ei imponeret, vllo hominum iudicio ſe abſterreri pateretur. Vitae autem oblectamenta atque delicias non quidem cupide arripuit, iisque inhiavit, neque tamen oblatas ſibi recuſauit, ſed vel ibi etiam earum ſibi vſum indulſit, vbi iudicia et criminationes hominum ſeueriorum, qui eas in virum grauem et ſanctum parum conuenire iudicarent, facile eum potuiſſent ab hoc conſilio auocare, iisque ita vſus eſt, vt nunquam eum ab officio abducerent, vel ad luxuriem, deſidiam aut mollitiem inuitarent. Denique ſolitudinis etiam humanaeque ſocietatis quaerendae hunc modum inijt, vt, quanquam interdum ab amicorum comitatu multitudinisque turbis ſecederet, id tamen non niſi rarius faceret, neque praeter neceſſitatem, aut per tempus diuturnum, inque hac ipſa ſolitudine nouas ad muneris ſui partes promtius faciliusque peragendas vires colligeret, iamque mox confirmatus ad hominum commercia rediret. Iam vero cum haec etiam non poſtrema ſit virtutis laus, ſingulorum officiorum exercendorum modum iuſtis finibus continere, eaque res multo quidem facilius exemplis alio-

34) De quo Chriſti iudicio digna ſunt, quae legantur, quae illius defendendi caula ſcripſit *Ioa. Frider. Volbeding* in Diſſert. qua disquirit: *vtrum Chriſtus matrem genusque ſuum diſſimulauerit et deſpexerit?* (Viteb. 1784. 4.) pag. 11. ſq.

rum ſibi proponendis, quam praeceptis cognoſcendis addiſcatur, plane non licet dubitare, quin haec omnia, quae poſui, atque alia eiusdem agendi Ieſu rationis exempla nobis etiam ſint imitanda, ita quidem, vt, quantum per noſtram conditionem et facultatem, hominumque, quibuscum viuimus, rationem et mores fieri poterit, eundem horum officiorum modum et ipſi tenere ſtudeamus, vel eum noſtrae ſaltem conditioni ſimili modo accommodemus[35]). Tum vero nec hoc a nobis negligi debet, quod omnes etiam, quas coluit Ieſus virtutes, arctiſſime inuicem copulauit, hincque nunquam commiſit, vt priuata ſtudia publici muneris officiis vllo modo obeſſent, ſed ea ita potius rexit, vt haec alerent et adiuuarent; inprimis autem pietatem erga Deum amoremque hominum ita cum omnibus, quae diceret aut ageret, coniunxit, vt nihil faceret, in quo aut non reſpexiſſet Deum, id vel iubentem, vel probantem, vel adiuuantem, aut hominum commodum vtilitatemque non propoſitam ſibi habuiſſet, vel beneuolentiam erga eos vllo modo migraſſet, ſed vel tum, cum alios reprehenderet atque taxaret, rem ita inſtitueret, vt monitio omni acerbitate, et obiurgatio quavis contumelia careret. Nam et in his vt imaginem ipſius referamus, diligenter nobis erit elaborandum, cum vera virtus vna tantum ſit, adeoque hac demum re perficiatur, vt omnia, quae eam efficiunt, acuratiſſime inuicem conſpirent.

Atque hac quidem ratione ſi non modo ſenſus Ieſu pios ac probos, ſed facta etiam agendique modum examinauerimus, vtiliſſimam profecto virtutis ſcholam in ipſius exemplo nobis apertam reperiemus, atque non modo internam virtutis indolem planiſſime cognoſcemus, ſed externam etiam eius actionem et diſciplinam aptiſſime moderari diſcemus.

---

35) Cfrantur quae de hac ſingulorum officiorum menſura recte agenda ſcripſit S. V. *Doederlein* in Pr. *de difficultatibus in tradenda morum doctrina*, Opuſc. theolog. p. 207. ſq.

V.

DE ARGUMENTO LOCI Matth. XXV, 31 - 46.

In loco Matthaei, quem in huius libelli indice significauimus, cuiusque cum singulae sententiae satis planae sint atque perspicuae, vniuersum modo argumentum paucis nunc illustrare constituimus, iam ab antiquissimis inde rei christianae temporibus iudicii in vniuersum genus humanum a Christo olim habendi descriptionem, viuidis coloribus illam adumbratam, sibi visi sunt reperisse Interpretes [1]), atque etiamnum reperiunt [2]), licet cuique de argumento loci vel paululum secum meditanti facile videatur in mentem venire potuisse, minime posse de iudicio in omnes homines habendo in eo sermonem esse, quoniam si Iesus hoc nunc describere voluisset, longe alia haud dubie fuisset commemoraturus, quorum rationem in eo esset habiturus, atque ipsius etiam iudi-

Not. edit. Hanc differt. 1809. ad festum Reform. primum propositam b. auctor a se ipso germanice versam et additamentis auctam inseri curauit *Analectorum ad theologiae exegeticae et systematicae studium pertinentium*, a se et *Tzschirnero* editorum vol. I, part. 3. p. 177. Auxit eam vero iis, quae de tempore iudicii et de loco Pauli 1 Cor. 6, 2. cum notis 40 - 47 ad finem leguntur, a me summa qua potui fide latine reddita.

1) Quod non modo eorum, qui h. l. obiter in scriptis suis mentionem iniiecerunt, quorum in numerum inprimis referendi sunt veteris ecclesiae cum graecae, tum latinae, Apologetae, sed illorum etiam exemplum docet, qui in eo explicando consulto sunt versati, vt factum v. c. ab *Origene*, *Chrysostomo*, *Hieronymo* et aliis.

2) Vt praeter innumeros alios vel ex duobus recentissimis in hoc Euangelium commentariis *Pauli* atque *Kuinoelii* cognosci poterit.

cii habendi modum multo aliter informaturus. Etenim ſi quis alia loca, in quibus de iudicio illo, rebusque examini tum ſubiiciendis ſermo ipſi inſtituitur [3]), in memoriam ſibi reuocaucrit, profecto vix ac ne vix quidem credibile ipſi videbitur, eum, ſi huius iudicii habendi rationem et hic voluiſſet adumbrare, non modo nullam plane diuerſae hominum cognitionis, inprimisque ſuae doctrinae vel probatae ab iis, vel improbatae [4]), mentionem fuiſſe facturum, ſed in exponendis etiam proborum recte factis ſola liberalitatis et beneficentiae documenta externa, neglecta omni reliquorum officiorum ab iis ſeruatorum praedicatione, commemoraturum, et in taxandis contra impiorum male factis, praetermiſſa omni reliquarum legum diuinarum migratione, officiorum humanitatis violationi vnice immoraturum. Quod ſi vero huius, quod poſteriori loco commemorauimus, ratione habita, vel maxime hoc quis monere voluerit, quod fuit ſane a pluribus admonitum [5]), vnius recte vel

---

3) Cuius generis haec inprimis ſunt: Luc. XII, 47. 48. Matth. VII, 22. 23. XII, 36. 37. XIII, 41. 49. Io. V, 29.

4) Qua quidem re futura hominum ſors in multis aliis locis, e. c. Marc. XVI, 16. Io. III, 18. XII, 48. 36. omnium maxime dicitur definitum iri.

5) Inter quos referendus iam eſt *Euthymius Zigaben.*, in cuius Commentar. in hoc Euang. ad v. 35. haec leguntur *To. I. Vol. II. p.* 96. edit. Matth. *ὁρα δὲ πῶς περὶ μονῆς τῆς φιλανθρωπίας διαλέγεται, καὶ ἀπὸ μονῆς ταύτης τοὺς μὲν δικαίους ἄξιοῖ τιμῆς, τοὺς δὲ ἁμαρτωλοὺς τιμωρίας· οὐχ ὡς τὰ λοιπὰ τῶν δικαίων μὲν κατορθώματα, τῶν ἁμαρταλῶν δὲ πλημμελήματα, διὰ λόγε καταλιπεῖν μέλλων· πάντων γὰρ ἐξετάσει πάντα καὶ τὰς πράξεις, καὶ τὲς λόγες, καὶ τὰς ἐνθυμήσεις, ὡς ἀυτός τε πολλαχῆ τῆς ἑαυτῆ διδασκαλίας ἐνέφηνε, καὶ πολλαχόθεν τῆς θείας γραφῆς μανθάνομεν — ἀλλὰ νῦν περὶ μόνης ταύτης, ὡς εἴρηται, διαλέγεται, βεβαιῶσαι βελόμενος, ὅτι ταύτην μάλιςα ζητεῖ, καὶ ταύτην ἀπαιτεῖ πρὸ πάντων, ὡς ἀναγκαιοτάτην χριςιανοῖς*: de quibus quidem Chriſtianis, vt poſt monebitur, ſolis in h. l. ſermonem eſſe ſibi perſuaſerat *Euthymius*. Simili vero modo recentiorum etiam permulti eandem admonitionem repetierunt, quorum ex numero vnum *Storrium* nunc commemoraſſe ſufficiat in *Diſſ. II. in libr. N. T. hiſtor. aliquot loc. Opuſc. academ. ad interpretat. libr. ſacr. Vol. III. pag.* 121. *ſſ.* in cuius auctoritate adquieuit etiam *Kuinoelius* in Commentar. ad h. l. Longius vero

male facti mentione iniicienda reliqua non excludi, et amoris aliis vel habiti vel negati documenta, cum ad primarium vt hominum omnium, ita Christianorum inprimis officium spectent, exempli tantum causa commemorata fuisse dixerit; tamen non modo facile is intelliget, id in eiusmodi loco, in quo iudicium illud consulto atque vberius esset describendum, non commode admitti posse, sed et hoc concedere debebit, fuisse saltem consiliorum etiam, a quibus illa amoris documenta profecta fuerint, rationem ineundam [6]) cum ex horum

---

progressus est *I. G. Altmannus* in *Obseruatt. philol. crit. in libr. N. T. Tom. III. pag.* 263. dum hanc amoris erga alios significationem non in reliquarum modo virtutum exemplum, sed tanquam vniuersae religionis, cuius et professio et exercitium semper ad illum debeat reuocari, documentum hic commemorari statuit, verbis quidem his ad v. 35. vsus, quae si vel maxime verum h. l. sensum non expresserint, dignissima tamen nobis videntur, quae in sensus vere theologici exemplum hic adscribamus: *In compendium reducit tandem seruator noster omnem illam concionem de officiis discipulorum suorum, docens, quod omnis cognitio, omnis fides et religionis professio tandem debeat terminari praecepto amoris proximi, hinc omnes actiones hominum ad hanc reuocat trutinam de operibus charitatis. Utinam omnes hanc orationem Domini nostri recte inspicerent. Quot odia, quot rixae in rebus religionem concernentibus, quot calumniae, quot iactationes, quot tandem laruatae pietatis formae euanescerent, si ad haec attenderemus? Quaecunque agimus in rebus cultum diuinum spectantibus tandem squamae merae fiunt ex oculis delabentes, si amor in proximum nostrum, nostro auxilio indigentem, deficiat.*

6) Visus quidem sibi est *Paulus* in *Commentar. Vol. III. pag.* 480. edit. I. et huius rei vestigia haud obscura in h. l. detexisse, dum ex v. 37 luculenter putat intelligi posse, de eiusmodi liberalitatis documentis hic sermonem esse, quae ex animo ab omni lucri studio alieno sint profecta. Hoc enim versu probos diserte olim dici declaraturos, se plane non speraſſe, suae, si quae fuerit, liberalitati tantum a iudice pretium habitum iri. At enimuero si quid nos videmus, hoc responsionis, quae iis hic tribuitur, consilium minime est habendum. Imo vero eo vnice spectare intelligitur, vt doceant, se plane non videre, quomodo potuerint ipsi Iesu vllum aliquod dare liberalitatis aut beneficentiae documentum, idque quo pertineat, facillime profecto perspici potest. Quae nimirum Iesus in antecedentibus de amore sibi significato dixerat, ea isti ita finguntur intellexisse, ac si de amoris sibi ipsi declarati documentis sermo ipsi fuisset, hincque iam hoc dicuntur ab eo responsum laturi, se non cogitasse de beneuolentiae documentis ad se-

vel honeſtate vel turpitudine virtus vnice aeſtimetur, hincque omnium hominis actionum pretium inde pendeat, ideoque in praemiis quoque vel poenis ipſi decernendis neceſſario ſint ſpectanda.

Hae tamen aliaeque plures, quae vulgari illi ſententiae obſtant, difficultates adeo non effugerunt omnes ſemper Interpretes atque doctores chriſtianos, vt nonnullae earum antiquioribus iam temporibus fuerint animaduerſae[7]), hincque eas partim remouere, partim vero eo etiam iis occurrere ſtuduerunt, quod eiusmodi de loci huius argumento atque conſilio ſententias propoſuerunt, a quibus omnes iſtae difficultates remotae eſſent. Hinc olim iam multi fuiſſe reperiuntur, qui non de iudicio in omnes homines, ſed Chriſtianos tantum habendo ſermonem hic eſſe ſtatuerent[8]), neque poſt etiam de-

---

met ipſum, ſed fratres potius ſuos pertinentibus, quaeque his fuerint exhibita, eodem a ſe loco haberi, ac ſi ipſe ea perceperit. Id enim eſſe h. l. conſilium, luculenter cognoſcitur ex iis, quae poſt v. 42. 43. de malis diſputantur. Hi enim profecto non ob liberalitatem ex lucri ſtudio aut alio conſilio prauo profectam, ſed plane potius neglectam, accuſantur atque damnantur, ſeque dicuntur ſimili modo excuſaturi, quod nulla vnquam occaſio ipſis fuerit ſuppeditata bene de ipſo ſeſu vlla aliqua re merendi.

7) Sic e. c. Origenes in eo iam offendit, quod inter proborum virtutes ſola beneficentia commemoretur, vt docet eius in h. l. commentarius, in quo *Opp. III.* §. 70. *pag.* 887. edit. de la Rue, haec monet: *Quid ergo? ſi iſti, qui humani fuerunt, circa virtutes caeteras negligentes fuerunt, conſequentur talia haec promiſſa? aut illi, qui non fuerunt humani, ſi alias impleuerunt virtutes, maledicti erunt omnino, et in ignem ſunt condemnandi, et hoc cum ipſo diabolo? Vides ergo, quia neceſſariam habet ſapientiam ſermo:* quibus paulo poſt §. 72. *pag. ſeq:* ad verba *verſ. ſeq. eſuriui et dediſtis mihi manducare*, etc. haec ſubiicit: *Videtur mihi per haec, quia non vnius iuſtitiae ſpecies remuneratur, ſicut exiſtimant multi. Abſurdum enim eſt, nihil aliud intelligere virtutis in eo, qui ita remuneratur, niſi tantum communicationem humanitatis.* Quibus de cauſis haec verba neceſſario de rebus ſpiritualibus intelligenda eſſe iudicat, hunccque ipſum ſenſum eorum allegoricum in *ſeqq.* pluribus exponit.

8) Quod eiusdem certe *Origenis* teſtimonio conſtat, qui, poſtquam *l. l.* §. 70. *pag.* 886. *ſq.* de variis ſubiectis, de quibus hic locus poſſit explicari, in hunc modum diſputauerat: *Utrum autem*

fuerunt, qui eandem ſententiam repeterent [9]) imo vel recentioribus etiam temporibus denuo illa fuit defenſa [10]), etſi facile adpareat, et hanc non modo omnibus illis, quas modo commemoranimus, difficultatibus obnoxiam eſſe, ſed vniuerſo etiam, vt ex ſequentibus intelligetur, loci argumento contrariam [11]). Alii vero et ipſi quidem iudicium in omnes homines, cum Chriſtianos, tum a Chriſtiana etiam religione alienos hic deſcribi ſibi perſuaſerunt, at non eiusmodi, quod ad omnem eorum cum mentis, tum vitae indolem ſit ſpectaturum, ſed ipſorum modo erga doctrinam Ieſu eiusque ſectatores gerendi ſe rationem in examen vocaturum. Neque tamen huius ſententiae defenſores vnam eandemque

---

omnes (gentes) *ab omnibus, qui in omnibus generationibus fuerint, aut illae tantum, quae in conſummatione fuerint derelictae, aut illae tantum, quae crediderunt in Deum per Chriſtum, et ipſae, vtrum omnes, an non omnes, non ſatis eſt manifeſtum*, haec deinde addit: *Tamen quibusdam videtur de differentia earum, quae crediderunt, haec eſſe dicta.* Ipſe tamen locum de omnibus mauult hominibus intellectum.

9) Quibus, vt monuimus iam *not.* 5. annumerandus v. c. eſt *Euthymius Zigab.* qui l. l. de argumento h. l. diſerte haec obſeruat: ἐντεῦθεν φανερόν, ὅτι πρὸς τοὺς χριστιανὲς μόνος διαλέγεται, πρὸς ὃς ἁι τῆ ἐυαγγελίᾳ ἀυτῆ γεγόνασιν ἐντολαί· πρὸς γὰρ τὲς ἀπίςους ἐδεὶς ἀυτῷ τηνικαῦτα λόγος· ἅπαντες γὰρ κοινῶς ἀυτοκατάκριτοι ἔσονται· διὰ τῆτο γὰρ, φησιν, οὐκ ἀναςήσονται ἀσεβεῖς ἐν κρίσει (Pſ. I, 5.) τῆτέςιν, οὐκ ἀναςήσονται ἐπὶ τῷ κριθῆναι, ἀλλ' ἐπὶ τῷ τιμωρηθῆναι. In hunc eundem vero modum cum de infidelibus, laudato eodem Pſ. I. loco, ſtatuerint etiam *Cyprianus Teſtim. l. III. n.* 31. *pag.* 74. edit. Brem. *Lactantius Inſtitut. div. l. VII. cap.* 20. *Hieronymus dial. I. adv. Pelag. Opp. Tom. II. pag.* 184. edit. Freſt. atque *Theophylactus* in *Comment. in Io. III. Opp. To. I. pag.* 545. edit. Venet. et hos credibile eſt, locum noſtrum de ſolis Chriſtianis intellexiſſe.

10) Ut docet exemplum *Grotii, Curcellaei* et *Gillii*, atque ex recentiſſimis *Car. Fr. Roſenhahnii*, qui in peculiari libello, *de diſcrimine* φιλαδελφίας et φιλανθρωπίας, *ad illſtrandam pericopam euangel. Matth. XXV*, 31 - 46. *Viteb.* 1789. 8. pluribus oſtendere ſtuduit, non niſi de amoris Chriſtianis exhibiti documentis hic ſermonem eſſe.

11) Vnde nec immerito a *Witſio* iam *de Oecon. foeder. L. I. c. V.* §. 19. *pag.* 41. *ſq.* eſt refutata.

omnes in ea proponenda viam inierunt, ſed variis potius modis eam declarare atque exornare ſtuduerunt. Et *Frider.* quidem *Andr. Cromius* eam in duabus commentationibus ea de re ſcriptis [12]) ita adornauit, vt in fratribus Ieſu minimis, qui in h. l. commemorantur, neutiquam de omnibus pauperibus et miſeris, ſed ſolis Apoſtolis et diſcipulis Ieſu cogitandum eſſe diceret, quos qui illa quidem aetate vel benigne exceperint, vel durius habuerint, eo ipſo ſatis perſpicue putauit declaraſſe, vtrum religioni magiſtri ipſorum faueant fidemque ei habeant, nec ne; quo quidem ſolo conſilio cum beneuolentiae documenta iis vel data, vel denegata nunc commemorentur, in oculos ait incurrere, eiusmodi iudicium hic deſcribi, quod vnice ſpectet fidem doctrinae Ieſu vel habitam vel non habitam. Eandem fere viam ingreſſus etiam eſt *Io. Henr. Walther* [13]) qui in eo tantum a *Cromio* disceſſit, quod in illis Chriſti fratribus non Apoſtolos tantum, ſed alios quoque Ieſu ſectatores vellet cogitari. Caeterum vero et hic ſtatuit, non modo illam huius religionis chriſtianae alumnum excipiendi rationem hic adumbrari, quae illa nominatim aetate locum habere et potuerit, et debuerit, ſed eam hoc vno etiam conſilio commemorari, vt aſſenſus, quem quis ipſe huic religioni vel praebuerit, vel denegauerit, ea re ſignificetur; idque ipſum recentioribus etiam temporibus ab alio viro docto eoque ignoto denuo defenſum eſt [14]), et ita quidem, vt is plane ad *Cromii* ſenten-

---

12) Quae reperiuntur partim in *Heſſiſch Hebopf. theolog. u. philoſoph. Anmerk. Vol. VI. pag.* 45. *ſq.* partim in *Brem. u. Verdiſch. Biblioth. Vol. I. III, pag.* 145. *ſq.*

13) In Diſſertatione ſic inſcripta: *Exercitationes duae exegeticae in S. Matth. Capp. XXII*, 29 - 33. et *XXV*, 31 - 46. *Ien.* 1771. 4. in qua cum A. ipſe fateatur, explicationem h. l. in ea propoſitam praelectionibus *E. I. Danouii* a ſe deberi, non mirum eſt. et hunc virum eam poſt probaſſe in *Theolog. dogm. inſtitut. lib. II. p.* 634.

14) In *Theolog. prakt. Monatsſchr. herausgegeb. in Linz von einer Geſellſch. 3n Jahrg.* (1804.) *3n Bd. p.* 299.

tiam iterum rediret, hincque in fratribus Iesu et ipse solos Apostolos vellet cogitari, et diuersam illam eos excipiendi rationem vnice in assensus doctrinae Iesu vel habiti, vel denegati documentum hic commemorari iudicaret, huncque adeo solam praemiorum, quae quisque olim sit reportaturus, aut poenarum, qaas daturus sit, causam hic proponi statueret [15]). Alii denique nullum plane, quod proprie dici possit, iudicium hic describi sibi persuaserunt, sed locum ad tale quid transferendum iudicarunt, quod post ciuitatis iudaicae destructionem, de qua Iesus in antecedentibus fuerit locutus, sit euenturum; at in eo definiendo diuersissimas iterum vias ingressi sunt. Alii enim, quibus praeter *Io. Harduinum* [16]) ex recentioribus annumerandi potissimum sunt *Car. Frid. Bahrdtius* [17]), *Euch. Ferd. Chr.*

---

15) Quo quidem respectu hunc locum *pag.* 506. notissimis illis Marc. XVI, 16. Io. III, 18. Matth. X, 15. locis prorsus parallelum esse iudicauit.

16) Qui in *Comment. in N. T. p.* 90. hanc sententiam haud obscure professus est, dum ad v. 31. haec obseruauit: *vt iudex sedebit, qui vt vindex et vltor subito transiit per ciuitatem Hierosolymorum, vt eam diruerei,* iisque post ad v. *seq.* haec subiunxit: *Oves hoc loco sunt e Judaeis illi, qui Christo nomen dederunt, et eos, qui in ipsum crediderunt, facultatibus suis et consiliis et consolatione adiuuarunt. Hoedi sunt e Iudaeis illi, qui nec voluerunt Christum recipere, nec illos vlla ratione fouere et adiuuare, qui in Christum credidissent.*

17) In Vers. N. T. german. edit. 3tiae, *Vol. I. pag.* 110. vbi haec ad h. l. annotauit: *Jesus hatte vorher die Vorboten des jüdischen Unterganges sowohl als den Untergang selbst beschrieben, und die nöthigen Warnungen eingestreut. Jetzt hebt er an, ihnen in eben so starken und prophetischen, d. h. dichterischen Ausdrücken, die tröstlichen Folgen seiner erfüllten Verkündigungen, oder seines Kommens, zu verkündigen.* „Wenn nun aber Judaea zerstört seyn und ich mich als Herrn und Meister einer blühenden Gesellschaft, als Sieger meiner Feinde, und als triumphirendes Haupt der neuen Gemeine zeigen werde, dann werden für euch die Zeiten der Ruhe und der Vergeltung anheben. Dann werden die Meinigen aus dem Zirkel ihrer Verfolger herausgehoben, Freunde der Wahrheit und des Irrthums von einander gesondert und alle, die sich durch meine Lehre zu guten Menschen machen liessen, einer dauerhaften Glückseligkeit theilhaftig gemacht werden: so wie gegentheils die Feinde des Guten endelose Folgen ihrer Thorheit werden tragen müssen.“

Oertel[18]) et *Ioh. Fr. Des Cotes*[19]), ſermonem hic eſſe putarunt vel de Chriſtianis eorumque aduerſariis tum a ſe ſecernendis, et illis quidem feliciori ſorte beandis, his vero poena proſequendis, vel, quae *Car. Chr. Lud. Schmidtii*[20]) fuit ſententia, de agnoſcenda ſaltem a poſterioribus diuerſae vtrorumque ſortis iuſtitia et aequitate; alii vero cum *Iac. Chrſtph. Rud. Ecker-*

---

18) In *Chriſtolog. pag.* 692. vbi primariam h. l. ſententiam iisdem fere cum *Bahrdtio* verbis expoſuit: *Wenn ich nun aber das ſchreckliche Strafgericht über die jüdiſche Nation durch die Römer werde vollzogen haben; dann werde ich erſt recht majeſtätiſch als Meſſias erſcheinen. Dann werden die Meinigen aus dem Zirkel ihrer Verfolger herausgehoben, Freunde der Wahrheit und des Irrthums von einander geſondert, und Alle, die ſich durch meine Lehre zu guten Menſchen machen lieſsen, einer dauerhaften Glückſeligkeit theilhaftig werden, ſo wie gegentheils die Feinde des Guten endeloſe Folgen ihrer Thorheit werden tragen müſſen.*

19) In *Schutzſchrift für Jeſum von Nazareth, pag.* 392. vbi ſuam de h. l. ſententiam his verbis profitetur: *In der beym Matthäus cap.* 25, 31 - 46. *geſchilderten Zukunft Jeſu zum allgemeinen Weltgerichte ſehe ich nichts anders, als die dramatiſirten oder in Handlung verwandelten und vorgeſtellten natürlichen Folgen des jüdiſchen Nationalgerichts für Jeſum und ſeine Religions - Anſtalt, für die Juden und für alle Menſchen,* quae quomodo ex h. l. intelligi poſſint, pluribus deinde exponit. Ab eadem ſententia parum abeſſe etiam videtur *Geo. Leonh. Horn* in *Lebensgeſch. Jeſus nach den drey erſt. Evangel. Vol. III. p.* 566. *ſq.*

20) In commentatione Biblioth. crit. et exegef. N. T. (*Bibliothek für Kritik u. Exegeſe des N. T. u. älteſte Chriſtengeſch. herausgegeb. von Jo. Ern. Chr. Schmidt und Carl Chr. Ludw. Schmidt,*) *Vol. II. part. V.* inde a *p.* 643. *ſq.* inſerta, in qua *p.* 649. de ſenſu h. l. haec habet: Im Sinne der Jünger *Jeſu handelt v.* 31 - 46. *von dem allgemeinen Weltgerichte, das der Meſſias nach jüdiſcher Vorſtellung bey der Inauguration ſeines groſsen Reiches auf Erden halten werde Aber* im Sinne Jeſu *handelt dieſer Abſchnitt bildlich von der Selbſtbeurtheilung oder Losſprechung der Juden nach der Zerſtörung Jeruſalems und ihres Tempels. Dieſes Unglück würden ſie alsdann, aber zu ſpät, als eine verſchuldete Folge deſſen anſehen, was ſie an Jeſu und ſeinen Jüngern gethan hätten. Viele würden ſich daher zur ewigen Pein verurtheilen, andern hingegen würde ihr Herz ſagen, daſs ſie nach* Zeit *und* Umſtänden *und* Gelegenheit *das Ihrige gethan hätten, und deswegen zum Beſitze der Wohlthaten des Reiches Gottes* (ζωὴ αἰώνιος v. 46.) *gelangen.*

manno [21]) de perficienda tum proborum atque improborum per religionis christianae vel professionem vel reiectionem separatione, et rursus alii, a quorum partibus steterunt inprimis *Io. Frid. Grunerus* [22]) et *Io. Nic. Milow* [23]) cogitandum esse putarunt de Iudaeis tum in societatis christianae consortium vel recipiendis, vel ab ea excludendis.

At enimuero quemadmodum pleraequae harum sententiarum admodum contorta loci huius interpreta-

---

21) Qui suam de h. l. sententiam proposuit cum in *Handb. für das systemat. Studium der christl. Glaubensl. Vol. II. p.* 579. *sq.* et *Vol. III. p.* 427. 437. *sq.* 712. *sq.* tum in *Erklär. aller dunkl. Stell. des N. T. Vol. I. p.* 165. *sq.* neque tamen vno semper eodemque, sed admodum diuerso potius modo, eam declarauit, vt obseruatum iam est a *Süskind* in *Magaz. für christl. Dogm. u. Mor. Part.* X. *p.* 166. *sq.*

22) In *Institutt. theol. dogm. p.* 629. vbi argumentum h. l. his verbis explicat: *Tribus Israëlis* (quas quidem verbis: *πάντα τὰ ἔθνη* significari paulo ante monuerat,) *aduocat Christus ἔμπροσθεν τȣ̃ θρόνȣ τῆς δόξης ἀντȣ̃ per nuncium Euangelii. Separat oues ab hoedis, illas ad dexteram suam, hos ad sinistram collocat; dum eos, qui doctrinam euangelicam admittunt, regni sui, ecclesiae, ciues facit, atque post mortem corporis in statu felicitatis aeternae collocat, eos vero, qui Euangelium aspernantur, in felici suo extra ecclesiam statui permittit, atque post mortem corporis aeuiternas poenas subire iubet.*

23) In commentat. super Matth. XXIV. et XXV. inserta *Henckii Magaz. für Religionsphil. Exegese u. Kirchengesch. Vol. VI. part. III. pag.* 548. *sq.* in qua mentem Iesu de h. l. consilio *p.* 578. *sq.* his verbis explicat: *Man denkt sich doch zum Theil zur Zeit der Ankunft des Messias eine Auferstehung der Todten, ein allgemeines Gericht und ein Ende der Welt, worauf er die Frommen ins Leben, die Bösen und Heiden aber zur Hölle ins Feuer verstossen wird, ein solches allgemeines Gericht werd ich nach dem vorhingedachten Ende der Welt nach der Zerstörung des Tempels und der Stadt über das ganze Volk halten, in mein dann bestehendes Gottes Reich, das Reich des Lebens, diejenigen aufnehmen, die unter ihm demselben geneigt und zugethan gewesen, und dessen Aufkommen dadurch befördert haben, dass sie sich meiner armen und verfolgten Brüder angenommen; die übrigen feindselig gefundenen aber verwerfen und sie ins Feuer in ein unabsehbares Elend, verstossen, das sich auch auf die Juden in andern Ländern verbreiten, und auf ihrer aller Nachkommen übergehen wird.*

tione niti reperiuntur, ita nullam earum vero eius ſenſui grammatico hiſtorico reſpondere, hoc ipſo acuratius indagando facile poterit intelligi. Hunc autem nobis quidem nullus Interpretum prorſus videtur aſſecutus praeter vnum *Ammonium*, qui veriſſime monuit [24]), Ieſum de eorum hic praemiis atque poenis loqui, qui primos religionis ſuae doctores et ſectatores vel adiuuerint, iisque ſe beneuolos exhibuerint, vel impedimenta quaeuis iis obiiecerint, eosque peſſime habuerint omnique modo vexauerint. Neque tamen multum a vero h. l. ſenſu recte conſtituendo abfuiſſe etiam videtur *Traug. Aug. Seyffarth*, aut, vt rectius dicamus, vtique eum agnouiſſe beneque perſpexiſſe [25]), licet non accurate ſatis nec perſpicue eum declarauerit.

Si nimirum quis paulo diligentius de argumento et ſenſu h. l. quaeſiuerit, facile profecto is intelliget, non niſi de eiusmodi iudicio hic ſermonem eſſe, quod de hominibus a religione chriſtiana alienis ſit habendum, ſelamque eorum erga illius religionis ſectatores ſe gerendi rationem in examen vocaturum. Quod vt iam argumentis ex ipſo loco ductis confirmemus, haec duo nobis agenda eſſe videntur, vt *primum* quaeramus, quinam ſint *οἱ ἀδελφοὶ τοῦ Χριστοῦ οἱ ἐλάχιστοι*, quos ii, qui iudicio ſubiicientur, vel benigne, vel minus benigne dicuntur excepiſſe, *tum* vero doceamus, quinam hi ipſi ſint, de quibus iudicium illud dicitur habitum iri, et quamnam ob rem in iudicium dicantur vocandi.

Quod igitur primum attinet, multi quidem ſibi perſuaſerunt, ex locis Matth. XXIII, 8. et Io. XX, 17. perſpicue poſſe doceri, Apoſtolos Ieſu fratrum eius no-

---

24) In commentat. ſuper Matth. XXIV. et XXV. quae inſerta eſt Nov. diarii theolog. ab ipſo tum vna cum *Hänleinio* edit. *Vol. I. part. V. pag.* 365. *ſq.* cum qua conferri etiam poterit eiusd. viri *Bibliſch. Theolog. Vol. III. p.* 287. edit. II.

25) In *Ueberſetz. u. Erklär. der gewöhnl. Epiſt. u. Evangel. an allen Sonn- und Feſttag. Part. VII. p.* 95. *ſq.*

mine plerumque fuiſſe ſignificatos; verum noſtro quidem iudicio id ex neutro loco poteſt probari. In priore enim loco illud nomen ἀδελφῶν ad Apoſtolos ipſos ſpectat, qui tanquam diſcipuli vnius eiusdemque doctoris atque magiſtri [26]), non poterant non fratres aut collegae invicem haberi, hincque non debebant vſurpando magiſtri nomine (ῥαββὶ), maiorem, quam par erat, dignitatem ſibi vindicare, neque vnus ſupra alterum ſe extollere. In altero autem loco Ieſus verbis illis: πρὸς τὺς ἀδελφὺς μȣ non Apoſtolos tantum, ſed omnes haud dubie diſcipulos ſuos et ſectatores, qui Hieroſolymis adeſſent, voluit ſignificare. Id enim docent proxima verba: ἀναβαίνω πρὸς τὸν πατέρα μȣ καὶ πατέρα ὑμῶν, καὶ θεὸν μȣ καὶ θεὸν ὑμῶν, in quibus quippe perſpicue cauſam ſimul explicat, propter quam eos fratrum nomine adpellandos iudicauerit, quod nimirum vnum eundemque Deum patrem habeant. Atque in eundem ſenſum ipſe etiam Ioannes Evangeliſta haec Ieſu verba intellexit, cum v. ſeq. diſerte narret, Mariam Magdalenſem nuncium illum ad τοὺς ἀδελφὺς τȣ̃ Χριȣ̃ perferendum, non Apoſtolis, ſed τοῖς μαθηταῖς attuliſſe. Quae cum ita ſint, ex h. l. intelligitur potius, in locis quidem iis, in quibus non ſermo ſit de ἀδελφοῖς τȣ̃ Χριȣ̃ κατ' ἐξοχὴν dictis, (quorum quatuor fuiſſe dicuntur Matth. XIII, 55. Marc. VI, 3. quique quo conſanguinitatis vinculo cum Ieſu nexi fuerint, non videtur huius loci eſſe, pluribus quaerere velle,) Chriſtianos vniuerſos hoc nomine ſignificari; id quod praeterea etiam ex notiſſimis illis locis Rom. VIII, 29. et Hebr. II, 11. 17. abunde conſtat. De iisdem vero in hoc etiam quem nunc tractamus, loco cogitandum eſſe, intelligitur primum ex adiecto vocabulo ἀδελφῶν τῶν ἐλαχιȣ̃ων epitheto. Etenim hoc epitheton nuspiam de Apo-

---

26) Quo quidem nomine ipſe Ieſus ſe modo ſignificauerat, dum diceret: εἷς ἐȣ̃ιν ὑμῶν ὁ καθηγητὴς ὁ χριȣ̃ός.

ſtolis praedicatur, licet Paulus ſe 1 Cor. XV., 29. τὸν ἐλάχιστον τῶν ἀποστόλων dixerit; imo vero iſto τῶν ἐλαχίστων, vel, quod alibi eius loco plerumque ponitur τῶν μικρῶν vocabulo conſtanter ſignificantur diſcipuli et ſectatores Ieſu vniuerſi, vt cognoſcitur inprimis ex Matth. XVIII, 6. Marc. IX, 41. 42. et Luc. XVII, 1. 2. in quibus quidem locis quinam ſint οἱ μικροὶ, vel adiectis verbis τῶν πιστευόντων εἰς ἐμὲ declaratur, vel ex eo ſaltem cognoſcitur, quod aperte τοῖς μαθηταῖς τȣ̃ Χριστȣ̃ annumerantur [27]), omninoque non improbabilis eſt *Bolteni* coniectura [28]), quam nuper *Kuinoelius* etiam calculo ſuo comprobauit [29]), quaque vocabulum μικροὶ in his omnibus locis hebraico vocabulo קטנים eo quidem ſenſu reſpondere ſtatuit, quo de diſcipulis atque miniſtris dicatur, cum praeter alia argumenta nominatim etiam loco Matth. X, 42. haud obſcure confirmetur, in quo qui dictus primum fuerat εἷς τῶν μικρῶν mox adpellatur μαθητὴς. Neque tamen negari poteſt, vulgarem ſententiam, ex qua diſcipulos Chriſti propterea μικροὺς adpellatos fuiſſe defenditur, quod tum temporis a popularibus ſuis et aequalibus contemti fuerint et parvi habiti, aliis locis, inprimisque Matth. XVIII, 10. 14. et Luc. XII, 32. et ipſam non parum commendari, exque hac etiam hominum contemtorum notione in h. l. ſenſum non incommodum gigni, ex quo quippe hoc in eo diceretur, illos praecipuis olim praemiis dignos iri iudicatum, qui, quos plerique contemnant et parui aeſtiment, amanter et beneuole exceperint, iisque omnis generis beneficia exhibuerint. Prae-

---

27) Qua de re plura diſputauit *Noesseltus* in *Opuſc. ad interpretat. ſacr. ſcriptur. faſc. I. p.* 17. *ſq.* edit. II.

28) Quam in animaduerſſ. verſioni ſuae Evangel. Matth. german. ad *Cap. X*, 42. *p.* 172. et *Cap. XVIII*, 6. *p.* 276. ſubiectis propoſuit.

29) In *Commentar.* aliquoties iam laudat. *Vol. I. p.* 300. et 471.

terea vero nec in toto loco quicquam occurrit, quod non ad omnes illius aetatis Chriſtianos poſſit transferri, deque ſolis Apoſtolis valere ſit iudicandum. Etenim fames quidem ac ſitis, paupertas item et morbi, atque carcerum vincula profecto non fuerunt Apoſtolis tantum propria, ſed omnis potius generis Chriſtianis tum quidem temporis communia. Denique illa etiam v. 40. et 45. verba: ἑνὶ τούτων τῶν ἀδελφῶν μου τῶν ἐλαχίστων, aperte eiusmodi homines deſignant, quibus Ieſus ſibi tum quaſi circumdatus videbatur futurus. Hi vero per nexum huius Capit. cum ſuperiore [30]) nulli alii eſſe poterunt, quam οἱ ἐκλεκτοὶ αὐτοῦ vel dilecti ipſi et cari, quos quippe Capit. ſuper. v. 31. in aduentu olim ſuo ex omnibus terrae partibus vndique ab angelis congregatum iri dixerat, quibusque hinc neceſſe erat, vt ſe cinctum nunc cogitaret [31]).

Quod ſi igitur ii, qui ab iis, quibus iudicium illud eſt ſubeundum, liberaliter aut minus liberaliter tractati fuiſſe dicuntur, nulli alii ſunt, quam Chriſtiani vniuerſi, ſponte profecto inde cogitur, in iis, qui iudicantur, homines a religione chriſtiana alienos eſſe cogitandos, cum ab illis quidem diſerte eo discernantur, quod Ieſus illos ſolos fratrum nomine adpellat, eosque tam arcto ſecum vinculo nexos deſcribit, vt quae iis vel praeſtita

---

30) Quem pluribus olim explicauimus in *Hiſtor. dogmat. de regno Meſſiae*, §. 13. *p.* 62.

31) Vtrum vero hoc, quod hic deſcribitur, iudicium in gentes a religione Chriſtiana alienas habendum in eodem Chriſti adventu, de quo Cap. ſuper. inde a v. 29. ſq. ſermo eſt, vel alio tempore ſit expectandum, id non attinet nunc pluribus quaerere, cum nobis vnum hoc hic propoſitum ſit, vt grammatico-hiſtoricum h. l. ſenſum conſtituamus, neque poterit etiam ea res commode explicari, niſi prius ipſa aduentus illius, de quo in ſuperiori Capite exponitur, notio fuerit definita, illiusque Capitis cum hoc praeſenti nexus accuratius conſtitutus, de qua re etiamnum conſtat, multiplici modo inter interpretes diſceptari, nos vero noſtram qualemcunque ſententiam, quam ne nunc quidem libere profiteri veremur, in illa ipſa, quam modo excitauimus, *Hiſtor. dogmat. de regno Meſſiae l. l.* ſatis iam expoſuimus.

fuerint vel denegata humanitatis officia, eodem a ſe loco haberi declaret, ac ſi ſibimet ipſi praeſtita fuerint aut denegata [32]). Si vero in his etiam Chriſtiani eſſent cogitandi, non potuiſſet Ieſus illos *ſolos* fratrum nomine deſignare, ſed his potius verbis vti debuiſſet: ἐφ' ὅσον ἐποιήσατε ἑνὶ τούτων τῶν ἀδελφῶν μου καὶ ὑμῶν τῶν ἐλαχίστων, ἐμοὶ ἐποιήσατε. Quae cum ita ſint, profecto intelligitur, vocabulum ἐθνῶν, quo homines iſti v. 32. ſignificantur, non de omnibus gentibus, ſed iis tantum, quae non pertinent inter Chriſtianos, ſiue ſint Iudaei, ſiue gentiles, eſſe intelligendum: omninoque ſatis conſtat, hoc vocabulo in eiusmodi N. T. locis, in quibus neque de definita aliqua gente, neque de omnium gentium multitudine ſermo eſt, conſtanter ſignificari gentes a populo Dei, vel iudaico, vel chriſtiano, alienas. Cuiusnam vero rei cauſa hae gentes religionem chriſtianam non profeſſae in iudicium ſint vocandae, ex iis, quae in ipſo loco ea de re traduntur, ſatis perſpicue poteſt cognoſci, cum diſerte commemorentur beneuolentiae atque humanitatis documenta, quae Chriſtianis illorum temporum calamitatibus preſſis, multisque malis atque incommodis ob huius ipſius religionis profeſſionem vexatis vel exhibuerint, vel iis exhibere recuſauerint. Cum vero illa ipſa huius rei documenta non modo in Ieſu ad beneuolos declaratione, (v. 35. 36.) eorumque reſponſo ipſi dato (v. 37. 38.), ſed in accuſatione etiam crudelium et inhumanorum (v. 42. 43.) atque horum quoque reſponſo (v. 44.) iisdem vbique verbis ſignificentur, ac ſingula eodem ſemper ordine repetantur, ab omni profecto probabilitatis ſpecie abhorret, ea nunc non per ſe ſpectari, ſed tanquam alius potius rei, v. c. fidei religioni chriſtianae vel habitae, vel denegatae, argumenta commemorari, praeſertim cum, ſi vera ſunt, quae modo ſtuduimus demonſtrare, de hominibus religionem chri-

32) Quod recte iam obſeruauit *Des Cotes l. l. p.* 394. *ſq.*

ſtianam non profeſſis hic ſermonem eſſe, de tali fide plane non poſſit cogitari.

Quod vero Ieſus peculiaris iudicii de his ob ipſorum erga Chriſtianos ſe gerendi rationem habendi mentionem hic facit, id neminem profecto mirum habere poterit, qui loci ſimillimi Matth. X, 40 - 42. coll. Marc. IX, 41. meminerit; imo hic ipſe locus noſtro quidem iudicio novum ſententiae huc vsque a nobis propoſitae confirmandae argumentum ſuppeditat, cum aperte eadem paucis complectatur, quae noſtro in loco pluribus exponuntur, ita, vt hic commentarii in illum locum poſſit explere. Poſtquam nimirum Ieſus in loco illo Apoſtolis ſuis triſtiſſima primum fata annunciauerat, quae cum ipſi, (v. 22. ſſ.) tum reliqui etiam ſectatores ſui (v. 37 - 39.) ob religionis ſuae profeſſionem eſſent experturi, eos deinde aliquo ſaltem modo iterum ſtudet conſolari eo, quod non obſcure iis ſignificat, fore, vt certe non prorſus defuturi ſint eiusmodi homines, qui ipſos benignius ſint excepturi, hisque ſimul ob haec ipſa beneficia in ſuos collata certiſſima praemia a ſe et patre ſuo reportanda promittit. Hinc v. 40. docet primum, eum, qui ipſos excipiat, perinde agere, ac ſi ſemetipſum excipiat, qui vero ſe excipiat, idem cum eo facere, qui patrem ſuum, a quo miſſus ſit, excipiat, (ὁ δεχόμενος ὑμᾶς, ἐμὲ δέχεται καὶ ὁ ἐμὲ δεχόμενος, δέχεται τὸν ἀποστείλαντα με) h. e. eius agendi rationem eodem a ſe et patre ſuo loco habitum iri, ac ſi ipſi fuerint ab eo excepti. Id vero quid ſibi velit, et quidnam inde ſit conſecuturum, pluribus deinde explicat v. ſeq. in quo dicit iam, ei, qui virum a Deo actum, huncque inſtitutionis ſuae auctorem profitentem [33]), vel alium doctrinae ſuae

---

33) Hanc enim τοῦ προφήτου in libris N. T. notionem eſſe, non modo ex 1 Io. IV, 1. aliisque locis perſpicue cognoſcitur, ſed eſt etiam recentioribus maxime temporibus a pluribus in peculiaribus ſcriptis demonſtratum, e quibus inprimis conferendus eſt *Koppii* Excurſ. III. epiſt. ad Epheſ. ſubiectus.

alumnum [34]), tanquam talem [35]), exceperit, idem plane cum illo atque hoc praemium esse expectandum. In illo autem δέχεσθαι minime cogitandum esse de religionis, quam talis vel doceat, vel profiteatur, susceptione, sed eo significari potius beneficia ipsi exhibita, eaque ad corpus

---

34) De tali enim, vt recte iam obseruatum est *Heumanno*, *Thalemanno* et *Reichardo*, atque nuperrime etiam *Kuinoelio* vocab. δικαίς in hoc quidem loco aperte est intelligendum, neutiquam vero, vt alii voluerunt, vocabuli προφήτς synonymum poterit haberi, aut cum *Geo. Henr. Langio* (*Zur Beförder. des nützlich. Gebr. des W. A. Tellerischen Wörterb. des N. T. Vol. II. p.* 157.) itemque *Paulo* in *Comment. ad h. l.*) de viro probo verique Dei cultore in vniuersum explicari. Etenim v. sq. aperte permutatur cum ἑνὶ τῶν μικρῶν τούτων, talis vero μικρὸς mox diserte adpellatur μαθητής. Ad eundem vero modum in libris quoque V. T. apocryphis, v. c. Sapient. XVI, 17. XVIII, 7. 20. Tob. XIII, 13, Israëlitae hoc eodem τῶν δικαίων vocabulo significantur, de qua re conferri poterit *Car. Gottl. Bretschneideri system. Darstell. der Dogm. u. Mor. der apocryph. Schrift. des A. T. Vol. I. p.* 92. et 334. eiusdemque *Spicileg. Lexic. in Intt. gr. V. T. p.* 70. Atque ex hoc ipso loquendi vsu iudaeo-graeco nobis quidem hoc vocabulum ad christianos videtur translatum fuisse. Quodsi vero vel maxime origo huius significationis non posset declarari, nemini tamen dubium esse poterit, quo sensu homo christianus δίκαιος possit adpellari, cum inter omnes constet, proxime quidem δίκαιον eum esse, qui talis sit, qualis esse debeat. Qui igitur quoad christianam etiam religionem talem se gerit, qualem haec ipsum vult se erga eam gerere, hincque ei non modo assensum praebet, eamque profitetur, sed hanc fidem ei habitam factis etiam exprimit, is profecto hoc respectu est δίκαιος, vel, vno verbo, verus et genuinus christianus.

35) Id enim sibi nunc volunt illa verba: εἰς ὄνομα προφήτς et εἰς ὄνομα δικαίς, quae respondent hebr. בשם, (de cuius vsu videatur *Vorstius de Hebr. N. T. c. XL.* §. 5., *p.* 740. edit. *Fisch.* et *Schoettgenius* in *Hor. hebr. et talmud. ad h. l.*) quod quidem comparando v. sq. cum parallelo Marc. IX, 41. loco luculenter poterit intelligi. Ibi enim pro verbis a Matthaeo vsurpatis: εἰς ὄνομα μαθητς, scribitur potius ἐν τῷ ὀνόματι μς, haecque verba, quae et ipsa multiplicem adhuc interpretationem admittunt, mox explicantur additis illis: ὅτι χρισς ἐσε. Unde profecto cognoscitur, a vero horum verborum sensu magnopere aberrasse Castalionem, dum verba illa: εἰς ὄνομα προφήτς de alio προφήτῃ putauit intelligenda esse, a quo iste, de quo sermo est, missus fuerit, et in quo haud dubie ipsum Iesum cogitandum esse sibi persuasit, hincque profecto mirandum est, huic interpretationi tamen calculum suum nuper adiecisse *Car. Chr. Lud. Schmidtium* in *Exeget. Beyträg. zu den Schrift. des N. T. Vol. II. part. II. p.* 186. *sq.*

maxime pertinentia, ex vltimo v. 42. cognoſcitur, in quo ſententiam modo pronunciatam denuo repetit, et pro ambiguo illo δέχεσθαι exemplum aliquod, quod ei ſubeſt, commemorat, idque hoc, potum aquae alteri praebere; atque id ipſum in loco etiam parallelo Marc. IX, 41. ponitur. Quemadmodum igitur hic dicitur, eum, qui doctorem chriſtianum vel alium religionis hujus ſectatorem beneuole excipiat, Chriſtum quaſi ipſum excipere, ita Ieſus in hoc noſtro etiam, quem tractamus, loco profitetur, ſe beneficia in fratres ſuos collata in eodem loco eſſe poſiturum, ac ſi ſibimet ipſi fuerint praeſtita; et quemadmodum ibi ei, qui Chriſtianum eiusmodi beneuolentiae documentis exhilarauerit, idem cum illo praemium promittitur, ita Ieſus hic etiam declarat, ſe olim eiusmodi fratrum ſuorum patronos eadem regni ſui felicitate eſſe ornaturum, quam aliis in locis non niſi ſinceris religionis ſuae ſectatoribus expectandam eſſe declarauit [36]), vt adeo plane non poſſit in dubitationem amplius vocari, vtrumque locum ita ſibi inuicem ſimilem eſſe, vt de eadem plane re agat, hincque non poſſit non alter explicando atque illuſtrando alteri inſeruire.

Neque vero magis obſcurum cuiquam hoc videri poterit, quanam re Ieſus ad hanc ſententiam pronunciandam fuerit adductus, vt cum iis, qui diſcipulis ſuis et ſectatoribus beneficos ſe praebuerint, praemia prorſus ſingularia promitteret, tum vero etiam iis, qui du-

---

36) Unde luculenter iam cognoſcitur, illa loci iſtius Matth. X, 41. verba: *μισθὸν προφήτου λήψεται* et *μισθὸν δικαίου λήψεται* vtique ſic, vt a nobis, praeeuntibus pleriſque fere interpretibus, factum eſt, vertenda nunc eſſe atque explicanda: *idem cum religionis chriſtianae doctore et ſectatore praemium percipiet*, cum ei hic introitus in eandem *τοῦ Χριστοῦ βασιλείαν* decernatur, in quam illi olim dicuntur recipiendi. Quo quidem ſponte iam falſitatis arguitur illorum interpretatio, qui verba illa de eiusmodi praemio putarunt intelligenda eſſe, quod ab ipſo *προφήτῃ* aut *δικαίῳ* ſit reportandum, inque inſtitutionis atque conſortii eius fructibus maxime et commodis ponendum; quam interpretationem nuperrime adhuc probauit *Paulus* in *Commentar. ad h. l.* licet ea neque verbis ipſis, neque loci etiam contextui ſatis conueniat.

rius et inhumanius eos exceperint, grauissimas poenas denunciaret. Etenim primum quidem iustitiae atque benignitatis diuinae cogitatio non poterat non hanc apud ipsum persuasionem gignere, fore, vt Deus crudelitatem atque saeuitiam, quam sinceri cultores ipsius ab aliis fuerint experti, non minus sit puniturus, quam horum preces in calamitatibus istis ad ipsum missas, liberationemque ex iis ab ipso flagitantes, exauditurus. Hac enim spe eum vtique ductum fuisse, inprimis cognoscitur ex Luc. XVIII, 7. 8. vbi, postquam discipulis suis parabolam de iniusto iudice, precibus miserae viduae identidem repetitis tandem aliquando obsequente, exposuerat, haec deinde addit: *ὁ δὲ θεὸς οὐ μὴ ποιήσει τὴν ἐκδίκησιν τῶν ἐκλεκτῶν αὐτοῦ τῶν βοώντων πρὸς αὐτὸν ἡμέρας καὶ νυκτὸς καὶ μακροθυμῶν ἐπ' αὐτοῖς; λέγω ὑμῖν, ὅτι ποιήσει τὴν ἐκδίκησιν αὐτῶν ἐν τάχει, ergone Deus non vindicet dilectos suos, diurnis nocturnisque precibus eum implorantes, etsi ea in re paulo tardior sit? Imo adfirmo vobis, eum illos mox esse vindicaturum.* Ad eundem vero modum Paulus etiam 2 Thess. I, 6. 7. adfirmat, iustitiae diuinae non magis esse consentaneum, iis, qui Christianos adfligant, mala, Christo redeunte, rependere, quam his, qui adfligantur, pacem atque quietem concedere. Tum vero haud dubie etiam similes doctorum iudaicorum sententiae Iesu innotuerant, ex quibus et hi beneficia doctoribus atque pauperibus exhibita eodem loco haberi contendebant, ac si in Deum ipsum essent collata, hincque maximis etiam praemiis compensari statuebant. Certe in Rabbinorum scriptis eiusmodi decreta subinde reperiuntur, quae iam a pluribus sunt collecta, et ad haec ipsa Iesu dicta illustranda translata [37]). Nominatim vero Iudaei iudicium in reliquas

37) Nominatim a *Cartwrighto* in *Mellific. hebr. Crit. sacr. Vol. IX, p.* 1310. edit. Amstel. et *Schoettgenio* in *Hor. hebr. et talmud.* ad Matth. X, 40. et XXV, 35. itemque *Wetstenio* in *Animadverss.* ad haec eadem loca.

gentes a Meſſia habendum expectarunt, in quo vti iis, qui bene de ipſorum gente meriti fuiſſent, praemia largiſſima, ita his, qui populares ipſorum male habuiſſent et vexaſſent, poenae grauiſſimae ſint decernendae, cuius iudicii cum in apocryphis V. T. libris[38]), tum in Rabbinorum etiam ſcriptis[39]) mentio ſit, idque Ieſus in ſuae religionis alumnos, quippe in populum Dei nunc receptos, videtur transtuliſſe et ad eos accommodaſſe.

De tempore vero, quo illud de gentibus a Chriſtiana religione alienis iudicium habiturus ſit Meſſias, vtrum in ea ipſa παρουσίᾳ, cuius paulo ante cap. 24, 29 ſſ. mentio facta eſt, an alio tempore, certi aliquid definire non videtur eſſe huius loci. Neque enim hanc temporis definitionem cum primario diſputationis conſilio ita arcte nexam credo, vt recte abeſſe ab ea plane non poſſit; neque eam adeo iuſte fieri poſſe patet, niſi inſtituta antea accuratiore disquiſitione de vero παρουσίας iſtius tempore, ac de vero qui Cap. 24 et 25 intercedat, nexu. Quod quidem vtrumque, dudum iam a me tractari coeptum[40]) repetitis nunc curis examinatum, alio tempore latius perſequendi facultatem me nacturum ſpero.

---

38) Omnium luculentiſſima eius veſtigia reperiuntur in libr. Iudith. XVI, 17. vbi gentilibus inſtantis ipſis huius iudicii cauſa mala his verbis denunciantur: *οὐαὶ ἔθνεσιν ἐπανιστάμενοις τῷ γένει μου· κύριος παντοκράτωρ ἐκδικήσει αὐτοὺς, ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως, δοῦναι πῦρ καὶ σκώληκας εἰς σάρκας αὐτῶν, καὶ κλαύσονται ἐν αἰσθήσει ἕως αἰῶνος.* Non minus perſpicuus eſt et alius Siracidis locus Cap, XXXII, 19. in quo quae in antecedentibus de puniendis ſingulorum hominum oppreſſoribus dicta fuerant, in populum iudaicum gentesque hunc opprimentes, his verbis transferuntur: *καὶ τοῖς ἔθνεσιν ἀνταποδώσει ἐκδίκησιν, ἕως ἐξάρῃ πλῆθος ὑβριστῶν, καὶ σκῆπτρα ἀδίκων συντρίψῃ· ἕως ἀνταποδῷ ἀνθρώπῳ κατὰ τὰς πράξεις αὐτοῦ, καὶ τὰ ἔργα τῶν ἀνθρώπων κατὰ τὰ ἐνθυμήματα αὐτῶν· ἕως κρινῇ τὴν κρίσιν τοῦ λαοῦ αὐτοῦ, καὶ εὐφρανεῖ αὐτὸς ἐν τῷ ἐλέει αὐτοῦ.*

39) E quibus nonnulla teſtimonia huc pertinentia collecta ſunt a *Lightfooto* in *Hor. hebr. et talmud.* ad Io. III, 17. Praeterea vero conferri etiam poterunt, quae de Iudaeorum de hoc iudicio doctrina obſeruauit *Io. Chriſt. Koken* in *Comment. de reditu Meſſiae ad iudicium gentium*, (*Götting.* 1800. 4.) *p.* 20. *ſq.*

40) In hiſtoria dogmatis de regno Meſſiae §. 13. p. 62. [Haud dubie in poſteriori huius hiſtoriae parte, quam libellis Aca-

De eo autem multo rectius quaeri potest, an forte Paulus, vbi 1 Cor. 6, 2. perhibet a Christi cultoribus de gentibus profanis[41]) iudicium habitum iri, de eodem cogitauerit iudicio, de quo ex nostra interpretatione Iesus apud Matthaeum verba fecerit. Ac talis quidem profanarum gentium censura a Christianis exercenda vere locum habere credi posset ita, vt hi statuerentur ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως quodammodo ad Christum referre debere de modo, quo a profanis istis gentibus, dum sibi ipsis inter eas commorandum fuisset, excepti et tractati fuerint. Verum enim vero cum Paulum huic de profanis iudicio aliud etiam, de angelis a Christianis instituendum, legamus v. 3. adiungere[42]); singulare prorsus quoddam iudicii de gentilibus et angelis habendi genus Apostolus significasse videtur, quod vero, quale sibi finxerit, neque hic neque alio loco adcuratius docere ipsi placuit[43]). Admissa tamen nostra dictorum Iesu

---

demicis proxime scribendis edere b. auctor statuerat, latius, quae h. l. tetigit, persecuturus fuisset, simulque demonstraturus, iniustissime se propter suam de hoc Christianae doctrinae capite sententiam a nonnullis accusatum fuisse neglectae cum in Iesum pietatis tum in scriptura sacra interpretanda veritatis et modestiae.]

41) *Κόσμον* enim h. l., cum diserte opponatur *τοῖς ἁγίοις*, patet intelligendum esse de iisdem qui dicuntur v. 1. *ἄδικοι* et v. 6, *ἄπιστοι*, h. e. de gentilibus.

42) Huius ipsius autem iudicii de angelis habendi mentio impedit, quo minus accedam *Iustio*, qui in libro: *vermischte Abhandl. über wichtige Gegenstände der theol. Gelehrsamkeit, 2te Samml. S.* 160. hunc locum explicauit de sinistro iudicio, quod Christiani de profanis, propter iniurias sibi illatas, laturi essent. Hoc autem iam ante me vidit *Gablerus im neuesten theol. Journal Bd. II, St. V. S.* 510.

43) Interpretes vero in hoc *Pauli* silentio haud acquiescendum putarunt. Alii enim ad hunc ipsum locum docuerunt, Christianos aliquando in iudicio extremo Christo esse assessuros sententiaeque ab ipso de incredulis latae calculum quasi addituros: alii. *Origenem* et *Chrysostomum* secuti, adfirmarunt, Christianos supplicia incredulis decernenda suis recte sensis et factis quodammodo esse comprobaturos et auctuos. Sic Scholiasta quidam anonymus in *C. F. Matthaei* edit. N. *T.* verbis *Pauli*, haec addidit: *κατήγοροι τῶν ἀπίστων γενόμενοι, ὅτι ὁμοιοπαθεῖς αὐτοῖς ὄντες ἄνθρωποι καὶ ἐπίστευσαν καὶ χρηστὴν πολιτείαν ἐπεδέξαντο.*

apud Matth. de tali iudicio explicatione coniici aliquantum potest, qualis de eiusmodi iudicio sententia Apostoli animo obuersari certe *potuerit*; confirmaturque adeo eorum Paulini loci interpretum ratio, qui propter veram verborum significationem omnemque orationis nexum iubent in proprio dicti sensu acquiescere, vti ab antiquissimis iam interpretibus factum sit [44]), ac rei ipsius illustrationem ab aliqua illius temporis opinione in vulgus nota repetere. Quis enim ferat *Lightfootum*, cum scribit, Paulum docuisse, Christianos oppressa tandem per Christi doctrinam gentilitia superstitione in foris primas assecuturos esse partes iudicumque muneribus functuros; vel alios haud paucos [45]), quibus Paulus visus est nil aliud sibi voluisse nisi hoc, Christianos omnium optime de vero, quod verum et falsum iustum et iniustum intercedat discrimine, edoctos omnium etiam maxime esse idoneos, qui, quid verum et iustum aut falsum et iniustum habendum sit in hominum profanorum, quid quod angelorum sensibus et factis, iudicare verissime possint. Neutra enim explicatio vel cum verbo-

---

44) Nimirum *Origenes* homil. XI, in Numer. T. III. Opp. p. 707. ed. de la *Rue* et Comment. in Matth. T. XV. p. 687. nec minus *Chrysostomus*, *Theodoretus* aliique hunc Pauli locum poprio sensu de iudicio a Christianis contra profanos habendo interpretati sunt. Inter recentiores vero in eadem mente fuerunt *Thom. Pyle*, *de Lynar*, *Ioh. Dav. Michaëlis*, (in adnotat. ad teutonicam suam N. T. versionem) *Vollborth*, (in adnot. ad Zachariae huius epistolae paraphrasin) *Reichard* et alii.

45) Inter hos praeter *Noltenium*, iam a *Wolfio* in curis philol. et crit. ad h. l. commemoratum, nobilissimi recentioris aeui fuerunt interpretes, *Whitby* in bibliis Angl. adsentiente eius commentatore *Beuckero*, *Mosheim*, (in comment. huius epistolae.) *Nösselt*, (cum in notis ad *Baumgartenii* interpret. epistoll. ad Corinth. tum in opusc. ad interpr. script. s. fasc. II, p. 139.) *Moschc* (in Bibelfr. vol. II, p. 32 et in pericop. evangel. v. III, p. 2096.) *Zachariae* et *Semler*, (in suis huius epistolae paraphrasibus,) *Rosenmüller* (in scholiis ad h. l.) *Stolz* (in notis ad h. l.) et alii plures.

rum ſignificatione vſitata vel cum orationis ſerie recte aeſtimata vnquam poterit conciliari [46]).

Quodſi vero ſecundum ea, quae hucusque ſunt diſputata, in Matthaei loco minime ſermo eſt de iudicio in vniuerſum genus humanum habendo, ſed deſcribitur potius iudicium in gentes a religione Chriſtiana alienas, quibus bene de diſcipulis et ſectatoribus Ieſu merendi occaſio fuerit ſuppeditata; tum quidem vanae reperiuntur Pontificiorum dubitationes, quibus noſtrae eccleſiae ſententiam de iuſtificatione et ſalute hominis, propter fidem Chriſto praeſtitam vnice ſperanda, impugnare ſoliti ſunt, quasque haud raro ex hoc ipſo Matthaei loco non ſine aliqua veri ſpecie repetierunt, ita vt multi noſtri coetus doctores parum felici ſucceſſu in iis confutandis et amouendis laborarent [47]). Ex altera autem parte, ſi noſtra in-

---

46) Quod quam recte de Lightfootii interpretatione dicatur, pluribus iam docuit *Nöſselt* in notis ad Baumgartenii huius epiſtolae explicationem. Nec minus recte de altera ratione ſimili modo iudicari ſponte patet inde, quod plane non intelligitur, quo conſilio profanorum hominum et angelorum diſerta facta fuerit mentio, ſi de Chriſtianorum tantum egregia errores et peccata recte iudicandi facultate Paulus voluiſſet intelligi.

47) Vix enim hanc difficultatem feliciter ſuperaſſe putari poſſunt, qui verbi *κληρονομεῖν* v. 34. etymologiae inhaerentes ſtatuerent, quod *haereditate* aliquis conſecutus eſſe dicatur; illud eum non meritis ſuis ſed alterius beneuolentiae et clementiae debere; neque magis illi, qui monerent, particulam *γαρ* v. 35 non modo de cauſa, ſed etiam de effectu, qui inde naſcatur, dici, vti voluerunt *Gerhardus* locc. theoll. t. VIII. pag. 46. ſq. et t. XIX. p. 194 ſq. ed. Cott. et *Reinbeck in Betrachtt. über die Augsb. Confeſs. fortgeſetzt von I. G. Canz* t. IX. p. p. 311. Notum enim eſt apud omnes, vſum loquendi in N. T. obuium non prorſus ignorantes, *κληρονομεῖν* dici eum, qui aliquid nanciſcatur et accipiat, quocunque demum modo fiat. Neque minus facile eſt ad intelligendum, veram loci noſtri vim non a particula *γαρ* pendere, ſed ab vniuerſa ſententia, atque adeo eorum, de quibus Ieſus loquitur, agendi rationem tanquam primariam et grauiſſimam praemii ipſis decernendi cauſam a Ieſu pronunciari. Illud contra aduerſus noſtrae doctrinae obtrectatores moneri aptiſſime poterat, caritatem vere Chriſtianam non ſolum ſine fide eſſe plane non poſſe (Gal. 5, 6.) atque adeo pro certiſſimo animi vere Chriſtiani ſigno eam eſſe habendam (Ioh. 13, 35.) verum eandem etiam omnium reliquorum Chriſti praeceptorum recte obſeruatorum

terpretatio pro vera habenda fuerit, actum sane etiam esse videtur de omnibus illis piis ascetarum itemque eorum, quibus in conuentibus Christianorum sacris verba ad populum sunt facienda, obseruationibus, quibus, huius maxime loci auctoritate nixi, euincere studuerunt, diem iudicii omnibus hominibus olim subeundi iis tantum metuendum esse, qui non fuerint sincero aliorum amore animati, hocque amore non modo omnem hominis in vita post mortem futura dignitatem iri definitum, sed ab eo etiam felicitatis olim percipiendae gradum vnice fore suspensum, cum de tali amore omnes homines amplectente hic plane non sermo sit, sed vnice spectetur beneuolentia primis Christi sectatoribus exhibita vel denegata, atque sponte in oculos incurrat, plane non potuisse Iesum praeter huius rei documenta aliud quid commemorare, si tale, quale in antecedentibus dictum est, iudicium nunc vellet describere viuidisque quasi coloribus adumbrare. Nihilominus tamen amori illi ac virtuti vniuersae semper honos et dignitas sua constabit, cum longe firmiori fundamento innitatur, quam arbitrariae illi huius loci interpretationi.

---

pignus esse et testem habendam, (Rom. 13, 8-10. Gal. 5, 14.) quae, vbi reperiatur, nec ceteras hominis Christiani virtutes patiatur abesse.

Additamentum editoris. Liceat mihi ad huius dissertationis calcem epimetri loco addere aliquid, quod, vti lectoribus gratissimum fore certo scio, ita haud minus confido, nullo modo cum integerrima reuerentia esse pugnaturum, qua duos egregios viros ac de me meritissimos, dum viuam, persecuturus ero.

Auctor nimirum hanc suam dissertationem b. *Reinhardo* iudicandam miserat, qui paucis diebus praeterlapsis, d. 20. Novbr. 1809 inter alia haec ei rescripsit: *Ich verkenne den Scharfsinn und die Gelehrsamkeit, womit Sie Ihre Hypothese ausgeschmückt haben, nicht im mindesten; allein überzeugt haben Sie mich nicht. Nach Ihrer Vorausſetzung müssen die* v. 33 *erwähnten* πρόβατα *Heiden seyn, die sich freundlich, und die eben daselbst erwähnten* ἐρίφια *auch Heiden, die sich feindselig gegen die Christen benommen haben. Da nun jene* πρόβατα *nach* v. 34 *die Gesegneten des Vaters sind, die* ἐρίφια

hingegen die v. 41 *Verfluchten und* v. 46 *zur ewigen Pein bestimmten; so hat Christus nach Ihrer Voraussetzung hier gelehrt, dass die Heiden ohne das Evangelium anzunehmen und Christen zu werden, auch ohne alle weitere Hinsicht auf ihren anderweitigen moralischen Charakter, selig werden können wenn sie sich nur freundlich gegen die Christen betragen, und hingegen auch ewig verdammt und unglücklich, wenn sie das Gegentheil thun. Und das hätte Christus wirklich sagen wollen? Das stimmte, ich will nicht sagen mit dem Sprachgebrauche, nach welchem die προβατα etwas ganz Anderes heissen, sondern mit der übrigen Lehre Christi und mit der gesunden Vernunft überein? In der That haben wir arme Homileten, die Sie am Ende einer Zurechtweisung würdigen, doch gar manches für uns, wenn wir der gewöhnlichen Erklärung treu bleiben, und es sollte mir gar nicht bange seyn, alle die Schwierigkeiten, welche man derselben entgegen setzt, so aufzulösen, dass es einem billigen Richter Gnüge leisten würde. Historisch d. h. zeitgemäss übereinstimmend mit dem Sprachggebrauche und andern notorischen Aeusserungen Jesu ist sie ohnehin schon so gut, als die von Ihnen vertheidigte.* Sed haec hactenus. —

Quae, quanquam haud exiguo acumine contra *Keilium* monita sunt, hunc tamen, vt sententia cederet, haud potuerunt movere. Vix enim in repetita hac suae commentationis editione, ao. 1813 post obitum *Reinhardi* curata, silentio praetermissurus fuisset has obiectiones, si vere credidisset eas ad confutandam suam interpretationem idoneas: Caeterum paulo aegrius b. *R* tulisse videtur, quod *K.* in verbis ad finem dissertationis hisce: *diem iudicii omnibus hominibus olim subeundi iis tantum metuendum esse, qui non fuerint sincero aliorum amore animati*" ad verbum fere transtulerat concionis sacrae argumentum a se super hac ipsa pericopa dom. p. f. Trin. XXVI habitae, ita pronunciatum: *dass man den Tag des Gerichts nur dann nicht zu fürchten habe, wenn man von wahrer christlicher Menschenliebe beseelt sey.* cfr. *Auszüge aus Reinhards Predd. v. J.* 1796. — Hinc haud dubie paulo acerbiores miserorum homiletarum vindiciae!

VI.

DE DEFINIENDO TEMPORE ITINERIS PAULI HIEROSOLYMITANI Gal. 2, 1. 2. COMMEMORATI.

Si in iis, quae ad vitam et fata ſcriptoris alicuius pertinent, indagandis ipſius ſcriptoris de ſe narrationi praecipua quaedam auctoritas ſolet deferri, et, modo ne iuſta adſit de veritate eorum, quae narrat, dubitandi cauſa, maxima ei fides haberi; ſponte intelligi poterit, quanta attentione noſtra dignus iudicandus ſit ille Epiſt. ad Galat. I, 15. — II, 14. locus, in quo ab ipſo Paulo, vbinam primis poſt chriſtianam religionem a ſe ſuſceptam annis vitam degerit, quoque conſilio quemlibet locum adierit, perquam diligenter et ipſa adeo annorum, quibus ſingula euenerint, notatione addita, exponitur, cum non modo summae fidei auctor ſit, qui haec narret, ſed multiplicem etiam quae ab eo traduntur, in definienda celebratiſſimi huius viri fatorum ſerie praeſtent vtilitatem. Cum vero in hoc ipſo loco vnum potiſſimum momentum occurrat, quod, ſi non omnes, plerique ſaltem interpretes non ſatis accurate penſitaſſe, parumque recte conſtituiſſe nobis videantur, non alienum

Nota editoris. Scripta eſt haec commentatio ao. 1798 in ſolemnitate aliqua academica; poſt, ab ipſo auctore paſſim emendata et amplificata, inſerta eſt volumini tertio ſylloges commentationum theologicarum a *D. I. Potto*, Helmſtadii 1802 editarum, inde a p. 68. — Quam quidem alteram editionem hic lectoribus exhibendam eſſe credidimus.

ab hac ſcribendi opportunitate nobis visum eſt, de hac ipſa re quaedam commentari, noſtramque de ea ſententiam virorum doctorum, ſi qui forte haec legerint, iudicio atque examini ſubiicere. Dicimus autem id, quod de itinere Pauli Hierosolymitano vna cum Barnaba et Tito ab eo ſuscepto, Cap. II, 1. 2. traditur.

Hoc nimirum iter omnes fere cum antiquiores [1]), tum recentiores interpretes ad illud tempus referendum eſſe ſtatuunt, quo ſecundum Lucae in Act. c. XV. narrationem ab eccleſia Antiochena ad ſciscitandam Apoſtolorum de Mosaicae legis inter Chriſtianos obſeruatione ſententiam Hieroſolymam fuerit vna cum Barnaba et aliis quibusdam ablegatus. Verum ſi quo exemplo doceri poterit, quantum hermeneutica traditio omni tempore apud interpretes valuerit, ex hoc profecto luce clarius id intelligi poſſe arbitramur. Niſi enim interpretum praecipua doctrinae laude florentium auctoritas alios mouiſſet, vt hanc ſententiam et ipſi ſequerentur, vix nobis perſuadere poſſumus, omnes fere, quotquot hunc locum tractarunt, in ea defendenda, tanquam in re certiſſima, tam miro exemplo fuiſſe consensuros. Tantum enim abeſt, vt vel leuiſſimum illius itineris Hieroſolymitani, de quo Act. XV ſermo eſt, veſtigium hic occurrat, vt multa potius adſint, quae de illo cogitare vix ac ne vix quidem patiantur. Neque enim vel occaſionis itineris illius, quam Lucas Act. l. l. commemorat, vel decreti iſtius nobiliſſimi in ſynodo Hieroſolymitana ab Apoſtolis facti et a Paulo etiam probati, vlla mentio injicitur, ſed talia adeo traduntur, quae cum vtroque aper-

1) Eſt enim haec antiquiſſima iam ſententia, cuius veſtigia, vt docuit nuper *Semlerus* in *Proleg. in Epiſt. ad Galat.* Paraphraſi huius Epiſt. praemiſſis, p. 50. ſq. deprehenduntur iam apud Irenaeum *adv. Haereſ.* l. III, c. 13. Eandem vero poſt etiam celeberrimi quique inter veteres Interpretes ſecuti ſunt, nominatim *Chryſoſtomus*, quem nonnulli perperam ex defenſorum huius ſententiae numero eximunt, *Theodoretus*, *Hieronymus*, *Auguſtinus* et alii.

te videntur pugnare. Cum enim Lucas quidem illius itineris caufam a coetus Chriftianorum Antiocheni difer-to aliquo decreto repetat, ex quo ad componendas controuersias a Chriftianis quibusdam ex Iudaea profectis fuper circumcifionis totiusque legis Mofaicae obferuandae neceffitate motas, Paulum et Barnabam vna cum aliis quibusdam Hierofolymam mittere conftituiffet; Paulus contra illuc fe profectum effe dicit κατὰ ἀποκάλυψιν. Haec vero fiue Paulo ipfi fiue aliis contigiffe exiftimetur [2]); id faltem non poterit negari, nullam plane apud Lucam mentionem eius fieri, nec adparet etiam, quinam ei in illa, quam hic tractat, caufa locus effe potuerit. Etfi enim minime ignoramus, a plerisque hoc illius revelationis confilium commemorari, vt Paulus per eam ad morem voluntati ecclefiae Antiochenae gerendum excitaretur, Hierofolymamque abiret: iidem tamen etiam contendimus, quemlibet, qui a praeconcepta opinione fatis vacuus fit, fponte effe intellecturum, temere hoc defendi, et pro arbitrio fumi, lubenterque nobis conceffurum, non prius fuiffe de vtroque loco inuicem conciliando cogitandum, quam fi aliunde iam conftitiffet, planeque certum fuiffet, de vno eodemque itinere vtrimque fermonem effe. Quodfi vero ecclefiae iftius Antiochenae antiftitibus confultum effe videbatur, vt, turbatae per aduenas iftos, pacis reftituendae caufa Hierofolymam quidam ablegarentur, non erat profecto, quod ad obfequium huic eorum defiderio praeftandum peculiari quadam admonitione diuina permoueretur Paulus; imo ipfius adeo plurimum intererat, vt ifti defiderio fatisfaceret, cum fibi potiffimum et Barnabae lis ab aduer-

---

2) Et hoc nimirum fuerunt, qui defenderent, plerisque tamen illud probantibus, quo pertinent v. c. *Lightfootus in Chron. tempor. et ordine textuum* N. T. *Opp.* To. II. p. 76. vbi Paulum ab ecclefia Antiochena, reuelatione edocta, Hierofolymam miffum fuiffe defendit, itemque *Doddridgius* in *Oper. biblic. Angl.* ad h. l. To. XV. p. 687. Quae noftra fit hac de re fententia, infra dicendi locus erit.

ſariis moueretur. Quam vero *Io. Frid. Grunerus* quondam propoſuit vtriusque narrationis conciliationem [3]), quaque verborum ἀνέβην δὲ κατὰ ἀποκάλυψιν hunc ſenſum eſſe voluit: *profectus autem ſum ad declarationem petendam*; eam, vt recte iam iudicauit *Michaëlis* [4]), probari neutiquam poſſe, vix opus eſt, vt multis oſtendamus, cum facile adpareat, non modo omni eam a loquendi vſu commendatione deſtitui, ſed ei adeo prorſus repugnare [5]).

In Actis porro Paulus et Barnabas in publico eccleſiae Hieroſolymitanae confeſſu felicem muneris ſui inter gentiles ſucceſſum dicuntur expoſuiſſe; (v. 12.) in hoc vero loco ſuam Paulus narrat docendi rationem primariis iſtius eccleſiae viris priuatim a ſe fuiſſe explicatam, (cap. XI, 2.) omnemque publici alicuius conſeſſus decretique in eo facti mentionem ita fugit, vt ne vel digito quidem quicquam, quod eo pertineat, monſtret, ſed omnia, quae tradit, tanquam inter priuatos parietes transacta deſcribat, omninoque omnia, quae in iſto conventu Hieroſolymitano geſta ſunt, tam alto ſilentio praeterit, vt nihil plane occurrat, quod cum iis, quae ibi euenerunt, quicquam ſimilitudinis habeat, ſed omnia potius alia narrentur. Niſi forſitan hoc vnum eo referre velimus, quod et ipſum omnium haud dubie maximę in cauſa fuit, cur de vtroque loco inuicem comparando

---

3) In peculiari Comment. *de itinere Pauli Hieroſolymitano* ad h. l. inſerta Ei. *Miscell. Sacr Faſc. I.* (Ien. 1750. 4.) p. 5. ſq.

4) In Nott. paraphr. huius epiſtolae, (*Paraphraſis und Anmerkungen über die Briefe Pauli an die Galater, Epheſer, Philipper, Coloſſer, Theſſalonicher, den Timotheus, Titus und Philemon, Edit II. Brem u. Gött.* 1769. 4.) ſubiectis, p. 11.

5) Idem iudicium ferendum etiam erit de illa horum verborum explicatione, quam propoſuit *Nort. Knatchbull in Animadv. in libr. N. T.* (ſubiectis *Io. Doughtaei Analect. ſacr. Amſt.* 1693. 8. p. 95. Is nimirum verba haec de rumore quodam, s. fama, s. verbo, s. epiſtola ad Paulum perlato, diuerſam a caeteris Apoſtolis doctrinam a ſe diuulgari, vult intellecta.

cogitaretur, quod v. 3. Titi circumcisionem quosdam, qui Christianorum hac in re libertati insidias struxissent, haud obscure significat postulasse, quibus tamen ipse fortiter restiterit [6]). Id enim vtique videri posset cum illo comparari posse, quod apud Lucam Act. XV, 1. narratur, aduenas istos ex Iudaea profectos circumcisionem tanquam rem ad salutem obtinendam prorsus necessariam spectari voluisse. At enimuero primum facile adparet, vtrumque non vno eodemque in loco accidisse. Hi enim aduenae suam Antiochiae sententiam defendebant; isti autem, de quibus Paulus loquitur, Hierosolymis versabantur, hicque Titum, quem Hierosolymam secum adduxerat, vna cum aliis eiusdem conditionis hominibus ad circumcisionem cogere studebant. Tum vero ecquis tandem ignoret, vbique fere ista aetate fuisse, qui, perversa de iudaicae legis pretio atque auctoritate opinione imbuti, circumcisionis aliorumque rituum Mosaicorum obseruationem omnibus Christianis vellent imponi, cum id ex centenis fere Actorum et Epistolarum apostolicarum locis constet? Quid mirum ergo, si tales tum Hierosolymae etiam fuerint, qui Paulo eandem litem moverent, quam ante iam eiusdem sententiae defensores, vt Act. XI, 2. sq. narratur, post Cornelii eiusque domesticorum baptismum Petro intenderant? Quare propter hoc vnum momentum profecto non poterit vterque locus iure ad eandem causam referri, praesertim cum tot alia, vt vidimus, occurrant, quae vtrumque difficillimum reddant [7]).

---

6) Hoc enim eum vtique fecisse, perspicue docent verba v. 5. *οἷς οὐδὲ πρὸς ὥραν εἴξαμεν*, quorum vulgarem lectionem omnino esse seruandam, multis, si huius libelli consilium pateretur, argumentis cuilibet idoneo iudici facile nos persuasuros esse confidimus.

7) Nouimus quidem, quaenam ad haec quoque, quae dissimilia esse diximus, responderi soleant a contrariae sententiae defensoribus, quaeque post multos alios inprimis docte nuper exposuit *Henkius* in *Animadv. Guil. Paleyi Horar. Paulin. versioni german.* (*Wilh. Paley's Beweis der Glaubwürdigkeit der Geschichte und der Aechtheit der Schriften des Apostels*

Accedit vero et aliud, quod, quo minus huic, quam impugnamus, ſententiae calculum noſtrum adiiciamus, impedit. Iter nimirum a Paulo h. l. commemoratum haud dubie pro ſecundo eius itinere, quo poſt chriſtianae religionis profeſſionem Hieroſolymam petiit, habendum eſt, neutiquam vero tertium aliquod aut ſerius adhuc ſusceptum poterit iudicari. Id enim cum omne huius loci conſilium videtur poſtulare, tum vero etiam particula πάλιν, qua hic vtitur, aperte docere. Propterea nimirum omnia, quae poſt religionis iſtius profeſſionem ſusceperit, hic enarrat, vt adpareat inde, ſibi plane non neceſſarium viſum fuiſſe, vt vel docendi muneris a Deo et Chriſto ſibi demandati aliquam quaſi confirmationem ab Apoſtolis Hieroſolymitanis peteret, vel eius recte adminiſtrandi rationem doctrinaeque tradendae formulam ab iis edocendum ſe curaret. Quae cum ita ſint, profecto neceſſe erat, vt, quoties Hieroſolymae fuisſet verſatus, quidque quolibet tempore facere ibi inſtituiſſet, ſingulatim exponeret, hincque non commode poterat vllius itineris Hieroſolymam a ſe facti mentionem omittere, ne quis id, quod in hoc illoue itinere factum eſſe negauerat, in alio a ſe transactum eſſe contenderet; cumque adeo v. 18. capit. super. primum iter in iſtam vrbem a ſe ſusceptum commemoraſſet, proximum profecto erat, vt iam de ſecundo diceret. Atque hoc eum vtique nunc ſignificare voluiſſe, particula πάλιν haud obſcure declarat, quae quippe in hoc quidem con-

---

Paulus, aus ihren wechſelſeitigen Beziehungen auf einander. Mit einigen Anmerkungen von Heinr. Phil. Conr. Henke. Helmſt. 1797. 8.) ſubiectis, p. 427. Sed non dubitamus libere fateri, his omnibus parum nos moueri, cum, quod primum omnium erat demonſtrandum, vtrumque locum ad eandem cauſam idemque tempus referendum eſſe, pro certo iam ſumatur, vnumque hoc doceatur, quae in vtroque loco occurrant, commode inuicem poſſe conſiſtere, neque talia eſſe, vt vnum altero tollatur. Ita vero ipſi tamen fatentur, diuerſa eſſe, quae vtrimque tradantur, cum de eorum conciliatione cogitent; hocque modo facile poſſent vel diuerſiſſima loca inuicem conciliari.

textu idem valere iudicanda eſt, ac ſi δεύτερον eius loco ſcriptum fuiſſet. Si autem hoc iter pro ſecundo Pauli itinere habendum eſt, quo poſt ſusceptam a ſe religionem chriſtianam Hieroſolymam profectus eſt, nullo modo ad illud tempus referri poteſt, quo ſynodus Hieroſolymitana habita eſt. Tum enim vrbem iſtam tertia iam vice adiit. Quodſi enim Lucae de itineribus huius viri narrationes contulerimus, mox reperiemus, eum prius iam, vt Act. XI, 27. ſq. narratur, ſecunda vice in vrbem iſtam abiiſſe, hoc quidem conſilio, vt eleemoſynas, a Chriſtianis Antiochenis in Palaeſtinenſium vſum collectas, vna cum Barnaba illuc deferret.

Atque de hoc ipſo itinere Pauli Hieroſolymitano nos quidem, paucorum quorundam interpretum veſtigia ſecuti [8]), et nunc cogitandum eſſe putamus, idque non tantum propterea defendimus, quoniam hoc vtique fuit ſecundum ex itineribus Pauli Hieroſolymam factis, quod non potuit hic ſilentio commode praterire [9]), ſed ideo etiam, quoniam, ſi vtrumque Pauli et Lucae locum comparauerimus, non modo nihil deprehendimus, quod de vno eodemque itinere vtrimque ſermonem eſſe, ſtatuere nos impediat, ſed plura adeo occurrunt, quae id ipſum haud obſcure nobis perſuadeant. Primum enim in hoc etiam itinere, diſerte monente Luca v. 30., eundem Barnabam itineris comitem habuit, quem ſe in no-

---

8) Quorum in numerum nominatim etiam referendus eſt *Anton Bloch* in *Chronotaxi ſcriptorum D. Pauli*, (*Flensb. et Lipſ.* 1782 8.) qui tamen duplex hic a Paulo iter, Hieroſolymam a ſe factum, ſignificari exiſtimat, haec quippe *pag.* 67. *not.* 25. ſcribens: *probe attendendum ad vocem πάλιν, vt lector obſervet binas heic indigitari aſcenſiones μετὰ collegialiter cum Βαρνβᾶ*, priorem ſc. *quae Act. XI*, 29. 30. et poſteriorem *quae Act. XV, memoratur.*

9) Quod tamen contra viſum eſt *Pearſonio* in *Annal. Paul Opp. poſth. p.* 6. et *Whitbyo*, in *Oper. bibl. anglic. To. XV. p.* 686 *verſ. german.* qui huius itineris propterea dicunt nullam a Paulo hic mentionem factam eſſe, quoniam nullum tum Apoſtolorum vidiſſet, quod vnde nouerint, ingenue fatemur nos prorſus latere.

ſtro loco ſecutum eſſe defendit. Quod vero praeterea Titum etiam ſecum habuiſſe monet, id profecto Lucae narrationi, qui plures praeter Barnabam ipſum comitatos eſſe, neque ait, neque negat, plane non repugnat; eodemque modo nec illud, quod primarium huius itineris conſilium hoc fuit, vt eleemoſynae Hieroſolymam perferrentur, impedit, quo minus per iſtius in vrbe Hieroſolymitana commorationis opportunitatem illa ſimul cum nonnullis Apoſtolorum priuatim transigeret Paulus, quae noſtro in loco a ſe cum iis dicit transacta fuiſſe. Quod autem v. 10. tradit, id haud obſcure nobis primarium illud itineris huius conſilium in memoriam reuocat. Ibi nimirum, poſtquam narrauerat, hoc inter ſe et Apoſtolorum primarios tum dextra data fuiſſe conſtitutum, vt illi quidem Iudaeis potiſſimum doctrinam Ieſu explicarent, eamque iis amplectendam proponerent, ipſe autem idem inter gentiles maxime ageret, hoc deinde ſe ab iis adhuc admonitum fuiſſe dicit, vt pauperum nunquam immemor eſſet. Cuius admonitionis occaſio profecto in promptu poſita eſt, ſi de illo nunc itinere cogitamus, de quo in Act. l. l. refertur, volueruntque tum Apoſtoli iſti Paulum his verbis hoc rogatum, vt pauperum Hieroſolymitanorum in poſterum quoque eodem, quo nunc feciſſet, modo memor eſſet, eorumque neceſſitatibus ſimili eleemoſynarum collectione commendanda atque adiuvanda conſuleret. Contra vero ſi de tertio illo Pauli itinere, quod ſynodo Hieroſolymitanae habendae occaſionem praebuit, nunc cogitandum foret, plane non adpareret, cur omnia alia potius nunc narrauerit, quae tum Hieroſolymis cum reliquis Apoſtolis a ſe fuerint tractata, quam id, quod primarium fuerit itineris ſui negotium, quanquam eius rei mentio ab huius epiſtolae conſilio minime eſſet aliena, ſed cum eo potius quam maxime coniuncta. Quod denique hoc, de quo nunc loquitur, iter v. 2. κατὰ ἀποκάλυψιν ſe feciſſe dicit, id et ipſum cum Lucae in Actis narratione minime pugnat, ſed cum ea

praeclare potius conſpirat, atque lucem adeo ex illa nanciſcitur. Nimirum prophetas quosdam Lucas narrat Hieroſolyma veniſſe Antiochiam, horumque vnum aliquem Spiritu diuino admonitum ſignificaſſe, infignem famem in Iudaea [10]) eſſe exorituram, hancque ipſam rem occaſionem dediſſe Antiochenis eleemoſynas in vſum Chriſtianorum illic degentium colligendi, easque per Paulum et Barnabam Hieroſolymam transmittendi, ſicque aperte ἀποκάλυψιν aliquam commemorat, quae prophetae iſti διὰ τοῦ πνεύματος obtigerit. Hanc igitur eccur Paulus noſtro in loco non in animo habuerit, cum non diſerte tradat, iſtam ἀποκάλυψιν ſibi contigiſſe, ſed hoc vnum dicat, ſe Hieroſolymam κατὰ ἀποκάλυψιν abiiſſe, quod ſecundum Lucae locum iam ſic foret explicandum: *propter diuinam reuelationem*, aut, *per occaſionem diuinae reuelationis*, *auf Veranlaſſung einer göttlichen Belehrung* [11]). Id vero qua de cauſa nunc diſerte admonendum putauerit Paulus, profecto non poteſt intellectu difficile iudicari, cum cuilibet, de vniuerſi loci huius conſilio vel leuiter cogitanti, facile in oculos incurrat, id eum propterea feciſſe, vt oſtenderet, ſibimet ipſi non neceſſe viſum fuiſſe, vt Hieroſolymam nunc abiret, niſi peculiari diuini ſpiritus moderamine eo fuiſſet adductus.

Haec autem si recte omnia a nobis ſunt disputata, ſponte iam adparet, non modo de illo Pauli itinere, cuius Act. XV, mentio fit, nunc minime eſſe cogitandum,

---

10) De hac enim verba Lucae v. 28. ἐφ' ὅλην τὴν οἰκουμένην intelligenda eſſe, praeter alios in primis bene demonſtrauit *Jo. Tob. Krebsius in obſerv. in N. T. e Flauio Joſepho ad h. l.* p. 210.

11) Ita autem haec verba per vſum loquendi horum ſcriptorum vtique verti poſſe, profecto non eſt, quod multis oſtendamus, cum notiſſimum ſit, praepoſitionem hanc accuſatiuo iunctam ſaepe etiam de eo dici, quod vel alterius cauſa eſt, vel ei ſaltem efficiendo occaſionem aut materiem praebet, vt cum Deus 2 Tim. I, 9. nos per doctrinam chriſtianam ad ſalutem dicitur adduxiſſe οὐ κατὰ τὰ ἔργα ἡμῶν, ἀλλὰ κατ' ἰδίαν πρόθεσιν, aut cum Rom. IV, 4. homini merces tribui dicitur vel κατὰ χάριν vel κατὰ τὸ ὀφείλημα.

ſed multo minus etiam vel de itinere aliquo a Luca omiſſo, eoque illo, quod ſynodo Hieroſolymitanae habendae occaſionem praebuit, priore, quae *Guil. Paleyi* fuit ſententia [12]) vel, vt alii quidam ſtatuerunt [13]), de itinere multo ſerioribus adhuc temporibus adſignando cogitari poſſe. Simul vero et hoc nunc intelligitur, nihil iam obſtare, quo minus iſtam Pauli cum Petro altercationem, de qua in ſequenti Capit. noſtri parte inde a v. 11. exponitur, ſynodum iſtam Hieroſolymitanam adhuc anteceſſiſſe ſtatuamus [14]), cum haud dubie non diu poſt Pauli ex Hieroſolymitana vrbe in Antiochenam reditum [15]) locum habuerit. Id autem vt admittamus, quanquam non omnino neceſſarium eſſe videtur; multo tamen profecto probabilius eſt, Petrum id, quod hic de eo narratur, ante iſtam ſynodum, quam poſt eam feciſſe. Ecquis enim ſibi perſuadeat, eum poſt illius ſynodi, in qua ipſe praeſens fuerat, omnemque legem Moſaicam iugum

---

12) Quam in *Horis Paul.* iam laudat p. 167. ſ. verſ. germ. propoſuit. Statuit nimirum, iter iſtud, cuius Paulus h. l. mentionem faciat, illi tempori adſignandum eſſe, quod Act. XIV, 28. Antiochiae dicatur transegiſſe; ſed quam parum hoc probabile ſit, praeclare iam demonſtrauit *Henkius* in *Animadv. ſubiect. pag.* 421. ſq.

13) Inter quos nominatim pertinent *Car. Gottl. Hoffmannus*, qui in *Additam. ad Pritii Introd. in lectionem N. T. c. XXVII. §. VI. Obſerv. 4. p.* 250. *ſq.* illud Pauli iter Hieroſolymitanum huc referendum eſſe putat, quod Act. XVIII, 22. vna tantum voce ſignificauit Lucas, itemque *Whiſtonus*, qui eandem ſententiam ſecutus eſt in tabula itinerum Pauli, a *Semlero* in Prolegom. ſaepius iam laudat, repetita, p. 87. Sed vid. quae contra hanc ſententiam monuit iam *Io. Henr. Dan. Moldenhauerus in Adpend. introd. in omnes libr. canon. cum V. tum N. T. p.* 417. Tum vero huc referenda etiam eſt *Epiphanii* ſententia, qui in haer. XXVIII, de illo adeo Pauli itinere Hieroſolym. cogitauit, quod Act. XXI, 15. deſcribitur, qua tamen in re quantopere fuerit hallucinatus, ſatis iam demonſtrauit *Bened. Iuſtinianus in Explanat. Epiſt. Pauli*, *p.* 19. ſq.

14) Id quod ipſum ſtatuit iam *Sam. Basnagius Annal. polit. Eccl. Tom. I, p.* 592. ſuspicatusque etiam eſt *Paley* l. l. p. 177.

15) In hanc enim vrbem eum ex itinere illo rediiſſe, ex Act. XII, 25. et XIII, 1. conſtat.

declarauerat nemini amplius ferendum, (Act. XV, 10.) tempora, etiamnum potuiſſe tanto Chriſtianorum Iudaicorum metu teneri, vt cum Chriſtianis ex gentilibus ortis familiarius verſari cibumque cum iis ſumere dubitaret, eodemque metu Barnabam quoque, quem et ipſum nouimus ſynodo illi interfuiſſe, corripi potuiſſe, cum illius ſynodi decretum, vtriusque viri conſenſu factum, omnia alia ſuaderet? Et qui tandem fieri potuiſſet, vt Paulus huius ipſius decreti, Petro probante facti, eum non admonuiſſet? quod tamen ab eo factum eſſe, ex nullo plane eoque ne leuiſſimo quidem veſtigio adparet. Cur vero eiusdem decreti nec in omni reliqua hac epiſtola ad Galatas ſcripta vllam mentionem fecerit Paulus, quanquam eam ſerius ſcriptam eſſe omni plane dubio careat, id cum non ſit noſtri conſilii pluribus explicare, in hoc vno commemorando acquiescimus, eius rei admodum probabiles cauſas nuper a Doctiſſ. *Paleyo* [16]) nobis videri in medium fuiſſe propoſitas.

Contra vero pauca ſaltem nobis adhuc addere liceat de alia vtilitate ex hac disputatione percipienda, quae paulo maioris videtur momenti eſſe. Si nimirum hoc, de quo agimus nunc Pauli iter, illi tempori adſignandum eſt, ad quod locus Act. XI, 27. ſq. pertinet, poterit iam hoc loco cum noſtro comparando tempus, quo ad religionem Chriſtianam adductus eſt, ſi non omnino definiri, aliquo tamen modo conſtitui. Tum enim in illud tempus iter hoc incidit, quo Iudaea, imperante quidem Romae Claudio Caeſare, quem Lucas v. 28. diſerte hic commemorat, inſigni fame et annonae caritate vexata eſt, quoque mox Herodes Agrippa, vt ex Act. cap. ſeq. intelligitur, e vita disceſſit, eiusque ditio in provinciae Romanae formam iterum redacta et Cuspio Fado, Procuratoris nomine, adminiſtranda tradita eſt. Quare ſi huius vtriusque rei epocha ſecundum annos

16) L. l. pag. 168. ſq.

Christi vel V. C. constituatur, quod tamen non sine multiplici difficultate fieri poterit [17]), iamque annis hac via repertis quatuordecim anni, quorum in nostro loco mentionem iniicit Paulus, detrahantur [18]), non poterit non illius anni numerus inde prodire, quo Christianam fidem primum professus fuisse censendus est: quanquam, vt ingenue fateamur, vel sic etiam aliqua adhuc dubitatio relinquitur, cum nondum certo constet, vtrum illi tres anni, qui Gal. I, 18. commemorantur, a tempore conversionis Pauli ad Christum et in Arabiam profectione, an vero ab eius ex Arabia in vrbem Damascenam reditu sint computandi, sintque praeterea etiam anni isti 14, qui in nostro loco ponuntur, quodammodo dubii, cum eorum loco nonnulli quatuor tantum commemorari debuisse et vero etiam olim commemoratatos fuisse defendant [19]).

---

17) Quod si quis ex aliorum conatibus cognoscere cupiat, ei praeter *Krebsium* l. l. adeundi inprimis sunt *Ant. Pagius in Critic. Baron. ad an.* 42. *To. I. p.* 36. *et ad an.* 46. *p.* 58. *Nath. Lardnerus de fide hist. euangel. lib. I. c. XI*, §. 2. *To. I. p.* 435. *vers. germ.* et *Michaelis in Annotat. in version. germ. ad Act. XI*, 28.

18) Has enim quatuordecim annos non, vt in prima huius commentationis editione cum *Strothio* in *Repertor. litterat. bibl. et orient. Vol. IV, p.* 41. et *Rosenmüllero in scholiis ad h. l.* defenderam, a primi itineris Pauli Hierosolymitani Cap. I, 18. commemorati, tempore, sed ab eius ad religionem christianam conuersione esse computandos, mihi quidem iam persuasissimum est, postquam ea legi, quae, iudicium de hoc libello ferentes, praeclare super hac re disputarunt, Vir quidem doctus, in quo, nisi me omnia fallunt, *Paulum*, Theologum Ienensem, agnoscere mihi videor, in *Ephem. litter. Ienens. vniuers. an.* 1798. *Vol. IV. pag.* 319. *sq.* et *Gablerus* in *Nov. Diar. theolog. Vol. XIII. Part. II. p.* 209. *ss.* qua in re quemadmodum libenter me ab his duumviris in aliam sententiam abduci passus sum, ita vniuersam tamen sententiam a me hic defensam his aliisque viris doctis probatam fuisse, magnopere mihi sum gratulatus.

19) Qua de re inprimis videndus est *Semlerus* l. l. p. 71. et 74.

VII.

COMMENTATIO IN LOCUM EPISTOLAE AD PHILIPP. II, 5 — 11.

Cum loci nobiliſſimi epiſt. ad Philipp. II, 5 - 11. ſenſus nobis quidem in nonnullis ſaltem paulo aliter conſtituendus eſſe videatur, quam plerumque conſtitui ſolet; iuuat iam, in hunc ipſum locum paucis ita commentari, vt, miſſis cum Theologorum ſuper eo disputationibus, tum ſingulorum etiam verborum loquendique formularum illuſtrationibus, apud omnes interpretes reperiundis, in ipſam auctoris eius mentem ex hiſtoricae interpretationis [1]) legibus potiſſimum inquiramus, deque recentiorum inprimis ſingularum eius ſententiarum explicationibus noſtrum ſubinde iudicium modeſte ſubiiciamus.

Vt autem de argumento eius recte poſſit iudicari, ante omnia neceſſe erit, vt conſilium eius accuratius conſtituatur. Verſatur nimirum Paulus inde ab initio huius Capit. in eo, vt ad mutuam Philippenſes concordiam co-

Nota editoris. Duabus primum conſtitit haec commentatio particulis, quippe indicendis Ieſu nati et rediuiui ſacris ab Academia ao. 1803 celebrandis deſtinata; ſed ab ipſo b. auctore in vnius libelli formam redacta et inſerta fuit commentationum theologicarum a *D. I. Potto* editarum Vol. VII, anno 1806 publici iuris facto, vbi legitur pag. 20 – 52; vnde eam huc transferendam curauimus.

1) Quae, vt in peculiari olim libello oſtendimus, id vnum ab interprete poſtulat, vt, miſſis omnibus de vi ac pretio ſingularum ſententiarum a ſcriptore aliquo propoſitarum quaeſtionibus, ad Theologum atque Criticum illis pertinentibus, in ſcriptoris mentem ſollicite inquirat, exque hac ſola loci cuiusque ſenſum conſtituat.

hortetur. Cum vero probe ſciret, huic nihil magis obſtare, quam ſi vel rixae atque contentiones oriantur, vel vnus ſe ſuper alterum inani faſtu inflatus efferat; hanc ſtatim admonitionem v. 3. ſubiicit, vt cum contentiones, tum vanam etiam oſtentationem fugiant, atque modeſtiae potius ſtudioſi ita de ſe ſtatuant, vt alios ſe longe ſuperiores iudicent, iisque hinc lubenter ſe ſubmittant, neque ea tantum ſpectent, quae ipſorum gloria poſtulet, ſed et ea curent, quae aliis debeantur, iisque hac illaue de cauſa ſint praeſtanda. Hanc enim nos quidem, aliis quoque interpretibus praeeuntibus [2]), iudicamus v. 4. mentem eſſe [3]), quem plerique de aliorum potius commodis cum noſtris quoque iuuandis praecipere exiſtimant, neglecto tamen omni cum antecedentium

---

2) Quorum anteſignanus fere fuit *Raphelius* in *Annotationibus Herodot.* p. 546. et in *Praef.* §. 26. a cuius ſententia probanda parum abeſt *Wolfius* in *Cur. philol. et critic. ad h. l.* eodemque modo etiam *Io. Dav. Michaëlis*, quanquam olim ab hac ſententia abhorruerat, (in *Paraphr. und Anmerkungen über die Briefe Pauli an die Galater, Epheſer, Philipper, Coloſſer, Theſſalonicher, den Timotheus, Titus und Philemon. ad h. l.*) poſt tamen ab ea ſe minime alienum profeſſus eſt, dum verſioni h. l. germanicae in textum a ſe receptae hanc ſimul, noſtro tamen ſenſu non ſatis accuratam, in margine ſubiecit: *nicht bloſs das Gute, das ihr ſelbſt habt, ſondern auch das Gute anderer bemerket und ſchätzet*, eamque in annotat. ad h. l. illi diſerte praeferendam iudicauit. Neque minus aperte eiusdem explicationis patronum ſe oſtendit *Fr. Aug. Guil. Kraufius* in verſione huius epiſtol. german. (*die Briefe an die Philipper und Theſſalonicher überſetzt und mit Anmerkungen begleitet*, Freſt. a. M. 1790. 8.) p. 56. ab eademque explicandi ratione non multum etiam recedit recentiſſimus huius epiſtolae interpres, *Io. Henr. Heinrichs*, cuius commentarius in hanc epiſtolam nuperrime prodiit, editionisque N. T. Koppianae Vol. VII. Part. II, conſtituit. Sed is tamen nonnulla ſimul huic loco infert, quorum nos quidem nullum in eo veſtigium deprehendere poſſumus, moneri nimirum euangelii praecones, vt in eo promulgando τῶν ἑτέρων captusque aliorum tenuioris, non vero τῶν ἑαυτῶν, (propriae v. c. intelligentiae, eloquentiae etc.) tantum rationem habeant.

3) Nimirum τὰ ἑαυτῶν atque τὰ ἑτέρων non vnice ſunt noſtra vel aliorum commoda, ſed omnia, quae ad nos vel alios pertinent, adeoque etiam ea, quae nobis aut aliis ob dotes animiue indolem aut conditionem et munus, vel vlla alia de cauſa debentur, iureque ab aliis poſſunt poſtulari.

tum consequentium inter se nexu. Neque enim in v. antecedenti de alia, vt diximus, re disputatur, quam de superbiae super alios se efferentis eoque ipso concordiam cum iis colendam facile turbantis fuga, neque in sequenti etiam loco, in quo Iesus illius, de qua nunc dicitur, virtutis exemplum sistitur, quicquam de aliorum commodis ab eo promotis dicitur, sed, vt ipsum vocabulum ἐταπείνωσε v. 8. omnisque loci post enucleandi argumentum declarant, eius potius ταπεινοφροσύνη laudatur atque commendatur [4]).

Postquam nimirum v. 5. apostolus monuerat suos, vt eundem sensum sumant, quo Iesus fuerit animatus, hunc ipsum sensum eius his primum verbis exponit, vt eum quidem ἐν μορφῇ Θεοῦ fuisse et tamen οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσασθαι defendat τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ, in quibus verbis explicandis tantum constat inter interpretes dissensum obtinuisse, vt si quis omnes velit de illorum sensu sententias ipsorum enarrare, facile is posset integrum libellum iis recensendis explere [5]). Quod autem priora attinet, in quibus Iesum ἐν μορφῇ Θεοῦ fuisse [6]) dicit, nos qui-

4) Vnde loci huius consilium pro sectonon accurate satis assecuti sunt omnes ii, qui hoc nunc Iesu exemplo doceri contendunt, christianos non sui tantum commodi, sed communis potius omnium salutis iuuandae studio duci debere; quo quidem modo id nuperrime adhuc constituit *Stolzius* in *obseruat. vers. h. l. german.* subiectis.

5) Cuius generis libello quamdiu adhuc sumus destituti, ii potissimum adeundi erunt, qui in his variis interpretum sententiis colligendis huc vsque desudarunt; quorum in numerum praeter *Christoph. Matth. Pfaffium* in *Diss. de exinanitione et exaltatione Christi ad h. l.* Tubing. 1727. 4. atque *Wolfium* in *Cur. philol. et crit. ad h. l.* ex recentioribus referendi inprimis sunt *Theod. Io. Abr. Schützius* in Prol. qua *varias interpretationes loci classici ad Phil. II*, 6 – 11. *expendit*, Weissenf. 1776. et *Euch. Ferd. Chr. Oertelius* in *der Christolog.* p. 357. seq. itemque duumuiri illi, qui hanc epistolam perpetuo nuper commentario illustrarunt, deque sententiarum super h. l. diuersitate peculiari quisque excursu ei subiecto exposuerunt, I. E. Am Ende, atque *Io. Henr. Heinrichs* paulo ante commemoratus.

6) Quod enim *Io. Dav. Michaëlis* in *Annotatt. ad vers. h. l. germ.* de vocabulo ὑπάρχων suspicatus est, non Participium,

dem nunquam ſatis potuimus mirari, qui tandem factum fuerit, vt tanta de illorum ſenſu conſtituendo ſententiarum diuerſitas oriretur, cum non modo ipſe Paulus ſatis perſpicue declaret, quonam ſenſu ea nunc quidem accepta velit, ſed vſus etiam loquendi atque doctrinae apoſtolicae analogia ſenſum eorum ſponte quaſi ſuppeditent. Cum enim diſerte dicatur, eum, qui fuerit ἐν μορφῇ Θεοῦ, noluiſſe vti τῷ εἶναι ἴσα Θεῷ, ecquis tandem eſt, qui non intelligat, eum eadem re dici abſtinuiſſe, quae locum apud eum habuerit, hincque neceſse eſſe, vt prius illud: ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχειν, cum poſteriore εἶναι ἴσα Θεῷ eodem plane redeat? Hoc autem cum omnes concedant de ſimilitudine cum Deo intelligendum eſſe[7]), ecquis tandem dubitet, eandem prioribus etiam verbis ſignificari? Neque vero etiam vlli dubium eſſe poterit, quo iure hic ſenſus iis ſubiici poſſit, cum in oculos incurrat, eorum non alium ſenſum eſſe poſſe, quam, ſi vſitatiore formula vſus, haec ſcripſiſſet Paulus: σύμμορφος ὢν τῷ Θεῷ[8]), quae nemo, niſi conſtantis loquendi vſus prorſus ignarus, eiusue plane immemor, in alium, quam hunc ſenſum, fuiſſet acceptur: *cum Deo ſimilis eſſet.* Multo minus vero aliquam Dei ſimilitudinem Ieſu ab apoſtolo vindicari, quenquam mirari poſſe arbitramur, qui eundem aliis quoque in lo-

---

vt conſtans omnium huc vsque interpretum ſententia tulit, ſed Genitiuum potius pluralis vocabuli ὕπαρχος, *vicarius principis*, in eo eſſe agnoſcendum; id vt primum audiuerit idoneus quisque interpres, ita reiiciendum etiam iudicabit. Neque vero grauioris momenti eſſe cauſam, quae eum ad tam violentam et incommodam coniecturam in medium proferendam commouerit, ex iis, quae mox a nobis dicentur, ſponte profecto a quolibet intelligetur.

7) Illud nimirum neutrum plurale ἴσα, quod a Graecis ſaepe aduerbii loco ſolet vſurpari vbi verbis εἶναι vel γίνεσθαι iungitur, omnes norunt pro adiectiuo poni, vt dudum obſeruauit *Glaſſius* in *Phil. S.* Vol. I. p. 65. ſq. edit. Dath. praeter quem conferri etiam poterit *Car. Lud. Baueri Philolog. Thucyd. Paul.* p. 3.

8 Quo ipſo vocabulo in hac eadem epiſtola vtitur Paulus Cap. III, 21. vbi corpus hominum in vitam olim reſtituendorum dicit futurum eſſe σύμμορφον τῷ σώματι τῆς δόξης αὐτοῦ.

cis notissimis εἰκόνα τȣ̃ Θεȣ̃ τȣ̃ ἀοράτȣ (Coloss. I, 15.), itemque ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτήρα τῆς ὑποςάσεως αὐτȣ̃ (Hebr. I, 3.) adpellari meminerit. Esse autem et nunc de conditione Christi ἀσάρκȣ naturaque eius augustiore, de qua sola illa similitudo cum Deo potest praedicari vereque praedicatur, sermonem, id nos quidem tam perspicuum esse arbitramur, vt iure profecto nostro essemus miraturi, id a plerisque fere interpretibus fuisse neglectum [9]), aut diserte adeo negatum [10]), nisi eius rei causae, vel non monentibus nobis, facile possent ab vnoquoque deprehendi. Etenim in sequentibus is, qui fuerat ἐν μορφῇ Θεȣ̃, illa eius similitudine diserte dicitur abstinuisse, eiusque loco μορφὴν δούλȣ potius induisse tum, *cum homo factus esset*, (ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος,) quo quid magis perspicuum esse possit, nos quidem ingenue fatemur non videre [11]).

---

9) Fuisse tamen vtique etiam, qui de Christo ἀσάρκῳ sermonem hic esse defenderent, id, vt veterum interpretum nomina nunc taceamus, docent exempla *Bezae*, *Clarii*, *Calixti*, *Castalionis*, itemque inter recentiores *Fr. Wittingii* in *Erläuterung der Lehrart Pauli durch eine tabellarische Uebersicht des Briefes an die Philipper*, p. 35. *I. S. Semleri* in *Instituto ad doctr. christ.* p. 481. seq. *Hufnagelii* in *Handb. der bibl. Theolog.* P. II. Sect. I. p. 68. *Storrii* in *Dissert. in hanc epist.* inserta *Opusc.* eius *academ. ad interpret. libr. sacr. pertinent.* Vol. I. p. 323. atque *Oertelii* l. l. p. 365.

10) Quod factum v. c. est ab auctore *der freymüthig. Untersuch. über Jesum, den Sohn Gottes*, p. 121. seq. qui de Iesu his in terris viuente sermonem nunc esse, hinc iam putat elucere, quod Iesu Christi mentio fiat, quod quam leue sit argumentum, sponte in oculos incurrit.

11) Vnde profecto omnes illorum sententiae sua quasi sponte concidunt, qui verba ἐν μορφῇ Θεȣ̃ ὑπάρχων explicanda esse censent vel de apparitionibus Filii Dei in V. T. temporibus, vel de maiestate divina cum ipso homine communicata, vel de legatione eius diuina auxiliique a Deo ipsi praestiti donorumque div. ei concessorum documentis, vel de eius μεταμορφώσει in monte Matth. XVII. descripta, vel de illa eius sorte, qua his in terris frui potuisset atque debuisset, vel denique de conditione eius ea, qua nunc ad dextram Dei sublatus gaudeat, quam posteriorem sententiam a *Godfr. Am Ende* in Excurs. epistol. huic subiect. p. 140. nuper deten-

Quod vero hanc ſimilitudinem cum Deo ἐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσασθαι dicitur, id, quanquam, ſi quis contextus et antecedentium, in quibus de κενοδοξίᾳ fugienda ſermo erat, ſtudiumque, non ſuam tantum dignitatem tuendi, ſed et aliorum cauſa cedendi, commendabatur, rationem habuerit, facile is ſuſpicari poſſet in hunc ſenſum accipiendum eſſe, quem multi etiam vere ei tribuerunt: *eum non oſtentandam iudicaſſe quaſi praedam aliquam iſtam cum Deo ſimilitudinem;* audiendus tamen potius eſt loquendi vſus [12]), qui hunc verbis iſtis ſenſum ſubiici iubet: *eum iſtam cum Deo ſimilitudinem non iudicaſſe rem cupide arripiendam ſibique neceſſario vſurpandam* [13]). Neque vero etiam intellectu difficile eſſe poterit, hanc quoque ſententiam a contextu loci non omnino alienam eſſe. Id enim profecto et ipſum eſt hominis gloriae cupidi eiusque ſtudio dediti, dignitatem tuam ita tueri, vt eam ſemper et vbique vſurpandam eſſe cenſeas, cum contra modeſti et demiſſi ſit, ea non modo lubenter abſtinere, ſed talia etiam non recuſare, quae ei adeo aduerſentur, eique ſint contraria.

Talis igitur animi demiſſi exemplum Jeſus quidem eo exhibuiſſe dicitur, quod, quanquam eſſet Deo ſimilis,

---

ſam, ſed eandem etiam a *Gablero* in *Neueſt. theol. Journ.* Vol. III. *P. V.* p. 502. ſeq. itemque *Graenfenhainio in Animadv. in loc. noſtr.* (Lipſ. 1802. 4.) p. 15. et *Heinrichsio* l. l. p. 128. acuratius iam excuſſam atque improbatam, praeiuiſſe ipſi videtur *Io. Dav. Michaëlis* in *Animadverſſ. ad verſ. germ.* p. 10.

12) Quem, quicquid ad eum confirmandum disputauerit *Caſaubonus* in *Diatr. de verborum vſu et accuratae eorum cognitionis vtilitate*, p. 110. ſeq. in *Analect. philolog. crit. hiſtor. Th. Crenii*, illi explicationi vtique aduerſari, agnouit ipſe *Niemeyerus*, qui eam nihilominus ſequendam iudicauit, in *Comment. in loc. noſtr.* Hal. 1793. emiſſa, p. 9. ſeq.

13) Hoc enim ſenſu hanc et cognatas formulas vtique dici, abunde cognoſci poterit ex locis veterum iis, quae praeter *Clericum* in *Nott. ad Hammond.* in medium protulit *Weiſtenius* ad h. l. cum quibus tamen conferri etiam merentur, quae ad eandem illarum ſignificationem vindicandam obſeruarunt nuper *Storrius* l. l. p. 323. et *Gilb. Wakefield* in *Silv. critic.* P. III. p. 112. ſeq.

tamen ἑαυτὸν ἐκένωσε; in quo vocabulo interpretando inter omnes notissimum est, quantopere olim nugati fuerint Theologi, vulgari verbi κενοῦν significationi inhaerentes inque omnem eam partem vertentes [14]), quanquam contextu loci vel leuiter inspecto inque consilium vocato facile potuissent cognoscere, idem in hoc vocabulo nunc inesse debere, quam quod in sequenti commate vocabulo ἐταπείνωσεν ἑαυτὸν significatur [15]), iamque, consulto hebraico huius verbi vsu [16]), haud difficulter fuissent intellecturi, id sic potius nunc vertendum esse: *humilem se gessit*, aut, *ad tenuem se conditionem demisit.* Quaenam vero fuerit ista humilis eius ac tenuis conditio, apertius iam ab ipso scriptore declaratur additis his: μορφὴν δούλου λαβών, in quibus verbis explicandis simili fere modo iterum a vera via aberrarunt interpretes eo, quod de δούλου graeco magis, (ex quo de seruo, qui proprie apud veteres dicebatur, solet vsurpari,) quam hebraico vsu cogitarunt, (ex quo omnino ministrum alterius indicat, qui vlla in re mandatum eius exequitur,) hincque, neglecto omni loc. ntextu, varia conditionis eius seruilis documenta commemorarunt [17]), quorum profecto nullam plane rationem nunc habuit Paulus. Neque minus et hoc diligentius quaerere neglexerunt, cuiusnam ministrum et in quanam re ex mente Pauli se gesserit. Declarauit autem hoc in sequenti commate eo, quod eum ibi dicit ὑπήκοον γενό-

---

14) Quas nugas iure suo notauit meritoque perstrinxit *Car. Chr. Tittmannus* in *Diss. de noxis ex inscitia linguarum doctrin. christ. illatis*, inserta nuper *Opuscul.* Viri meritissimi *Theolog.* p. 642. seq.

15) Haec duo enim vocabula nunc synonyma esse, omnis reliquus loci contextus in sequentibus pluribus a nobis enucleandus, admodum perspicue declarat; estque etiam ab *Heinrichsio* aliisque pluribus recte iam obseruatum.

16) De quo praeter alios inprimis videndi sunt *Niemeyerus* l. l. p. 11. et *Tittmannus* l. l.

17) Quod ab ipso quoque *Niemeyero* l. l. p. 12. factum esse, profecto miramur.

μενον, et quidem μέχρι θανάτȣ. Nam ſi quis alteri obedit eiusque mandata exequitur, profecto miniſtrum eius agit. Cuinam autem obedientiam illam praeſtiterit, nemini vel tantillum dubium eſſe poterit, qui, vbi de ὑπακοῇ Chriſti in libris N. T. ſermo ſit, eam conſtanter ad Deum patrem referri, inque eo poni meminerit, quod demandatum ſibi ab eo opus iuxta eius voluntatem et ad illum plane, quo is ab eo id expleri voluerit, modum adminiſtrauerit, nominatimque mortem quoque ſubierit [18]), id quod et nunc tanquam grauiſſimum obedientiae illius documentum [19]) ſeparatim a Paulo commemoratur [20]).

Secundum haec vero facile iam iudicari poterit, quaenam non modo vniuerſi loci huius ſumma ſit, ſed quanam etiam ex parte illam cum Deo ſimilitudinem, quam Ieſu tribuerat Paulus, nunc quidem potiſſimum ſpectauerit. Voluit nimirum haud dubie hoc a lectoribus ſuis nunc cogitari, eum, qui Deo ſimilis fuerit, pro-

---

18) Quam obedientiae ab eo praeſtitae notionem pluribus expoſuit ac ſecundum omnes partes ſuas diligentiſſime persecutus eſt *Morus* in notiſſima lectuque digniſſima *Commentat. de Chriſto demandatum ſibi a patre duplex negotium exſequente cum virtute, et hactenus patri obediente*, inſerta *Diſſertatt.* eius *theolog. et philol.* Vol. I p. 308. ſeq. Ibi vero p. 313 ſq. praeclare ſimul ab eo eſt demonſtratum, Ieſum huius ipſius obedientiae patri praeſtitae ratione habita δοῦλον eius in hoc noſtro loco adpellari, qua in re, quod laeti animaduertimus, plauſum etiam tulit Venerandi Collegae noſtri, aliter olim ſtatuentis, *Io. Geo. Roſenmülleri* in *Schol. in N. T.* To. IV. p. 364. edit. quartae.

19) Quare reliqua eiusdem obedientiae documenta nunc a lectoribus ſuis minime neglecta, ſed cogitando potius et ipſa expenſa voluit, ſatis habens, eorum praecipuum atque moleſtiſſimum commemoraſſe, moleſtiaeque eius cogitationi ignominiae ſimul cum ea coniunctae mentionem adieciſſe, de qua eum verbis extremis θανάτȣ δὲ ςαυρȣ̃ addendis cogitaſſe, vix poterit a quoquam in dubium vocari.

20) Quare et hic non potuerunt non a vera ſcriptoris mente aberrare ii, qui de obedientia Ieſu erga homines, nominatimque magiſtratum Romanum in mortis potiſſimum ſupplicio ſubeundo declarata cogitarunt, quos inter denuo nuper nomen ſuum profeſſus eſt *Krauſius* in *Obſeruatt. verſ. germ.* ſubiunctis.

pter hanc ipſam ſimilitudinem eandem cum illo dignitatem potuiſſe poſtulare, neque opus habuiſſe, vt ei ſe ſubmitteret, eiusque ſe miniſtrum gereret; inque hac ipſa re omnis iam loci huius cardo vertitur, vt doceatur, Ieſum luculentiſſimum τῆς ταπεινοφροσύνης, qua ἀλλήλους ἡγούμεθα ὑπερέχοντας ἑαυτῶν exemplum eo exhibuiſſe, quod cum patri ſuo ſimilis fuerit, hincque ſui non modo arbitrii eſſe, ſed eadem etiam cum illo dignitate gaudere debuiſſet; tamen ita ſe infra illam dignitatem ſuam demiſerit, vt ei ſe poſtponeret, eiusque ſe miniſtrum gereret[21]), et, vt talis, ignominioſiſſimum adeo et a ſua dignitate longiſſime abhorrens mortis genus ſubiret.

Quod autem hoc feciſſe dicitur ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος, quod noſtro quidem ſenſu nihil aliud ſibi vult, niſi hoc: *hominum ſimilis redditus eo, quod et ipſe homo factus humanam formam induit*[22]); in eo nos quidem non adnoſcimus illius ταπεινοφροσύνης, quae nunc in eo laudatur, documentum, ſed eius

---

21) Quam primariam loci ſententiam pauciſſimi tantum inter interpretes fuerunt, qui non dicam aſſequerentur, ſed aliquo ſaltem modo ſubodorarentur, quos inter nominatim referendus eſt *Caſtalio*, qui haec ad locum hunc obſeruat: *Cum Chriſtus, antequam factus homo eſt, eſſet Deus, aequalisque Deo, eandem cum Deo vitam ageret, non retinuit eam cum Deo aequalitatem tenaciter, vt faciunt rapaces, qui nihil ſibi detrahi patiuntur, ſed ſua ſponte factus eſt* Deo minor, *ſeruilemque hominis formam ſumſit;* itemque *Morus*, in cuius *Commentar. exeget. hiſtor. in Theolog. chriſt. epitom.* To. II. p. 25. haec leguntur: *Philipp. II, 5. dicitur ἴσος θεῷ*, aequalis Deo, *additur: tamen* poſtpoſuit ſe Deo, *voluit vnus noſtrum eſſe, obediuit Deo, vt mortem adeo ſuſciperet, Deo ſic volente.*

22) Neque enim hic haerendum eſt in verbis ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων indeque hoc cum Docetis, primaeuae eccleſiae haereticis, exſculpendum, eum hominum tantum ſimilitudinem aliquam habuiſſe, non vero natura humana vere fuiſſe gauiſum, cum aperte hoc potius tradatur, eum hoc ipſo, quod homo factus fuerit, reliquis hominibus ſimilem plane redditum eſſe, quanquam ante ἐν μορφῇ Θεοῦ fuerit. Simili modo in Epiſt. etiam ad Hebr. II, 17. eo dicitur ὁμοιωθῆναι τοῖς ἀδελφοῖς, quod, vt ante dictum fuerat v. 14. καὶ αὐτὸς μετέσχε τῆς σαρκὸς καὶ αἵματος, eodemque modo ad Rom. VIII, 3. Deus ipſum miſiſſe dicitur ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἁμαρτίας, *in corpore ſimili ei, quo homines ſoleant peccare.*

neceſſariam potius conditionem. Si nimirum Ieſus miniſtri diuini perſonam in ſe volebat ſuscipere, et tanquam talis omnia ea exequi, quae pater ipſi exequenda demandauerat, quaeque non modo docendi homines, ſed in eorum quoque ſalutem moriendi prouinciam ei imponebant, neceſſe profecto erat, vt humanam naturam indueret, cum ab auguſtiore eius natura haec nullo modo perſici poſſent. Eodem vero conſilio in proximo etiam commate, quod nos quidem cum antecedenti eandem plane ſententiam aliis modo verbis enunciatam exprimere iudicamus[23]), hoc adiicitur, eum, quum ſe infra dignitatem ſuam demitteret, eſſetque ὑπήκοος τῷ θεῷ, fuiſſe σχήματι ἑυρεθέντα ὡς ἄνθρωπον, quoniam haec obedientia non poterat ab eo praeſtari, niſi homo eſſet, quod ipſum his verbis vnice tradi exiſtimamus, neque ipſo etiam loquendi vſu repugnante defendi poſſe ſtatuimus[24]).

---

23) In oculos nimirum incurrit, quod a pluribus iam ante nos interpretibus eſt animaduerſum, easdem plane ſententias, quae v. 7. iam fuerant propoſitae, inuerſo tamen ordine denuo a ſcriptore exponi. Illis nimirum: ἑαυτὸν ἐκένωσε hoc iam reſpondet: ἐταπείνωσεν ἑαυτὸν; proximis vero μορφὴν δέλε λαβὼν, haec tanquam ſynonyma ſubiiciuntur: γενόμενος ὑπήκοος μέχρι θανάτε, θανάτε δὲ ςαυρȣ̃, et vltima denique v. 7. ſententia: ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος iterum ſtatim ab Apoſtolo aſſumitur, bisque ab eo verbis enunciatur: σχήματι ἑυρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος. Hinc vero vel non monentibus nobis intelligitur, haec ipſa verba poſteriora non cum antecedentibus: ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος nectenda, ſed praeeunte verſione Aethiopica ad ſequentia potius: ἐταπείνωσεν ἑαυτὸν referenda eſſe, ita, vt particula καὶ, quod a pluribus iam interpretibus eſt obſeruatum, verba finita: ἐκένωσε et ἐταπείνωσεν non vero participia γενόμενος et ἑυρεθεὶς iungat. Tum vero v. 8. non cum verbo ἐταπείνωσεν demum, ſed, vt factum iam eſt in editione *Reineccii*, *Bengelii*, *Matthaei* et *Knappii*, cum illis potius: καὶ σχήματι ἑυρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος incipiendus erit, minime vero punctum poſt haec verba, vt in editione *Am Endiana* factum deprehendimus, ponendum.

24) Vocabulum nimirum σχῆμα non tantum habitum atque formam externam, ſed quamcunque etiam ſimilitudinem exprimit, quae cuivis rei aut perſonae cum altera intercedit, hincque, vt recte iam obſeruauit *Am Ende*, ſynonymum nunc eſt voce ὁμοίωμα et μορφή. Ἑυρίσκεσθαι autem ſaepe poni pro γίνεσθαι praeter *Gataker*um ad Antonin. IX, 9. pluribus veterum ſcriptorum ex

Huius ipsius vero obedientiae suae submissionisque ea praestanda declaratae insigne iam in reliqua loci parte praemium tulisse dicitur. Hanc autem facile adparet, non alio consilio ab Apostolo superioribus fuisse subiectam, nisi hoc, vt praemio isto commemorando hanc in lectorum suorum animis spem excitaret, fore, vt si hoc ταπεινοφροσύνης exemplum, quod Iesus iis praeiuisset, fuerint imitati, simile virtutis praemium sint reportaturi. Cum enim nunc non in dogmatico aliquo argumento ex professo, vt aiunt, tractando[25]), sed illo ipso potius τῆς ταπεινοφροσύνης officio commendando versaretur Paulus, plane non adpareret, qua tandem de causa totum locum adiecisset, nisi hoc, quod diximus, consilium[26]) eius fuisse statuamus[27]).

---

emplis confirmauit *Suicerus* in *Thes. eccles.* To. II. p. 1264. cui addendus etiam est *Loesnerus* in *Obseruatt. Philon. in N. T.* p. 274. sq. Particulam autem ὡς ex vsu hebraici כ non semper similitudinis, sed saepe etiam veritatis notam esse, vt dudum obseruatum est *Glassio* in *Philolog. Sacr.* Vol. I. p. 434. sq. edit. Dath., ita id hoc etiam in loco esse admittendum, vix admonitione nostra indiget.

25) Quod si diligentius pensitassent Theologi, non fuissent tot miras et abstrusas sententias ex h. l. repetituri, quam in loco de exinanitione atque exaltatione Christi, quem vnice fere huic dicto Paulino inaedificarunt, vtique proposuisse reperiuntur, sed intellecturi potius fuissent, in tali loco, in quo fidei aliquod caput ad officium illustrandum atque commendandum transfertur, non nisi ea commemorari posse ac debere, quae non possint non omnibus lectoribus dudum nota esse.

26) Quod loci consilium cum post alios plures optime etiam assecutus fuerit *Heinrichs* in *Annott. ad h. l.* intellectu sane est difficile, cur tamen haec omnia, quae inde a. v. 9. vsque ad v. 11. leguntur, non nisi loci amplificandi causa addita esse statuat.

27) Simili modo in epist. etiam ad Hebr. XII, 2. postquam dixerat auctor, Iesum, fiducia in Deum ductum, ignominiosissimum crucis supplicium sustinuisse, statim praemii, quod ex ea re retulerit, mentionem subiicit, dum eum ἐν δεξιᾷ τοῦ θρόνου τοῦ Θεοῦ sedere defendit, non alia profecto de causa, nisi hac, vt praemio hoc commemorando lectoribus quoque, quos ab initio versus in hunc τῆς πίστεως ἀρχηγὸν καὶ τελειωτὴν inspicere eiusque exemplumi mitari monuerat, similis praemii, exempli eius imitatione reportandi, spem faceret.

Quae cum ita ſint, vel non monentibus nobis intelligitur, particulam διὸ, quae v. 9. occurrit, cauſalem nunc eſſe iudicandam[28]), adeoque illius Ieſu erga patrem obedientiae, cuius mentionem modo fecerat Paulus, iam effectum aliquem in eo, qui ſequitur nunc, loco deſcribi, hincque omnem profecto huius loci nexum atque conſilium neglexiſſe cenſendos eſſe illos interpretes, qui particulam hanc conſecutiuam hic eſſe defenderent, verterentque eam per *ex quo*, vel, *quo facto*. Accedit tamen et hoc, idem, quod nunc obedientiae illius conſequens fuiſſe dicitur, in aliis quoque ſcripturae locis, quorum commemorandorum paulo poſt occaſio erit, aperte tanquam praemium, quod ipſe Ieſus ſibi parauerit, deſcribi.

Hoc nimirum obedientiae Deo praeſtitae conſequens fuiſſe tradit Paulus, vt ad inſignem ab illo dignitatem eucheretur is, qui infra ſuam ſe dignitatem ante demiſerat. Haec enim vis eſt verbi ὑπερύψωσε, quod aperte nunc opponitur praecedentibus vocabulis: ἐκένωσε atque ἐταπείνωσεν ἑαυτὸν. Neque profecto alius huius ταπεινώσεως exſpectari poterat effectus, niſi hic, vt ὕψωσις eam ſequeretur, cum quippe Deus plerumque ſoleat τοὺς ταπεινὲς ὑψῶν (Luc. I, 52. 1 Petr. V, 6.). Eſſe autem hanc Ieſu ὑπερύψωσιν ad dignitatem, minime vero, vt multi voluerunt, ad meliorem conditionem, ipſi conceſſam, referendam, docent proxime ſequentia; ἐχαρίσατο αὐτῷ ὄνομα τὸ ὑπὲρ πᾶν ὄνομα. Haec enim de inſigni dignitate, qua ipſum ornauerit pa-

---

28) Quod vidit iam Vulgatus Interpres, qui eam ſic vertit: *propter quod*, agnouitque praeter alios multos *Bengelius* etiam, qui in *Gnom. ad h. l.* non modo id ipſum monet διὸ per *propterea* nunc vertendum eſſe, Ieſuque exaltationem pro iuſtiſſimo exinanitionis praemio habendam ſed ſimul etiam haec acute obſeruat: *Eos quoque, qui ſe Chriſti exemplo humiliant, exaltatum iri, eleganter ſubaudiendum relinquit Paulus, imo exprimit.* Cap. III, 21.

ter, intelligenda esse, ab optimo quoque interprete [29]) agnoscitur, nec possunt etiam per loquendi vsum alia de re intelligi. Neque vero etiam obscurum esse potest, de quanam dignitate nunc cogitauerit Paulus, cum in v. 11. diserte dicat, omnes iam agnoscere atque profiteri debere, ὅτι Κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς, *Iesum Christum dominum esse.* Sic enim verba haec vtique vertenda atque explicanda esse, omnis eorum forma ac structura aperte declarant [30]).

In hoc ipso autem Christi dominio omnino cerni dignitatem illi a Patre concessam, aliis etiam cum eiusdem Pauli, tum aliorum quoque scriptorum sacrorum locis confirmatur, in quibus non modo id ipsum traditur, eum post exantlatas multas et maximas molestias atque miserias superatumque mortis supplicium ad domini dignitatem a Deo fuisse euectum, sed et hoc simul monetur, eum hanc ipsam dignitatem sibi per miserias illas ac mortem promeruisse, eamque adeo praemii loco illi fuisse decretam atque tributam; ad quorum locorum genus prius inprimis pertinent: Act. II, 36. Rom. XIV, 9. Ephes. I, 20. 21. 1 Petr. III, 22. In posterioris autem generis locis primum duo potissimum epist. ad Hebr. loca ponenda sunt, in quorum altero Cap. II, 9. insigni gloria et maiestate ornatus esse dicitur, διὰ τὸ παθημα τοῦ θανάτου, *propter mortem, quam perpessus fuerat*, hincque v. seq. διὰ παθημάτων τελειωθεὶς, h. e. ad felicitatis metam perductus [31]), adpellatur, in altero autem Cap. XII, 2. in hac ipsa morte sustinenda pro-

---

29) Quo elogio profecto indigni sunt iudicandi, qui in vulgari vocabuli ὄνομα significatione haerentes, de *nomine* aliquo Iesu indito cogitarunt, iamque nunc hoc, nunc illud commemorarunt.

30) Qua de re videnda inprimis, quae ad h. l. obseruauit *Heinrichs.*

31) De quo vocabuli huius sensu inprimis conferendus est *Marus* in *Dissertat. theol.* Vol. I. p. 302.

missam sibi praemii loco felicitatem aperte dicitur respexisse [32]). Tum vero huc etiam pertinet locus Io. XVII, 1 - 5. in quo ipse Iesus hanc eandem Domini omnium dignitatem, in suorum salutem dudum sibi a patre destinatam (v. 2.) peracto munere his in terris sibi ab illi demandato, vere sibi ab eo expetit, eoque ipso haud obscure declarat, se praemio isto, expleta eius adipiscendi conditione, nunc vtique esse afficiendum [33]).

Dominus igitur cum a Deo iam sit constitutus, primum haud dubie eorum, in quos dominium nactus est, officium erit, vt eum dominum suum agnoscant atque profiteantur; idque ipsum est, quod Paulus vocabulo ἐξομολογεῖσθαι nunc videtur significare voluisse [34]).

---

32) In hunc enim sensum verba illa: ἀντὶ τῆς προκειμένης αὐτῷ χαρᾶς ὑπέμεινε σταυρὸν nunc vtique accipienda esse, probe post *Morum* nostrum intellexit *Storrius* in *Commentar. ad h. l.* vbi ea optime vertit sic: *der in Hinsicht auf die ihm versprochene Seligkeit sich, ohne auf die Beschimpfung zu achten, dem Kreuzestode unterworfen hat;* estque profecto mirandum, hunc sensum, qui vniuersi loci contextui atque consilio tam exacte respondet (cf. not. 2.), tamen fuisse a recentioribus interpretibus, nominatim *Hezelio*, *Carpzouio* atque *Heinrichsio*, iterum derelictum et vulgari olim horum verborum explicationi, loquendi quidem vsui minime repugnanti, sed a contextu tamen loci parum aut nihil adiutae, posthabitum.

33) Nihil vero offensionis id habere, si ipse etiam Iesus morte sustinenda ac vniuersa obedientia patri praestita sibi aliquid dicatur promeruisse, id, quanquam olim multis fuerit dubium atque controuersum, (qua de re conferri poterit *Io. Frid. Cottae Dissert. de statibus et officio Christi mediator.* inserta *Gerhardi LL. theolog.* ab illo editis, Vol. IV. §. 40. p. 79. sq.) praeter alios praeclare demonstrauit *Storrius* in *commentat. de consilio mortis Christi*, subiuncta ipsius *Commentar. in epist. ad Hebr.* §. 18. p. 663. sq. vbi idem vir doctus acute etiam ostendit, quo modo ea in re praemium aliquod a Iesu potuerit agnosci.

34) Saltem non potest huic vocabulo *laudandi* notio nunc subiici, de qua cogitasse videtur *Heinrichs*, dum mentem h. vers. his verbis exprimeret: *huic genuum flexioni iungantur etiam laudes et praeconia.* Nam vbi haec notio obtinet, semper additur datiuus personae, qui et in versione τῶν ὁ loci Ies. XLV, 23. additus deprehenditur, cuius loci verbis quanquam nunc vtique vsus est Paulus, tamen eum non ita respexit, vt in epist. ad Rom. XIV, 11. factum esse legitur; id quod vel ex hac ipsa construendi huius vocabuli rationis diuersitate agnoscitur.

Neque tamen verbis tantum (πᾶσα γλῶσσα) hoc, agnoſci Ieſum a ſe dominum ſuum, ſed ipſo etiam facto debent declarare, eoque nominatim hoc, vt eum tanquam talem colant atque venerentur. Hinc enim, nec alio conſilio, id ipſum huic agnitioni dominii eius a Paulo praemittitur [35]), debere eum [36]) tanquam dominum coli et adorari. Hanc enim vniuerſam cultus notionem formulae γόνυ κάμπτειν ſubiiciendam eſſe, ab antiquiſſimis iam interpretibus [37]) commode eſt obſeruatum.

Quinam vero eum tanquam dominum ſuum tali cultu proſequi debeant, ſignificatur iam verbis ἐπουρανίων καὶ ἐπιγείων καὶ καταχθονίων, quae miris mo-

---

35) Atque ob hunc ipſum arctiſſimum vtriusque verſus nexum nobis quoque vulgaris lectio in verbo: ἐξομολογήσηται, alteri, qua futurum potius exhibetur, ἐξομολογήσεται, quamque miramur ab *Heinrichsio* filentio prorſus fuiſſe praetermiſſam, multum videtur praeferenda eſſe.

36) Quo quidem pronomine facillime nos exprimi poſſe arbitrati ſumus verba a Paulo hic vſurpata: ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ, in quibus quemadmodum vocabulum ὄνομα ex ſcriptorum N. T. vſu admodum frequenti aperte redundat, ita etiam praepoſitionem ἐν tanquam notam datiui ex Hebraeorum more putamus abundare, de quo eius vſu conferri poterit *Lexici N. T. Schleusneriani* T. I. p. 702. edit. primae. Niſi forſitan hanc praepoſitionem per *propter* vertere nunc malueris, vocabulumque ὄνομα de eadem dignitate interpretari, de qua modo v. anteced. dictum fuerat, vt ſenſus hic ſit: *vt propter hanc ipſam dignitatem Ieſu conceſſam eum adorent.* Quamcunque vero rationem ſecutus fueris hoc ſaltem quilibet concedere debebit, ſermonem nunc eſſe de cultu aliquo Ieſu, tanquam domino, exhibendo. Id enim aperte poſtulat proximus verſus arctiſſimusque eius cum praeſenti nexus paulo ante a nobis declaratus. Quare minime profecto probari poterit *Telleri* ſententia, in *Magazin für Prediger*, Vol. VIII. Part. I. nuper propoſita, ex qua de cultu in honorem Patris *ex mandato Ieſu*, tanquam domini, (id nimirum verba: ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ ſibi nunc velle defendit,) praeſtando cogitandum hic eſſe ſtatuit. Verum non opus eſt, vt plura contra eam disputemus, cum ſatis iam excuſſa ſit a *Gablero* in *Diar. theolog.* Vol. XVII. Part. VI. p. 598, qui vtique nunc eſt conferendus.

37) In quorum numerum referendi v. c. ſunt *Chryſoſtomus* atque *Theophylactus*, quorum loca ad hunc ipſum loc. attulit *Frid. Aug. Guil. Krauſius* in *verſ. hui. epiſt. german.* pag. 64.

dis ab interpretibus ſunt vexata, inque multiplicem ſenſum tracta, quanquam, ſi vſus loquendi ſcriptorum ſacrorum, opinionumque, quas illi ſecuti ſunt, ſatis memores fuiſſent, facile potuiſſet verus eorum ſenſus reperiri, eſtque etiam ab interpretibus antiquioribus, qui nullam de artificioſiore eorum explicatione cogitandi cauſam haberent, aeque ac recentiorum permultis dudum repertus. Hebraei nimirum cum omnibus fere gentibus antiquioribus, quarum cognitio nondum vltra ea, quae in ſenſus cadunt, fuerat progreſſa, omnium rerum creatarum ambitum deſcribere ſolebant ſic, vt coelum, terram atque loca ſubterranea et omnia, quae in iis ſint, commemorarent; id quod vel ex his, quae ex multis exempli cauſa nunc iuuat commemorare, locis abunde poterit intelligi: Exod. XX, 4. Deut. IV, 17. 18. V, 8. Pſ. XCVI, 11. CXLVI, 6. Ezech. XXXVIII, 20. Eundem igitur dicendi morem non mirum eſt, etiam N. T. ſcriptores ſequi, cuius rei praeter Act. IV, 24. et alia loca, inprimis exemplo eſt locus Apoc. V, 13. in quo commemoratur πᾶν κτίσμα, ὅ ἐςιν ἐν τῷ ὐρανῷ καὶ ἐν τῇ γῇ καὶ ὑπκάτω τῆς γῆς καὶ ἐπὶ τῆς θαλάσσης, καὶ τὰ ἐν αὐτοῖς πάντα. Hinc igitur nec Paulus, cum vellet nunc omnium locorum incolas ſignificare, commodiore formula vti poterat, niſi hac, qua vere vſus eſſe deprehenditur, vt commemoraret ἐπεραν ίες καὶ ἐπιγείες καὶ καταχθονίες. Neque vero etiam obſcurum eſſe poterit, de quibusnam in quolibet vocabulo nominatim cogitauerit, ſi modo meminerimus, a quibusnam coelum et terram et loca ſubterranea inhabitari ſcriptores N. T. cum Iudaeis tum ſtatuerint, ſimulque ea eorundem ſcriptorum loca conſuluerimus, in quibus diſerta eorum, qui Chriſto Domino ſubſint, mentio iniicitur. Quemadmodum nimirum in terra homines, ita in coelo angelos, apud inferos autem vel in אל (ᾅδῃ) mortuos propriam quaſi ſedem habere exiſtimarunt. De his autem omni-

bus Paulum nunc vtique potuiſſe cogitare, vereque haud dubie cogitaſſe, ex iis librorum N. T. locis intelligitur, in quibus non modo angeli, ſed et homines, iique cum viuentes tum mortui, Chriſto, tanquam Domino, dicuntur ſubiecti eſſe, quales, vt taceamus nunc locum Eph. I, 21., leguntur e. c. 1 Petr. III, 22. et Rom. XIV, 9. Quae cum ita ſint, non mirum profecto eſt, de iisdem angelis hominibusque viuis ac mortuis verba haec dudum, vt diximus, explicata fuiſſe ab interpretibus cum antiquioribus [38]), tum recentioribus. Attamen inter poſteriores non pauci quoque extiterunt, qui hanc interpretationem, licet a loquendi non minus vſu, quam locis parallelis tam apertam haberet commendationem, tamen deſererent aliamque ſequerentur. Inter hos autem omnium maxime referendi ſunt ii, qui verbis illis ἐπουρανίων καὶ ἐπιγείων καὶ καταχθονίων *omnes omnino* ſignificari ſtatuerunt. Hi enim veriſſime ſane monuerunt, voluiſſe Paulum vniuerſam *omnium, quotquot ſint*, notionem in lectorum animis excitare, dum per μερισμὸν eam declararet. Hoc enim vtique conſilium eius fuiſſe, eumque adeo tribus illis commemorandis omnes naturas ratione praeditas, quae in vniuerſo rerum creatarum ambitu reperiantur, ſignificare voluiſſe [39]), in oculos profecto ſponte incurrit. At in eo tamen a vero illi aberrarunt, quod vel plane nollent accuratius definiri, de quibusnam nunc nominatim ſit cogitandum, ſed vnam vniuerſitatis rerum creatarum notionem tene-

---

38) Inter quos praeter *Chryſoſtomum* a multis iam ad h. l. laudatum referendus etiam eſt ignotus Scholiaſtes, cuius haec verba ad h. l. exhibet *Matthaei* in edit. N. T. maiore: ἐπουρανίους, τὰς ἀοράτους δυνάμεις, ἐπιγείους, τοὺς ἔτι ζῶντας ἀνθρώπους, καταχθονίους, τοὺς τεθνεῶτας ἤ τοὺς δαίμονας.

39) Quod conſilium eius bene agnouit *Euch. Ferd. Chriſt. Oertel* in *Chriſtolog.* p. 393. neque fugit etiam *Graefenhainium*, qui in *Diſſertat. ad h. l.* p. 14. ab eo admittendo parum alienum ſe profeſſus eſt.

ri[40]), vel etiam ſolos homines eorumque vniuerſam multitudinem nunc ſignificari contenderent[41]). Prius enim conſtans omnium ſcriptorum in vniuerſo aliquo genere per μερισμὸν ſignificando mos reſpuit, cum omnes ea in re ita verſari reperiantur, vt ſingulas ſpecies commemorent, quae generi illi ſubſint, idque totum quaſi exhauriant (cf. Gal. III, 28. Rom. VIII, 38. 39.), hincque in quolibet etiam vocabulo definitam aliquam ſpeciem velint cogitari. Poſterius autem, niſi maximam velimus verbis vim inferre, nullo modo poterit admitti. Ecquis enim coeli atque terrae incolas et apud inferos verſantes commemorari audiens, de ſolis hominibus cogitandum eſſe ſibi perſuadeat? Quanquam vero inter huius ſententiae defenſores fuerint etiam, qui diuerſum aliquod hominum genus quolibet vocabulo ſignificari defenderent; tamen nec hi ea in re definienda ſatis felices fuerunt. Vel enim de hominibus nobilioris, mediocris atque infimae ſortis[42]), vel de hominibus vita iam defunctis, adhuc viuentibus, et naſcendis demum[43]), Paulum cogitaſſe ſtatuerunt. Verum quemadmodum, quod priorem ſententiam attinet, vix poterit conſentiente loquendi vſu doceri, vocabulis ἐπουρανίων atque ἐπιγείων et καταχθονίων homines ſupremae, mediocris et infimae ſortis ſignificari[44]): ita ſi vel maxime,

---

40) Quae ſententia probata v. c, *Niemeyero* in *Commentat. in h. l.* (Hal. 1793. 4.) p. 10 itemque *Gablero* in *Diar. theolog.* Vol, XIV. Part. VI. p. 619. et *Heinrichsio* in *Annott. ad h. l.*

41) In quam ſententiam magis inclinare videtur *Graefenhainius* l. l.

42) Quae nominatim eſt *Telleri* ſententia in *Gloſſar. N. T.* ſub voc. *Anbeten* p. 12. ſq. edit. III. propoſita.

43) Quam ſententiam *Stolzius* defendit in *Erläuter. zum N. T.* Part. IV. p. 202. ſq.

44) Id quod iure ſuo in dubium iam vocauit *Geo. Henr. Langius* in *Commentar. in Gloſſar. N. T. Tellerian.* (*Zur Beförder. des nützlichen Gebrauches des W. A. Telleriſch. Wörterb. des N. T.*) Vol. I. p. 30.

quoad posteriorem, concedi posset, vocabulo ἐπουρανίων homines vita defunctos inque coelo versantes designari, nullo tamen modo ostendi poterit, in vocabulo καταχθονίων de hominibus nondum natis posse cogitari. Quanquam enim ad hanc explicationem confirmandam vel peculiaris aliquis Hebraeorum loquendi vsus, ex quo vterus matris tanquam locus subterraneus describi soleat [45]), fuerit commemoratus, vel illa eorundem Hebraeorum opinio laudata, qua animos hominum, antequam corporibus immittantur, sub terra inque Orco latere statuerint [46]); tamen, cum iste [47]) non minus, quam haec [48]) efficta sit, nulloque idoneo testimonio innixa, facile intelligitur, quantum vtrique argumento sit tribuendum. Multo minus vero probari poterit illorum sententia, qui verba ista ἐπουρανίων, ἐπιγείων et καταχθονίων, vt taceamus nunc alias quasdam eorum explicationes commemoratione prorsus indignas [49]), vel de Diis gentilium caelestibus, terrestribus atque inferis [50]), vel de Christianis, Iudaeis, gentibusque profanis [51]), vel denique de hominibus doctrina atque eruditione excultis,

---

45) Quem quidem loquendi vsum in huius explicationis defensionem nominatim commemorauit *Stolzius* l. l.

46) Cui opinioni innixus est Censor anonymus in *Ephemer. litter. vniuers.* ao. 1791. Sc. 167. p. 532.

47) Qua de re videnda inprimis, quae disputauit *Koppius* in Nott. ad Ephes. IV, 9. p. 85. sq. edit. secundae.

48) Quod ipsi paucis nuper ostendimus in *Comment. XI. de doctoribus veter. eccles. culpa corruptae per Platonic. sententias Theologiae liberandis*, p. 5. sq.

49) Quarum nonnullas breuiter recensuit *Heumannus* in *Annotatt. ad N. T.* Vol. VIII. p. 200.

50) Quos hoc consilio a Paulo nunc commemoratos fuisse statuit *Io. Goth. Lackemacherus* in *Obseruatt. philol.* Part. VIII. p. 176. sq. vt singulos Christo longe inferiores esse ostenderet, eosque, si existere illos concedatur, summae reuerentiae signa illi oportere exhibere doceret.

51) Quos vocabulis istis nunc significari peculiari commentatione planum facere studuit *P. H. Hanius* in *Schrifterklär.* Vol. I. p. 157. sq.

hocque cultu deſtitutis et prorſus ignorantibus [52]), explicanda eſſe cenſuerunt. Nam et haec longius omnia petita et pro arbitrio magis ſumta, quam idoneis argumentis confirmata eſſe, cum in oculos ſponte incurrit, tum ab aliis etiam dudum eſt admonitum [53]). Quod autem hi omnes aliique plures illam horum verborum interpretationem, quam ſupra propoſuimus, deſeruerunt atque reiecerunt; id hac potiſſimum cauſa moti feciſſe videntur, quod non intelligi poſſe ſibi perſuaderent, quomodo mortui et apud inferos verſantes Ieſum colere et venerari debere dici poſſint. At enimuero, quanquam nos quidem, quod multos olim feciſſe conſtat, minime ſuſtineamus deſcenſum Chriſti ad inferos, quo καταχθονίοις etiam tanquam dominus et iudex innotuerit, in auxilium vocare, cum ille quidem ad ſceleſtos et impios tantum pertinuerit, hic autem de eiusmodi καταχθονίοις ſermo ſit, qui Ieſum dominum ſuum agnoſcant; tamen hoc primum commemorari poterit, non omnem iis, qui apud inferos degant, ex Iudaeorum illius aetatis hincque N. etiam T. ſcriptorum perſuaſione, ſui conſcientiam demtam eſſe, ſed eam iis in Orco quoque ſupereſſe, (id quod vel ex notiſſima Ieſu parabola Luc. XVI, 19. ſeq. intelligitur,) hincque commode etiam hos recte dici poſſe, Ieſum dominum ſuum agnoſcere ac venerari. Tum vero et hoc moneri poterit, quod acute iam obſeruauit *Car. Lud. Bauerus* [54]), mortuos et apud inferos verſantes ſpectari nunc tanquam in vitam

52) De quibus, miſſa ſententia olim defenſa (cfr. not 17.), in vocabulis iſtis cogitari nunc quidem voluit *Tellerus* in *Beantwort. des Sendſchreib. einiger Hausväter jüdiſcher Religion*, pag. 45.

53) In *Lakemacheri* nimirum ſententia examinanda plures iam interpretes deſudarunt, inter quos commemorandus inprimis videtur *Io. Chriſtph. Wolfius* in *Curis philol. ad h. l.* *Hanii* vero ſententiam parum probabilem eſſe, paucis quidem, at veriſſime tamen admonuit *Am Ende* in *Annotatt. ad h. l.* In *Telleri* denique ſententia excutienda pluribus verſatus *Gablerus* in *Diar. theol.* Vol. XIV. Part. VI. p. 619.

54) In *Logic. Paulin.* pag. 393.

reuocandos, eosque hinc Christum dici colere debere quippe in vitam olim redituros. Quicquid sit, hoc saltem concedi debebit, cum Paulus in laudato iam epist. ad Rom. XIV, 9. loco diserte dicat, Christum τῶν νεκρῶν etiam κυριεύειν, eundem dicere etiam potuisse, hos istum dominum suum debere quoque agnoscere eumque cultu ipsi debito prosequi, adeoque nihil obstare, quo minus in voce καταχθονίων de hominibus in orco versantibus nunc cogitetur [55]).

Hic autem omnis cultus, Christo domino ab omnibus naturis creatis quaquauersum dispersis exhibendus, monente quidem Apostolo, cedere tandem debet εἰς δόξαν Θεοῦ πατρός. Hoc enim sibi velle haec verba sub finem loci adiecta, etsi non omnium, plerorumque tamen interpretum consentiens est opinio. Neque enim ea, vt nonnullorum, cum antiquorum [56]), tum recentiorum [57]) quoque sententia [58]) tulit, cum proxi-

---

55) De quibus praeter *Grotium* et alios quosdam constanter cogitandum nunc esse iudicarunt interpretes saepius iam laudati *Am Ende*, *Niemeyerus*, *Gablerus et Heinrichs*.

56) Quos inter referendus inprimis Vulgatus Interpres, qui verba haec sic vertit: *quia dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris*, quem secutus etiam est *Cyprianus adv. Iudaeos ad Quirin.* l. II. §. 13. itemque monente quidem *Niemeyero* l. l. p. 11. *Arabs* etiam.

57) Quorum in numerum praeter *Hoornbeckium* atque *Zeltnerum*, quos *Wolfius* iam laudauit in *Cur. philolog. ad h. l.* sunt etiam, teste *Heumanno* l. l. plurium versionum N. T. recentiorum auctores, itemque *Chr. Matth. Pfaffius* in *Diss. de exinanit, et exalt. Christi ad h. l.* p. 22. atque *Oertelius* in *Christolog.* p. 396.

58) Quam qui sequuntur, ii, deleto post Χριστὸς commate, vel ad praeposit. εἰς suplent voc. ὑψωθεὶς, in quam partem praeter *Pfaffium* l. l. inclinasse etiam videtur *Missy, Anglus*, vt adparet ex *I. D. Michaëlis Biblioth. Orient. ex exeget.* Vol. XI. p. 190. vel εἰς pro ἐν positum accipiunt, quo sensu saepe quidem dicitur, sed in hoc tamen verborum contextu, vt non sine causa iudicauit *Niemeyerus* l. l. p. 11. non videtur commode accipi posse. Noua vero ratione haec verba intellexit *Stolzius*, qui ea sic reddidit: *und aller Zungen bekennten, dass Jesus der Herr sey, der die Verehrung Gottes ausbreitet:* quam versionem praeiuisse ipsi videtur *Oertelius* l. l. qui simili saltem modo haec verba interpretatus est.

me antecedentibus verbis Κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς, ſed cum remotiore potius vocabulo ἐξομολογήσηται ſunt iungenda, debentque hinc profecto hoc dicere, Ieſum ab omnibus dominum eſſe agnoſcendum vtque talem colendum in honorem Dei Patris. Vix vero etiam obſcurum eſſe poterit, quomodo huius dominii Ieſu agnitio ad honorem Patris facere poſſit, cum, ipſo Paulo docente, Deus ſit, qui eum ad iſtam dignitatem euexerit, eamque ei ideo decreuerit, vt obedientiam ſibi ab eo praeſtitam declaratamque ea re ταπεινοφροσύνην remuneraretur.

VIII.

QUINAM SINT Rom. VIII, 23. οἱ ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος ἔχοντες OSTENDITUR.

Quemadmodum vniuerſi illius loci Rom. VIII, 19 - 23. qui de ἀποκαραδοκία τῆς κτίσεως exponit, tam variae ab interpretibus explicationes ſunt propoſitae, vt earum non minor fere numerus poſſit iniri [1]), quam nuper in loco Gal. III, 20. collectae ſunt et peculiaribus ſcriptis expoſitae; ita nominatim etiam in definienda τῶν ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος ἐχόντων, qui vltimo h. l. verſu commemorantur, notione in diuerſiſſimas iidem interpretes ſententias abierunt [2]). Plerique nimirum verba illa ſe-

Nota editoris. Scripta eſt haec commentatio anno 1809 ad indicendos ſummos in theologia honores tribuendos *Henrico Auguſto Schotto*, celeberrimo Academiae Ienenſis nunc theologo, et *Chriſtiano Ant. Aug. Fiedlero*, Dioeceleos Vurcenenſis in Epiſcopatu Miſenenſi Ephoro.

1) Quod vel ex illa earum enarratione cognoſci poterit, quae extat apud *Wolfium* in *Cur. philol. et critic.* ad h. l. itemque *Heumannum* in *Erklär. des N. T. Vol. VII. p.* 329 *ſq.* cui tamen, ſi id noſtri nunc conſilii ratio ferret, multo adhuc plures addi poſſent, quae ne ab iis quidem, qui recentioribus temporibus de hac interpretationis diuerſitate expoſuerunt, omnes ſunt animaduerſae, *Laur. Fr. Leutweinium* dico in *Apoſtol. Brief. erklärt aus den Religionsmeynungen des erſt. Jahrhund. Vol. II. p.* 185. *ſqq.* *Traug. Aug. Seyfarthum* in *Ueberſetz. und Erklär. der Epiſt. u. Evang. Part. V. p.* 180. *ſq.* et *Euch. Ferd. Chr. Oertelium* in *Verſuch einer philoſoph. Bibelerklär., welcher den Brief an die Römer philoſoph. geprüft, überſ. u. erläut. enthält, Excurſ. VII. p.* 602. *ſq.*

2) Vt vel breuis illa ea de re narratio docet, quae legitur in *Car. Gottl. Hofmanni* Prol. *de primitiis S. Spiritus ad*

cundum vulgarem loquendi rationem interpretanda rati, nunc hoc, nunc illud hominum genus iis indicari ſtatuerunt, prout vocabulis ἀπαρχῆς et πνεύματος vel hanc vel illam ſignificationem nunc tribuendam eſſe ſibi perſuaſerant. Et prius quidem vocabulum maxima ſane interpretum pars de primitiis, quales inprimis ſunt frugum primitiae, vel iis rebus, quae in quocunque genere primae ſunt, explicandum eſſe iudicauit. Sed fuerunt tamen etiam, qui hac voce non tam id, quod in ſuo genere primum, quam ſummum potius et praeſtantiſſimum eſt, quod in primum ſaepe conuenit, nunc ſignificari defenderent[3]), vel quae *Koppii*[4]) fuit ſententia, vocabuli χαρίσματος aut δωρεᾶς ſynonymum in ea agnoſci vellent. Simili vero modo alterum etiam πνεύ-

---

Rom. VIII, 23. (*Viteb.* 1760. 4.) *p.* 7. *ſq.* et *Io. Fr. Gruneri* comment. *de iis, qui primitias Spiritus acceperunt, ad Rom. VIII*, 23. (*Hal.* 1767. 4.) *p.* 3.

3) Quorum in numero, praeter *Schleusnerum* in *Lex. N. T.* ſub vocabulo ἀπαρχὴ et alios, inprimis fuit *Chr. Godofr. Findeiſenus* in epiſtol. ad *Fuhrmannum Lipſ.* 1778. 4. data, quae inſerta nunc legitur *Commentatt. theolog. edit. a Io. Casp. Velthuſen, Chr. Theoph. Kuinoel* et *Geo. Alex. Ruperti, Vol. IV. p.* 349. *ſq.* vbi *p.* 371. de hac voce haec habet: *Cum enim interpretes Alexandr. ad exprimendum Hebraeorum* ראשית *nomine* ἀπαρχῆς *vſi reperiantur, cum* ראשית *ab Hebraeis ita legatur vſurpatum, vt eo indicent praeſtantiam et perſonarum et rerum, quibus addiderint, hoc ſenſu noſtro quoque loco vocabulum* ἀπαρχῆς *accipi oportere exiſtimo, vt adeo* ἀπαρχὴ τοῦ πνεύματος *ſit* doctrina divina praeſtantiſſima.

4) Quam in Animaduerſ. huic loco ſubiect. his quidem verbis propoſuit argumentisque munire ſuſtinuit: *Dubito tamen, an omnino haec ipſa* τοῦ πρώτου *notio in voce* ἀπαρχῆς *ſit vrgenda, cum partim* fruges ipſae, καρπος, *dicantur* απαρχη, *nulla* primitiarum *ratione habita*, 11, 16. *partim, quod inprimis attendi velim, apud LXX reſpondeat hebraeo* תרומה, *quod de quolibet* dono, oblatione, munere deo offerri ſolito, *non tantum* de primitiis frugum, *dici conſtat.* — *Ex vtraque ratione etiam h. l. ſynonymum haberi poterit* τοῦ χαρισματος, δωρεας, (*quae quidem vocabula, vbi de* ſpiritu diuino *ſermo eſt, ſolennia eſſe Apoſtolo, res nota eſt, cf.* 1, 11. 12, 6. 1 *Cor.* 12, 4. 2 *Tim.* 1, 6. *Act.* 2, 38. 10, 45.) *nulla* eius, quod primum eſt, *ratione habita.*

ματος vocabulum a plerisque quidem de Spiritus diuini donis, iisque cum extraordinariis, quae dicuntur, tum ordinariis etiam, ab aliis vero vel de religionis scientia a Spiritu isto adiuta [5]), vel de noua mentis indole per illam effecta [6]), vel de ipsa etiam religione christiana [7]), vel de animo denique humano [8]) in h. l. fuit explica-

---

5) De qua aperte cogitauit *Guil. Fr. Hezel*, dum h. l. in versione librorum N. T. vernacula hoc ipso anno a se edita, ita expressit: *Wir selbst bey unsern weit vorzüglichern* Einsichten *seufzen in unserm Innern.*

6) De hac vocabulum hoc intelligendum certe iudicauit *Morus* noster, in cuius *Praelectt. in epist. Pauli ad Roman.* per *Holzapfelium* editis, p. 112. haec leguntur: *Maneo in hoc, πνεῦμα esse istam indolem novam iuuante Dei spiritu acceptam.* Primitias novae indolis habere, *i. e. primum nouam indolem habere.* Neque alius sententiae esse etiam videtur *Rosenmüllerus*, Collega Coniunctissimus, qui in *Scholiis ad h. l. Tom. III. p.* 501. *edit. V.* haec habet: *πνεῦμα significat praestantissimos fructus spiritus, i. e. fructus doctrinae melioris, praestantissimam iudolem.*

7) Quam non modo *Findeisenus*, vt vel ex verbis eius *not.* 3. recitatis intelligitur, sed et alii plures hoc vocab. nunc significari sibi persuaserunt, quorum ex numero vel vnum *P. H. Hanium* in *Schrifterklär. erst. Fortsetz. p.* 87. nunc laudasse sufficerit.

8) De quo cogitauit iam *Augustinus* in *libr. de diuersis quaest. octog. trib. quaest. LXVII, To. VI. Opp. p.* 51. edit. Benedict. Venet. vbi haec sunt verba eius: *Nunc ergo, inquit,* non solum omnis creatura, *id est cum corpore, sed etiam* nos ipsi primitias habentes spiritus, *id est, nos animae, quae iam primitias mentis nostras obtulimus Deo,* in nobis ipsis congemiscimus, *id est, praeter corpus.* Hunc vero multi etiam recentiorum ea in re sunt secuti, inter quos inprimis commemorari meretur *Jo. Dav. Michaëlis*, qui in Animaduerss. ad versionem N. T. vernaculam a se editam, *To. III. p.* 81. vt ostenderet, qua ratione iste animus humanus primitiarum nomine possit adpellari, haec scripsit: *Der Geist ist hier wieder die vernünftige Gott gleiche Seele, die uns so sehr über alle Thiere erhebt. Diese ist uns ein Erstling, wir haben sie vor allem, was auf dem Erdboden ist, zum voraus, ausser uns enthält er nichts, als Thiere mit einer Seele niedriger Art oder leblose Materie. Sie ist der Erstling eines künftigen herrlichern Lebens, das wir in jener Welt in Vollkommenheit zu erwarten haben.* Eundem vero animum humanum vocabulo πνεύματος hic significari haud dubie etiam iudicauit *Car. Christ. Ludov. Schmidt* in commentat. super hoc integro loco, inserta Biblioth. critic. et exeg. V. et N. T. (*Biblioth. für Critik und Exegeſ. des A, u. N. T. und ältest.*

tum. Pro hac autem vtriusque vocabuli tam varia interpretatione vniuersa τῶν τὴν ἀπαρχὴν τȣ̃ πνεύματος ἐχόντων formula nunc Apostolos Iesu vel solos, vel reliquis etiam etiam eius discipulis, qui primo post ipsius in coelos ascensum Pentecostes festo donis Spiritus S. dicuntur instructi fuisse, iunctos, indicari defenderunt [9]), hosque propterea ἀπαρχὴν τȣ̃ πνεύματος ἐχοντας dici monuerunt, quod vel omnium primi, vel prima et praestantissima Spiritus illius dona [10]) acceperint; nunc

---

Christengesch. herausgeg. von Joh. Ern. Chr. Schmidt u. Carl Chr. Ludw. Schmidt,) Vol. III. Part. I. p. 107. *sq.* dum haec verba nostra ita vertit p. 110. *auch wir unsern ganz vorzüglichen* Geisteskräften *nach, und unter diesen wir selbst seufzen.*

9) Quod quidem hac potissimum de causa plerique defendendum iudicarunt, quod his verbis eosdem nunc significari existimassent, de quibus in verbis proximis καὶ ἡμεῖς ἀυτοὶ sermo sit, in quibus perspicuum esse dixerunt, Paulum in pronomine illo ἡμεῖς se et reliquos Apostolos in animo habuisse. Atque huic interpretationi inde sane commendationem aliquam conciliare studuerunt, quod non modo Codices quidam graeci, *Millio* et *Wetstenio* testibus, in priori commate pro simplici ἀυτοὶ exhibeant potius ἡμεῖς ἀυτοὶ, sed eandem lectionem Vulgatus etiam interpres expressisse reperiatur, quippe cum locum sic reddiderit: *sed et nos ipsi primitias Spiritus habentes, et ipsi intra nos gemimus*, atque vetus etiam versio syriaca in priori tantum commate voeab. ἡμεῖς expresserit, in altero autem reddendo istud ἡμεῖς ἀυτοὶ plane praetermiserit. Verum quicquid etiam de illa codicum istorum lectione et antiquorum interpretum versione statuatur, id saltem arbitror in oculos incurrere, grammaticam rationem, vt commode iam obseruauit *Koppius* ad *h. l.* vix ac ne vix quidem permittere, vt, si quidem vtrumque comma admittimus, neque alterum illud: καὶ ἡμεῖς ἀυτοὶ, cum *Griesbachio* prorsus suspectum iudicemus, de vno eodemque hominum genere in vtroque sermonem esse defendamus, cum aperte duplex hominum genus a scriptore commemoretur, quod vtrumque ob illam, de qua nunc loquitur, rem dicat ingemiscere atque dolere. Quare profecto miror, veterem illam vtriusque commatis iudicandi rationem tamen fuisse etiam *Moro* nostro l. l. probatam.

10) In quam rem *Grunerus* quidem in *Comment. laud. p.* 6. haec habet: *Vt vero ipse tandem de illa ἀπαρχῇ τȣ̃ πνεύματος sententiam dicere audeam; interpretor* primitias Spiritus S. Nouï Testamenti. *Apostoli sine controuersia acceperunt prima dona Spiritus S. N. T. Etsi enim negari non possit, Spir. S. ante diem illum Pentecostes adfuisse omnium temporum V. T. fidelibus: illud tamen dubio caret, Spiritum S. N. T. non*

vero illa omnino significari statuerunt *eos, qui alias priores ad religionem christianam fuissent adducti*, hosque iam vel in Iudaeis [11]), vel in omnibus aeui Apostolici Christianis, siue e Iudaeis siue e gentilibus essent profecti [12]), sibi visi sunt reperisse. Tum fuerunt etiam,

---

adfuisse ante eum Pentecostes diem. Ioannes baptizabat aqua ad resipiscendum: Iesus Christus autem baptizaturus erat Spir. S. et igne. — Eius baptismi initium fecit die Pentecostes.

11) Quod inprimis demonstrandum sibi sumserunt *Chr. Lud. Obbarius* in *Dissert. philol. de creatura gemebunda et de iis, qui habent primitias Spiritus, ad illustr. loc. Rom. VIII,* 19 – 23. (*Goetting.* 1737. 4.) *p.* 40, *sq.* itemque anonymus auctor commentat. sic inscriptae: *Abhandl. über Rom. VIII*, 19 – 24. *in welcher gezeigt wird, dass die seufzende Creatur die jüdische Kirche sey, welche die Ankunft des Messias sehnlich erwartet*, in *Vermischt. Abhandl. u. Urtheil. über das Neueste aus der Gelehrsamk.* (*Berl.* 1758. 8.) *Part. VII. p.* 29. atque *I. G. Altmannus* in *Diss. de creatura gemente in Rom. VIII,* 19. *sq.* §. *XIII.* quae extat cum in *Temp. Helvet. To. III. p.* 651. *sq.* tum in Ei. *Meletem. philolog. critic. To. II. p.* 148. *sq.* Ex recentioribus vero eandem sententiam denuo stabilire conati sunt *Gabr. Chr. Benj. Moschе* in *Bibelfr. Vol. II. p.* 196. itemque in *Erklär. aller Sonn - u. Festagsepist. To. II. P. I. p.* 864. edit. II. atque *Noesseltus* in *Opusc. ad interpret. sacr. scriptur. Fasc. I. p.* 130.

12) Quos vtrosque *Car. Gottl. Hofmannus* quidem in *Comment. laud.* propterea nunc cogitandos esse censet, *quoniam habebant*, vt dicit p. 17. ἀπαρχην του πνευματος, *h. e. primitias operationum gratiae S. Spiritus ad ecclesiam et vocantis et conuertentis, messis vero sequebatur temporibus tunc adhuc futuris;* quo eodem ducunt etiam, quae ad h. l. obseruauit recentissimus epistolae huius interpres, *Chr. Fr. Boehmius*, qui verbis nostris haec adscripsit: *Verum enim vero* (non hi solum, sed) *et ipsi primitias Spiritus* (q. d. primam messem fructuum, quos Spiritus diuinus per euangelium solet edere, cf. Gal. VI, 8.) *nacti* (Christiani, similiter appellati a Iac. 1, 18.). *Beni. Weiskius* vero in *Nov. explicat. loci nobilis de* ἀποκαραδοκια τῆς κτίσεως, *Rom. VIII*, 18 – 25. (*Lips.* 1777. 4.) *p.* 17. eos ideo ἀπαρχῆς nomine significari statuit, *vt intelligatur, etiam alios, nominatimque* τὴν κτίσιν, (quam ille quidem de Iudaeis legibus Mosaicis adhuc adstrictis explicandam esse iudicauit,) *idem illud* πνευμα *accepturos esse*, et denique *I. C. C. Nachtigal* in Comment. in h. l. inserta *Henkii Neu. Magaz. für Religionsphilos. Exeg. u. Kirchengesch. Vol. II. p.* 254. hoc respectu ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος ἔχοντας adpellari dicit, *p.* 270. *sq.* quod ipsos excepturi sint alii in numerum filiorum atque cultorum Dei recipiendi. Alii vero hos vtrosque simpliciter commemorarunt, nulla addita adpellationis huius causa et ratione, e. c. *Wolfius* in

qui Christianos vniuersos, nunc hoc, nunc illo respectu[13]), hac phrasi indigitari existimarent, aut piorum etiam in coelo animas, quatenus vel sola mentis felicitate nunc gaudeant, promissaeque corporum restitutionis acerrimo teneantur desiderio [14]), vel Spiritus S. excellentiorem aliquam Christianis his in terris viuentibus praerogativam habeant [15]) in ea cogitandas esse contenderent.

Has vero tam diuersas in interpretandis verbis in se parum obscuritatis habentibus vias profecto non videntur inituri fuisse interpretes, si scriptorum N. T. de πνεύματι ἁγίῳ Christianis concesso doctrinae formulam accuratius cognouissent, atque veterum interpretum, qui

---

Cur. philol. ad h. l. Weistenius, G. S. Iaspis, Boltenus, Stolzius, Seilerus in versionibus suis, et alii.

13) *Heumannus* quidem illo, quod acceperint Spirit. S. qui, vt ait *l. l. p.* 324. *seine ersten Gaben in uns vermehrt, und uns noch vollkommner macht, bis wir endlich in jener Welt zur gänzlichen Vollkommenheit gelangen, Car. Gottl. Gloecknerus* autem in *Specim. animaduerss. ad loc. Pauli Rom. VIII.* 19 – 23, (*Annaeb.* 1770. 4.) *p.* 23. hoc, quod nacti sint dona *insignia spiritualia, Koppius* vero in *Animadv. ad h. l.* eo, quod omnino gaudeant Spir. S. et quidem illo, qui certos eos reddat de sapientia et benignitate Dei in tota rerum natura olim conspicua futura, alii, de quibus in seqq. pluribus dicetur, hoc, quod Spiritus diuinus certissimam iis felicitatis olim obtinendae spem faciat, alii denique, inter quos referendus e. c. est Censor aliquis in *Nouiss. diarii theolog.* a *Gablero* edit. *Vol. I. p.* 80. etiam hoc, quod possideant religionem praestantissimam, (ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος.)

14) Cuius quidem ratione habita eos nunc ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος habentes adpellari, inprimis contendit *Gotth. Traug. Zachariae* cum in *Comment. exeg. ad Rom. VIII*, 23. (*Goett.* 1776. 4.) *p.* 15. *sq.* tum in Paraphrasi hui. epistol. *p.* 54. vbi sensum h. l. ita circumlocutus est: *Wir wissen aber nicht allein dieses, sondern auch selbst die, so bereits ihrem Geiste nach ewig glücklich leben, und gleichsam die Erstlinge dieser Herrlichkeit geniessen, die durch die Auferweckung ihrer Leiber vollendet werden soll, die abgeschiedenen Geister der Gerechten.*

15) Quo respectu easdem animas τὴν ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος habentes nunc dici, *Io. Henr. Bennerus* defendere sustinuit in *Exerc. academ. de gemitu ecclesiae suspirantis libertatem*, (*Giss.* 1737.) *p.* 35. *sq.*

non modo doctrinae illius probe gnari, ſed in hoc etiam loco interpretando bene memores erant, veſtigia preſſius fuiſſent ſecuti. Etenim veteris quidem eccleſiae Patres, ſolo fere *Origene*[16]) excepto, hanc formulam neutiquam de Spiritus diuini eiusque donorum quibusdam quaſi primitiis, ſed de ipſo potius Spiritu illo eiusque donis, tanquam futurae Chriſtianorum felicitatis primitiis conſtanter ſunt interpretati: id quod non modo eorum, qui integros in hanc epiſtolam commentarios aut homilias ſcripſere, *Chryſoſtomi* nominatim[17]), *Theodoreti*[18]) atque *Theophylacti*[19]), ſed vel illorum etiam exemplum docet, qui h. l. obiter tantum mentionem iniecerunt, aut ad eum alluſerunt, vt factum v. c. eſt a *Basilio M.* qui in *Homil d Spir. S.* haec

---

16) Qui in *Commentar. in epiſt. ad Rom. lib. VII.* §. 5. *Tom. III. Opp. p.* 598. *ſq.* edit. *de la Rue*, etſi dubius ſecum eſt, in quemnam ſenſum iſti Spiritus primitias habentes nunc ſint accipiendi, tamen ad extremum in has partes inclinat, vt Apoſtolos iis ſignificari ſtatuat, quod *in eos*, quae ſunt verba eius, *prae caeteris ſublimius et praeclarius collatum ſit S. Spiritus donum.*

17) Qui in *Hom. XIV.* in hanc epiſt. *To. IV. Commentar. in N. T. p.* 200. edit. Duc. in haec verba ita commentatur: *τετέσι τῶν μελλόντων ἤδη γευσάμενοι· κἂν γὰρ σφόδρα λίθινός τις ᾖ, ἱκανὰ τὰ δοθέντα ἤδη διανοῆσαι τε αὐτόν καὶ τῶν παρόντων ἀπαγαγεῖν, καὶ πρὸς τὰ μέλλοντα πτερῶσαι διπλῆ· καὶ τῷ μεγάλα εἶναι τὰ διδόμενα, καὶ τῷ τὰ τοσαῦτα καὶ τηλικαῦτα ἀπαρχὴν εἶναι.* Hinc Ioannes etiam Damaſc. in *Excerpt., compend. ex vniuerſ. interpr. Io. Chryſoſt. Tom. II. Opp. p.* 31. edit. *Le Quien*, haec habet: *τῶν μελλόντων ἤδη γευσάμενοι, τούτων τὸ τέλος ἰδεῖν σπεύδομεν· εἰ γὰρ ἀπαρχὴ τοσαύτη, ὡς δι' αὐτῆς καὶ ἁμαρτημάτων ἀπαλλαγῆναι καὶ δικαιοσύνης ἐπιτυχεῖν καὶ ἁγιασμῶ, ἐννόησον ἡλίκον τὸ τέλος.*

18) Cuius haec ſunt verba in *Comment. ad h. l. To. III. Opp. p.* 89. edit. Halenſ. *καὶ τί θαυμαστὸν, εἰ ἡ κτίσις δι' ἡμᾶς τοῦτο πάσχει, ἡμεῖς γὰρ αὐτοὶ πολλὰ τῶν μελλόντων εἰληφότες ἐνέχυρα, καὶ πρὸ τῶν ἄλλων τὴν τοῦ πνεύματος χάριν, σεσώζομεν τῆς ἀπαλλαγῆς ἐφιέμενοι· — διὰ μὲν τοι τῆς ἀπαρχῆς ἐνημείωσεν, ὡς ἐν τῷ μέλλοντι αἰῶνι, πολλαπλασίαν τὴν τοῦ πνεύματος δέξομεθα χάριν. εἰ γὰρ τὸ νῦν δεδομένον ἀπαρχὴ καλεῖται καὶ ἀρραβὼν, ἔνδηλον ὡς ἐκεῖνο τοῦτο πολλαπλάσιον ἔσται·* haecque eadem apud Oecumenium etiam leguntur.

19) In cuius *Commentar. ad h. l. To. II. Opp. p.* 61. edit. Venet. haec leguntur: *ἐπάγει δὲ, ὅτι καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ τὴν ἀπαρ-*

de isto Spiritu tradit[20]): οὐ γὰρ παρὰ τοῦ πνεύματος τινὰ λαμβάνομεν, ὥσπερ παρὰ τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα, ἀλλ' αὐτὸ προσιὸν ἡμῖν καὶ ἁγιάζων ὑποδεχόμεθα· θεότητος κοινωνίαν καὶ υἱότητος μετουσίαν, καὶ αἰωνίου κληρονομίας ἀῤῥαβῶνα, καὶ τῶν μελλόντων ἀγαθῶν ἀπαρχήν. Quanquam vero haec interpretatio non modo illi, quam dixi, scriptorum N. T. de πνεύματι ἁγίῳ doctrinae rationi, sed ipsius etiam loci contextui praeclare conueniat, pauci tamen inter recentiores, si quidem cum caeteris comparentur, eam secuti fuisse reperiuntur[21]). Quare constitui equidem, eam per hanc

---

χὴν τοῦ πνεύματος ἔχοντες, τουτέστι, τῶν μελλόντων γευσάμενοι, ξενάζομεν, διότι μὴ ἤδη αὐτὰ ἔχομεν. Ἐξ ὧν γὰρ ἐλάβομεν πνευματικῶν χαρισμάτων, (ταῦτα γὰρ ἡ ἀπαρχὴ) καὶ τὰ μέλλοντα τεκμαιρόμεθα.

20) *To. II. Opp. p.* 585. edit. Garn.

21) Qui mihi quidem huc usque innotuere huius explicationis patroni, hi fere sunt: *Steph. de Brais* in *Analys. paraphrast. epist. ad Rom.* inserta *Opuscul.* eius ab *H. Venema Leov.* 1735. 4. edit. vbi h. l. *p.* 100. ita παραφράζει: *Tanti boni desiderio nos quoque nunc suspiramus: et si recti nouimus animi sensum, quo coelestem hoereditatem percipimus, eo minus vitae praesentis malis conturbabimur, quo magis ad ea ferenda paratos esse necesse est. Quippe Spiritum, qui nos Dei filios et haeredes esse testatur, accepimus vt primitias, non messem salutis integram; Chr. Fr. Boernerus* in *Diss. de Christo* ἀπαρχῇ τῶν κεκοιμημένων, 1 *Cor. XV*, 20. inserta *Dissertt.* eius *Sacr. p.* 229. *sq. Io. Alb. Bengelius* in *Gnom. N. T.* ad h. l. vbi ad ἀπαρχὴν πνεύματος haec notat: *primitias Spiritus, i. e. Spiritum, qui est primitiae, vid.* 2 *Cor.* 1, 22. *Io. Guil. Kraft* in *Obseruatt. sacr. fasc. II, p.* 225. *Io. Beni. Carpzov.* in *Strictur. theolog. et critic. in epist. Pauli ad Roman. p.* 190. *Io. Henr. Dan. Moldenhawer* in *Gründl. Erläuter. der Schwer. Stellen der heil. Büch. des N. T. Vol. II. p.* 103. *de Lynar.* in *Erklär. Umschreib. der apostol. Briefe* in qua sensum h. l. his verbis expressit: *Doch die Creaturen sind es nicht allein, welche nach dieser Zeit seufzen, sondern auch wir, die wir uns in dem süssesten Genuss der Gnadengüter befinden, welche uns der Geist Gottes gleichsam als Erstlinge, zum Unterpfande unserer künftigen weit grösseren Seligkeit hier mittheilet, ja so gar wir Apostel*, etc. auctor commentat. *über die merkwürdigst. Stellen im ersten Hauptth. des Paulinischen Sendschr. an die Christ. zu Rom*, in *Beyträg. zur Beförd. des vernünft. Denk. in der Relig. Part. XIII. p.* 69. et *Chr. Gottl. Storrius* in *Opusc. acad. ad interpr. libr. N. T. pertin. Vol. II. p.* 115, *not.* 97.

ſcribendi occaſionem huius vtriusque, quod modo commemoraui, argumenti expoſitione paulo vberiore denuo commendare, et derelictam quaſi reſtituere, eoque ipſo ſimul id, quod alio forſitan tempore pluribus ſum conſulto demonſtraturus, veterum nimirum doctorum chriſtianorum ſcripta, etſi ipſi librorum ſacrorum recte interpretandorum rationis parum plerumque fuerint periti, multis tamen in locis non contemnendum hiſtoricae illorum librorum interpretationis ſubſidium exhibere, idque nimis vulgo neglectum, nunc quidem exemplo ſaltem aliquo confirmare.

Scriptores igitur N. T. cuilibet homini chriſtiano vna cum baptismo Spiritum S. ita concedi [22]) ſtatuerunt, vt ab eo inde tempore continuo ei inſit ſuamque perpetuo in ipſo vim exſerat, omnisque generis ſenſus rectos et probos in animo eius gignat, eumque in iis quoque, quae faciat, cuiuscunque etiam generis illa ſint, adiuuet, hincque hoc Spiritu omnes Chriſtianos tanquam communi bono gaudere ſibi perſuaſerunt. Hac enim perſuaſione aperte nititur, quod Paulus ad Gal. III, 2. 5. omnes Galatas iſto Spiritu inſtructos eſſe ſumit, eosque id iam interrogat, vtrum hunc Spiritum propter facta legi Moſaicae conſentanea, an vero propter fidem Chriſto habitam obedientiamque ea re praeſtitam nactos ſe exiſtiment? ideoque idem etiam Paulus cum ex Lucae narratione Act. XIX, 1. ſq. μαθητὰς quosdam Epheſi deprehendiſſet, quos Chriſtianae religionis ſectatores eſſe iudicaſſet, primum omnium hoc ex iis quaeſiuiſſe dicitur, vtrum cum fidem ſuam religioni addixiſſent [23]), iſtum

22) Qua in re tradenda his plerumque verbis vtuntur, vt Deum dicant, hunc Spiritum Chriſtianis δεδωκέναι 2 Cor. I, 22. 1 Io. III, 24. IV, 13. aut ἐπιχορηγῆσαι, Gal. III, 5. vel ἐκχεῦσαι Tit. III, 6. hincque ipſos Chriſtianos adpellent πνεύματος ἁγίου μετόχους, Hebr. VI, 4.

23) In hunc enim ſenſum verbum πιστεύειν nunc accipiendum eſſe, ſponte profecto intelligitur.

etiam Spiritum diuinum nacti ſint: εἰ πνεῦμα ἅγιον ἐλάβετε πιστεύσαντες; Cum vero illi, Spiritus S. dona hominibus nunc concedi [24]) ſe adhuc penitus latere aſſeueraſſent, ſtatim eos iterum traditur interrogaſſe, quonam igitur baptismi genere fuerint imbuti, cumque iam Ioannis tantum baptismo eos vſos fuiſſe intellexiſſet, perſpecta quippe nunc reſponſionis eorum ratione, Chriſti baptismo eos initiandos cenſuit, quo facto [25]) dicuntur etiam, impoſitis iis a Paulo manibus, illum ipſum Spiritum nacti fuiſſe: e quo quidem loco perſpicue ſane intelligitur, a baptismo nominatim Spiritus illius donum a ſcriptoribus iſtis fuiſſe repetitum, hincque cum baptismi commemoratione plerumque etiam illius πνεύματος mentio coniungitur, vt fit v. c. in notiſſimis illis locis Io. III, 5. et Tit. III, 5. Neque tamen huius Spiritus vim in miraculoſe tantum factis aut ſimilibus effectis inſolitis cerni iudicarunt, quod ſi quis illis tantum, quos modo ex epiſt. ad Galat. et Act. Apoſt. excitaui, locis vnice vellet inhaerere, facile ei poſſet perſuaderi, cum in priore quidem τῷ θεῷ τὸ πνεῦμα ἐπιχορηγοῦντι ſtatim ſubiciatur ὁ ἐνεργῶν δυνάμεις ἐν αὐτοῖς, in altero autem diſerte narretur, homines iſtos λαλήσαι γλώσσαις καὶ προφητεύσαι; imo omnes hominis cum animi motus, tum corporis etiam facta ita ab eo regi ſtatuerunt, vt quaecunque is ſapienter quidem et recte ſentiat vel agat, ad eum tanquam auctorem referrent, inque omnibus eius dictis et factis vnius eiusdemque Spiritus φανέρωσιν (1 Cor. XII, 7. ſq.) agnoſcerent, neglecto quidem aut

24) Hunc enim eſſe verborum, quibus homines illi vſi fuiſſe dicuntur: ἀλλ' οὐδὲ εἰ πνεῦμα ἅγιόν ἐστιν, ἠκούσαμεν, ſenſum, res ipſa loquitur, eſtque hic loquendi modus ſimillimus ei, qui Io. VII, 39. occurrit, in quo et ipſo loco in eundem ſenſum dicitur illud: οὔπω ἦν τὸ πνεῦμα ἅγιον.

25) Vtique enim Paulum homines iſtos nouo baptismo in Chriſti doctrinam obſtrinxiſſe, arbitror equidem recentiorum interpretum ſtudiis, maximeque *Semleri Diſſ. in h. l. Hal.* 1759. 4. edita, ita iam confectum eſſe, vt profecto rem ſupervacaneam eſſem ſuſceptturus, ſi id denuo vellem pluribus demonſtrare.

ignorato potius omni illo, quod vulgo conſtituitur donorum huius Spiritus extraordinariorum atque ordinariorum diſcrimine: quae omnia multis poſſent illorum ſcriptorum locis atque ſententiis confirmari, niſi ea in re a triumuiris maxime doctiſſimis literarumque ſacrarum peritiſſimis, *Koppium*[26]) dico, *Knappium*[27]), et *Tittmannum*[28]), Theologum Dresdenſem meritiſſimum, otium mihi factum eſſe intelligerem. Inprimis tamen illa quidem aetate externa quaedam facta inſignia pro certiſſimis praeſentiae iſtius Spiritus documentis habita fuiſſe videntur; vnde cum eiusmondi documenta in Samaritanis, qui Chriſto nomen dederant, baptismoque ei ſe obſtrinxerant, adhuc deſiderarentur, Chriſtiani Hieroſolymitani, iis quippe deeſſe aliquid rati, Act. VIII, 14. ſq. Petrum et Ioannem ad eos dicuntur ablegaſſe, ὅπως λάβωσι πνεῦμα ἅγιον, quod etiam, factis eorum cauſa precibus manibusque iis impoſitis, ita iis traditur contigiſſe, vt Simoni quidem mago in oculos incurreret, ὅτι διὰ τῆς ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν τῶν ἀποςόλων δίδοται τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον (v. 18.) Neque tamen huius Spiritus ſubitaneam modo et certis tantum temporis momentis adſtrictam efficaciam ſibi cogitarunt illi, ſed tam conſtantem ac perpetuam ei in Chriſtianis omnibus quaſi ſedem tribuerunt, vt non modo vniuerſum eorum coetum hac de cauſa κατοικητήριον τȣ̃ θεȣ̃ ἐν πνεύματι (Epheſ. II, 22. coll. 1 Cor. III, 16.) dicerent, ſed vel ſingulorum etiam corpus eadem de cauſa ναὸν τȣ̃ ἁγίȣ πνεύματος (1 Cor. VI, 19.) adpellare non dubitarent, eosque monerent, vt ne tali corpore ad ſcortationem v. c. abutantur, hincque adeo Spiritum

---

26) In *Excurſ. V.* epiſt. ad Galat. ſubiecto *p.* 122. *ſq.* edit. II.

27) In *Prol. de Spiritu S. et Chriſto paracletis*, *To. I. Scriptt. varii argum. maxim. part. exeget. p.* 162. *ſq.*

28) In *Prol. de inhabitatione Spiritus S.* inſerta nunc *Ei. Opuſc. theol. p.* 397. *ſq.*

illum vel iis etiam ineſſe ſtatuerent, qui flagitiis ſe polluerunt, eosque his ipſis flagitiis τὸ πνεῦμα ἅγιον, ἐν ᾧ ἐσφραγίσθησαν, λυπεῖν poſſe, (Epheſ. IV, 30.) iudicarent.

Ipſam vero huius Spiritus donationem quemadmodum in luculentiſſimis diuini erga Chriſtianos amoris documentis poſuerunt, interque ea inprimis praedicarunt, (1 Io. III, 24. IV, 13.) ita per eandem certiſſimam nominatim futurae felicitatis ſpem iis factam, vel eos per illum, vt loquuntur, obſignatos eſſe, (2 Cor. I, 22. Eph. I, 13. IV, 30.)[29]) docuerunt, ideoque ipſum etiam Spiritum iſtum ἀῤῥαβῶνα τῆς κληρονομίας αὐτῶν, arrham felicitatis eorum (2 Cor. V, 5. Eph. I, 14.) dixerunt. Hoc autem vocabulum ἀῤῥαβῶνος cum inprimis dicatur de prima parte pretii, quae in emtionibus hoc conſilio ſoluitur, vt totius pretii poſt ſoluendi fides fiat; (*das Angeld*)[30]) profecto intelligitur, ſcriptores noſtros in iſta diuini Spiritus efficacia Chriſtianis

---

29) Hac enim formula nihil aliud, niſi id ipſum, quod meis modo verbis ſignificaui, indicari, cum loquendi vſus poſtulat, tum ſingulorum etiam, in quibus ea legitur, locorum contextus confirmat. Cum nimirum, quae obſignantur, eo ipſo confirmari et rata fieri ſoleant, non mirum eſt, vocabulum σφραγίζειν in hunc etiam tropicum ſenſum fuiſſe conuerſum, vt idem eſſet, quam *confirmare aliquid* et *ratum facere*, in quem ſenſum non modo in profanis ſcriptoribus graecis ſaepiſſime dicitur, (vt praeter alios inprimis docuerunt *Kypkius* in *Obſeruatt. ſacr. ad N. T. To. I. p.* 358. et *Loesnerus* in *Obſeruatt. Philon.* p. 142. et 146.) ſed in ipſis etiam N. T. libris pluribus in locis vſurpatum deprehenditur, v. c. Io. III, 33. VI, 27. Rom. XV, 28. Eundem vero ſenſum illa etiam, quae ſupra poſui loca admittere, contexta cuiusque oratio luculenter oſtendit, atque haec eadem neminem etiam ſinit dubitare, hanc confirmationem quae a Spir. *S.* repetitur, ad futurae felicitatis ſpem eſſe referendam, cum vel Spiritus ille, quo ſint obſignati Chriſtiani, diſerte dicatur ἀῤῥαβὼν τῆς κληρονομίας eoque ipſo perſpicue ſignificetur, ab hac ipſa re omnem illam confirmationem pendere, vel, vt ſit in vltimo loco, illa obſignatio pertinere dicatur εἰς ἡμέραν ἀπολυτρώσεως, quae ἀπολύτρωσις profecto tum demum locum habet, cum fruuntur homines felicitate ſibi promiſſa.

30) Quod inprimis docuerunt *Conr. Rittershuſius* in *Sacr. lectt. l. VII. c.* 19. *p.* 553. *ſq.* et *Steph. le Moyne* in *Not. ad Var. ſacr. p.* 466. *ſq.* cuius locum magnam partem repetiit *Wolfius* in *Cur. philol. et critic.* ad Eph. I, 14.

conceſſa iam initia quaedam et partem felicitatis eorum futurae agnouiſſe[31]). Quae cum ita ſint, ecquis tandem, vbi ἀπαρχὴν τȣ̃ πνεύματος commemorari videat, non de hac ipſa re cogitandum eſſe exiſtimet, neque per τοὺς τὴν ἀπαρχὴν τȣ̃ πνεύματος ἔχοντας vniuerſos Chriſtianos, qui quippe, ex illa doctrina, iſto Spiritu omnes gaudeant, ſignificari intelligat? Id vero ſi admittitur, tum facile profecto intelligitur, eandem hic dicendi rationem locum habere, quae et alibi in libris cum V. tum N. T. deprehenditur, eſtque pluribus linguis communis, ex qua ſubſtantiua ſaepe appoſitionis loco ſibi inuicem iunguntur[32]), ita vt οἱ τὴν ἀπαρχὴν τȣ̃ πνεύματος ἔχοντες iidem ſint, ac ſi dicti eſſent οἱ ἔχοντες τὸ πνεῦμα ὡς ἀπαρχὴν[33]), quemadmodum quod 2 Cor. I, 22. de Deo dicitur, δὲς τὸν ἀῤῥαβῶνα τȣ̃ πνεύματος eodem aperte modo intelligendum eſt, ac ſi ſcriptum eſſet: δὲς τὸ πνεῦμα, ὡς ἀῤῥαβῶνα, vel ὅ ἐςιν ἀῤῥαβὼν τῆς κληρονομίας, vt legitur Eph. I, 14. ſintque adeo οἱ τὴν ἀπαρχὴν τȣ̃ πνεύματος ἔχοντες iidem, qui ad Hebr. VI, 14. dicuntur μέτοχοι πνεύματος ἁγίȣ καὶ γευσάμενοι δυνάμεις μέλλοντος αἰῶνος[34]).

---

31) Quod bene iam vidit *Chryſoſtomus*, qui in *Hom. II. in epiſt. ad Epheſ. p.* 875. ad Cap. I, 13. haec obſeruat: ἐνταῦθα τεκμήριον ποιεῖται τῆς τῶν μελλόντων ἐπαγγελίας, τὰ ἤδη δεδομένα· διὰ τȣ̃το καὶ ἀῤῥαβῶνα καλεῖ· ὁ γὰρ ἀῤῥαβὼν μέρος ἐςὶ τȣ̃ παντός.

32) De qua nonnulla obſeruarunt *Glaſſius* in *Philol. Sacr. To. I. p.* 14. edit. *Dath.* itemque *Grotius* ad Rom. IV, 11. et Gal. V, 11.

33) Scilic. τῆς κληρονομίας, vel τῶν μελλόντων ἀγαθῶν, vt dicebatur in loco *Baſilii* ante laud.

34) Horum enim verborum non dubito, equidem cum *Koppio* in *Excurſ. I.* epiſt. ad Epheſ. ſubiecto p. 146. edit. 2. ſenſum hunc conſtituere, vt οἱ γευσάμενοι δυνάμεις μελλόντος αἰῶνος ſint ii, *qui iam in his terris, tanquam Chriſtiani*, (horum enim in vniverſo h. l. deſcriptionem aliquam contineri, in oculos profecto cuilibet incurrit,) *deguſtarunt quodammodo et ſenſerunt ipſi, quanta olim felicitas parata ſit Chriſtianis in futuro aeuo*, vel regno Meſſiano, cui interpretationi *Schottum* etiam calculum

Neque vero ipſe etiam loci huius contextus hanc formulae illius explicationem vllo modo reſpuit, imo non modo admittit eam, ſed videtur eam adeo poſtulare; idque iam alterum eſt argumentum, quo eam ſupra dixi commendari. Iam vero quanquam neque conſilii mei ratio, neque huius libelli anguſtiae permittunt, vt meam de vniuerſi huius loci argumento atque conſilio ſententiam pluribus exponam, eamque ceteris h. l. explicationibus praeſtare oſtendam; id tamen vel paucis puto me lectoribus perſuaſurum, ſermonem hic eſſe de dolore, quem omnes homines ob corporis ſui fragilitatem moriendique neceſſitatem ſentiant, deque flagrantiſſimo melioris ſortis deſiderio cum illo dolore coniuncto. Cum nimirum Paulus v. 16. futurae felicitatis Chriſtianis tum maxime ſperandae, ſi calamitates his in terris ob religionis ſuae profeſſionem perferendas patienter tulerint, mentionem iniieciſſet, incipit iam huius felicitatis magnitudinem atque praeſtantiam pluribus declarare, vt lectores ſuos huius ipſius magnitudinis eius cogitatione ad iſtam malorum tolerantiam eo certius excitaret, hancque in eo potiſſimum ponit, quod tum omnis moriendi neceſſitas corporisque fragilitas ſit ceſſatura, quae nunc quidem non modo Chriſtianis, ſed omnibus omnino hominibus moleſta ſit atque iniucunda. Diſerte enim commemorat v. 20. *τὴν ματαιότητα*, cui *πᾶσα κτίσις* non quidem ſua ſponte atque ex ſuo ipſius conſilio, ſed per creatoris ſui voluntatem ſit obnoxia: qua eum nihil aliud voluiſſe ſignificare, niſi corporis humani fragilita-

---

ſuum video adieciſſe, dum haec verba ita interpretatus eſt, *qui futuri ſaeculi* (regni Meſſiae) *bona veluti deguſtaſſent*, (praeſentientes). Hunc ipſum vero futurae felicitatis quaſi praeguſtum auctor epiſtolae haud dubie inde potiſſimum repetiit, quod Chriſtiani ſint, vt dixerat modo, *μέτοχοι πνεύματος ἁγίου*, quo quidem, Paulo teſte Rom. V, 5. *ἡ ἀγάπη τοῦ θεοῦ ἐκκέχυται ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν*, hincque non poſſunt non ſumma et optima quaeque ab iſto Deo eorum tam amante expectare, praeſertim cum idem *πνεῦμα* iis ſimul teſtetur, *ὅτι εἰσὶν τέκνα θεοῦ*. (Rom. VIII, 16.)

tem atque mortalitatem, inde cognoſcitur, quod ei non modo v. ſeq. ſynonymam ponit τὴν τῆς φθορᾶς δουλείαν, h. e. mortis ſubeundae ſortem, cui ex dura neceſſitatis lege (ἐχ ἑκοῦσα) tanquam ſeruitio cuidam ſit ſubiecta, ſed poſt etiam v. 23. diſerte ei τὴν ἀπολύτρωσιν τȣ̃ σώματος opponit, quae nulla alia eſſe poteſt, niſi eiusdem corporis ab hac ipſa φθορᾷ, vel fragilitate atque moriendi neceſſitate liberatio, quae profecto locum habitura eſt tum, cum homines ex eiusdem Pauli doctrina in 1 Cor. XV. maxime expoſita, nacti fuerint σῶμα ἄφθαρτον et ἀθάνατον. Hanc autem corporis ſui liberationem cum primum quidem expectare, deque praeſenti eius φθορᾷ adhuc dolere dicit πᾶσαν κτίσιν, in iſta κτίσει homines in vniuerſum cogitandos eſſe, id quidem cum loquendi vſus ſcriptoribus N. T. maxime vulgaris ſuadet, ex quo vocabulum κτίσεως, vbi neque epitheton lectorem de alia, quam propria eius ſignificatione admonens, ipſi additum eſt, neque contextus loci tropicam aliquam notionem ſuppeditat, ſemper dicitur vel de ipſius creationis actu, vel rebus creatis aut vniverſis, aut nominatim hominibus[35]), tum vero, ex meo quidem iudicio, inprimis conficitur eo, quod ipſi v. 23. ſubiiciuntur, atque ex vniuerſa τῆς κτίσεως multitudine quaſi eximuntur οἱ ἀπαρχὴν τȣ̃ πνεύματος ἔχοντες, ac ipſe etiam Paulus, qui cum profecto aeque ac illi, quicunque etiam fuerint, hominibus ſit annumerandus, ſponte intelligitur, non poſſe illam κτίσιν vel de rebus creatis in vniuerſum, iisque vita etiam carentibus, vel de definito aliquo hominum genere, ſiue ſint Iudaei, ſiue pagani, ſiue huius illiusue conditionis Chriſtiani, commode explicari, ſed ad vniuerſum potius genus humanum eſſe referendam, cui non modo omnes Chriſtiani,

---

35) De qua poſteriore eius ſignificatione notiſſima illa Marc. XVI, 15. coll. Matth. XXVIII, 19. et Coloſſ. I, 23. loca neminem ſinunt dubitare.

ſed Paulus etiam tanquam generi ſubſunt. Cur vero, quod de hominibus in vniuerſum dixerat, eos de ſua fragilitate atque mortalitate omnes vna dolere atque gemiſcere, (συζεναζει καὶ συνωδίνει, v. 22.) id nominatim etiam de Chriſtianis, iisque τὴν ἀπαρχὴν τȣ̃ πνεύματος ἔχȣσι, atque ſemet ipſo quoque valere admoneat, id mihi quidem non videtur difficile intellectu. Cum nimirum Chriſtiani in illo ipſo, qui iis contigit, πνεύματι, quo, vt poſt dicit v. 26. in calamitatibus huius vitae perferendis plurimum adiuuantur, iam primitias quasdam futurorum bonorum poſſideant, quibus certiſſime ipſis poſſit perſuaderi, ſe olim plenam felicitatem iis deſtinatam eſſe conſecuturos, tumque ſe ab hac etiam miſeria iri liberatum, minime expectandum videri potuiſſet, fore, vt iſta, cui nunc ſubſunt, malorum mortisque tolerandae neceſſitate magnopere offendantur, eamque aegre ferant [36]). Quare cum tamen ea res aliter ſe habere reperiatur, eſt profecto, quod mireris, illamque φθορὰν rem hominibus moleſtiſſimam eſſe iudices, hincque ſi ea fuerit e medio ſublata, ſummum iis beneficium exhibitum eſſe intelligas. Atque hanc ipſam ea de re mirandi cauſam Paulus aperte voluit verbis illis: καὶ αὐτοὶ, *vel ipſi adeo illi*, indicare, vt profecto veriſſime monuerit *Koppius*, particulam καὶ admirationis ſignificandae vim nunc habere. Quod vero Paulum ipſum, de quo equidem in proximis illis: καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ, ſolo cogitandum eſſe exiſtimem [37]), attinet, is quidem prae-

---

36) Quam huius expectationis cauſam bene perſpexit *Chryſoſtomus* in loco *Homil. II. in epiſt. ad Epheſ. not.* 31. laud. in quo paucis poſt ea, quae ibi adſcripſi, interiectis, haec adhuc ſubiicit: *οἱ γὰρ ὄντως πνεύματος μετέχοντες, ἴσασιν ὅτι ἀῤῥαβὼν τῆς κληρονομίας ἡμῶν ἐστι· τοιȣ̃τος ὁ Παῦλος ἦν, ἐντεῦθεν ἤδη τῶν ἐκεῖ γεγευμένος· διὸ καὶ ἠπείγεται καὶ ᾠδινε τὰ ἐνθάδε ἀφεῖναι καὶ ἔξενεν· ἑτέροις γὰρ ὀφθαλμοῖς ἑωρᾶ πάντα τὸν νȣ̃ν μεταῤῥυθμισας ἐκεῖ.*

37) Cum eum et alibi plurali de ſe numero vſum eſſe, luculenter doceat v. c. locus 2 Cor. X, 11. coll. v. 1.

ter communia omnibus Chriſtianis caeterisque muneris ſui collegis bona tot perceperat ſingularis beneuolentiae auxiliique diuini documenta, vt ipſe in poſteriori epiſtola ad Corinth. Cap. maxime XI. atque XII. permultum ſe habere contenderet, de quo, ſi quidem res ita ferret, plurimum poſſet gloriari. Quare ſi quem ad corporis miſerias moriendique neceſſitatem patienter perferendam paratum eſſe futurum credibile erat, de hoc profecto viro id videri debuiſſet expectandum. Attamen et hunc illam corporis exuendi neceſſitatem aegerrime tuliſſe, luculentiſſime teſtantur, quae ipſe in hanc rem ſcripſit 2 Cor. V, 2. 3. καὶ γὰρ, inquiens, ἐν τούτῳ (τῷ σκήνει) στενάζομεν, τὸ οἰκητήριον ἡμῶν τὸ ἐξ οὐρανοῦ ἐπενδύσασθαι ἐπιποθοῦντες· εἴγε καὶ ἐνδυσάμενοι οὐ γυμνοὶ εὑρεθησόμεθα. Καὶ γὰρ οἱ ὄντες ἐν τῷ σκήνει στενάζομεν βαρούμενοι· ἐφ᾽ ᾧ οὐ θέλομεν ἐκδύσασθαι, ἀλλ᾽ ἐπενδύσασθαι, ἵνα καταποθῇ τὸ θνητὸν ὑπὸ τῆς ζωῆς. Et tamen idem Paulus, qui tantopere cupiebat moriendi neceſſitate exemtus eſſe, ſe mox v. 5. τὸν ἀῤῥαβῶνα τοῦ πνεύματος a Deo dicit accepiſſe.

IX.

PROPONITUR EXEMPLUM IUDICII DE DIVERSIS SINGULORUM SCRIPTURAE SACRAE LOCORUM INTERPRETATIONIBUS FERENDI, EXAMINANDIS VARIIS INTERPRETUM DE LOCO Gal. III, 20. SENTENTIIS.

PROOEMIUM.

Quo largiorem tantus ille interpretum in ſingulis ſcripturae s. locis explicandis diſſenſus, et enata hinc variarum vnius eiusdem loci interpretationum multitudo atque diverſitas omni tempore cum religionis noſtrae aduerſariis, eam calumniandi, tum Romano etiam Catholicis, ſcripturam s. obſcuritatis et ambiguitatis accuſandi, neceſſitatemque eiusmodi interpretis eius inde demonſtrandi, qui ſenſum ipſius certo conſtituat, ſuaque auctoritate confirmet, materiam praebuit, quoque maiori is non poteſt non omnibus iis, qui ad interpretandos libros ſa-

Nota editoris. Conſtitit haec commentatio, cum primum ab auctore ederetur, ſeptem ſingulis programmatibus, in conſuetis Academiae ſolennitatibus annis 1809 et 1812 deinceps publice propoſitis. Quare, cum lectores repererint, laudari paſſim in notis auctores, qui 1814 demum et ſerius de eodem loco disputarunt, *Wilkenium*, *Steudelium*, *Schultheſsium*, ipſi iudicabunt, eiusmodi additamenta indeſeſſae auctoris de loco tractato curae ſigna eſſe valde honorifica.

cros ſtudia ſua conferunt, inque ea re vſum aliquem et conſuetudinem ſibi contrahere cupiunt, offenſioni eſſe, et vniuerſae interpretationis illorum librorum difficultates, quarum ſat multas iam eſſe conſtat, mirum in modum augere: eo magis profecto optandum eſt, vt iſte diſſenſus [1]) in poſterum minuatur atque caueatur, et quae nunc quidem in medium propoſitae ſunt ſingulorum locorum interpretationes diligenti examini ſubiiciantur, et quaenam earum attentione adhuc dignae videantur, vel e contrario reiiciendae ſint, nulloque amplius loco ponendae, oſtendatur. Quorum prius quidem quemadmodum nulla alia ratione felicius et tutius effici poterit, niſi grammatico-hiſtoricae interpretationis viam in ſacris etiam libris conſtanter ingrediendo, eiusque regulas in ſingulorum locorum interpretatione diligenter obſeruando; ita in poſteriore etiam ſuscipiendo hoc modo verſandum erit, vt primum doceatur, quanam in re ipſa diuerſitas illa cernatur, eiusque quaſi fontes aperiantur, tum vero ad eiusdem interpretationis grammatico-hiſtoricae praeceptorum normam demonſtretur, quaenam interpretatio optime iis reſpondeat, ſitque hinc vtique admittenda, aut ferri ſaltem poſſit et non omnino improbabilis iudicari, et quaenam contra praecepta illa aperte violet, atque vel loquendi vſui, vel contextui loci, vel denique conſilio ſcriptoris, aliisue rebus, quae ad ſenſum loci alicuius conſtituendum momenti aliquid habent, repugnet, aut vim ſaltem loco vlla ex parte inferat, ſitque hinc neceſſario improbanda atque reiicienda, nullaque amplius commemoratione digna, aut ab omni ſaltem probabilitate aliena iudicanda. Quod cum exemplo aliquo per hanc ſcribendi occaſionem oſtendere pluribusque declarare conſtituiſſe-

---

1) De quo conferri poſſunt, quae disputauit olim *Frid. Wilh. Schleusnerus* in *Diſſ de diſſenſibus interpretum in explicandis locis ſcripturae s. intellectu difficilioribus. Lipſ.* 1756. 4.

mus [2]), non videbatur nobis vllus alius locus in medium proferri posse, qui maiori interpretationis diuersitati obnoxius fuisset, quam nobilissimus ille epist. ad Gal. III, 20. locus, in quo, postquam τοῦ μεσίτου mentionem fecerat Paulus, cuius interuentu lex Mosaica lata fuisset, haec deinde paucissima verba subiicit: ὁ δὲ μεσίτης ἑνὸς οὐκ ἔστιν· ὁ δὲ Θεὸς εἷς ἐστιν, quae in tam diuersas ab interpretibus partes tracta, tamque vario modo explicata fuisse constat, vt nuper peculiares libri a triumuiris doctissimis de hac interpretationis eorum diuersitate scribi potuerint [3]), et tamen ne ab his quidem, quanquam ducentorum circiter interpretum sententiae ab iis fuerint collectae atque expositae, omnia huius loci explicandi tentamina in lucem protracta fuisse defendi possit [4]). Cum vero immensus fere et vix absque summo taedio sustinendus labor futurus esset, si quis, quod isti viri facere instituerunt, singulorum interpretum sententias deinceps velit enarrare, singulas-

---

2) Illustraturi ea re simul id, quod de hac variarum scripturae s. interpretationum examine paucis nuper obseruauimus in *Compendio Hermeneutices N. T.* §. 111. *p.* 125.

3) *Car.* nimirum *Frid. Bonitzio*, sacrorum apud Longosalissenses nunc antistite, in libello sic inscripto: *Plurimorum de loco Pauli Gal. III*, 20. *sententiae examinatae, nouaque eius interpretatio tentata. Lipsi.* 1800 8. et *Spicileg. obseruationum ad locum Pauli nobilissimum Gal. III*, 20. *ibid.* 1802. 8. itemque *Car. Theoph. Antonio*, Gymnasii Gorlicensis hodie Rectore, in Diss. *Locus Gal. III*, 20 *critice, historice et exegetice tractatus*, *Viteb.* 1800. 4. cuius altera nuper editio emendat. et auct. prodiit in *Potti Sylloge Commentationum theolog. Vol. V. p.* 141. *sq.* qua editione auctore nos quidem in sequentibus semper sumus in excitando hoc libello vsuri, et *Christoph. Chr. Zaeunero*, ecclesiae euangel. apud Dünkelsbühlanos Archidiac. in *Historisch-exegetisch-homiletischem Versuch über Gal. III*, 15 – 21. *Nor.* 1807. 8. Qui vero ante hos triumuiros eundem variarum h. l. interpretationum enarrandarum laborem sustinuerunt, paucis commemoratos vide apud *Bonitzium*, §. 4. *p.* 3. *sq.*

4) Quod cum ipsi viri illi professi sunt, tum exemplis etiam aliquot afferendis ostendit *Gablerus* im *Neuest. theolog Journ. Vol. V. part. III. p.* 275. *sq.* et *Vol. XII. part. I. p.* 57. *sqq.* atque nosmet etiam ipsi in libellis proxime insecuturis aliis quibusdam exemplis sumus confirmaturi.

que diiudicare, multo profecto commodius atque vtilius esse videtur, ipsam illam sententiarum diuersitatem ad certa quaedam capita reuocare, et quaenam in quolibet eorum locum habeat diuersitas, separatim exponere, quidque de qualibet earum ex Hermeneutices praeceptis sit iudicandum, additis iudicii causis, explicatius ostendere; cuius rei nos quidem hoc praesenti nonnullisque aliis, qui eum proxime excipient, libellis periculum facere constituimus.

Quodsi vero quis quaesiuerit, ad quaenam capita primaria omnis h. l. interpretandi diuersitas referri possit atque reuocari, facile is reperiet, tria maxime esse commemoranda. Cernitur enim *vel* in singulorum verborum significatione declaranda eorumque nexu constituendo, *vel* in integrarum sententiarum, quae vtroque commate continentur, forma, sensu et nexu definiendo, *vel* denique vniuersi loci consilio patefaciendo. De his igitur deinceps quaeremus.

I.

Quod igitur singula primum verba eorumque nexum attinet, nullum plane est ne verbulum quidem, quod non diuersissimo modo ab interpretibus fuerit explicatum, varieque nexum, hocque alterutro respectu intactum ab iis et intentatum relictum, ita vt hac saltem ex parte vix vlla amplius superesse videatur via, quae ab interprete possit iniri. Nec est profecto, quod id vllo modo miremur. Cum enim hic locus propter nimiam, qua laborat, breuitatem, vtique difficultatis aliquid habeat, hacque ipsa difficultate sua interpretum studia ad eum enucleandum impensa tanto vehementius excitauerit, quanto infelicius plerique in eo explicando versati fuisse iudicarentur; non poterat profecto aliter fieri, quin singula quaeque verba in diuersissimas partes verterentur, nuncque hoc, nunc alio modo necterentur at-

que explicarentur, quo noua ſcilicet eaque caeteris, vt plerumque iactitabatur, praeſtantior, aut, vt non nulli profiteri minime veriti ſunt, vnice adeo vera loci explicatio inde prodiret.

Et primarium quidem prioris commatis vocabulum μεσίτης maxima interpretum pars de mediatore, eoque inprimis eiusmodi intelligendum eſſe iudicauit, qui partes diſſidentes inuicem componat, pacemque et concordiam inter eos reſtituat. At fuerunt tamen etiam, qui non de mediatore, ſed ſponſore potius et fideiuſſore [5]), aut promulgatore [6]) et interprete id intellectum mallent. Quanquam vero haec non magni admodum momenti eſt diuerſitas, tamen vix videtur diu ambigi poſſe, quae-

---

5) De quo vocabulum hoc explicandum nunc eſſe defendit *Io. Ben. Carpzouius* in Prol. ſic inſcripta: *Promiſſio Dei olim Abrahamo ſancita per legem praeſentibus angelis dein promulgatam non antiquata*, ῥήσις *epiſt. ad Gal. III*, 15 – 22. *Helmſt.* 1775. 4. in qua *p.* 17. ea de re haec habet: *Vox* μεσίτης *ſi etymologice hic ſumitur pro eo, qui* medius *eſt inter duos, qui eadem mente et voluntate non ſunt, et quibus parum conuenit ſecum inuicem; pro* mediatore *igitur aliquo, aut* internuntio (ein Mittler): *non videntur ſatis perſpici verba poſſe, quae ſequuntur. Imo difficiliora et obſcuriora euadent magis, quo plurium interpretum inexplicabilia commenta euoluuntur. Mallem igitur* μεσίτης *clarius veri* vas, ſponſor, expromiſſor, fideiuſſor, (ein Bürge). *Eodem ſenſu adhibetur, quo* ἔγγυος *in Epiſt. ad Hebr. vt ſi Cap.* 7, 22. *Ieſus nominatur* ἔγγυος κρείττονος διαθήκης, ſponſor foederis melioris quam legale fuit; *is enim cap.* 12, 24. *audit* διαθήκης νέας μεσίτης, ſponſor noui foederis. Sponſoris *nempe et* fideiuſſoris *eſt* μεσιτεύειν· *hoc eſt* ἐντυγχάνειν, ἐγγυᾶν, ὁμολογεῖν. Hinc etiam in verſione germanica huic libello adiecta verba haec ita reddidit: *ein Bürge wurde geſtellt, weil veränderliche Menſchen verſprechen ſollten.* Nihilominus tamen in vniuerſae epiſtolae huius verſione germanica, ao. 1794. edita, ſenſum horum verborum hunc potius in modum expreſſiſſe deprehenditur: *Ein Vermittler ward darzu gezogen, weil mit veränderlichen Menſchen gehandelt wurde.*

6) Quem cogitandum nunc eſſe, ſtatuit *P. H. Hanius* in *Schrifterklär. erſt. Fortſetz. p.* 50. vbi praeter alia haec leguntur: *Nun heiſst Jeſus der Mittler, d. i. der Promulgator, oder, will man lieber, der Vollzieher (Executor) des neuen, des beſſern Teſtamentes. Alſo konnte auch Moſes ganz füglich der Mittler, d. i. der Promulgator, oder Vollzieher des Geſetzes, (des alten Teſtaments) — genannt werden.*

nam significatio huic vocabulo nunc quidem sit tribuenda. Cum enim id aperte nunc suspensum sit a praecedentibus verbis, quibus dixerat Paulus, legem Mosaicam latam fuisse ἐν χειρὶ μεσίτου, ab iisque repetitum, eodem haud dubie sensu accipiendum erit, quo ibi de Mose dicitur. Quo autem sensu ille in legis Sinaiticae promulgatione, de qua hic perspicue sermo est, μεσίτου personam sustinuerit, cum historia docet, tum aliorum etiam scriptorum testimonia, inprimisque loquendi vsus inter ipsos Iudaeos receptus, declarant. Etenim historia quidem diserte tradit Deut. V, 5. eum legem a Deo sibi in monte traditam accepisse populoque promulgasse, fuisseque adeo inter hunc atque Deum quasi medium; hacque ipsa de causa constat etiam cum Philonis [7]), tum aliorum quoque scriptorum iudaicorum [8]) testimonio, eum a Iudaeis μεσίτου nomine fuisse adpellatum. Quae cum ita sint, profecto intelligitur, neque de eiusmodi mediatore nunc nominatim cogitandum esse, qui dissidentes inter se et litigantes partes componat, (tali enim non adparet, quinam in legis illa promulgatione locus esse potuisset), neque de sponsore aut fideiussore, sed omnino nunc significari eum, cui vllum aliquod inter duas pluresue partes negotium est peragendum, cuiuscunque demum id generis sit [9]).

Simili vero modo de eo etiam dubii fuerunt interpretes, quamnam vim nunc habeat articulus ὁ huic vocabulo μεσίτης praefixus, sitne nunc articulus demonstratiuus, an indefinitus, debeatque hinc vel de definito

---

7) Cuius locum huc facientem post alios ad hunc ipsum epistolae huius locum laudauit *Loesnerus* in *Obseruatt. Philon. in N. T.*

8) Quorum plura in hanc rem loca attulit *Wetsteinius* ad h. l. ex eoque repetiit *Koppius* in *Animaduerss. ad h. l.* Cfr. *Io. Fr. Fischer. de Vitiis Lexic. N. T. p.* 351.

9) De qua vocabuli huius significatione videnda, quae praeter *Schleusnerum* in *Lexic. N. T.* disputauit *Io. Guil. Schmidius* in *Commentationis, in qua* μεσίτου *notio indagatur, part. I – III. Ien.* 1785 – 87. 4.

aliquo mediatore, ſiue Moſes is fuerit, ſiue, vt alii voluerunt, Chriſius, ſiue de quocunque mediatore in vniverſum in his verbis cogitari. Vtrumque autem cum eſſent, qui defenderent, extiterunt iam alii, qui poſteriorem explicandi modum per linguae rationem admitti poſſe negarent [10]). At hi profecto facile poterant meliora edoceri, cum non deſint ſimilia in libris N. T. loca, in quibus articulus iſte vocabulis indefinite poſitis et quodlibet indiuiduum ad certum aliquod vel hominum, vel rerum genus pertinens deſignantibus praefigitur [11]), quorum maxime notabilis ille potiſſimum, qui Io. X, 11. legitur, propterea videtur, quoniam, ſi in hoc noſtro in verbis: ὁ δὲ μεσίτης de quolibet mediatore in vniuerſum ſermonem eſſe ſtatuatur, ei ſimillimus eſt iudicandus. Cum enim Ieſus ſe ibi bonum paſtorem adpellasſet, ſtatim ſubiicit ſententiam aliquam vniuerſam de quolibet bono paſtore valentem, his quidem verbis vſus: ὁ ποιμὴν ὁ καλὸς τὴν ψυχὴν αὐτοῦ τίθησιν ὑπερ τῶν προβάτων. Eodem igitur modo Paulus etiam hic, poſtquam mediatoris, cuius interuentu lex Sinaitica lata fuerat, mentionem iniecerat, ſtatim ſententiam aliquam ad quemlibet mediatorem ſpectantem ſubiieciſſe cenſen-

---

10) Quibus annumerandi v. c. ſunt *Noesseltus* in Proluſ. in h. l. inſerta *Exercitationibus* eius *ad ſacrarum ſcripturarum interpretat. p.* 162, *Bonitzius* in *Spicileg. Obſeruatt. in h. l.* §. 221. *p.* 15. atque *Zaeunerus l. l. p.* 109. qui omnes contendunt, ſi de quouis mediatore in vniuerſum nunc loqui voluiſſet Paulus, ſcribendum ei potius fuiſſe vel μεσίτης δὲ absque articulo, vel ſaltem ὁ μεσίτης δὲ, non vero, vt hic ſcriptum reperiatur: ὁ δὲ μεσίτης.

11) De quibus inprimis perite nuper disputauit ignotus quidam Vir doctus in *Theologiſch. Nachricht. Vol. II. ao.* 1809. *p.* 381. *ſq.* haec nominatim loca commemorans: Matth. XXV, 32. ὁ ποιμὴν, Luc. X, 7. et 1 Tim. V, 18. ὁ ἐργάτης, Rom. IX, 21. ὁ κεραμεὺς, Io. X, 10. ὁ κλέπτης, v. 12. ὁ μισθωτὸς, XVI, 21. et 1 Cor. XI, 10. ἡ γυνὴ, Gal. IV, 1. ὁ κληρονόμος, 1 Tim. III, 2. et Tit. I, 7. τὸν ἐπίσκοπον. (Cfr. etiam *Chſtn. Glob. Wilke*, *Spicileg. Obſeruatt. ad locum Pauli.* Gal. III, 20. Cizae 1814. p. 7. ſqq.)

dus foret. Vtrum vero hoc re vera ab eo factum fuerit, nec ne, intelligitur saltem nunc, minime posse ex solo loquendi vsu definiri, sed aliis potius argumentis ex oratione contexta repetitis esse conficiendum, de quibus paulo inferius disputandi locus est futurus. Neque enim ex eo, quod particula δὲ articulo statim subiecta, minime vero vocabulo μεσίτης postposita deprehenditur, vllum aliquod argumentum ad hanc rem constituendam repeti poterit, cum et hac in re arbitrium magis, quam certam aliquam regulam secuti fuisse reperiantur N. T. scriptores [12]); cuius rei idem euangel. Ioan. Cap. X. exemplum exhibet, in quo Iesus de pastore mercenario disputans, v. quidem 12. his de eo verbis vtitur: ὁ μισθωτὸς δὲ, vers. autem proximo inuerso ordine dicit: ὁ δὲ μισθωτὸς φεύγει. Simili vero modo nec hoc solo loquendi vsu duce constitui poterit, vtrum illa ipsa particula δὲ transeundi tantum et copulandi vim nunc habeat, quam in eodem illo, quem modo laudauimus, Ioannis loco et centenis aliis obtinet, an vero, vt nonnulli voluerunt [13]), aduersatiua nunc coniunctio sit iudicanda, cum vtroque eam modo per loquendi quidem consuetudinem vsurpari, neminem fugiat, hincque vnum hoc quaerendum relinquatur, vtrum vis illa aduersativa ei in hoc etiam nominatim loco, in quo aliud ὁ δὲ in altero statim membro ipsi subiicitur, tribui poterit, qua de re ad illud ipsum comma nonnulla monendi occasio nobis suppeditabitur.

---

12) Quod ipsum obseruatum etiam est ab eodem illo, cuius mentio modo iniecta est, viro docto, qui eius confirmandi causa haec loca laudauit: Matth. XI, 11. ὁ δὲ μικρότερος, XXIV, 13. ὁ δὲ ὑπομείνας, Marc. XVI, 16. ὁ δὲ ἀπιστήσας, Rom. I, 17. ὁ δὲ δίκαιος.

13) Quorum in numerum referendus inprimis est *Bonitzius*, qui obiectionem aliquam in his verbis agnoscit, ideoque ea sic vertit: *at enimuero ille mediator non est vnius partis*, hunc que secutus etiam est *Schottus*, qui verba haec in sua libr. N. T. versione ad eundem plane modum reddidit.

Vtvt vero in eo diſſentiant interpretes, vtrum verba illa: ὁ δὲ μεσίτης de definito aliquo, an quocunque mediatore ſint intelligenda; in eo tamen omnes propemodum conſentiunt, ea iunctim eſſe ſpectanda ſic, vt ſubiectum orationis conſtituant, hancque ſententiam quemlibet etiam, qui ad locum hunc legendum nulla opinione praeoccupatus acceſſerit, haud cunctanter probaturum eſſe, certo confidimus. Nihilominus tamen extiterunt etiam, qui verba haec ſeparanda, et in prioribus modo vocabulis ὁ δὲ, quae pro οὗτος δὲ poſita eſſe iudicarunt, commatis huius ſubiectum agnoſcendum, vocabulum autem μεσίτης ad praedicatum referendum eſſe ſtatuerent [14]), licet in oculos videatur incurrere, Paulum ſummae profecto in ſcribendo negligentiae fore accuſandum, ſi verba haec in hunc modum conſtructa voluiſſet, ſitque magnopere dubitandum, vllum aliquod exemplum commemorari poſſe, in quo illud ὁ δὲ Subſtantiuo praefixum pro ὅτος δὲ poſitum reperiatur [15]). Ad eundem vero modum proximum etiam vocabulum ἑνὸς, quod plerique cum ſequentibus verbis: ἐκ ἔστιν iungendum putarunt, ab *Hezelio* [16]) quidem, *Antonio* [17]) et *Heinrichsio* [18]) ab his fuit ſeiunctum et cum vocabulo μεσίτης conſtructum, iamque illud ἐκ ἔστιν de eo explicatum, quod iſte μεσίτης ἑνὸς [19])

14) Quam ſententiam, quod profecto miramur, praeter alios inprimis perſpicue profeſſus eſt *Morus* noſter in *Acroaſ. in epiſtol. Paul. ad Gal. et Epheſ.* vbi *p.* 67. ὁ δὲ, inquit, *poſitum per ſe capio, i. e.* ὅτος δὲ, *vt in euangeliis ſaepius occurrit:* ὁ δὲ (pro ὅτος δὲ) *reſpondit.*

15) Qua de re videnda ſunt, quae obſeruauit iam *Bonitzius l. l.* §. 135.

16) In *Schriftforſch. Vol. II. part. I. p.* 203.

17) Ex altera quidem, quam *l. l. p.* 265. propoſuit, h. l. interpretatione.

18) In commentat. ſuper h. l. inſerta ipſius *Beyträge zur Beförder. der theolog. Wiſſenſchaft, inſonderheit der neuteſtam. Exegeſe, Vol. I. part. I. p.* 22.

19) De quo tamen ne his quidem triumuiris vna eademque ſe-

vel nullus amplius ſit, h. e. omni iam auctoritate careat [20]), vel non ſit ipſe εἷς aut immutabilis [21]); quam tamen conſtruendi rationem, etiamſi per loquendi vſum admitti poſſit, quilibet profecto, qui apertam illam oppoſitionem, quae in verbis: ἑνὸς ἐκ ἔστιν et proximis: θεὸς εἷς ἐστιν locum habet, vel paululum penſitauerit, haud cunctanter repudiabit, cum ex ea perſpicue ſatis adpareat, in illa, quaecunque etiam ſit, ἑνότητι primariam huius vniuerſae ſententiae notionem eſſe agnoſcendam.

Qui vero haec verba: ἑνὸς ἐκ ἔστιν inuicem iungenda putarunt, ii in mire varias partes ea ſunt interpretati. Primum autem de eo inter ſe ambegerunt, vtrum vocabulum ἑνὸς pro maſculino an neutro ſit habendum, et quodnam aliud vocabulum in eo ſupplendum. Quanquam enim per loquendi quidem vſum minime opus fuiſſet, vt de huius vocis aliquo ſupplemento cogitaretur, cum eam ſaepe Subſtantiui loco vſurpari et de vno aliquo, quicunque etiam ſit, vel vna aliqua re dici con-

---

det ſententia. Etenim *Hezelio* quidem μεσίτης ἑνὸς, eſt mediator *primae* religionis oeconomiae, Moſaicae nimirum, *Antonio* vero et *Heinrichsio*, quorum vterque vocab. ἑνὸς ad Deum vult referri, eſt mediator Dei vnius et immutabilis.

20) Quem tamen ſenſum illi ἐκ εἶναι, quod pro ἐδὲν εἶναι, iſti poſitum eſſe exiſtimant, per loquendi vſum recte tribui poſſe, iure videtur nobis a *Bonitzio l. l.* §. 125. *p.* 80, in dubitationem fuiſſe adductum, atque ab hac ſententia nec iis potuimus abduci, quae ſui defendendi cauſa contra eum monuit *Antonius l. l. p.* 267. *ſq. not. r.* Quodſi vero vel maxime haec vis, loquendi etiam vſu conſentiente, huic formulae tribui poterit, nunc tamen propterea non poſſet in h. l. transferri, quoniam in altero commate: ὁ δὲ θεὸς εἷς ἐστιν, illud εἶναι aperte vulgarem ſignificationem *exiſtendi* obtinet; hincque eodem ſenſu in priore etiam commate videtur accipiendum eſſe.

21) Quae quidem *Heinrichsii* eſt ſententia, qui ad verba: ἐκ ἔστιν vocem εἷς ſupplendam eſſe ſtatuit, hincque totum comma ita vertit: *der Mittler eines einigen und unveränderlichen iſt ja deswegen noch nicht ſelbſt einig und unveränderlich*, in qua tamen verſione cum ſignificationis vocabulo εἷς nunc tributae ratio idonea, tum eius etiam hic ſupplendi cauſae iure videntur deſiderari.

ſiet [22]); plerique tamen aliter ſtatuerunt, eique neceſſario aliud quoddam vocabulum cogitando addendum eſſe iudicarunt, hincque perquam varia eius ſupplendi genera in medium protulerunt, aliis quippe λαῦ, vel ἔθνος [23]), aliis νόμὸ [24]), aliis θεῦ [25]), aliis μέρος [26]), aliis τρόπος [27]), aliis πράγματος [28]) aliis ἐυαγγε-

---

22) Quem vſum huius vocabuli non modo illa loca, in quibus εἷς καὶ εἷς, vel εἷς καὶ ἕτερος, vel εἷς μὲν, ἕτερος δὲ ſibi invicem ſubiiciuntur, ſed et ſingula loca confirmant, in quibus cum Genitivo vel ſimpliciter conſtruitur, vt ſit v. c. Matth. XVI, 14. εἷς τῶν προφητῶν et Matth. XVIII, 28. εἷς τῶν συνδούλων, vel addito etiam pronomine τις, e. c. Marc. XIV, 47. εἷς τις τῶν παρεστηκότων et Luc. XXII, 50. εἷς τις ἐξ αὐτῶν.

23) Quod e veteribus ſupplendum iam iudicauit *Ambroſius*, cuius locum recitauit *Zaeunerus l. l. p.* 36. itemque *Gennadius*, quem laudauit *Antonius* §. 34. *p.* 174. ex recentioribus autem *Caluinus* in *Comment. ad h. l. Io. Andr. Cramerus* in *Beyträg. zur Beförder. theolog. u. ander. nützlich. Kenntniſſe, To. I. p.* 157. *Mich. Weberus* in libr. *de vſu verſionis N. T ſyriacae hermeneut. p.* 10. Anonymus in *Henkii Neu. Magaz. für Religionsphiloſ. etc. Vol. II. part. I. p.* 18. et alii.

24) Vt factum v. c. a *Car. Fr. Bahrdtio* in *Verſ. N. T.* vernacula *I. B. Koppio* in *Animadv. ad h. l. P. H. Hanio l. l. p* 44. *Hezelio* in *Schriftforſch Vol. II. part. I. p.* 200. et *E. A. Borgero* in *Interpret. epiſt. ad Gal. p.* 224. *ſq.*

25) De quo ſupplendo cogitarunt v. c. *S. H. Moeller* in *Auguſti theol.-Blätt erſt. Jahrg. p.* 19 *ſq* *Car Chr. Ludw. Schmidt* in *Repertor. für die Literat. der Bibel, Part. I.* et *W. I. Albrecht* in *Gableri Neueſt. theolog. Journ. Vol. XII. part. I p* 61.

26) Quod permulti ſuppleri voluerunt, quos non attinet nunc nominatim commemorare, cum eorum vna cum reliquis in proximo libello mentio adhuc ſit iniicienda.

27 Quam explendi rationem iniit *Ioh. Mich, Herm. Harras* in *Kritiſchem Verſuch zur Entſcheid. des einzig mögl. Sinnes der Stelle Gal. III,* 20. inſert. *Eichhornii Bibl. der bibl. Literat. Vol. IX. part. I p.* 48. vbi de his verbis haec habet: *Alſo iſt auch die Autorität Moſis als eines göttlich Bevollmächtigten nicht von unveränderlicher Beſchaffenheit* (ὁ δὲ μεσίτης ἑνὸς οὐκ ἔστι ſc. τρόπος) *als daure ſeine Vollmacht immer fort, als müſſe man glauben, daſs er für immerwährende Zeiten und für alle Völker Bevollmächtigter ſeines Geſetzes habe ſeyn ſollen.*

28) Et hoc vocabulum multi ſupplendum eſſe iudicarunt, que-

λίθ [29]), aliis σπέρματος [30]), aliis denique θελήματος vel πνέυματος [31]) vocabulum ſupplentibus [32]). Verum cum in plerisque horum vocabulorum vſus loquendi minime ferat, vt ea, niſi a contextu loci ſponte quaſi ſuppeditentur, ſimpliciter omiſſa eſſe iudicemus [33]), huius

---

rum nomina ex *Bonitzianis* potiſſimum libellis facili negotio cognoſci poſſunt, quibus tamen addendus nunc eſt *Borgerus*, ex ſecunda quidem et tertia h. l. explicatione, quam *l. l. p.* 232. *ſq.* propoſuit. Ipſum autem hoc πράγματος vocabulum iſti quidem interpretes nunc in vniuerſum de vllo aliquo negotio a μεσίτη perficiendo, nunc vero etiam definitius vel de lege per Moſen promulgata, vel de promiſſione Abrahamo data, vel de vtraque ſimul voluerunt intellectum; qua de re poſtea pluribus dicendi locus erit.

29) Quod vocabulum nunc ſuppleri poſſe, *Clericus* certe ſibi perſuaſit in *Nott. ad Hammondi Paraphraſ.* haec ſcribens: *Voces ἑνὸς οὐκ ἔστιν ſignificant*, vnus non eſt, *vt colligere eſt ex oppoſito membro*, Deus vero vnus eſt, *quamuis proprie ſonent*, vnius non eſt, *et ſubauditur πράγματος ἤτοι εὐαγγελίου, aut ſimile quid. Perinde eſt ac ſi diceret Paulus: Mediatorem dixi fuiſſe inter Deum et veteres Hebraeos, quia licet vnus idemque ſit Deus*, non vnius *Euangelii ſingularem conſtituit mediatorem, ſed etiam legis, nimirum Moſem.*

30) Cuius ſupplendi prima, quantum nobis quidem cognoſcere licuit, cogitatio exorta eſſe videtur *Petro Boſchio*, (*Pierre du Boſc*) teſte quidem eius *Vita cum ſubiunctis literis, orationibus, diſſertationibus aliisque maioris momenti opuſculis* (*Roterod.* 1694.) *p.* 517. *ſq.* Poſt vero inter recentiores eum inprimis ſecuti fuiſſe reperiuntur *Roſenmülllerus* noſter, cum in *Proluſ. in h. l. Erlang.* 1779. edit. *p.* 16. tum in *Scholiis ad h. l. Doederleinius* in *Auserleſ. theolog. Biblioth. Vol. IV. part.* 3. *p.* 236. *Moſchius* in *Erklär. aller Sonn- u. Feſttags-epiſt. Vol. II. ſect. II. p.* 1024. edit. 2. *Noeſſeltus* in Prol. *l. l. p.* 143. *Stolzius* in tribus prioribus verſionis ſuae N. T. germanic. edit. *Oertelius* in *Auguſti theol. Monatsſch. für das Jahr.* 1802. *Vol. II. p.* 61. itemque *Zaeunerus l. l. p.* 223.

31) Quorum vocabulorum alterutrum ſuppleri voluit anonymus quidam a *Bonitzio* laudatus in *Spicileg.* §. 245. *p.* 32. vbi haec eius horum verborum interpretatio exhibetur: *internuncius non poteſt idem conſilium, non poteſt ſuum conſilium ſequi.*

32) Quod vero *Hieronymus* et *Primaſius* vocabulum *ſubſtantiae* ſupplendum putarunt, deque duplici Ieſu natura in his verbis cogitarunt, id plane non videtur inter grammaticos huius loci explicandi conatus referendum eſſe, cum aperte dogmaticis potius, quam grammaticis ea in re rationibus duci ſe paſſi ſint.

33) Quod vel notiſſimus ille *Lamb. Boſii de ellipſibus graec.* liber, quem *Schaeferus* noſter nouis nuper obſeruatio-

vero loci contextus nullius eorum memoriam in animo lectoris excitet, et ne σπέρματος quidem vocabuli, quod ex v. 16. repeti nunc voluerunt [34]), aut θεῷ [35]) omissionem admittat, profecto intelligitur, haec omnia vocabuli illius explendi genera pro arbitrio sumta esse, hincque neutiquam posse probari.

Tum vero in ipsa etiam huius vocabuli ἑνὸς significatione constituenda diuersi ac dubii fuerunt interpretes. Quanquam enim plerique de numeri vnitate id voluerint intellectum, fuerunt tamen etiam, qui vel primum [36]), vel vnicum [37]), vel id, quod vnum semper

---

nibus auctum edidit, quemque potest docere, cum, si vel maxime pleraque horum vocabulorum inter ea vocabula ibi recenseantur, quae a Graecis omitti interdum soleant, abunde tamen ostendat, ea non in quolibet contextu, neque in cuiuscunque generis vocibus omissa esse iudicanda.

34) Longius enim iste versus ab hoc nostro remotus est, quam vt, quae ibi scripserat Paulus, animo ipsius adhuc potuissent observari. Neque vero etiam dici poterit, eum v. 19. potius respexisse, in quo illud σπέρμα ᾧ ἐπήγγελται rursus commemorauerat, quoniam si in vocabulo ἑνὸς illius definiti σπέρματος ἑνὸς rationem habuisset, non potuisset articulo destitutum nunc ponere, sed scribendum potius ei fuisset: τῷ ἑνὸς τούτου vel ἐκείνου, vt recte iam obseruarunt *Antonius l. l. p.* 229. et *Bonitzius Spicileg.* §. 264. *p.* 45.

35) Cum enim hoc vocabulum θεὸς statim subiiciatur, deque eo hoc praedicetur, eum esse ἕνα, non poterit nunc in illa voce ἑνὸς commode suppleri, sed necesse potius est, vt in illo ἑνὶ de alio a Deo diuerso cogitemus.

36) Quo sensu hoc vocabulum a duumuiris potissimum acceptum deprehendimus, *Hezelio* nimirum *l. l. p.* 203. et *Io. Frid. Guil. Tischero*, dioeceseos Plauienfis Superintend. in *Scholiis in locum Gal. III*, 1 – 20. *Viteb.* 1802. 4. licet neuter eorum de vno eodemque primo cogitauerit.

37) Hanc significationem huic vocabulo nunc certe subiecerunt *Ioh. Fr. Telge* in *Versuch einer Erklär. der Worte Gal. III.* 20. insert. *Henkii Neu. Magaz. für Religionsphilos. etc. Vol. III. part. II. p.* 306 *sq.* itemque *Fr. Sam. Winterberg* in eiusd. libr. *Vol I. part III. p* 569. et *Christ. Ph. Fr. Heinr. Lindemann* in eiusdem *Henkii Museum für Religionswissenschaften in ihrem ganzen Umfange, Vol. II. part. III. p.* 434. *seq.*

idemque eſt et immutabile [38]), vel commune aut vniverſum [39]), eo ſignificari contenderent, vel denique pro ſubſtantiuo ἑνότης poſitum id eſſe iudicarent [40]). Harum vero ſignificationum cum praeter duas priores nulla, vt poſt monebimus, argumentis ex indubitato loquendi vſu petitis poſſit confirmari [41]), ſponte profecto cognoſcitur, quidnam de plerisque harum explicationum ſit iudicandum.

Neque felicius in integra formula: ἑνὸς ἐκ ἔστιν, explicanda verſati fuiſſe reperiuntur iidem interpretes. Cum enim plerique id nunc negligerent, vocabulum μεσίτης in his verbis eſſe repetendum, ita quidem, vt iſte, quicunque etiam ſit, μεσίτης non ἑνὸς μεσίτης eſſe dicatur, ſed verba haec nude poſita ſpectarent, non potuerunt non diuerſiſſimis ea modis interpretari, cum vtique phraſi illa: εἶναί τινος multiplex neceſſitudo, quae ali-

---

38) Quam vocabuli huius ſignificationem inprimis ſtabilire ſtuduit *Fr. Andr. Strothius* in *Repertor. für bibl. u. morgenl. Liter. Vol. IV. p.* 53. quem poſt ſecutus inprimis eſt *Gablerus* in *Neu. Verſuch über Gal.* 3, 20. *in Neueſt. theolog. Journ. Vol. III. part. IV. p.* 350. *ſq.* et olim ſecutus etiam fuerat *Antonius*, quem vide *p.* 265. *ſq.* ea de re pluribus differentem.

39) Hanc notionem praeter *C. C. Tittmannum* (*opuſc. theol.* p. 357.) vnum *Hanium* huic voci *l. l.* ſubieciſſe vidimus. Huic enim εἷς νόμος, quod vocabulum ab eo in illa voce ἑνὸς, nunc ſuppleri ſupra diximus, eſt: *ein gemeingeltendes, gemein verbindendes Geſetz.*

40) Quae ſententia Batauis primum Theologis quibusdam, *Io. Cocceio* nominatim et *Steengrachtio* probata, recentioribus temporibus *Gableri* quoque plauſum tulit, qui ei olim ſaltem calculum ſuum adiecerat in *Proluſ. ſuper h. l. Altdorf.* 1787. edita, *p.* 10. *ſq.* Praeterea vero eiusdem ſententiae patronis annumerandi etiam ſunt ii, qui, licet vocabulum illud non pro Subſtant. ἑνότης poſitum eſſe defenderent, in eundem tamen ſenſum id ſunt interpretati, vt id, de quo nulla eſt diſſenſio, ſed ſummus potius conſenſus obtinet, eo indicari ſtatuerent, vt factum v. c. eſt ab *Hug. Grotio* in *Comment. ad h. l. Chriſtph. Starkio* in *Synopſ. biblioth. exeget. in N. T. Part. II. p* 1621. edit. 2. *Chr. Schoettgenio* in *Hor. hebr. et talmud. ad h. l.* et *P. L. Muzelio* in *Henkii Neu. Magaz. für Religionsphiloſ. etc. Vol. IV. part. p.* 389.

41) Qua de re videnda etiam, quae monuerunt *Bonitzius* in *Spicileg.* §. 267. *p.* 47. et *Zaeunerus l. l. p.* 209. *ſq.*

cui perſonae aut rei cum altera intercedit, indicetur. Hinc fuerunt, qui eam vel *ad aliquem pertinere*, vel *alterius nomine agere*, vel *ab aliquo pendere*, vel *ab eo conſtitui*, vel *alicui fauere*, multisque aliis modis vertendam et explicandam nunc eſſe ſtatuerent, cuius rei explicatior expoſitio et ipſa alio loco erit proferenda. In vocabulo autem ἐστιν multi temporis eius praeſentis exiguam videri poſſent rationem habuiſſe, dum id haud cunctanter ad rem dudum geſtam transferrent, idque non aliter, ac ſi ἦν a Paulo ſcriptum nunc fuiſſet, explicarent, ideoque ſententiam hiſtoricam, qua cuiusnam generis et indolis mediator Moſes fuiſſet aut non fuiſſet, doceatur, hic contineri ſibi perſuaderent. Verum cum ſimiliſ vſus verbi praeſentis huius vocabuli exempla et alibi in N. T. libris occurrant [42]), hoc quidem nomine non poterunt iure taxari, aut neglectorum grammaticae interpretationis praeceptorum accuſari, modo alia argumenta eiusmodi hiſtoricae ſententiae hic agnoſcendae non obſtiterint. Quod vero in his ipſis verbis vocem ἑνὸς in duas ἓν ὁς diuelli poſſe ſtatuit *Tiſcherus* [43]), ita quidem, vt in priore ἓν vocabulum σπέρμα, quod modo poſuerat Paulus, ſuppleatur, et ὁς pro ἐκεῖνος poſitum exiſtimetur, atque ad Moſen referatur, in priore vero μεσίτης de Chriſto cogitetur, iamque vniuerſo commati hic ſenſus tribuatur: *hic vero mediator eſt ille vnus e poſteris, ille vero non eſt, der Mittler aber iſt der eine Nachkomme, jener* (Moſes) *iſt es nicht;* id nos quidem non niſi ingenii experiundi cauſa a viro cum ſacrarum, tum humanarum literarum peritiſſimo, qui et

---

42) Cuius rei inprimis luculentum exemplum exhibet v. c. locus Io. XV, 27. vbi Ieſus a discipulis ſuis disceſſurus hortatur eos, vt teſtimonium ſibi apud alios olim perhibeant, cauſamque propter quam tale ei perhibere poſſint, his verbis exponit: ὅτι ἀπ' ἀρχῆς μετ' ἐμοῦ ἐστε. quod poſterius profecto pro μετ' ἐμοῦ ἦτε poſitum nunc eſſe intelligitur. Vid. *Wilke* p. 11. not. 29.

43) In *Scholiis ad Gal. III*, 1 – 20. ante iam laudat. *p.* 30.

aliam praeterea huius commatis explicandi rationem propoſuit, in medium allatum eſſe arbitramur.

Denique etiam de externa vniuerſi huius commatis forma ab interpretibus fuit disceptatum, dum plerique quidem ſententiam poſitiue traditam, alii vero per interrogationem enunciatam [44]) in eo agnoſcerent. Cum autem hinc noua quaeſtio exorta eſſet, vtrum per linguae etiam regulas interrogatio in his verbis agnoſci poſſit, fuerunt ſane, qui id recte fieri poſſe negarent et pernegarent [45]). Quanquam vero hoc non omnino videtur negari poſſe, cum in alio huius ipſius ad Galat. epiſtolae loco Cap. IV, 21. ſimillima plane interrogationis forma deprehendatur, in hoc tamen loco propter oppoſitam ſententiam, ad eundem plane modum ſtructam: ὁ δὲ θεὸς εἷς ἐστιν, quam nemo in interrogatione poſitam eſſe dixerit, non poterit absque magna cuiusque interpretis, qui iuſto ſenſu hermeneutico non omnino ſit deſtitutus, offenſione admitti.

Hoc ipſum vero poſterius huius verſus comma, ad quod nobis nunc eſt progrediendum, non minori interpretationis diuerſitati fuit obnoxium. Etenim et hic in eo primum haeſerunt, vtrum particulae δὲ verbis ὁ θεὸς interiectae aduerſatiua vis ſit tribuenda, an vero pro γὰρ ea nunc poſita exiſtimanda; quorum prius quemadmodum, vt facile poteſt intelligi, a plerisque fuit defenſum, ita tamen nec poſterius qui probarent, omnino defuerunt [46]). Iam vero etſi hanc particulam hoc quoque ſenſu cum apud profanos, tum ſacros etiam

---

44) Quorum in numero fuiſſe deprehendimus *Fenzelium*, *Schoetgenium*, *Kallenbachium*, *Krausium*, *Morum*, *Moellerum*, *Oertelium*, atque *C. C. L. Schmidtium*, quos ſingulos *Zaeunerus l. l. p.* 197. *ſqq.* ſolo *Fenzelio*, qui tamen et ipſe iis annumerandus erat, excepto, enumerauit.

45) Qua de re videnda ſunt, quae in vtramque partem disputarunt *Bonitzius* §. 146. atque *Antonius p.* 240. *not. u.*

46) Inter quos nomina ſua profeſſi v. c. ſunt *Henr. Walth. Gerdesius*, *Mich. Weberus*, *Moſchius* in prima editione in-

ſcriptores vſurpari, plane non poterit negari [47]), quaeritur tamen, vtrum hic eius vſus in hunc quoque locum, in quo tam perſpicua eſt vtriusque commatis oppoſitio, iisdem vtrimque verbis conſtructa, poſſit transferri; id quod noſtro quidem iudicio nemo, qui nulla adhuc opinione praeoccupatus, neque huius illiusue ſententiae defendendae ſtudio ductus ad h. l. legendum acceſſerit, facile ſibi videtur perſuaſurus.

Tum vero et hic in ſubiecto ac praedicato ſermonis definiendo non omnino conſenſerunt interpretes. Quod enim in priori commate locum habuiſſe diximus, vt vocabulum ἑνὸς ad ſubiectum referretur, et cum vocabulo μεσίτης iungeretur, iamque ſola illa: ἐκ ἔστιν in praedicato haberentur, idem in hoc etiam accidiſſe vidimus. Quae nimirum reliqui omnes interpretes praedicati loco nunc habenda eſſe iudicarunt verba: εἷς ἐστι, ea *Antonius* ita diuelli voluit, vt prius cum vocabulo θεὸς arctiſſime iunctum, in ſubiecti adhuc loco poneretur, hincque in ſolo illo ἐστι praedicatum agnoſceretur, in hunc quidem ſenſum: *Deus autem vnus etiam nunc eſt.* At enimuero huic interpretationi, quae ex Grammatices quidem regulis poſſet ſane admitti, alia argumenta ex contexta oratione repetenda hincque in ſequentibus demum pluribus a nobis exponenda, tam perſpicue videntur repugnare, vt profecto vulgaris illa caeterisque omnibus probata ſententia, ex qua illa duo vocabula: εἷς ἐστιν in praedicati loco habentur, ei etiamnum ſit praeferenda. Simili de cauſa vocabulum etiam θεὸς non modo non ſollicitandum, ſed nec de alio, quam Deo, nunc quidem erit explicandum. Quanquam enim fuerunt, qui pro Chriſto id poſitum hic eſſe defende-

---

terpretat. pericopar. euangel. et epiſtolic. (cf. *Bonitz.* §. 190. et *Anton.* §. 38.) *Seilerus* in epitome libr. N. T. *Lessius*, *Moellerus* atque *Bonitzius*; cf. *Wilke* p. 6. *ſq.*

47) Vt vel ea docent, quae ex vtroque ſcriptorum genere obſeruauit *Schleusnerus* in *Lexic. N. T.*

rent [48]), ipſam tamen vocabuli lectionem non auſi ſunt mutare, aut corruptionis eam arguere [49]), ſed aliis modo rationibus ducti, quarum examinandarum in ſequentibus locus eſt futurus, de Chriſto nunc cogitandum eſſe ſibi perſuaſerunt.

Illa autem verba: εἷς ἐστιν, quod attinet, primum in eo iterum diſſentiunt interpretes, vtrum vocabulo εἷς eadem, quae in ſuperiori commate obtinet, ſignificatio et nunc ſit tribuenda, an vero diuerſo id ſenſu in vtroque commate vſurpatum poſſit iudicari, fueruntque et hic, quorum alii prius vtique neceſſarium eſſe iudicarent, alii vero poſterius etiam fieri poſſe contenderent, cum nec alibi ſimilis dilogias in eodem vocabulo vſurpando exempla deſiderentur. Quod ſi vel maxime velimus concedere, intelligitur tamen, in hoc quidem loco vix ac ne vix quidem aliquam ſignificationis diuerſitatem admitti poſſe, cum, quod de μεσίτῃ negatur, eum εἶναι ἑνὸς, id in Deum contra ſic cadere defendatur, vt is vtique ſit εἷς, hineque id, quod de altero praedicatur, alteri vero

---

48) Quod factum nominatim deprehendimus a *Hesso*, Antiſtite Turicenſi meritiſſimo, in *Geſchicht. u. Schrift. der Apoſtel, To. I. p.* 436. edit. 2. et anonymo quodam Anglo in *Beyträgen zur Beförder. des vernünftig. Denk. in der Relig. Vol. III. p.* 111.

49) Quanquam nec a tali admittenda omnino alieni fuiſſe reperiuntur. *Hessus* enim *l. l.* haec habet: *Ich kann mir bey dieſer Stelle nicht anders helfen, als wenn ich:* ὁ δὲ θεος — *ſo nehme, als wenn es hieſse:* ὁ δὲ χριστος — *Und ich glaube, ſolche Verwechſelungen kommen in den Briefen der Apoſtel mehrere vor.* Apud anonymum vero illum haec leguntur *l. l. Weiter kann ich nicht gehen: aber würde man mir eine bloſse Muthmaſsung erlauben, und für mehr gebe ichs nicht, zumalen ich keine Handſchrift je geſehen habe, und vielleicht nie eine ſehen werde: ſo würde ich dieſe wagen, daſs da alle griechiſchen Handſchriften, wie man ſagt, in Capitalbuchſtaben und Abbreviaturen geſchrieben ſind, θεὸς leicht aus Verſehen für χριστὸς könnte genommen worden ſeyn.* [Sed *Hessum* poſt mutaſſe ſententiam patet ex libri laudati ed. 3., quae 1810 prodiit, vbi Vol. II. p. 318. iis acceſſit, qui in vera θεῦ notione conſiſtunt: Gott *allein iſt es, der etwas zu leiſten, zu erfüllen auf ſich nimmt.*]

abiudicatur, necessario vno eodemque sensu dictum sit existimandum, ac sola, quae hic locum habeat, diuersitas in subiectis agnoscenda. Cum vero iam ad ipsam hanc significationem constituendam ventum esset, non minus, quam in praecedenti vocabulo ἑνὸς factum esse diximus, in diuersissimas iterum in ea definienda partes abierunt interpretes. Alii enim de *vno* ratione numeri id interpretati sunt, alii vero de eo intellexerunt, qui *vnam partem* constituat [50]), alii idem, quod ἕτερος [51]), et rursus alii idem, quod αὐτὸς [52]) id significare statuerunt. Harum autem significationum prima quemadmodum nullam plane habet dubitationem, ita eorum etiam explicandi ratio, qui de vna parte explicant, facilius certe ferri potest [53]), quam illorum, qui εἷς idem nunc significare statuunt, quam ὁ ἕτερος vel ἄλλος, *altera pars*. Quanquam enim vbi εἷς et εἷς sibi inuicem subiiciuntur, vt fit v. c. Matth. XXIV, 40. 41. XXVII, 38. Io. XX, 12. posterius, qua sensum vtique potest de altero explicari, inde tamen non sequitur, hanc ipsam esse huius vocabuli significationem, eamque ipsi ibi etiam, vbi solum ponatur, tribui posse. Quare cum nunc non duo εἷς commemorentur, sed de vno negetur, eum esse ἑνὸς, alter vero εἷς εἶναι dicatur, ea profecto ad h. l. transferri non poterit. Neque magis eorum ratio cum vsu loquendi videtur satis conciliari posse, qui ἕνα eundem nunc esse existimant, quam αὐτὸν, explicantque de eo, qui vnus semper idemque et immutabilis sit, sibique

---

50) Quorum commemorandorum in sequentibus nobis occasio suppeditabitur.

51) Quam sententiam amplexi v. c. sunt *Hagmeierus*, *Waehnerus*, *Bonitzius* et *Schottus*.

52) Quorum permagnus fuit numerus, quos si quis nominatim nosse cupiat, ex *Bonitzianis* potissimum libellis nomina eorum cognoscere poterit.

53) Cum qui vnus tantum est, is sane, vbi de diuersis partibus sermo est, non nisi vnam partem possit constituere.

ſemper conſtet [54]). Etenim vbi hanc notionem exprimere volunt N. T. ſcriptores, ibi vel ſolum illud vocabulum αὐτὸς ponunt, vel id vocabulo εἷς ſimul addunt [55]), nuspiam vero ſola illa voce εἷς hoc ſenſu vtuntur [56]). Denique fuerunt etiam, qui haec verba ita interpretarentur, ac ſi additum iis eſſet: πατὴρ vel θεὸς πάντων, explicarentque de eo, quod ſit omnium hominum aut gentium pater, vel Deus, eodemque in omnes modo animatus [57]). Verum cum huius additamenti nullibi ne leuiſſimum quidem veſtigium adpareat, neque id a contextu loci vlla ratione ſuppeditetur, profecto intelligitur, et hanc interpretationem non minus arbitrariam omnique fundamento deſtitutam eſſe iudicandam, quam *Schlegelii* ſententiam, qua poſt vocem θεὸς verbum λέγει ſuppleri voluit [58]), atque Angli illius [59]) opinionem, qui, de Chriſto nunc cogitans, vocabulum μεσίτης in voce εἷς ſupplendum eſſe ſtatuit, huncque vnum mediatorem hic dici ſibi perſuaſit, cum neque illius verbi λέγει, neque huius vocabuli μεσίτης ſupplendi vlla adſit idonea ratio.

---

54) A quo agnoſcendo ipſe *Gablerus*, qui his partibus favet, parum profecto abeſt in *Neueſt. theolog. Journ. Vol. III. part. IV. p.* 352. *ſſ.* coll. eiusd. libr. *Vol. V. part. III. p.* 288.

55) Vt docent loca 1 Cor. XI, 5. et XII, 11.

56) Qua de re conferri etiam poſſunt, quae disputauit *Bonitzius Spicileg.* §. 261. *p.* 48. *ſq.* Quanquam enim in loco v. c. Rom. III, 30. qua ſenſum quidem vocab. εἷς vtique verti poterit: *vnus idemque*, tamen hic immutabilitatis, ſed vnitatis potius notio obtinet. Vult enim aperte hoc dicere Paulus, non duo diverſi quaſi dii ſunt, quorum alius Iudaeos, alius gentiles iuſtos declaret, ſed vnus numero eſt, qui vtramque gentem hoc beneficio ornat.

57) Quos et ipſos nominatim commemorandi commodior erit in ſequentibus locus.

58) Conferatur eius *Erneuerte Erwägung der Lehre von der göttl. Dreyeinigk. To. I. p.* 56. vbi hanc h. l. verſionem exhibuit: *Der Mittler Moſes aber iſt nicht von dem einen Saamen, Chriſto, Mittler oder Verkündiger. Gott aber ſpricht, es iſt einer, oder, Gott iſt der Verkündiger des Einen.*

59) Cuius ſupra *not.* 48. mentionem iniecimus.

II.

Progredimur nunc ad illam loci nostri interpretandi diuersitatem summatim exponendam breuiterque examinandam, quae in integrarum eius sententiarum sensu definiendo deprehenditur, quaeque non potuit non ex singulorum eius verborum explicandorum diuersitate, in antecedentibus declarata, enasci. Cum autem ex plerorumque saltem interpretum iudicio duplici sententia constet, quarum quaelibet peculiari cum subiecto, tum praedicato sit constructa, de cuiusque sensu diuersissimo modo ab interpretibus constituto separatim erit dicendum [1]).

Ac in priore quidem sententia, quae verbis: ὁ δὲ μεσίτης ἑνὸς οὐκ ἔστιν, continetur, inde primum duplex sensum eius constituendi diuersitas extitit, quod istum μεσίτην, quem Paulus ἑνὸς εἶναι negat, vt in superioribus iam declarauimus, vel de definito aliquo μεσίτῃ, vel de quocunque in vniuersum sunt interpretati. Qui definitum aliquem μεσίτην a Paulo nunc significari sibi persuaserunt, ii vel de Mose, vel de Christo cogitarunt [2]);

---

1) In singularum autem explicationum patronis commemorandis hanc in sequentibus rationem tenebimus, vt eorum quidem, quorum a triumuiris illis, quos huius commentationis initio statim in h. l. explicandi diuersitate enarranda diximus laborasse, *Antonio* nimirum, *Bonitzio* et *Zacunero*, mentio iam fuit iniecta, spatii lucrandi causa non nisi nomina, ea tamen, quantum fieri potest, chronologico ordine collocata, ponamus, et illorum tantum, qui vel recentius demum in h. l. sunt commentati, vel illorum virorum diligentiam effugerunt, primumque a nobis in lucem sunt protracti, cum nomina, tum scripta, quibus suam de h. l. sententiam proposuerunt, indicemus, addito simul, quo facilius possint dignosci, nominibus eorum asterisco.

2) Fuit quidem etiam, qui de neutro horum, sed Aarone potius eiusque in munere sacerdotali successoribus, Dei quippe et Israëliticae gentis mediatoribus, hic cogitandum esse defenderet, hincque μεσίτην illum a Paulo commemoratum non vnius, sed plurium insequentium causam egisse, hic doceri sibi persuaderet, Anglus nimirum, *I. F.* cuius commentatiuncula super h. l. inserta legitur *the theologic Reposit. Vol. III. p.* 150. *sq.* hinc-

iamque hi, qui eundem *Mosen*, cuius interuentu (ἐν χειρὶ μεσίτου) legem Sinaiticam promulgatam fuisse dictum modo fuerat, verbis ὁ δὲ μεσίτης indigitari iudicarunt, proximis verbis: ἑνός οὐκ ἔστιν *vel* hoc illudue subiectum significari statuerunt, cuius μεσίτης ille fuerit aut non fuerit, *vel* obiectum aliquod commemorari, ad quod μεσιτεία eius spectauerit aut non spectauerit, *vel* cuius indolis et conditionis μεσίτης fuerit aut non fuerit, doceri, *vel* denique consilium μεσιτείας eius, quale fuerit aut non fuerit, declarari, sicque quouis modo *historicam* aliquam sententiam hic proponi.

Quibus prius arrisit, ii pro significationis, quam voci ἑνὸς subiecerunt, et vocabulorum, quae in ea supplenda iudicarunt, diuersitate, vel non vnius alicuius hominis, sed plurium potius, imo vniuersi populi [3]), aut non vnius partis, sed duarum, earumque diuerse definitarum [4]), aut etiam non certae

---

que germanice versa in *Corrodi Beyträge zur Beförder. des vernünft. Denk. in der Relig. Part. III. p.* 109. *sq.* translata est. At vel nobis non monentibus intelligitur, hanc sententiam ab omni veri specie ita alienam esse, vt non mirum sit, eam nulli alii interpretum fuisse probatam, cum nullo modi doceri possit, in illo μεσίτη, cuius ministerio lex Sinaitica data fuisse dicitur, Aaronem esse cogitandum, sed illud ministerium constanter ad Mosen referatur, hincque nec de Aaronis successoribus nunc possit cogitari.

3) Quam sententiam non nisi duos viros doctos his verbis vidimus subiecisse, *Iust. Christoph. Schomerum* nimirum et *Traug. Aug. Seyffarthum.*

4) Plerisque quippe, nominatim *Thodoreto*, *Corn.* a *Lapide*, *Balduino*, *G. C. Hosmanno*, *Chr. Hagmaiero*, *Laur. Sahlio* * (in *D. N. Iesu Chr. Nov. Test. duce et auctore Seb. Castellione dilucidata interpretatione latine reddidit, suis pariter ac recentioribus variorum — notis illustrauit L. Sahl, Havn.* 1780. *II. Tom.* 8.) *G. Mayero*, *C. F. Bonitzio*, et *H. A. Schotto*, de Deo populoque Israelitico cogitantibus, vno tamen *Roosio* angelos et Israelitas commemorante. De Mose vnius partis, populi nimirum Iudaici, mediatore cogitauit etiam *Kallenbachius*, licet is non categoricam Pauli sententiam, sed Iudaeorum potius obiectionem in hoc commate agnouerit, ideoque id per interrogationem etiam enunciatum fuisse iudicauerit, in hunc quidem modum vertendum: *nonne mediator hic vnius partis, i. e. vnius populi est?* Simili modo *G. I. Pauli* * in *Abhandll. über einige wicht. Stellen des N.*

cuiusdam partis [5]) μεσίτην eum fuiſſe tradi nunc putarunt, vel id negari, eum ſiue Dei [6]), ſiue Abra-

---

T. (Rig. 1773. 8.) *p.* 231. *ſq.* hanc in his verbis ſententiam, et ipſam per interrogationem expreſſam, attamen ex ipſa ſcriptoris mente, non vero tanquam aduerſarii obiectionem propoſitam, contineri ſibi perſuaſit: *iſte vero* μεσίτης *Moſes nonne vnius tantum populi* μεσίτης *fuit?* Contra vero de Deo potius, tanquam vna illarum partium, quarum μεσίτης fuerit, cogitauit *I. C. Fr. Leunius*, dum verba haec in hunc ſenſum interpretatus eſt: *iſte vero Moſes non ſolius Dei fuit* μεσίτης, *ſed et Iſraelitarum.*

5) Gentilium nimirum, quorum tanquam vnius partis illorum hominum, ad quos promiſſio Abrahamo facta pertinuerit, μεσίτην Moſen minime fuiſſe tradi hic ſtatuerunt *Io. Godofr. Napierski** (in *Brem. u. Verdiſch. Bibl. Vol. II. p.* 791. *ſq.*) itemque *I. D. Michaelis* in Paraphr. huius epiſtolae, atque cenſor anonymus paraphraſeos Lvnarianae in *Allg. deutſch. Biblioth. Vol. II. Sect.* 1. *p.* 88. quem ſecutus deinde etiam eſt ipſe huius paraphraſeos auctor in ſecunda eius editione, et *H. G. Reichardus* in verſione ſua latina. Tum vero ab eadem interpretatione non niſi verbis diuerſa eſt *Io. Godofr. Koerneri** de h. l. ſententia, qui in *Der heil. Schrift dritt. Theil, welcher die ſämmtich. Bücher des N. T. enthält, mit Anmerkuugen,* (Lipſ. 1773. 4.) *p.* 459. haec ad eum obſeruauit: *dieſer Mittler aber, nämlich Moſes, war nicht der Mittler der ganzen einen Parthey. Er handelte nur mit Gott in Anſehung des jüdiſchen Volkes. Von den Heiden hatte er keinen Auftrag.* Eodem denique redit etiam *Allixii** atque *Whitbyi* (quem vtrumque virum *Bonitzius* §. 100. perperam pro vno habuit,) interpretatio, quae ita habet: *Aber dieſer Mittler (nämlich Moſes) war allein Mittler der Juden, und ſo Mittler von einer Parthey, welcher der Segen Abrahams zugehörte, v.* 18. 14., quos viros haec verba ita intellexiſſe neceſſe eſt: *alterius partis mediator non erat*, quoniam alioquin particulam ἄν prorſus neglexiſſe dicendi forent.

6) Qui quippe in ſequenti ſtatim commate ille εἷς εἶναι dicatur, cuius Moſes non fuerit μεσίτης, quemque hoc τῷ ἑνὸς epitheto tanquam vnum numero *Ph. I. Spenerus, S. Deylingius, Flüggenius** atque *I. H. Zſchornius** (in huius *Exeget. Blumenl. Part.* 1. *p.* 73. *ſq.*) cenſor ignotus Commentarii *Langiani* in *W. A. Telleri Glossar.* N. T. in *Allgem. deutſch. Biblioth. Vol. LIV. Part. II. p.* 355. itemque auctor anonym. verſionis epiſt. huius germ. quae Lipſ. 1792. 8. prodiit, atque *W. I. Albrechtus*, vel tanquam vnicum *S. H. Moellerus* et *F. S. Winterbergius*, tanquam vnum eundemque vero cum in ſe, tum erga omnes homines *Car. Chr. Ludw. Schmidtius* atque *I. S. Vogelius, Schulthefs* (*über Gal. III*, 20. *in den Analekten für das Stud. der ex. und ſyſtem. Theol. herausg. v. Keil u. Tzschirner Bd.* 2. *St.* 3. *S.* 133.) et tanquam immutabilem denique *S. F. N. Morus, F. A. G. Krausius, G. E. Hempelius* [in programmatead ipſius *Keilii* ho-

hami [7]), ſiue illius σπέρματος, quod v. 16. fuerat commemoratum, eiusque cum de vno Meſſia intellecti, tum collectiue etiam accepti [8]), ſiue populi ex omnibus in vnum conflati [9]), ſiue vniuerſi generis humani aut

---

nores theologicos indicendos ſcripto, atque ſuperius p. 100. iam in nota editoris laudato] et *C. F. Richterus* * in libro: *Die Bibel nicht, wie viele glauben, ſchädlich*, *Vol. II. ad h. l.* nunc inſigniri ſtatuerunt.

7) Quem ad imitationem hebraici אחד vel tanquam primum, vel tanquam vnicum κατ' ἐξόχὴν ἕνα nunc adpellari ſibi perſuaſerunt *I. F. G. Tiſcherus* et *C. F. H. Lindemannus*, ita quidem, vt illi prius, huic autem poſterius magis arrideret. Cfr. *Wilke l. l. P. VIII. not.* 20.

8) Hoc duplici enim modo conſtat illud σπέρματος vocabulum ab interpretibus fuiſſe explicatum, licet facile doceri poſſet, illorum rationem minime probari poſſe, qui de pluribus id voluerunt intellectum, ſi quidem conſilii ratio ferret, et ſpatii anguſtia id permitteret, neque fuiſſet hoc ab aliis iam viris doctis bene demonſtratum, e. c. *Chr. Matth. Pfaffio* in *Diſſ. de Chriſto ſemine monadico*, *Tubing.* 1729. itemque *Storrio* in *Prol. de conſenſu epiſtolarum Pauli ad Hebraeos et Galat.* repetit. in *Commentatt. theolog. a I. C. Velthuſen*, *C. T. Kuinoel* et *G. A. Ruperti editar. Vol. II. p.* 404. *ſq.* praeter quos conferri etiam potuerunt *Io. Fr. Flattii Annotationes ad locum Gal. III*, 16. *Tubing.* 1804. 4. Nihilominus tamen hanc rationem in his noſtris nominatim verbis interpretandis ſecuti ſunt *P. Boſchius*, *D. Wollius*, *I. C. Doederlein*, *G. C. B. Moſchius*, *I. A. Noesseltus*, *I. C. Erbſtein* * in *Wörterb. über das N. T. Vol. II. ad h. l. C. C. Zaeuncrus p.* 225. atque *Steudel*, *im Verſuch über die Stelle Gal. III*, 16. *zu erklären, nebſt einer Anfrage über die Deutung von Gal. III*, 14 – 20. in *Bengels Archiv für die Theologie u. ihre neueſte Literatur*, *Bd. I. St. I. S.* 124. *ſq.* Contra vero vnius tantum Chriſti, tanquam σπέρματος Abrahamo promiſſi, μεσίτην Moſen fuiſſe, hic negari ſtatuerunt *Dan. Whitbyus*, (qui praeter ſententiam *not.* 5. commemoratam et in hanc partem inclinauit,) *H. W. Gerdes*, *I. A. Freylingshauſen*, *S. I. Baumgarten*, *I. G. Roſenmüller* (in *Proluſ. in h. l. Erlang.* 1779. at in *Scholiis ad h. l. Neesselto* praeeunte in priorem potius ſententiam abiit,) *C. G. Küttner* * in *Hypomn. in N. T. ad h. l. L. F. Leutwein* * in *Apoſtol. Brief. Vol. III. p.* 587. *M. Weberus*, *Th. Schlegel*, *I. I. Stolzius* in prioribus verſionis ſuae editt. itemque ignotus auctor *N. T. latine verſ. notisque crit. et philol. illuſtr. Berol.* 1798. 8. *Oertelius*, *G. C. Cannabich* et *I. C. Schmidtius* * in *Tentamine ſenſum loci varie explicati ad Gal. III*, 20. *ſecundum regulas probabilitatis hermeneuticae penſitandi*, *Gryphisw.* 1805. 4.

9) Quo quidem modo illud ἑν, cuius μεσίτης Moſes hic fuiſſe

omnium populorum[10]) μεσίτην se gessisse. Qui vero obiectum, ad quod μεσιτεια eius spectauerit, aut non spectaverit, hic commemorari statuerunt, hi vel hoc nunc doceri existimarunt, eum non vnius modo rei internuncium atque ministrum egisse[11]), aut simplici negotio perficiendo[12]) destinatum fuisse, vel id Paulum infitias ire voluisse sibi persuaserunt, ad promissionem Abrahamo datam negotium eius spectasse[13]), aut legem vniuersam et ad omnes pertinentem ab illo promulgatam[14]), vel religionem constantem et immutabilem stabilitam fuisse[15]).

---

negetur, cum *Io. van der Wayen* explicandum statuit *C. M. Klemmius*, qui illam *Wayeni* explicationem nuper reuocare nouisque argumentis confirmare studuit in libro sic inscripto: *Noch ein Versuch über die schwere Schriftstelle Gal. III*, 20. *Tubing.* 1794. 8. quem deinde secutus etiam est censor scripti *Antoniani* in *Allg. Lit. Zeit.* 1801. *St.* 214. Ab eadem vero explicatione nec *Vassmeri* sententia multum recedit, qui vocabulum ἑνὸς de vno illo Christianorum coetu explicandum iudicat, qui infra v. 28. et 26. commemoretur.

10) De quo vniuerso hominum genere vocab. ἑνὸς praeter Com. *de Lynar*, qui hanc eius significationem in prima paraphraseos suae editione expresserat, nunc accipiendum iudicauit Anonymus a *Zaeunero p.* 144. commemoratus, itemque alius ignotus auctor libri sic inscripti: *Neue erläuternde Ueberf. der Epist. u. Evangel. auf alle Sonn- u. Festtage*, (*Hamb.* 1782. 8.) *p.* 132. quos aperte etiam secutus est *C. C. Tittmannus* * *Opusc. theolog. p.* 357. sensum huius commatis ita constituens: *Moses interpres voluntatis diuinae fuit non communis omnibus gentibus, sed tantum vni proprius, per eum constituere voluit Deus oeconomiam, non vniuerso generi humano communem, sed tantum genti Iudaicae propriam.*

11) Quae fuit *H. Hulsii* sententia, qui sensum horum verborum ita constituendum iudicauit: *Mosen non vnius gratiae ac promissionis, sed simul legis, peccati et condemnationis fuisse internuncium ac ministrum.*

12) Introducendae nimirum religioni christianae; in quam partem haec verba interpretatus est *I. D. Schulzius.*

13) Quam sententiam *F. A. Strothius* hac ratione ex his verbis repeti posse sibi persuasit, vt vocabulum ἑνὸς pro τῷ ἀντῷ positum existimetur, ad eandemque ἐπαγγελίαν referatur, cuius respectu Deus εἷς vel immutabilis dicatur.

14) Quam *P. H. Hanii* sententiam fuisse, ex iis iam intelligi potest, quae paulo ante *p.* 224. *not.* 39. de eo monuimus.

15) In quem quidem sensum, vocabulo ἑνὸς iterum pro τῷ ἀν-

Qui autem, cuius indolis et conditionis μεσίτης ille fuerit aut non fuerit, hic exponi voluerunt, horum alii id dici nunc putarunt, eum non eiusdem indolis fuisse cum semine Abrahamo promisso [16]), alii vero hoc, non fuisse eum vnius eiusdemque conditionis μεσίτην, vt perpetuus esse potuisset [17]). Qui denique consilium μεσιτείας eius his verbis declarari opinati sunt, ii vocabulum ἑνὸς pro Substantiuo ἑνότητος positum iudicantes, hoc consilium eius fuisse a Paulo hic negari statuerunt, vt vnam ex vtraque Abrahami prole gentem efficeret, omninoque vnitatem atque consensum promoueret, cum inimicitiae potius auctor lege a se proposita extiterit [18]). Tum vero fuerunt etiam, qui, vt ipsi loco aliquo iam observauimus [19]), et ipsi quidem de Mose nunc vellent cogitari, eumque μεσίτην ἑνὸς vel tanquam Dei vnius interpretem, vel primae legis auctorem adpellari defende-

---

τῷ accepto et de immutabili explicato, abiecta priore sententia sua, haec verba interpretanda iudicauit *I. P. Gablerus* in repetito examine h. l. Eodem vero redit etiam *W. F. Hezelii* prior h. l. interpretandi ratio, ex qua sensum eius ita constituit: *Moses sollte nicht Stifter einer Religion* allein *bleiben, oder die Mosaische Religion sollte ihrer Absicht nach gar nicht die einzige und ewige Religion der Welt seyn oder es werden.*

16) Quae *G. H. R. Hüttmanni** fuit sententia in *E. L. Rathlefii Gottesgel. Part. V. p.* 107. exposita.

17) Quam sententiam supra iam *p.* 221. *not.* 27. suppleto quidem ad vocem ἑνὸς vocaculo τρόπε *I. M. H. Harrasium* defendisse ostendimus. Praeiuit tamen ei, vt iam ab *Antonio* est obseruatum, in ea defendenda *Ad. Sasbuth*, qui verba haec ita interpretatus est: *hic mediator Moses mutabilis, Deus autem immutabilis est.*

18) Quam sententiam et ipsam supra *p.* 224. *not.* 46. a Batauis potissimum Theologis olim defensam fuisse diximus, nominatim a *G. Momma, I. Cocceio, A. Heidano, Steengrachio* et *C. Vitringa*, quibus tamen e nostris accessit etiam *Fr. Guil. Schleusnerus* in *Diss. de dissensibus interpretum in explicandis locis scr. s. intellectu difficilioribus, p.* 49.

19) *Pag.* 219 *not.* 16. 17. vbi hanc sententiam *Hezelio* et *Antonio* probatam fuisse ostendimus.

rent [20]), at verba ἐκ ἔστιν nude posita deque eo intelligenda esse iudicarent, quod omni iam auctoritate sit destitutus.

Quod vero eorum sententiam attinet, qui de *Christo* μεσίτῃ nunc cogitarunt, hi eum vel eundem esse existimarunt, qui in lege Sinaitica μεσίτε personam sustinuisset, cuiusque interuentu Paulus legem istam dixisset modo v. 19. fuisse promulgatam [21]), vel hunc istius legis μεσίτῃ Mosi tanquam vnum verum Dei ac hominum et N. T. μεσίτην, articulo ὁ ἐξοχῶς dicto, opponi. Qui prius admiserunt, ii et ipsi pro vocabulorum, quae in voce ἑνὸς supplenda iudicarunt, diuersitate, sensum verborum: ἑνὸς ἐκ ἔστιν varie definierunt, dum vnam aliquam harum sententiarum iis contineri voluerunt: eum non esse vel fuisse vnius, sed duarum [22]) earumque dissidentium [23]) partium, aut non vnius, sed plurium imo omnium gentium [24]), aut non vnius rei [25]),

---

20) Quorum prius *Antonio*, posterius vero *Hezelio* placuisse, *p.* 219. *not.* 19. obseruauimus.

21) Cui sententiae omnes fere antiquae ecclesiae doctores ad *Theodoreti* vsque tempora addicti fuere.

22) Dei nimirum et angelorum, vt *Eusebius* statuit, vel vt *Theophylacti*, *Nic. de Lyra* aliorumque sententia tulit, Dei hominumque.

23) Quod *I. W. Iaegerus* nominatim addendum iudicauit.

24) Iudaeorum quippe et gentilium, quos praeter *Ambrosium*, *I. Caluinus* commemorauit, vel, vt alii (*F. Gomarus* nominatim, et *M. Weberus* in *Commentat. super h. l.* itemque libr. *de vsu versionis N. T. syriacae hermeneutico*,) dicere maluerunt, omnium populorum.

25) In quam partem *I. A. Cramerus* inclinauit, qui cum dubius esset, vtrum in voce ἑνὸς vocab. πράγματος an ἔθνος sit supplendum, hanc duplicem huius commatis interpretationem proposuit, vt vel hoc eo doceri statueret: *Der Mittler ist nicht von einem, d. i. von dem Mittler haben wir nicht nur das Gesetz, sondern auch die Verheissung*, vel illud: *Der Mittler ist es nicht bloss von einem, d. i. von dem Volke Israel, sondern auch von den Heiden.*

aut non vnius ſubſtantiae [26]), aut denique non ipſum Deo ſubditum [27]) μεσίτην. Qui autem poſterius probarunt, horum plerique Paulum hoc nunc de illo vero μεσίτη profiteri ſibi perſuaſerunt, eum non vnius, ſed omnium potius gentium, aut etiam definitius, non Iudaeorum tantum, ſed gentilium quoque mediatorem eſſe ac ſeruatorem [28]). Fuit tamen etiam, qui non id ſolum, ſed et hoc verbis his tradi ſtatueret, eum non vnius, ſed duplicis naturae mediatorem eſſe [29]), itemque alius, qui vocabulo ἑνὸς ad vocem σπέρματος v. 16. relato, Chriſtum vnius ſeminis iſtius Abrahamo promiſſi mediatorem, eumque vnicum nunc dici defenderet [30]).

---

26) Quae *Primasii* olim fuit ſententia ab omni loci conſilio et nexu alieniſſima, his ab eo verbis expoſita: vnius non eſt, *vt ſubaudias*, ſubſtantiae, *quia in Chriſto ſicut vna perſona, ita gemina ſubſtantia.*

27) Quod quomodo intellectum voluerit *I. Wesselius*, qui hanc verbis noſtris ſententiam ſubiecit, optime intelligi poteſt ex iis, quibus ipſe eam expoſuit in *Diſſertt. ſacr. Leidenſ. Diſſ. XIV.* §. 17. *p.* 469. *Negat*, inquiens, *mediatorem Sinaiticum, qui filius Dei erat, eſſe ſummi Dei* ſubditum, *a Deo ſummo* dependentem, *eiusque poteſtati inſtar* creaturae *ſubiectum, vti* nunc *eſt quoad alteram naturam, poſtquam ſemen Abrahami factus eſt.* Eandem vero ſententiam poſt probauit etiam *G. F. Gudius** in *Tentaminum ſacr. decade*, inſerta *Nützlich. Anmerkung. über allerh. Materien aus der Theolog. Part. III. p.* 442.

28) Quam ſententiam praeter *Gennadium*, qui eam ex antiquioribus ſolus fere probauit, inter recentiores quidem *I. R. Sterkius* in *Bibl. Brem. claſſ. VII. faſc. IV. p.* 586. et 600. *Is. Beauſobre*, *G. Lessius*, *G. F. Seilerus* et ignotus auctor verſ. epiſt. ad Gal. in *Henkii Neu. Magaz. für Religionsphiloſ. Exeg. u. Kirchengeſch. Vol. II. part. I. p.* 17. *ſq.* defenderunt.

29) *Woergerus* nimirum, Oedipi ſacri auctor, qui verbis his hunc ſenſum ineſſe ſtatuit: *mediator autem* 1) *vnius non eſt, ſiue populi, vt Moſes ipſe et dux et pars populi Iudaici*, 2) *mediator autem vnius non eſt etiam naturae, ſed vtriusque divinae et humanae.*

30) *Oertelius* nimirum in commentat. inſerta *I. C. W. Auguſti theolog. Monatſchr. vom J.* 1802. *Part. VII. p.* 58. qui tamen verba noſtra in interrogatione poſita iudicat, ſenſumque eorum ita conſtituit: *Aber der Mittler von dieſem v.* 16. *erklärten* einigen *Saamen iſt der nicht im vorzüglichſten Verſtande*

Simili vero modo etiam ii, qui vocabulum *μεσίτης de mediatore aut internuncio in vniuersum* intelligendum iudicarunt, pro diuersa cum vocabulum *ἑνὸς* explendi, tum formulae: *ἑνὸς εἶναι* interpretandae ratione et ipsi diuersissimum huic commati sensum subiecerunt. Omnino autem vel theticam, vel historicam ei sententiam inesse opinati sunt, qua vel vniuersa cuiusque *μεσίτου* indoles et conditio describatur, vel, quibus in rebus quoque consilio is adhiberi soleat aut non adhiberi, moneatur, vel apud quosnam et in quibus maxime casus vsus eius locum habuerit et habere potuerit, obseruetur. Qui prioris generis sententiam aliquam in eo agnoverunt, ab iis has vidimus ex eo sententias fuisse repetitas: *μεσίτην*, vbi vnus modo sit, locum habere non posse nec opus eo esse [31]), neminem sui ipsius *μεσίτην* esse vel dici posse [32]), vbi vero is adhibeatur, ibi duo pluresue sint, necesse esse [33]), vel, eum non esse vnius,

---

der einige Mittler des N. T. Christus? quasi dictum sit: *ὁ δὲ μεσίτης τοῦ ἑνὸς ἐκείνου οὐκ ἔστι*;

31) Quae quidem sententia verbis his a *I. I. Hessio* itemque censore quodam versionis N. T. Vollbedingianae in *Neu. allgem. deutsch. Bibl. Vol. LX. part. II. p.* 285. atque *C. L. Nitzschio* fuit subiecta, et a postremo nominatim viro sagacissimo ita constituta: *internuncio non opus esse, vbi vnus sit, qui rem agat, altero tantum probante et consentiente.*

32) Quae sententia vnum *P. D. Kraeuterum* defensorem nacta est, miroque modo ad consilium Pauli, quod quidem ipsi fuisse videbatur, adplicata.

33) Quam simplicem sententiam verbis his permagna interpretum pars subiciendam putauit, inter quos praeter antiquiores quosdam *Chrysostomum* v. c. et *Augustinum*, nobis quidem hi nominatim innotuere: *D. Carthusianus, I. Clarius, S. Castalio, N. Knachtbull, Dan. Heinsius, Er. Schmidius, Io. Lockius, Wallius* * (in Oper. bibl. Angl. *Vol. XV.* ad *h.*) *T. Pylius, Io. Crellius, I. R. Steckius* et *I. R. Sterkius*, (si quidem diuersi fuerunt hi duumuiri, de quo non immerito dubitasse videtur talium rerum peritissimus *B. Kordes* in *Intelligenzbl. d. Neu. Leipz. Litt. Zeit. ao.* 1809. *Sc.* 21. *p.* 326.) *Io. Harduinus** (in Commentar. in N. T. ad h. l.) *Th. Stackhouse, I. Bruckerus, G. T. Zachariae, G. A. Tellerus, C. L. Bauerus, I. G. Fuhrmannus, G. H. Langius, T. I. A. Schützius, I. C. Blaschius,*

ſed plurium eorundemque inter ſe diſſidentium et disiunctorum [34]), eum non debere vni tantum parti addictum eſſe et fauere [35]), eum non ab vna tantum parte pendere, neque ſui arbitrii eſſe [36]), eum non per ſe

---

I. F. Schleusnerus, G. C. Storrius, F. C. Doeringius * (in *Verſuch eines bibl. Wörterb.* ſub voc. *Mittler*,) *G. S. Iaspis*, Cenſor anonym. in *Oberdeutſch. allgem. Litt. Zeit. ao.* 1804. *Sc. CXI. p.* 531. *I. I. Stolzius* * (in Verſ. germ. edit. IV.) *I. Babor* * (in *Ueberſ. des N. T.* ad h. l.) *C. F. Richterus* * l. l. et ignotus vir * doctus in *Theolog. Nachr. ao.* 1809. *Vol. II. p.* 581. *ſq.* quibus acceſſit *Wilkius*.

34) Ita quidem non minor interpretum numerus ſuperiorem ſententiam, eam tamen nunc ad Moſen, nunc ad Chriſtum adplicatam, accuratius conſtituendam iudicauit, quorum in numero, praeter *Ambroſium* et *Scholiaſtam* quendam in edit. N. T. *Matthaei*, inter recentiores quidem hos fuiſſe deprehendimus: *Mart. Lutherum, Des. Erasmum, Th. Bezam, Nic. Selneccerum, Io. Piscatorem, Weinrichium, Dav. Pareum, G. Perkinsium, L. Osiandrum, H. Grotium, I. Brentium, Fr. Weisium, Abr. Calouium, Iac. Capellum, P. Spenerum, L. Müllerum* ſub nomine *Th. Alethaei* latentem, *H. B. Starkium* * in *Nott. ſelect. in loca dubia ac difficil. N. T. p.* 142. *ſq.*) *Io. Michaelem, Io. Langium, G. G. Zeltnerum, C. Neudeckerum, G. L. Oederum, A. G. Waehnerum, I. D. Winckler-rum, H. Pfingſtenium* * (in Comment. ſuper h. l. inſerta *Brem. u. Verdiſch. freiwill. Hebopf. Vol. I. part. III. p.* 760. *ſq.*) *I. H. D. Moldenhawerum, I. S. Semlerum, I. G. Hofmanum* * (in Nott. verſioni germ. paraphr. *Lockian.* ſubiectis,) *I. E. C. Schmidtium, P. L. Muzelium* et ignotum amicum *I. I. Stolzii*, cuius ille loci noſtri interpretationem propoſuit in *Erläuter. zum N. T. Part. IV. p.* 169. *ſq.* itemque alium ignotum cenſorem in *Neu. theol. Annal. ao.* 1805. *p.* 371.

35) In quam ſententiam verba haec interpretati ſunt *I. I. Wetſtenius, G. G. Struenſee* * (in *Neu. Ueberſetz. der apoſtol. Briefe N. T.*) itemque ignotus aliquis vir doctus in *Intelligenzbl. d. Allg. Litt. Zeit. ao.* 1794. *Sc.* 120. *p.* 958.

36) Horum enim vnum profecto ab altero ſuspenſum eſt, hincque eodem fere redeunt. Prius tamen, mutata ſententia ſua priore, nunc ſpectari maluit *I. D. Michaelis* in Annott. ad verſ. N. T. german. ad poſterius autem verba haec potius transferenda cenſuerunt *I. A. Boltenus* et amicus *Bonitzii*, cuius explicandi h. l. rationem ille §. 245. expoſuit, itemque ignotus aliquis in *Allgem. Biblioth. der neueſt. theolog. u. pädagog. Litter. von Schmidt u. Schwarz. Vol. VIII. part. VI. p.* 390. *ſq.* Tum huc etiam pertinet *Chr. Tob. Dammii* * interpretatio, qui in voce ἑνὸς vocab. προσώπου ſupplendum eſſe ſtatuit, hincque verba illa: μεσίτης ἑνὸς οὐκ ἔστιν ita explicauit: *non eſt vnius*

ſpectandum eſſe, ſed ad aliud quid ſpectare [37]) eum non vnum ſemper eundemque eſſe, ſed mutabilem [38]), vnius autem et immutabilis μεσίτην non iplum vnum eſſe et immutabilem [39]), eum plerumque non vnius, ſed plurium negotiorum μεσίτην eſſe [40]), neque conſtitui ſolere in rebus, quae ſibi inuicem conſtent [41]), non opus

---

perſonae homo, ſed duplicis, nam gerit ſuam propriam et ſimul committentis perſonam, ein Mittler iſt nicht eine einfache Perſon, denn er und ſein Principal, in deſſen Namen er handelt, ſind zwey Perſonen; ohne den Principal gilt er nichts.

37) In quas quidem partes verba haec traxiſſe deprehenditur auctor paraphraſ. epiſtol. hui. inſertae *Corrodi Beyträg. z. Beförder. des vernünft. Denk. in der Relig. Part V.* qui verba haec *p.* 143. ita παραφράζει: *Ein Mittler aber iſt nicht wie eine Perſon für ſich allein zu betrachten, ſondern hat eine Beziehung auf* Etwas, *das ſeiner Vermittlung bedarf. Dieſs* Etwas *war die ausſchweifende zügelloſe Unſittlichkeit des Israelit. Volkes* etc.

38) Quam ſententiam anonymus quidam in *I. R. G. Beyeri Allg. Magaz. für Predig. Vol. X. part. V. p.* 30. his verbis declarauit: *Ein Mittler iſt veränderlich, nicht immer einer Partey Vermittler, und kann mehr Verträge ſchlieſsen,* alius vero ignotus Cenſor in *Jen. allgem. Litt Zeit. ao* 1806. *Sc.* 36 *p.* 287. in hunc modum expreſſit: *der Mittler pflegt (braucht) nicht immer derſelbe zu ſeyn, (an Moſis Statt kam Chriſtus mit neuer Vollmacht.)*

39) Quae eſt *I. H. Heinrichsii* de horum verborum ſenſu ſententia, qui ea ita ſupplenda eſſe ſtatuit, ac ſi ſcriptum eſſet: ὁ δὲ μεσίτης ἑνὸς οὐκ ἔστιν εἷς, iamque ſic explicat: *der Mittler eines einigen und unveränderlichen iſt ja deswegen noch nicht ſelbſt einig und unveränderlich.*

40) Hanc ſententiam in verbis his agnouit *Io Guil. Schmidtius* in *Commentatt. qua* μεσίτου *notio indagatur, Part. II.* (Ien. 1786. 4.) *p.* 9. vbi in voce ἑνὸς vocab. πράγματος ſupplendum eſſe dicit, hincque totum comma ita vertit: *mediator non eſt vnius rei s. negotii, ſed plurium mediator,* ſenſumque eius his verbis declarat: *mediatori plerumque non vnum, ſed plura negotia mandata ſunt, nimirum non vnius tantum promiſſa nomine alterius accipiendi, ſed huius etiam beneuolam voluntatem ac promiſſionem factam illi declarandi.*

41) Quam ſententiam *Chr.* quidem *Schoettgenius* ex his verbis ita repetiit, vt vocem ἑνὸς in neutro poſitam iudicaret, hincque verbis ἑνὸς ἐκ ἔστιν ex formulae ἓν εἶναι vſu, quo de conſenſu illa dicitur, explicatis hunc ſenſum ſubiiceret: *non ſolet mediator conſtitui in eiusmodi rebus, quae ſecum inuicem conſentiunt, minimeque repugnant.*

esse eo, vbi ab vtraque parte immutata maneant studia [42]), vnum eundemque non prius sine mediatore, deinde per mediatorem agere [43]), quae homines μεσίτȣ opera consequi studeant, non eo pertinere, vt in omne tempus perdurent [44]), et non potuisse vnius populi mediatorem adhiberi, si promissiones omnibus gentibus factae tolli debuissent [45]). Quibus autem posterioris generis sententia, historica, eo contineri visa est, ii vel μεσίτην non in vna tantum religione deprehendi, hinceque nec in sola lege Mosaica talem locum habuisse [46]), neque

---

42) Hunc sensum olim certe verbis his inesse sibi persuaserat *I. P. Gablerus* in *Prolus. in h. l.* ita quidem, vt vocab. ἓν. pro Substant. ἑνότης accepto, ea ita verti posse opinaretur: *internuntius quisque non est vnitatis s. constantiae*, nim. sensuum et studiorum, *sed inconstantis potius et mutatae sententiae*, sensumque eorum hunc esse statueret: *vbi immutata manent studia ab vtraque parte, ibi non opus est internuntio.* Eodem vero redit etiam *I. B. Carpzovii* sententia, cum olim iam ab eo defensa tum in versione etiam huius epistolae germanica aliquantum tamen immutata denuo proposita, vt intelligi potest ex iis, quae supra *p.* 215. *not.* 5. de eo iam obseruauimus.

43) Quod quidem vnus *I. A. Bengelius* his verbis tradi sibi persuasit.

44) Et hanc sententiam non nisi vnus *C. I. Besenbeckius* in his verbis agnouit, dum ea ita vertenda iudicauit: *internuntius autem non vnius est, sed plurium*, sensumque eorum in hunc modum exposuit: *Quando plures homines internuntii ope vtuntur, eo id agunt consilio, vt alicuius rei participes fiant. Quod autem internuntii opera consequi student, id non eo pertinet, vt in omne tempus id duret, sed praesenti rerum suarum statui accomodatum sit. Post aliquod temporis spatium fieri potest, vt aliud requiratur.*

45) In quam partem verba haec traxisse vidimus *H. Papium** in *Handb. zum richt. Verstande und nutzb. Gebrauch der Sonn- u. Festtags-Evang. u. Episteln*, *p.* 799. vbi ea ita παραφράζει: *Moses aber war nur damals die Mittelsperson* eines *Volkes, des israelitischen. Und eine solche Mittelsperson, die nur für* ein einziges *Volk handelt, findet hier nicht Statt, um durch ihre Unterhandlungen die ehemaligen göttlichen Verheissungen, die alle Völker betreffen, ungültig zu machen.*

46) Hanc sententiam plures, varias tamen vias ingressi, ex his verbis repetierunt. Et *Io. Camero* quidem vocabulum ἑνὸς in genere neutro positum declarans, hunc sensum iis iudicauit inesse: *mediatorem non esse vnius tantum, sed et alterius foederis:*

vnum tantum populum eo vſum eſſe, ſed plures fuiſſe in variis populis varioque tempore μεσίτας [47]), vel talem non fuiſſe Abrahamo a Deo miſſum [48]), promiſſionemque huic factam interpretem non habuiſſe [49]), tradi nunc putarunt.

---

contra vero *I. Clericus* vocab. πράγματος vel ἐυαγγελίς iis ſupplere maluit, ſenſumque eorum ita definiuit: *non vnius euangelii ſingularem Deus conſtituit mediatorem, ſed et legis*; hinc in ſua etiam verſione francogallica ita eum expreſſit: *ce n' eſt pas du ſeul Evangile, qu'il y a un mediateur*; *I. B. Koppius* denique vocab. νόμε potius ſupplendum eſſe ſtatuit, iamque hoc tradi ſibi perſuaſit: *non νόμῳ Moſis tantum ſuus eſt* μεσίτης, (plures fuerunt inprimisque ὁ μεσίτης τῆς καινῆς διαθήκης, Ieſus,) hasque easdem partes non modo ante eum ſecutus iam fuerat *C. F. Bahrdtius*, dum ſenſum huius commatis in verſione ſua ita conſtitueret, *ein Mittler iſt nicht einer Religion, d. i. ein Vermittler findet nicht bey einer Religion allein ſtatt*. (in qua tamen verſione vocabulo νόμε notionem religionis alicuius in vniuerſum praeter omnem vſus loquendi auctoritatem tribui, quilibet vel nobis non monentibus intelliget.) ſed in easdem poſt etiam abiere cum auctor verſionis epiſtolae huius germanicae, qui ipſe *Koppium* ſe ſecutum eſſe profeſſus eſt, (*Verſuch einer Ueberſetzung des Briefes an die Galater, mit erklärenden Anmerkungen nach Koppe, Leipz.* 1792. 8.) tum *C. C. Sturmius** in *Handlexic. des N. T. ſub voc. Mittler*, itemque *Euch. Oertel** in *Griechiſch-teutſch. Wörterbuch des N. T. ſub voc.* μεσίτης atque *C. G. Henslerus* et *E. A. Borgerus** in *Interpretat. hui. epiſt. p.* 224. in easdemque inclinare etiam videtur *C. F. Ammonius**, quantum quidem cognoſcere licet ex obſeruatiuncula eius *I. A. Erneſti Inſtitut. Interpr. N. T.* edit. V. a ſe nuper curatae adiecta *p.* 156. atque *Oertelius* in Lexic. N. T.

47) In quem ſenſum verba haec *C. F. C. Herzliebio* intelligenda viſa ſunt.

48) Quam ſententiam, vocabulo ἑνὸς ad Abrahamum relato deque vnico, καθ' ἐξοχὴν dicto, explicato, verbis his ſubiiciendam ſtatuit *I. F. Telge*, hincque ſenſum eorum ita conſtituit: *Dem Einzigen freylich ſchickte Gott keinen Geſandten, als er ihm die Verheiſsung gab.* In eundem vero ſenſum haec verba eodem fere tempore interpretatus etiam eſt *A. G. Fenzelius*, ita tamen, vt obiectionem Paulo a Iudaeo quodam motam in iis agnoſceret, eaque in interrogatione poſita eſſe iudicaret, hincque ſenſum eorum his verbis enunciaret: *bey der dem einzigen Abraham gegebenen Verheiſsung iſt ja aber kein Mittler?*

49) In quem ſenſum verba haec idem, quem modo commemorauimus *E. A. Borgerus** ex ſecunda et tertia eorum interpretatione a ſe propoſita explicanda eſſe ſtatuit, ita eum conſtituens: *concedo, vnum illud* πρᾶγμα (quod vocab. in voce

Quod ſi vero quaeritur iam, quaenam harum interpretationum potior eſſe videatur, hincque reliquis ſit praeferenda, et quaenam contra plane non videantur probandae, nulloque amplius loco ponendae, negari quidem non poteſt, plerasque earum eiusmodi eſſe, vt, in ſe ſpectatae, vtique verae et commodae ſint iudicandae; attamen nec prorſus inter eas deeſſe intelligitur, quae non omnino verae poſſint haberi, quasque hinc vix credibile ſit ex Pauli mente fuiſſe propoſitas: quo pertinet v. c. *Hulsii* ſententia, qua Moſen non vnius gratiae ac promiſſionis, ſed ſimul legis, peccati et condemnationis internuntium ac miniſtrum fuiſſe ſtatuit, cum, vt recte iam contra eum obſeruarunt *Antonius* atque *Bonitzius*, prioris nuntium atque miniſtrum eum fuiſſe, nuspiam doceatur, ſed poſterioris modo μεσίτης nunc dicatur. Tum huc referenda etiam erit *Bengelii* e. c. ſententia, qua vnum eundemque non prius fine mediatore, deinde vero per mediatorem aliquem agere defendit. Id enim quidni pro temporum reique ipſius diverſitate vtique faciat? et nonne Deus ex ipſa Pauli mente aperte fecit, dum in promiſſione ad Abrahami σπέρμα pertinente nullo μεσίτῃ vteretur, legem vero vtique ἐν χειρὶ μεσίτου proponeret? in quo quidem Paulus certe, noſtro ſaltem iudicio, vtriusque rei apertam diuerſitatem ſibi viſus eſt agnouiſſe, hincque etiam diverſum vtriusque conſilium fuiſſe intelligi poſſe iudicavit. Simili modo nec hoc ſatis commodum poterit cenſeri, quod *Io. Guil. Schmidtius* mediatorem non vnius plerumque rei s. negotii mediatorem conſtitui ſolere, ita probatum iuit, vt ipſi non vnius tantum partis promiſſa alterius nomine accipienda, ſed huius etiam beneuolam voluntatem et promiſſionem alteri declaran-

---

ἑνὸς ille quidem ſupplendum deque promiſſione illa intelligendum eſſe exiſtimat,) *non habuiſſe ſuum interpretem, vt habuit alterum illud.*

dam esse diceret. Haec enim ecquis tandem in variorum negotiorum loco ponat, cum tam arcte inuicem iuncta sint et nexa, vt alterutro demto nulla plane cogitari possit μεσιτεία? Multo tamen plures adhuc inter sententias ex hoc commate repetitas occurrere, quae cum loquendi vsu vix ac ne vix quidem possint conciliari, eoque saluo admitti, ex iis, quae primo capite de singulorum verborum significatione et sensu constituendo a nobis sunt disputata, sponte iam putamus a lectoribus nostris intellectum fuisse. Si enim vera sunt, quae *pag.* 221. *sqq.* de diuersis vocabuli ἑνὸς supplendi rationibus [50]), omnibus illis parum commodis iudicandis, monuimus, sponte profecto cogitur, omnes illas interpretationes, quae eiusmodi supplendi ratione nituntur, et ipsas incommodas esse iudicandas. Simili vero modo nec eae poterunt admitti, in quibus vocabulo εἷς eiusmodi significatio tribuitur, quae per vsum loquendi eiusque auctoritatem ipsi minime potest vindicari, qua et ipsa de re *pag.* 223. et 227. *sq.* nonnulla a nobis sunt obseruata. Ad eundem vero modum plures etiam illarum interpretationum auctores formulae ἑνὸς εἶναι eiusmodi sensum subiecerunt, qui, si vel maxime posset forsitan cum loquendi vsu conciliari, tamen in h. l. contextu non potest per ea, quae *ibid. pag.* 228. disputauimus, admitti. Praeterea vero multi etiam eorundem interpretum in tam contortum haec Pauli verba sensum traxere, vt, si hunc iis voluisset subiectum, obscurissime profecto locutus fuisse censendus foret. Vt enim taceamus iam illorum rationem, qui vel totum hoc comma in interrogatione positum esse iudicarunt, vel

---

50) Quibus tamen illam adhuc addendam esse intelligimus, quam *not.* 36. Dammium diximus secutum esse, serius demum in notitiam nostram adductam, quaque vocab. προσώπου supplendum esse statuit, cuius tamen omissionem non magis posse per loqnendi vsum confirmari, quam reliquorum, quae ibi commemorauimus, quemlibet putamus nobis haud cunctanter esse concessurum.

vocabulum ἑνὸς cum ſubſtantiuo μεσίτης iungendum atque vtrumque pro ſubiecto habendum, et vnum illud ἐκ ἔστιν in praedicati loco ponendum eſſe cenſuerunt, quoniam de hac etiam re nos ſuperius iam nonnulla meminimus obſeruare[51]), ecquis tandem illam v. c. horum verborum: ὁ δὲ μεσίτης ἑνὸς ἐκ ἔστιν explicationem concoquat, μεσίτην aliquem non eſſe per ſe ſolum et tanquam vnum ſpectandum, ſed ad aliud quid referendum, cum quonam modo ea verbis illis poſſit ineſſe, plane non adpareat? aut quis tandem haec verba a *Schoettgenio* ita explicari ferat, mediatorem non ſolere in eiusmodi rebus conſtitui, quae ſecum inuicem conſentiant, minimeque repugnent? cum nec hic doceri poſſit, quo tandem modo in hunc ea ſenſum poſſint transferri[52]). Neque meliori cum ſucceſſu hanc quis ex verbis: μεσίτην non eſſe ἑνὸς, cum *Bengelio* ſententiam exſculpat: vnum eundemque vti nunc mediatore, alio vero tempore non vti, aut ea in hunc modum accipienda eſſe aliis perſuadeat, in quem *I. H. Heinrichs* ea accipi voluit, ac ſi ita haberent: ὁ δὲ μεσίτης ἑνὸς ἐκ ἔστιν εἷς, hincque ita ſint intelligenda: *mediator vnius et immutabilis non ipſe eſt vnus et immutabilis.* Denique vniuerſo etiam priori interpretationum generi, quod μεσίτην illum de definito aliquo ſubiecto, ſiue Moſes fuerit, ſiue Chriſtus, vult intellectum, ideoque hiſtoricam in his verbis ſententiam agnoſcit, noſtro quidem iudicio hoc obſtat, quod verba illa: ὁ δὲ μεσίτης ἑνὸς ἐκ ἔστιν, in huius quidem loci contextu plane non videntur hiſto-

---

51) De priore quidem *p.* 226. de poſteriore autem *p.* 220.

52) Quanquam enim ſunt, qui formulam ἓν εἶναι, ad quam ille prouocat, hoc ſenſu interdum dici ſtatuant, vt ſignificet: *conſentire*, licet vel hoc adhuc non immerito videatur in dubium vocari poſſe, tamen vel nobis non monentibus intelligitur, eam tum non niſi de ſubiectis intelligendi facultate praeditis, minime vero de rebus poſſe vſurpari, de quibus nunc cogitari voluit *Schoettgenius.* Praeterea vero in hunc locum ea et tum demum poſſet transferri, ſi Paulus his verbis vſus fuiſſet: μεσίτης ἓν ὄντος ἐκ ἔστιν.

ricam ſententiam exprimere poſſe. Etenim ſi Paulus hoc nunc dicere voluiſſet, eundem illum μεσίτην, cuius modo mentionem iniecerat, non fuiſſe ἑνὸς, tum profecto, vt iam a pluribus eſt obſeruatum, per linguae regulas in hunc potius modum ſcribere debuiſſet: ὅτος δὲ μεσίτης ἑνὸς ὐκ ἦν, vel etiam, omiſſo vocabulo μεσίτης, ὁ δὲ ἑνὸς ὐκ ἦν, quemadmodum in antecedentibus conſtanter vſus fuerat verbis praeteritum tempus indicantibus. Atque ſi illud vocab. ἑνὸς ad ſubiectum aliquod aut obiectum in antecedentibus iam commemoratum voluiſſet referri, tum non poterat articulum τȣ̃ ipſi praemittendum negligere. Nunc vero cum facta illius μεσίτȣ, qui legem Sinaiticam promulgauerat, mentione, ſic pergat: ὁ δὲ μεσίτης ἑνὸς ὐκ ἔςιν, non modo illud vocabulum μεσίτης de quolibet interprete alterius vniuerſe erit accipiendum, ſed et verbum ἔςιν eodem plane modo tanquam vocabulum praeſentis temporis explicandum, quo in altero commate: ὁ δὲ θεὸς εἷς ἔςιν, ex omnium fere interpretum conſenſu in praeſenti tempore poſitum eſt iudicandum; hincque ne eorum quidem interpretum ratio poterit probari, qui, ſi vel maxime vocem μεσίτȣ de μεσίτῃ aliquo indefinite dicto interpretentur, tamen hiſtoricam aliquam ſententiam de eo tradi exiſtiment, cum illud ipſum vocabulum praeſentis ἔςιν in hoc quidem contextu quamcunque huius generis ſententiam reſpuat, ſed intelligitur potius, vniverſam aliquam ſententiam de quolibet μεσίτῃ promiſcue valentem hic proponi. Quod vero alii dixere, illa verba: ὁ δὲ μεσίτης de Chriſto καινῆς διαθήκης μεσίτῃ κατ᾽ ἐξοχὴν dicto, qui Moſi tanquam verus μεσίτης opponatur, explicanda eſſe, id partim propterea non poteſt admitti, quoniam hic neque de Moſe tanquam παλαίας διαθήκης μεσίτῃ, ſed legis modo Sinaiticae promulgatore ſermo eſt, neque in toto hoc loco vlla Chriſti τȣ̃ μεσίτȣ ratio habetur, ſed vnice nunc ſpectatur tanquam σπέρμα, ᾧ ἐπήγγελται, qui vbi venerit, legem

illam a Mose traditam sit aboliturus, hominesque a duro huius παιδαγώγε magisterio liberaturus, eique πίστιν substituturus, partim vero nec posterius comma permittit. Cum enim his verbis haec subiiciantur: ὁ δὲ θεὸς εἷς ἔστιν, in oculos profecto incurrit, μεσίτην et θεὸν sibi invicem nunc opponi, hincque non posse alium quendam μεσίτην κατ' ἐξοχὴν dictum Mosi, tanquam legis Sinaiticae μεσίτη, oppositum hic censeri, quoniam tum non modo aperta illa oppositio prorsus esset peritura [53]), sed totum etiam comma posterius superfluum foret iudicandum. Christum autem ipsum fuisse illum μεσίτην, cuius interuentu lex Sinaitica promulgata fuerit, neque in se poterit probari, cum huius sententiae vanitas a pluribus iam fuerit demonstrata [54]), neque Paulus etiam sibi potuit persuadere, cum omnes eius populares hanc potius persuasionem tenerent, non nisi Mosis ministerio istam legem fuisse propositam, idque in ipsis etiam N. T. libris Io. I, 17. Act. VII, 38. aliisque pluribus in locis tradatur.

Si vero haec iam quaestio oritur, quaenam inter illas horum verborum explicandorum rationes, ex quibus vniuersa aliqua de μεσίτῃ quocunque propositio, eaque thetica, iis contineri defenditur, verbis non minus, quam menti Pauli maxime sit consentanea, vel ex iis, quae modo a nobis sunt disputata, intelligi poterit, illam quidem, quae μεσίτην non vnius, sed plurium, earundemque inter se diffidentium et disiunctarum partium esse defendit, quaeque tot interpretum plausum tulit, ab

---

53) Vnde etiam plerique huius sententiae defensores eo delapsi sunt, vt in altero illo δὲ non particulam aduersatiuam agnoscerent, sed pro γὰρ positum id iudicarent, quod tamen quam alienum sit ab eiusmodi loco, qualis hic est, sponte profecto cognoscitur.

54) Vt factum v. c. est a *C. M. Pfaffio* in *Diss. de legis diuinae Sinaiticae caussis, vsu, duratione et ministris, ad Gal. III*, 19. (*Tubing.* 1729. 4.) *p.* 38. *sq.* itemque *Frid. Guil. Schleusnero* in *Diss. laud. p.* 43. *sq.*

h. l. alienam esse iudicandam. Neque enim nunc, vt iam *pag.* 216. obseruauimus, de vlla partium litigantium compositione aut sibi inimicarum reconciliatione, sed de sola legis παραβάσεων χάριν, h. e. peccatorum coërcendorum causa datae promulgatione sermo est, in qua non adparet, quinam de tali μεσίτῃ cogitandi locus esse possit. Reliquae vero sententiae, quas supra ex hoc genere commemorauimus, vel, vt ante iam monuimus, non omnino verae sunt, vel non possunt consentiente loquendi vsu ex scriptoris verbis repeti, vel non videntur huius loci contextui accommodatae esse, cum non doceri possit, quo tandem consilio nunc ab eo propositae sint iudicandae, qua tamen de re nobis in sequentibus, de consilio h. l. disputaturis, plura dicendi occasio suppeditabitur. Hinc ergo vna illa relinquitur, qua μεσίτην non vnius, sed duorum saltem, aut plurium esse, h. e. non posse ibi, vbi vnus modo, sed duo saltem pluresue sint, locum habere, defenditur. Haec enim non modo tam apertam ab interna veritate sua habet commendationem, vt profecto axiomatis loco a scriptore sumi posset, sed tam perspicue etiam verbis ipsis inest, vt nostro quidem iudicio cuilibet ea primum legenti aliarumque eorum explicationum adhuc ignaro sponte videatur in mentem venire debere, possitque absque vllius supplementi adiumento ex iis repeti. Quare si modo cum proximo commate et vniuerso loci consilio consistere possit, cum eoque conciliari, non videtur amplius dubium esse posse, quin vtique sit admittenda.

III.

Expositis itaque variis de commatis prioris sensu interpretum sententiis, restat, vt nunc etiam de posterioris commatis interpretandi diuersitate simili modo differamus. Ea autem et ipsa ad hoc duplex primum

genus poteſt reuocari, quod vel theticam aliquam de Deo ſententiam, vel hiſtoricam hic proponi exiſtimarunt.

Prioris autem generis ſententiarum diuerſitas cum omnis pendeat a ſignificationis vocabulo εἷς tributae varietate, maxime quoque conſentaneum eſſe videtur, hanc ipſam ſignificationis huius vocabuli varietatem, in prima iam commentationis noſtrae parte pluribus a nobis explicatam [1]), in illa enarranda ſequi. Qui igitur de numeri vnitate id vocabulum interpretandum iudicarunt, hi vel de perſonarum Trinitatis, quae dicitur, vel de ipſius naturae diuinae vnitate nunc cogitarunt. Qui ad prius vnitatis genus reſpici putarunt, de Chriſto omnes cogitarunt, idque de eo, vario quidem conſilio, tradi hic opinati ſunt, eiusdem eum cum Patre ac Spiritu S. naturae eſſe atque conditionis [2]); qui vero poſterioris vnitatis rationem nunc haberi iudicarunt, hi primariam illam omnis verae religionis ſententiam hic proponi [3]),

1) Inde a *p.* 229.

2) Quorum in numero ex antiquioribus quidem interpretibus *Chryſoſtomus* inprimis atque *Ambrosius*, ex recentioribus vero *I. W. Iaegerus* et *Io. Michaëlis* fuiſſe reperiuntur. Iſte autem ideo vnitatem illam nunc commemorari ſibi perſuaſit, vt adpareat, legem, a Deo promulgatam, a Chriſto etiam ſcriptam eſſe iudicandam, hincque potuiſſe etiam ab illo abrogari, ille vero hoc conſilio id factum eſſe ſtatuit, ne quis Chriſtum a Patre ſeiungendum eſſe opinaretur, hic contra eo, vt potuiſſe eum mediatorem agere intelligeretur, et poſtremus denique propterea, quoniam ſcriptori occurrendum fuiſſet obiectioni, Chriſtum, cum inter Deum et homines mediatorem ageret, inter plures, quam duos interceſſiſſe, hincque docere voluiſſet, Patrem, Filium et Spiritum S. non niſi vnum Deum conſtituere.

3) Ab horum partibus praeter antiquos interpretes, *Euſebium*, *Theophylactum* et alios, nominatim ſtetere *Nic. de Lyra*, *Seb. Caſtellio*, *Dan. Heinsius*, *A. Heidanus*, *C. Vitringa*, *I. Clericus*, *H. W. Gerdeſius*, *Sal. Deylingius*, (qui Deum vnum nunc dici ſtatuit *non tantum ἐσωθῶς propter vnitatem eſſentiae, ſed etiam ἐνεργητικῶς, quia quae diuiſa fuerint, vniuerit, ποιήσας ex Iudaeis et gentibus ἕν*,) ignotus cenſor commentarii *Langiani* in Gloſſar. *N. T. Tellerianum* in *Allg. deutſch. Bibl. Vol. LIV. Part. II. p.* 355. *ſq.* *W. F. Hufnagelius*, *C. T. Antonius*, *I. D. Schulzius* atque *Oertelius*.

aut ſupponi ſaltem[4]) ſtatuerunt, vnum modo, non duos pluresue Deos, eſſe. Ab horum vero interpretatione *I. I. Hessii* de h. l. ſententia non niſi in eo recedit, quod, vt ſupra iam narrauimus[5]) in voce θεὸς de Chriſto, de quo promiſſio illa v. 16. commemorata agat, cogitandum eſſe exiſtimat, iamque et hunc non niſi vnum eſſe, nunc doceri opinatur[6]). Tum fuerunt etiam, qui cum de variis partibus, inter quas μεσίτης intercedat, ſermonem hic eſſe intelligerent, de Deo etiam hoc nunc tradi ſibi perſuaderent, eum vnam tantum partem eſſe et haberi poſſe[7]). Quibus vero vocabulum εἷς idem,

---

4) Quorum in numerum illos referendos eſſe arbitramur, qui Deum, vnicum quippe, plurium ratione habita, non niſi vnum eſſe, ſimpliciter hic tradi ſtatuerunt, quod ab *A. Calouio*, *H. B. Starkio** (in *Nott. ſelect. in loc. dub. ac difficiliora N. T. p.* 143) *G. Chr. Hosmanno*, *Chr. Tob. Dammio** in *verſ. h. l. germ. F. S. Winterbergio*, *W. I. Albrechto* et anonymo cenſore in *Oberdeutſch. allg. Litt. Zeit. ao.* 1804. *ſc. CXI. pag.* 531. a *Zaeunero p.* 173. *ſq.* commemorato, itemque *I. I. Stolzio** in recentiſſ. edit. verſ. ſuae germ. atque *C. F. Ammonio** defenſum fuiſſe vidimus. Tum vero fuit etiam, qui non tam id ipſum, Deum vnum tantum eſſe, quam eius potius conſequens, eum tanquam vnum a nemine pendere et ſolum agere, tradi nunc putauit, anon. nimirum cenſor in *Allgem. Bibl. der neueſt. theol. u. pädag. Litter. von Schmidt und Schwarz, Vol. VIII. part. VI. p.* 390. *ſq.* ab eodem *Zaeunero p.* 125. commemoratus. Eodem vero amici etiam *Bonitziani* ſententia redit, quae §. 245. *Supplem. Bonitz.* exponitur, et ex qua ſenſus huius commatis ita conſtituitur: *Deus ſui iuris eſt, Gott iſt ſelbſtſtändig*, itemque *Mart. Lutheri*, *L. Osiandri* et *Ph. I. Speneri* intrpretatio, qua verbis his hoc ineſſe iudicatur, Deum in ſuo genere vnicum eſſe, ſuique ſimilem non habere, hincque cum eo non poſſe quicquam absque mediatore agi. Simili modo *C. L. Nitzſchius* etiam Deum vnum certo tantum reſpectu quodam nunc ſpectari voluit, quod nimirum, quae ſunt verba eius, *ſolus efficiat in homine, quae ipſi probentur, per Spiritum ſuum, homine tantum conſentiente et fiduciam in gratiae promiſſione ponente.* Cfr. *Anton.* §. 65. *not.* oo. Huc etiam pertinet *Wilkii* ſententia.

5) *Pag.* 228. *not.* 48.

6) Ita quippe ſenſum horum verborum definiens: - *Nun iſt ja aber der, von welchem in jener Verheiſsung die Rede iſt, Gott,* (oder der Meſſias,) *nur einer.*

7) In quas partes hic quidem abiere *I. Clarius*, *I. Crellius*, *G. G. Zeltnerus*, *W. A. Tellerus*, *C. G. Struen-*

quod pronomen αὐτὸς significare visum est, hos facile intelligitur, non potuisse non diuinae immutabilitatis atque constantiae descriptionem in his verbis agnoscere, eamque vel ad vniuersae naturae diuinae eiusque inprimis voluntatis ac decretorum immutabilitatem [8]), vel ad sanctitatis et iustitiae eius constantiam [9]) pertinere iudicare. Praeter hos autem fuisse etiam diximus [10]), quibus verba haec: ὁ θεὸς εἷς ἔστιν ita interpretanda viderentur, ac si additum iis esset vocabulum πατὴρ aut θεὸς, hique hanc iam sententiam iis contineri statue-

---

see * in *Vers. germ. epistol. app. I. F. Schleusnerus* in *Lex. N. T.* et Anon. in *Neu. theol. Annal. v. J.* 1805. *p.* 371. *Zaeunero p.* 104. laudatus.

8) Ad quam quidem permagnus interpretum numerus eam pertinere iudicauit, quorum nomina chronologico ordine collocata haec sunt: *Io. Brentius, Io. Caluinus, Th. Beza, Nic. Selneccerus, Weinrichius, G. Perkinsius, Iac. Capellus, H. Grotius, Io. Cocceius, Steengrachtius, H. Hulsius, I. van der Wayen, Ad Sasbuth, I. C. Schomerus, Chr. Schoettgenius, Io. Harduinus** in *Nott. ad h. l. I. A. Freylingshausen, I. D. Winklerus, I. A. Bengelius, S. I. Baumgartenus, I. S. Semlerus, I. G. Hofmannus** in *Nott. ad paraphr. Lockian. vers. germ.* Com. *de Lynar* in noua edit. paraphr. suae, *I. G. Koernerus** in *Nott. ad h. l. I. A. Cramerus, I. G. Rosenmüllerus, F. A. Strothius, L. Sahlius** in *Nott. ad h. l.* ignotus auctor paraphr. epist. ad Galat. in *Beytr. zur Beförder. des vernünft. Denk. in der Relig. Part. III. p.* 143. *Roosius, I. P. Gablerus, F. A. W. Krausius, C. F. C. Herzlieb, E. W. Hempel, W. F. Hezel, S. F. N. Morus, I. B. Carpzouius,* Anon. in *I. R. G. Beyeri allg. Magaz. für Predig. Vol. X. Part. V. p.* 30. *S. H. Moellerus, G. S. Iaspis, I. I. Stolzius, I. E. C. Schmidtius, I. M. H. Harras, P. L. Muzelius, C. Th. Antonius, I. A. Boltenus, I. H. Heinrichs, C. F. H. Lindemannus, C. G. Hensler, C. F. Richterus** l. l. et *E. A. Borgerus**, qui *l. l. p.* 234. se ab hac sententia non omnino saltem alienum professus est.

9) Cuius rationem in ista ἑνότητι τοῦ Θεοῦ nunc potissimum habendam censuerunt *Matth. Flacius, Io. Piscator, Dav. Pareus, F. Balduinus* et *L. Müllerus* sub nomine *Theoph. Alethaei* latens.

10) *Pag.* 230.

runt, Deum Iudaeorum aeque ac gentilium [11]), aut omnium gentium, vel omnium etiam hominum [12]), Deum vel patrem esse, h. e. fauere iis ac propitium esse. Denique *C. Th. Antonium* supra iam monuimus [13]), hanc quoque praeter alias sententiam defendisse, vt vocem εἷς ad subiectum adhuc referri vellet, et vnum ἐστι in praedicati loco poneret, iamque integrum comma ita verteret: *Deus autem vnus etiam nunc est.*

Simili vero modo etiam ii, qui historicam aliquam his verbis sententiam contineri statuerunt, qua quemnam et qualem se in hac illaue causa gesserit Deus, aut quidnam hoc illoue tempore fecerit, exponeretur, et ipsi pro significationis voci εἷς ab iis subiectae diuersitate, nunc hanc nunc illam ex iis sententiam repetierunt. Qui nimirum vnitatis notionem ei tribuerunt, hi in has fere partes integrum comma transtulerunt, vt harum sententiarum vnam alteramue nunc proponi statuerent: vnum Deum fuisse, qui posteriorum salutem Abrahamo promitteret [14]), vel quocum dissidium esset generi huma-

---

11) In quam quidem sententiam interpretati ea sunt *Corn. a Lapide, I. Momma, Ackersloot, Dan. Whitby, I. R. Steckius* atque *I. R. Sterkius*, (de quibus duumuiris vid. quae *p.* 233. *not.* 33. obseruauimus,) *C. Wollius, Is. de Beausobre, F. W. Schleusnerus, G. I. Pauli* * *l. l. G. F Seilerus, G. H. Langius*, anon. auctor * nov. vers. pericopar. epistol. et euang. (*Neue erläuternde Ueberfetz. der Epist. u. Evang. auf alle Sonn- u. Festt. Hamb.* 1782. 8.) *p.* 122. *Kallenbachius, C. M. Klemmius, I. A. Noesseltus, I. C. Erbstein* * in *Wörterb. über das N. T. ad h. l.* et *Steudel l. l.*

12) Quo quidem modo sensum horum verborum praeter *Gennadium* constituisse reperiuntur *Fr. Gomarus, Petr. Boschius, I. I Wetstenius, Mich. Weberus, G. Lessius, C. D. Tittmannus* * *l. l., P. H. Hanius, G. C. B. Moschius, I. S. Vogelius* et *G. C. Cannabichius*, it. *P. Abreschius**, et *Schulthessius.*

13) *I. p.* 227.

14) Quorsum nunc respiciendum iudicarunt *G. T. Zachariae, C. L. Bauerus, I. G. Fuhrmannus, F. C. Blaschius, C. G. Storrius, T. A. Seyfarthus, C. C. L. Schmidtius* et *Io. Babor* * in *vers. N. T. germ.*

no [15]), vel qui ſolus cum hominibus aut omnibus [16]), aut gentilibus etiam [17]), ageret. Qui vero vnam aliquam partem hac voce nunc ſignificari opinati ſunt, ii hoc a Paulo defendi exiſtimarunt, Deum vel in negotio iſto, in quo Moſes μεσίτȣ prouinciam ſuſtinuerit, vnam tantum [18]), aut, vt alii definitius dicere maluerunt [19]), alteram partem fuiſſe, vel eum fuiſſe, qui Moſen mediatorem non adhibuerit [20]), vel vnam modo illarum partium fuiſſe, inter quas prius foedus cum Abrahamo initum fuerit contractum [21]), vel vnum eſſe eorum, in-

---

15) De quo vnus *Des. Erasmus* hic cogitauit.

16) Quo reſpectu Deum nunc conſiderandum eſſe rurſus vnus tantum *H. Papius* * defendit, qui *l. p.* 242. *not.* 45. *laud.* ita in h. l. commentatur: *Eine ſolche Mittelsperſon, die nur für ein* einziges *Volk handelt, findet hier nicht ſtatt, um durch ihre Unterhandlungen die ehemaligen göttlichen Verheiſsungen, die* alle *Völker betreffen, ungültig zu machen. Dies konnte doch, wenn es geſchehen ſollte, niemand thun, als Gott allein, der der* einzige *mit allen Menſchen handelnde iſt, der einzige, der mit Abraham handelte, als er ihm die gnädigen Verheiſsungen gab, und der mit den Israeliten handelte, als er denſelben ſein Geſetz gab.*

17) In quam partem *H. G. Reichardus* nunc reſpexit, locum noſtrum ita vertens: *Hic autem* (Moſes) *quum interpres vnius partis, h. e. reliquarum gentium non ſit, Deus vnus ac ſolus cum iis agat.*

18) Quae ſententia a *N. Knatchbullo*, *Wallio*, *Ioach. Langio*, *C. Neudeckero*, *G. L. Oedero*, *Pfingſtenio* * *l. p.* 240. *not.* 34. *l. Th. Stockhousio*, *I. H. D. Moldenhawero*, Com. *de Lynar* in prima paraphr. edit. *T. I. A. Schützio*: *I. D. Michaële*, *F. C. Doeringio* * in *Lexic. bibl.* ſub voc. *Mittler*, *I. G. F. Leunio* et Anon. in *Theolog. Nachricht. v. J.* 1809. *Vol. II. p.* 387. fuit defenſa.

19) Quos inter referendi ſunt *C. Hagmaierus*, *A. G. Waehnerus*, *C. F. Bonitzius* in *Spicileg.* §. 210. et *H. A. Schottus.*

20) Quam ſententiam praeter *Iac. Bruckerum Flüggenius* * et, qui eum ſecutus eſt, *I. H. Tschornius* * in *Exeget. Blumenl. Part. I. p.* 75. *ſq.* probarunt, dum verba illa: ὁ δὲ θεὸς εἷς ἐστιν pro: ὁ δὲ θεὸς ὁ εἷς ἐστι poſita iudicarent, eaque ſic verterent: Gott iſt der eine, *deſſen Mittler Moſes gar nicht geweſen, ſondern der einen ganz andern Mittler auserſehen hat.*

21) In quam partem Angli potiſſimum interpretes, *Io. Lok-*

ter quos Christus mediator intercesserit [22]). Et qui denique pro pronomine αὐτὸς vocem istam positam iudicarunt, hi Paulum horum alterutrum tradere nunc voluisse sibi persuaserunt, vnum eundemque Deum fuisse, qui et promissionem et legem dederit [23]), aut cum Mosen, tum caeteros etiam μεσίτας miserit [24]). Praeterea vero ad eandem interpretum classem referendi etiam sunt ii, qui in verbis huius commatis vltimis εἷς ἐστι vocem μεσίτης ex superiori commate repetendam censuerunt, quorum tamen in iis interpretandis suam quisque peculiarem viam iniit. Et Anglus quidem ille, *I. F.* cuius aliquoties iam mentionem iniiecimus [25]), de Christo hic sermonem esse ratus, hunc vnum mediatorem nunc dici sibi persuasit; *S. I. Baumgartenus* vero, cui de sensu horum verborum non certo satis fuit persuasum [26]), Deum summum putauit promissionis ad vnum illud semen v. 16. commemoratum, Messiam nimirum,

---

kius nominatim et *Th. Pylius*, praeterque hos *I. G. Napierski** etiam in *Brem. u. Verd. Biblioth. Vol. II. p.* 791. inclinarunt.

22) Quorsum duos tantum *Io. Michaëlem* et *I. C. Wolfium*, respexisse vidimus, quibus tamen praeiuit iam Scholiasta aliquis in edit. N. T. Matthaei.

23) De quo praeter *Theodoretum* et Scholiastam quendam in eadem edit. libr. N. T. ex recentoribus interpretibus cogitandum nunc censuerunt *Io. Camero*, *I. G. Schmidtius* in *Prol II. de notione* μεσίτου *p.* 9. *I. C. Doederleinius*, *G. Mayerus*, *G. C. B. Moschius*, *G. I. Besenbeckius*, *I. F. Telgenus*, *A. G. Fenzelius*, *Vassmerus*, censor ignotus in *Jen. allg. Litt. Zeit. ao.* 1806. *sc. XXXVI. p.* 287. a *Zaeunero p.* 121. commemoratus, atque *Zaeunerus** ipse *p.* 225. et *E. A. Borgerus** ex altera h. l. interpretatione *l. l. p.* 233. itemque tertia *ibid. p.* 235. proposita.

24) Quo quidem nunc respiciendum potius iudicarunt *C. F. Bahrdtius*, *I. B. Koppius* cum auctore *vers. hui. epist. germ.* qui eum in illa interpretanda secutus est, *C. C. Sturmius** in *Handlex. des N. T.* sub voc. *Mittler*, itemque *Euch. Oertel** in *Lex N. T.* sub voc. μεσίτης, atque *E. A. Borgerus** ex prima h. l. interpretatione *p.* 231.

25) *Pag.* 228. *not.* 48. et 49. ac *p.* 230. itemque *p.* 231. *not.* 2.

26) Vel enim ea, vt ex *not.* 8. cognoscitur, de immutabilitate

pertinentis, interpretem hic adpellari [27]) et *I. F. G. Tischerus* denique, qui et ipſe has partes ſecutus eſt, vocab. εἷς in vtroque commate de *primo* explicans, Deum Moſi tanquam primum interpretem [28]) ſtatuit opponi, locumque hinc latine ita reddidit: *hic autem interpres* (Moſes) *non eſt interpres illius primi* (Abrahami) *Deus enim primus interpres eſt.* Neque multum ab hac explicatione recedit *Th. Schlegelii* ſententia in ſuperioribus iam a nobis commemorata [29]), qua poſt vocem θεὸς verbum λέγει ſuppleri voluit [30]),

---

Dei atque conſtantia intelligenda, vel in hunc, quem ſupra ſignificauimus, ſenſum interpretanda iudicauit.

27) Quem ſenſum ipſe quidem his verbis ſignificauit: Derſelbe Mittler aber *oder Offenbarer der Verheiſsung, (der zu dem einigen Samen gehöret und denſelben gewähret,)* iſt Gott ſelbſt; *dieſer, der mit dem Abraham zu thun gehabt, auch nachher das Geſetz gegeben, iſt der einige und höchſte Gott.* de qua tamen interpretatione recte iam *Antonius* monuit §. *LXXXIV. not. v.* ex ea Paulo in hunc potius modum ſcribendum fuiſſe: θεὸς ἑνός ἐστιν ſc. μεσίτης.

28) Quo tamen nomine Deum propterea adpellari, quoniam promiſſionem illam Abrahamo dederit, nemo facile ſibi perſuaſerit.

29) *Pag.* 230.

30) Cuius tamen vocabuli omiſſio cum profecto duriſſima ſit cenſenda, nec vllo ſimili exemplo poſſit confirmari cumque loquendi vſu conciliari, non mirum eſſe poterit, hanc preceptoris ſui ſententiam in hac certe re deſeruiſſe *I. C. Schmidtium* * in Diſſert. *not.* 8. a nobis commemorata. Is enim quanquam et ipſe de ſenſu horum verborum nondum videtur certus ſatis eſſe, hanc tamen eorum explicationem ſilentio prorſus praetermittit, eaque ſic intelligi poſſe ſtatuit: Deus autem eſt vnus, (*a quo nempe omnia pendent, vel a quo et promiſſio Abrahamo data et lex Moſaica inſtituta eſt,*) eſt vnus Deus omnium, (*omnium, non Iudaeorum tantum, ſalutem curat.*) Simili modo et alius fuit qui varium eumque triplicem his verbis ſenſum ſubiiceret, auctor nimirum verſionis epiſt. ad Gal. germ. quae extat in *Henkii Neu. Magaz. für Religionsphil. Exeg. u. Kircheng. Vol. II. Part. I. p.* 17. *ſq.* vbi de ſenſu eorum ita disputat: Gott aber iſt einer; *dieſer Satz iſt vielſinnig. Denn er ſchlieſst folgende Bedeutungen in ſich:* 1) *Gott iſt derſelbe und ſich immer gleich,* 2) *er iſt derſelbe Gott, zu dem unſer Mittler uns führt, als zu welchem Moſes führte.* 3) *Gott iſt Vater aller Menſchen, daher muſs auch ſeine Gnade allgemein ſeyn, und ſich auf Alle erſtrecken.*

iamque et ipſe his verbis hoc tradi putauit, *Deum vnius illius*, qui Abrahamo fuerit promiſſus, *nuncium aut interpretem eſſe* [31]).

De hac autem vniuerſa, quam huc vsque enarrauimus, ſententiarum, in ſe quidem omnium fere inter veras referendarum, diuerſitate iudicium profecto non difficile eſſe videtur. Si enim firmum et ratum habendum eſt id, quod in ſuperioribus [32]) defendere ſuſtinuimus, vix aliam vocabulo εἷς ſignificationem per loquendi vſum vindicari poſſe, praeter vnam illam, qua de *vno* dicitur, ſponte profecto inde ſequitur, omnes illas huius commatis explicationes haud cunctanter improbandas atque reiiciendas eſſe, in quibus alia, quam haec, ipſi notio ſubiicitur, hincque non nifi eas attentione dignas eſſe iudicandas, in quibus haec eius ſignificatio admittitur. Cum autem Chriſti nullam hic mentionem fieri, ab omnibus fere ſanioribus interpretibus nunc concedatur, fueritque etiam a nobis ſuperiori capite [33]) pluribus demonſtratum, ſua iam ſponte illa interpretatio cadit, quae de perſonarum Trinitatis vnitate hic exponi ſtatuit, nulli etiam recentiorum interpretum, ne eorum quidem, qui de Chriſto vtique ſermonem hic eſſe defenderunt, probata, hincque vna illa relinquitur, quae vniuerſae naturae div. vnitatem nos nunc iubet cogitare, aut, dum ne huius quidem, vt multi iam veriſſime monuerunt, vnitatis mentio huic loco apta ſatis atque accommodata eſſe videatur, vnum hoc in eo tradi defendit, Deum, tanquam vnicum, non nifi vnum aliquem eſſe. Neque tamen iſte Deus vnus ſimpliciter nunc ſpectandus, ſed ille potius Deus cogitandus erit, qui, vt dictum modo fuerat v. 18. δι' ἐπαγγελίας κεχάρισται τῷ

31) Vt intelligitur ex verbis eius *p.* 230. *not.* 58. laudatis.

32) *Pag.* 229. *ſq.*

33) *Pag.* 237. *ſq.*

Ἀβραάμ, cum aperte hoc ſolo reſpectu de eo nunc ſermo ſit; hincque profecto illa interpretatio caeteris omnibus videtur praeferenda, quae Deum illum, qui promiſſionem Abrahamo dederat, vnum aut ſolum fuiſſe hic vult doceri [34]). Neque etiam difficile eſſe poterit, huius ſententiae cum priore commate nexum perſpicere.

De hoc ipſo autem vtriusque commatis nexu iterum diuerſe iudicarunt interpretes. Quanquam enim plerique quidem aduerſatiuum eius nexum admiſerunt, ita quidem, vt ὁ μεσίτης, quisquis etiam ille ſit, et ὁ θεὸς ſibi inuicem opponantur; fueruut tamen etiam, vt iam antea [35]) admonuimus, qui cauſalem potius nexum eius agnoſcerent, hincque alterum illud δὲ pro γὰρ poſitum nunc iudicarent. At enimuero, cum hanc eius ſignificationem in hoc certe loco vix ac ne vix quidem admitti poſſe ibidem iam a nobis fuerit obſeruatum, profecto intelligitur, hanc ſententiam non habere, quo ſe tueatur, eſſeque adeo in hac cauſa vtique in eorum potius partes discedendum, qui aduerſatiuum vtriusque commatis volunt nexum eſſe. Is autem quinam in iis quidem, quas nos vtrique commati ineſſe oſtendimus, ſententiis eſſe ſit iudicandus, profecto non videtur, vt diximus modo, intellectu difficile eſſe. Si enim, quod in priori commate docuimus contineri, ibi, vbi vnus modo adeſt, nullus μεσίτη locus eſt, Deus autem, qui Abrahamo promiſſionem dedit, vnus modo fuit ac eſſe tantum potuit, ecquis tandem non intelligat, hoc inde ſequi, eum tum, tanquam vnum, non potuiſſe μεσίτῃ aliquo vti, adeo-

---

34) Cuius fautores *not.* 14. enarrauimus.

35) *Pag.* 226. vbi *not.* 46. hos eius patronos laudauimus, *H. W. Gerdesium, Mich. Weberum, G. C. B. Moschium, G. F. Seilerum, G. Lessium, S. H Moellerum* atque *Bonitzium.* His tamen addendus etiam eſt *Io. Fr. Guil. Tiſcherus*, qui, vt paulo ante obſeruauimus, Moſen Abrahami, tanquam primi gentis Israeliticae conditoris, interpretem non fuiſſe, inde putat a Paulo concludendo colligi, quod Deus potius primus interpres fuerit.

que nec mutuum illo tempore inter ipſum atque Abrahamum pactum initum fuiſſe a certis quibusdam conditionibus vtrimque factis probatisque ſuspenſum, ſed meram ab eo promiſſionem propoſitam. Atque id ipſum haud dubie eſt, quod Paulus ex hac vtraque ſententia ſimpliciter a ſe propoſita a lectoribus ſuis colligi voluit, quodque vniuerſo etiam loci huius conſilio praeclare reſpondere deprehendetur.

Haec omnis tamen de nexu vtriusque commatis disputatio inanis profecto atque ſuperflua foret iudicanda, ſi quidem vera eſſet illorum ſententia, qui duplici hunc verſum commate conſtare omnino negant, atque non niſi vnum ſubiectum, cui duplex praedicatum ſit ſubiunctum, in eo agnoſcunt. Sunt autem huius ſententiae defenſores omnes ex illorum genere, qui de Chriſto nunc ſermonem eſſe ſtatuunt, hique horum vnum aliquod de eo nunc tradi defendunt, eum ſecundum mediatoris quidem officium a Deo vno diuerſum, ſed qua naturam diuinam vnum cum illo eſſe [36]), vel, eum non vnius tantum naturae aut partis mediatorem, at Deum tamen vnum eſſe [37]), vel, licet non vnius, ſed duarum, earumque diſſidentium partium ſit mediator, vnum tamen Deum eſſe [38]), vel, eum non eſſe Deo ſubditum,

---

36) Quae *Hieronymi* fuit ſententia his ab eo verbis declarata: *Manum mediatoris potentiam et virtutem eius debemus accipere, qui cum ſecundum Deum vnum ſit cum patre, ſecundum mediatoris officium alius ab eo intelligitur.*

37) Quo quidem modo *Primasius* ſenſum h. l. conſtituendum iudicauit, qui haec de eo habet: Mediator autem vnius non eſt, Deus autem vnus eſt, *ſubauditur*, ſubſtantiae, *vel vnius partis quia inter Deum et homines extitit mediator. Ideo autem addidit*, Deus autem vnus eſt, *ne quis putaret, Chriſtum ab vnitate diuinae naturae penitus eſſe diuiſum; quia mediatoris ſuscepiſſet officium.*

38) Quae interpretatio a *Remigio* iam propoſita eſt, qui ad verba illa: *Deus autem vnus eſt*, haec obseruauit: *hoc ideo addidit Apoſtolus, ne quis putaret, Chriſtum ideo ab vnitate diuinae naturae eſſe diuiſum, quia mediatoris ſuscepit officium. Licet enim ipſe nobis mediator ſit per humanitatem, tamen non eſt abruptus a natura diuinae paternitatis, ſed ipſe, qui*

ſed ipſum potius Deum vnum [39]). Verum cum monuerimus modo non poſſe de Chriſto hic recte cogitari, quidnam de hac ſententia ſit iudicandum, vel nobis non monentibus intelligitur, hincque nec opus eſſe videtur, vt quam parum illae, quas modo commemorauimus, eius conſtituendae rationes cum verbis loci ipſis poſſint conciliari, aut contextui eius accommodari, ſeparatim adhuc oſtendamus.

Neque magis vero eorum ſententia probari poterit, qui poſterius comma ab hoc verſu ſeiungendum et vel ad proximum v. 21. referendum, vel cum v. demum 28. iungendum cenſuerunt; quorum prius quidem tres potis-

---

eſt verus Deus et verus homo in vna perſona; ipſe ſemper aequalis manet patri in natura et poteſtate diuinitatis. Eidem tamen recentioribus temporibus acceſſit etiam *Io. Wolfg. Iaegerus* qui haec de loco noſtro monet: *ὁ δὲ μεσίτης ἑνὸς, non foederis, ſed partis, οὐκ ἔστιν. — Chriſtus duarum dicitur partium diſſidentium mediator, θεοῦ καὶ ἀνθρώπων. Vti prius membrum Chriſtum mediatorem exhibuit ſub formali ſua ratione, ita poſterius quoque de ipſo erit interpretandum, vt intelligamus, quantus ille ſit mediator, ſc. ipſe Deus.* Neque alia ſunt, quae duobus fere ante eum ſeculis de eodem loco ſcripſerat *Dion. Carthusiauus*, his verbis vſus: Mediator autem vnius non eſt *duntaxat, ſed duorum extremorum, inter quae mediat et connectit.* Deus autem vnus eſt *in eſſentia. Tanquam dicat, licet Chriſtus ſit mediator Dei et hominum, eſt tamen idem Deus cum Patre et Spiritu S.*, quibus tamen verbis ille quidem communem magis, quam ſuam de h. l. ſententiam videtur propoſuiſſe. Cum enim in antecedentibus verba, *in manu mediatoris* de Chriſto explicaſſet, addit deinde, ita haec *communiter exponi*, ſed videri tamen h. l. per mediatorem Moſen intelligi poſſe, per cuius miniſterium data ſit lex.

39) In quam partem *Io. Weſſelius* haec verba interpretatus eſt, vt vel ex iis intelligi poteſt, quae ſuperius *p.* 258. *not.* 27. de eo obſeruauimus. Verbis enim ibi laudatis haec ab eo ſubiiciuntur: *Ex aduerſo de mediatore pronunciat igitur Paulus*, ſed ipſe Deus vnus eſt. *Sequitur hoc quidem ex negatiuo praedicato; omne enim, quod eſt, aut creator eſt, aut creatura. Quicunque igitur creatura non eſt, creatorem illum eſſe oportet. Quia tamen paulo conciſius hoc dixerat Apoſtolus in priori membro ideo in poſteriori illud ipſum latius declarat.* Hunc tamen in vniuerſa h. l. interpretatione ſecutus etiam eſt *C. F. Guldius* * *ibid.* a nobis commemoratus.

ſimum, quantum nobis conſtat, viri docti [40]) ſuaſerunt, poſterius vero vnus tantum tentauit [41]). Etenim ſi quis dicendi ſcribendique rationis vel paululum peritus fuerit, nexumque orationis Paulinae, qui in ſequentibus obtinet, vel leuiter examinauerit, facile is intelliget, vtramque ſententiam orationis non minus ſtructurae, quam contexto ſermoni penitus aduerſari [42]). Si enim, quod priorem attinet, verba ille: ὁ δὲ θεὸς εἷς ἐστι cum proximo verſu in hunc, quo illius ſententiae defenſores volunt, modum cohaererent, qua tandem ratione ea ſic, vti a Paulo factum eſſe iſti ſumunt, conſtrui potuiſſent? Et nonne ipſa potius externa orationis forma aperte declarat, cum verbis illis: ὁ ἓν νόμος κατὰ τῶν ἐπαγγελιῶν τοῦ Θεοῦ, nouam periodum incipere, nouamque obiectionem ex iis, quae dicta modo fuerant, forte repetendam proponi? Hac ipſa vero de cauſa nec alterum

---

40) *P. D. Kraeuterus* quippe itemque auctor ignotus libri ſic inſcripti: *Nov. Teſtam. latine verſum notisque criticis et philologicis illuſtratum.* Vol. I. (epp. ad Gal. Epheſ. et Theſſal. complexum,) *Berol.* 1798. 8, et *I. E. C. Schmidtius*, qui omnes v. 21. ita interpungendum ſtatuunt: ὁ δὲ θεὸς εἷς ἐστιν· Ὁ ἓν νόμος κατὰ τῶν ἐπαγγελιῶν τοῦ θεοῦ; *Deus vero vnus idemque eſt; num ergo lex et promiſſio Dei ſibi inuicem poterunt repugnare?* aut vt auctor verſionis illius latine eum reddidit: *Quum vero Deus maneat idem, qui fieri poteſt, vt leges per Moſen latae aduerſentur promiſſis Abrahamo a Deo factis?* caeterum tamen in eo inter ſe differunt, quod priora illa: ὁ θεὸς εἷς ἐστι, *Kraeuterus* quidem de vnitate eſſentiae div, quae voluntatem etiam vnicam atque immutabilem ponat, vult intellecta, interpres vero latinus in Deo vno eum, qui et Abrahamo adparuerit, et cum Moſe egerit, ac *Schmidtius* denique Deum ſemper ſibi conſtantem cogitauit.

41) Anonymus quidam in *Intelligenzbl. der Allg. Litt. Zeit. ao.* 1794. *ſc. CXX. p.* 958. qui verba noſtra cum verbis v. 28. πάντες γὰρ ὑμεῖς ἐσε coniunxit inque hunc modum reddidit: *Deus vna pars eſt, vos vero Chriſtiani alteram conſtituitis*, interiecta autem verba omnia in parentheſi poſita iudicauit. Eandem tamen interpretationem probaſſe etiam videtur *Rullmannus* in *Material. für alle Theile der Amtsführ. eines Predigers. Vol. III. Part. III. p.* 372.

42) Quod ſuo iure contra vtramque interpretationem monuerunt iam *Bonitzius* §§. 236, et 292. atque *Antonius* §. 54.

illud poterit probari, ex quo verba illa cum verbis v. 28. πάντες γὰρ ὑμεῖς εἷς ἐστε dicuntur cohaerere; ſi vel maxime ipſa orationis ſtructura arctiſſimusque horum cum iis, quae inde a v. 26. praeceſſerant, nexus id permitterent, quod tamen vtrumque longe aliter ſe habere, cuilibet profecto ſponte in oculos incurrit. Quae cum ita ſint, nihil iam amplius videtur obſtare, quo minus illa, quae ante cum propter commodum vtriusque commatis nexum, tum propter ſummam etiam facilitatem ſuam a nobis commendata eſt h. l. interpretatio, omnium maxime probabilis mentique ſcriptoris prae caeteris accommodata iudicetur, niſi vnum forſitan hoc, vt vtrum ea cum vniuerſo quoque loci huius conſilio conciliari poſſit, adhuc quaeratur. Id ipſum vero tertium iam eſt, de quo ſententiarum inter interpretes diuerſitatem breuiter exponere paucisque diiudicare conſtitueramus.

IV.

Peruenimus nunc, ad tertiam inſtitutae disputationis partem, qua de illa interpretationis loci Gal. III, 20. diuerſitate nobis exponendum breuiterque iudicandum eſt, quae in conſilio illius loci conſtituendo deprehenditur. Cum autem in conſilium loci inquirerent interpretes, duo alia ſimul in quaeſtionem ab iis ſunt vocata, de quibus et ipſis cum diuerſe illi iudicarent, non potuit non illud etiam varie ab iis conſtitui, quoniam ad id definiendum magnam illa vim habent.

Primum nimirum quaeſiuerunt, vtrum, quae hoc v. 20. continentur, ex ipſius ſcriptoris, an aliorum mente ac eo proferantur? Quanquam vero hic plerique prius admittendum iudicarunt, fuerunt tamen etiam, qui poſterius defenderent, inque his verbis non ipſum Paulum ſuam ſententiam exponentem, ſed obiectionem

ab aliis ſtruendam in medium proferentem ſibi audire viderentur. Verum et hac de re non vna eademque omnium fuit ſententia. Alii enim hanc obiectionem vtroque verſ. 19. et 20. contineri, imo in primis etiam v. 21. verbis adhuc continuari, alii vero etiam poſteriore tantum v. 20. coque vel integro, vel eius ſaltem parte priore proponi ſibi perſuaſerunt [1]). Prioris ſententiae defenſores, *Geo. Lud. Oederus* atque *Henr. Ben. Starckius* itemque ignotus quidam vir doctus [2]), doctorem aliquem Iudaeo - Chriſtianorum partibus fauentem his duobus verſibus legis Moſaicae, angelorum quippe et mediatoris interuentu promulgatae, praeſtantiam atque auctoritatem hoc conſilio praedicantem nunc putarunt introduci, vt, quod Paulus v. 18. negaſſe viſus fuiſſet, inde euinceret, illam quoque legem ad δικαιοσύνην hominibus parandam, ſalutemque Abrahamo eiusque poſteris promiſſam obtinendam facere debuiſſe, quorum prioris rationem nunc potiſſimum haberi ſtatuerunt *Oederus* atque *Starckius* [3]), poſterioris vero ille, quem diximus, Anonymus, qui illam aduerſarii obiectionem verbis demum v. 21. ὁ ἂν νόμος κατὰ τῶν ἐπαγγελιῶν τοῦ Θεοῦ; abſolui iudicauit. Cum vero huic ſententiae ea, quae ab initio v. 19. de lege dicuntur, τῶν παραβάσεων χάριν προσετέθη, ἄχρις οὗ ἔλθῃ τὸ σπέρμα ᾧ ἐπήγγελται, vix poſſent ſatis accommo-

---

1) Simili modo fuerunt etiam, qui v. 19. tantum obiectionem aliquam proponi ſtatuerent, ad quam v. 20. reſpondeatur. Verum de horum ſententia in ſequentibus dicendi locus erit, vbi de illis disputabitur, qui ipſum Paulum in hoc verſu loqui concedunt, cum quibus et hi conſentiunt.

2) Cenſor nimirum aliquis in Ephemerid. liter. Salisburgenſ. ab *Antonio* §. 112. laudatus.

3) Nixi potiſſimum mediatoris mentione, qui non niſi in partibus litigantibus adhiberi ſoleat, hincque v. 20. ita explicantes: *Mediator*, quae *Oederi* nominatim ſunt verba, *non eſt vnius, itaque non ſolius Dei, qui vnus eſt, cauſa adhibitus, ſed duarum partium, quae in lite fuerunt, vt ea lis componeretur.*

dari, parum quippe, vt videbatur, ad legis commendationem facientia ſed eius auctoritatem potius minuentia, hanc, quam illi quidem iudicabant, difficultatem iidem illi triumuiri vario modo, eo tamen admodum duro, tollere ſtuduerunt. Et *Oederus* quidem in his ipſis verbis Pauli reſponſionem ad iſtam aduerſarii obiectionem ſibi viſus eſt agnouiſſe; ideoque parentheſi ea includenda iudicauit, et proxima illa: διαταγεὶς δι' ἀγγέλων ἐν χειρὶ μεσίτȣ per interrogationem enuncianda ſtatuit, in hunc quidem modum illum integrum verſum vertens: *quid igitur lex? (transgreſſionum gratia addita fuit, donec veniret ſemen, cui promiſſio facta eſt,) diſpoſita per angelos, miniſterio mediatoris? Mediator vero vnius non eſt; atqui Deus vnus eſt.* Quoniam vero hoc iure videbatur offenſionis aliquid habere, reſponſionem Pauli ad obiectionem cum maxime proponendam huic ipſi in parentheſi fuiſſe praemiſſam, *Starckius* quidem huic incommodo tum obuiam iri poſſe exiſtimauit, ſi miſſa parentheſi, in verbis illis ſimplex Pauli reſponſio ad quaeſtionem modo propoſitam agnoſceretur, iamque in proximis noua aduerſarii ad hanc ipſam Pauli ſententiam infringendam obiectio admitteretur, iisque ad maiorem huic ſermocinationi vim conciliandam particula interrogatiua τὶ, cuius tamen nullibi veſtigium aliquod deprehenditur praemitteretur, ita vt iam haec integri verſus forma atque ſententia inde prodiret: *quid igitur lex?* ſc. valet? Reſp. *peccatorum gratia addita eſt, donec Chriſtus veniret.* Obi. *Quid? lex lata per angelos atque* μεσίτȣ *interuentu?* etc. Anonymus denique ille quanquam, vt *Antonius* iam obſeruauit l. l. ſuam de illis nominatim verbis ſententiam non perſpicue ſatis pronunciauit, tamen interrogationem potius atque dubitationem aduerſarii in iis videtur agnouiſſe, quam propoſitionem categoricam, his quippe verbis vſus: *Wie?* [4])? *das Geſetz ward ja*

4) Ad eundem igitur modum verba haec interpungenda ſtatuit,

doch gegeben um unserer Uebertretung willen? Qui vero solo v. 20. obiectionem aduersarii contineri arbitrati sunt, ii vel auctoritatem legis perpetuo duraturam [5]), vel eius ad placandum Deum vim [6]) ab aduersario vrgeri exque eo colligi sibi persuaserunt, quod mediatoris interuentu a Deo fuerit promulgata [7]). Multo vero diuersiores vias ii inierunt, qui in primo tantum huius vers. commate obiectionem aliquam sibi visi sunt agnoviisse, ad quam in altero statim commate a scriptore respondeatur. Inter hos enim *Io.* quidem *Michaëlis*, quemadmodum aduersario Pauli obiectionem ex intimis Theologiae scholasticae recessibus repetitam suppeditavit, ita Apostolum etiam ad eiusdem Theologiae decreta accommodate iussit ei respondere. Statuit nimirum, in vocabulo μεσίτης de Christo cogitans, Apostolo, hunc ipsum Christum mediatorem non vnius partis studiosum fuisse, sed vtrique consuluisse contendenti, hoc ab adversario opponi, eum, si mediator fuerit inter Deum et hominem, et ipse etiam vna cum Patre coelesti legis auctor fuerit, etiam inter se ipsum et hominem iuxta cum Patre et Spiritu S. mediatoris personam agere de-

---

quo ea, obseruante *Wolfio* in *Cur. philol.* ad h. l., dudum interpungi voluit ignotus quidam vir doctus in *Act. Erudit. ao.* 1729. *p.* 13. vt nimirum ita legeret: τὶ ἓν; ὁ νόμος etc.

5) Quo quidem huius obiectionis vim retulerunt *Io. Crellius*, *C. F. Bonitzius*, et, qui eum secutus est, *H. A. Schottus.*

6) Quae fuit *Chr. Neudeckeri* sententia.

7) In quo tamen ipso inde repetendo diuersas iterum rationes secuti sunt. Etenim *Crellius* quidem id ex eo colligi statuit, quod Deus non potuerit pactum super legis obseruatione inter se et populum Israeliticum per mediatorem initum sine alterius partis consensu solus rescindere; *Bonitzius* vero hoc spectandum esse iudicauit. quod pactum illud a Deo constantissimo et immutabili fuerit initum, hincque non potuerit non perpetuam auctoritatem obtinere, et *Neudeckerus* denique illius iterum, quod permulti iam in animum sibi induxerunt, rationem haberi voluit: mediatoris non aliud esse posse consilium, nisi vt duas partes sibi aduersas in concordiam redigat.

buiſſe, quod tamen officio mediatoris, *vtpote inter duos tantum exiſtentis*, videatur repugnare, a Paulo vero hoc reſponderi, cum *Deus vnus* ſit eſſentia, non differre Patrem a Filio ceu mediatore et Spiritu S., quin illas perſonas coniunctim conſideratas, eſſe illum vnicum Deum, inter quem et hominem mediatoris officium expleuerit Chriſtus; quae quam incommoda ſint et ab omni probabilitatis hermeneuticae ſpecie abhorrentia vel non monentibus nobis a quolibet ſponte intelligetur. Reliqui vero omnes de Moſe legis *μεσίτη* cogitarunt, eaque ipſa de cauſa, quod hunc *μεσίτην* habuerit, ſummam ei auctoritatem vindicari, eamque hinc vnquam tolli potuiſſe, ab aduerſario negari iudicarunt. Ex his tamen *Guſt. Chriſtoph Hosmannus* rationes ſuas admodum obſcure atque difficulter conſtruxit, loci quippe ſententiam hoc modo declarans, vt Apoſtolo hoc obiici ſtatueret: *hic autem mediator, quem Moſen fuiſſe conſtat, non vnius, non populi ſolius, ſed Dei ſimul eſt mandatarius atque miniſter*, iamque hoc ab eo reſponderi: *Deus autem, cui ex tua ſententia ſolus addictus fuisſet, vnus eſt; quamobrem qui negat, Moſen vnius fuiſſe mandatarium, negat ſimul ſolius illum Dei fuiſſe, et populi curam habuiſſe nullam;* quo vtroque quid ſibi voluerit, nos quidem ingenue fatemur, minime aſſequi [8]). Multo facilior intellectu eſt *Andr.*

---

8) Neque enim vel ex iis, quae illius ſententiae vberius declarandae cauſa ſubiecit, mentem ipſius apertius potuimus cognoſcere. Sunt nimirum haec: *Obiicis*, ſed hic mediator non fuit vnius partis *mandatarius*, *vtpote Dei ſimul hanc in rem legatus atque miniſter. Sed reſpondeo: bene, non fuit vnius, ergo non ſolius Dei, cui ex tua ſententia ſolus fuit addictus*, Deus enim vnus eſt, *et qui ſolius Dei mandata exſequitur, populique curam non gerit, non* duorum, *ſed* vnius *mediator eſt, qualem Moſen fuiſſe negas. Eſto tantisper, eſto, Deum voluiſſe teſtamentum reſcindere, meritumque operum illi ſurrogare, mediatoris erat, non conſentire, ſed mediator hic non erat vnius partis; quid inde? ergo populi rebus non proſpexerit? nego, hac enim ratione vnius fuiſſet: Deo videlicet qui ſoli addictus eſt, quin vnius dici poſſit, non intelligo. Sed vnius hunc*

Gottl. Fenzelii ratio, qui ex hoc ipſo, quod lex μεσίτην ſuum habuerit, promiſſio autem Abrahamo facta tali caruerit, praecipuam illi ab aduerſario praeſtantiam vindicari, a Paulo vero id regeri exiſtimat, vnum tamen eundemque Deum eſſe, qui promiſſionem aeque ac legem dederit, quique cum ſemper ſibi conſtet, id, quod ſemel dixerit, ſemper ratum facere debeat, ſive id magis minusue ſolenni modo fuerit promulgatum, hincque locum, priori quidem commate per interrogationem[9]) enunciato, ita vertit: *Mediator autem vnius*, ſcl. Abrahami, *non eſt? idem tamen Deus eſt.* Paulo durius vero *Kallenbachius* ex eo, quod in vna lege Moſaica μεσίτης fuerit adhibitus ad praeſtantiam vniverſi populi Iudaici concludi, a Paulo autem hoc reſponderi ſtatuit, Deum aeque benignum eſſe erga gentiles, quam Iudaeos, hincque prioris quidem commatis, in quo et ipſe interrogationem vult agnoſci, ſenſum his verbis declarauit: *Nonne mediator hic (Moſes)* (ἑνὸς μέρους, *aut quaecunque alia ſit vox ſimilis*) *vnius partis, i. e. vnius populi eſt? Profecto, vti Moſes vnius populi Iudaici eſt mediator, vti vni populo per ipſum lex eſt lata, ita auctoritas legislatoris permanebit, ita lex ad ſalutem neceſſaria, ita populus Iudaicus praeſtabit omnibus aliis gentibus;* poſterius autem ita explicuit: *Deus vnus idemque, benignus et erga Iudaeos et erga Ethnicos, neque populorum, neque perſonarum rationem habet.* Contra vero rurſus facilitatis nomine commendatur *Frid. Aug. Guil. Krausii* ratio, modo aliis de cauſis illa poſſet probari. Is nimirum legem Moſaicam tolli potuiſſe, ideo ab aduerſario putat negari, quod eius μεσίτης interpres fuerit Dei ſemper ſibi conſtantis, idque ipſum a Paulo etiam in ſuae ſententiae defenſionem arripi ſtatuit,

---

mediatorem non fuiſſe, tecum conſentio, inde vel maximum ſententiae meae praeſidium accedit.

9) Vt monuimus iam *p.* 243. *not.* 48.

quà promiſſionem etiam Abrahamo factam neceſſario implendam fuiſſe defendat, hincque integrum locum ita vertit: *Iſt aber dieſer nicht der Mittler deſſen, der ſich immer gleich bleibt? Ja, Gott bleibt ſich immer gleich.*

Verum vt iam nihil dicamus de grammaticis difficultatibus, quibus ſingulae hae interpretationes laborant, et de quibus in ſuperioribus ſatis iam a nobis expoſitum eſt, ecquis non intelligat, neque in hoc verſu, vllum aliquod iudicium occurrere, quo eum vel integrum pro obiectione aduerſarii habendum eſſe adpareat, vel obiectio atque reſponſio in eo agnoſcatur, neque etiam in verſ. antecedente plura, quam priora verba: τί ἂν ὁ νόμος; pro obiectione aut potius dubitatione ab ipſo Paulo mota et per interrogationem pro more ipſius propoſita haberi poſſe, reliqua vero omnia reſponſionis loco ab eo commemorari, hincque omnia ex ipſius ſcriptoris mente profecta eſſe iudicanda? Quae cum ita ſint, multo minus *Schoettgenii* ſententia probari poterit, qui tres in vtroque verſu Iudaeorum obiectiones totidemque Pauli reſponſiones admitti voluit. Primam nimirum prioribus v. 19. verbis: τὶ ἂν ὁ νόμος; abſolvi eaque hoc quaeri putauit, cur tandem lex lata ſit, ſi promiſſio non fuerit per eam ſublata ad eamque a Paulo, hoc reſponderi: τῶν παραβάσεων χάριν προσετέθη, ἄχρις οὗ ἐλθῃ τὸ σπέρμα ᾧ ἐπήγγελται; tum vero Iudaeum iterum inſtare: annon vero lex a Deo miniſterio angelorum in manus Moſis mediatoris tradita eſt? quam quidem obiectionem verbis: διαταγεὶς δι' ἀγγέλων interrogatiue acceptis ineſſe ſtatuit, eique a Paulo verbis: ἐν χειρὶ μεσίτου, hoc opponi, eam proprie loquendo non datam eſſe per *angelos*, ſed per *manus* Moſis, qui hoc in negotio inter Deum et homines mediator fuerit, iamque aduerſarium iterum inſtare: ὁ δὲ μεσίτης ἑνὸς οὐκ ἔστιν, hoc quidem ſenſu verbis his ſubiecto: *atqui vero non ſolet mediator conſtitui in eiusmodi rebus quae ſecum inuicem conſentiunt, minimeque re-*

pugnant, ſi ergo populus per fidem ad Deum accedere potuit, cur mediatore legali opus habuit? ad quae Paulus iterum reſpondeat: *ὁ δὲ θεὸς εἷς ἐστιν, Deus ſemper ſibi conſtat, et nunquam a ſemetipſo diuerſus eſt, adeoque nihil vnquam ſuscepit, quod ſapientiae ipſius non eſſet conſentaneum, et lex promiſſioni euangeticae non eſt contraria, multo minus eam irritam facere poteſt.* Haec enim omnia, praeterquam quod verba priora *τὶ οὖν ὁ νόμος*; attinet, pro arbitrio ſumta eſſe, omnique idoneo fundamento deſtituta, nemo profecto non intelligit.

Tum vero ſecundo loco nexus etiam huius verſ. cum antecedentibus erat circumſpiciendus, quaerendumque, vtrum et quo modo cum his cohaereat? Hic autem fuerunt, qui continuum ei cum ſuperioribus nexum intercedere omnino negarent, et digreſſionem potius in eo agnoſci vellent, ideoque parentheſi etiam eum circumſcribendum iudicarent, reliquis contra vtique arctiorem eius cum praegreſſis nexum admittentibus. In illorum vero numero fuit primum *Io. Clericus*, qui Paulum per occaſionem vocis *μεσίτης*, qua modo vſus fuiſſet, Galatas obiter monere ſtatuit, non vnum eſſe foederum a Deo cum hominibus contractorum mediatorem, quamvis Deus vnus ſit [10]), tum *Car. Frid. Bahrdtius*, qui ſenſum et conſilium huius parentheſeos ſimili modo conſtituit [11]), inque ea re nuper ſecum conſentientem,

---

10) Verba nimirum: *ὁ δὲ μεσίτης ἑνὸς οὐκ ἔστιν*, vt obſeruavimus iam *p.* 222. *not.* 29. per vocabulum *πράγματος* aut *εὐαγγελίου* explenda eſſe cenſuit, eorumque ſenſum hunc conſtituit: *non vnius Euangelii fiat mediator, ſed etiam legis*; quod et ipſum monuimus iam *p.* 242. *not.* 46.

11) Qua de re mentem ſuam in Analyſi epiſtolarum Apoſtolicarum (*Analytiſche Erklärung der Briefe der Apoſtel Ieſu*, 3ter *Band*, *Berl.* 1789.) multo apertius declaravit quam in verſione librorum N. T german. fieri potuerat, dum haec ibi ſcripſit: *Da der Apoſtel hier den Moſes einen Vermittler nannte, ſo fiel ihm ein, daſs er Ieſum ſonſt ſchon auch ſo genannt hatte. Da hätte man nun denken und ſagen können, wie nennt denn*

vt videtur, nactus etiam est *Christoph Frid. Ammonium*[12]) itemque *Petr. Abreschius** qui, in verbis: ὁ δὲ μεσίτης de Christo cogitans, hunc non Iudaeorum solum, sed et Ethnicorum conciliatorem hinc dici arbitratus est[13]), et ignotus denique auctor versionis huius epistolae germ.[14]) qui hoc in parenthesi moneri sibi persuasit, Mosen illum legis Sinaiticae interpretem ea in re a Christo diuersum fuisse, quod non, vti hic, immediate cum Deo egerit, sed legem *plurium* angelorum ministerio acceperit, non ab *vno Deo*[15]). Haec

---

Paulus Mosen den Vermittler? Christus heisst ja im Lehrvortrage der Vermittler zwischen Gott und Menschen. Auf diesen stillschweigenden Einwurf antwortet nun der Apostel in einer Parenthese: Ein Mittler ist nicht eines Einzigen, *sc.* νομ. *Ein Mittler ist nicht einer Religion, d. h. ein Mittler findet nicht bey einer Religion allein statt.* — Gott aber ist einig, *d. h. er ist in beyder Religionsverfassung einer und derselbe Gott, auf welchen sie sich beziehen.*

12) Qui certe nobis eandem h. l. interpretationem innuisse videtur, dum de eo in quinta eaque recentissima editione *Institut. interpretis N. T. Ernestinae*, (*Lipsiae* 1809.) *p.* 156. haec nuper obsernauit: *Lutherus certe sensum non affecutus est, vertendo,* ein Mittler. *Paulus enim obscure licet et per parenthesin, nil nisi hoc voluisse videtur, internuntium vnius* legis *non esse, sed plures,* (*Act. VII.* 23. 33.) *Deum autem esse vnum et vnicum.*

13) Haec quippe in *Paraph. et Annotatt. in epist. ad Hebraeos Spec. II.* (*Lugd. Bat.* 1787. 8.) *p.* 158. de h. l. obiter monens: *Saltem, vt id* παρατρεχόντως *moneam, sic ego parenthetica illa, quibus interponendis occasionem praebuerit praecedens* μεσίτης *commemoratio, quaeque ita se habent:* ὁ δὲ μεσίτης ἑνὸς οὐκ ἔστιν· ὁ δὲ θεὸς εἷς ἐστιν· *haec ergo sic accipienda putem, tanquam si plene diceretur:* qui vero solus est et iure suo vocari ὁ μεσίτης meretur, non est vnius prolis, (*assumto e superioribus intellectoque* σπέρματος *h. e.* γένους *vocabulo*) *h. e. Iudaeorum, conciliator, verum etiam ethnicorum;* siquidem vnus est idemque omnium Deus, qui cunctis benevult.

14) *Versuch einer Uebersetzung des Briefes Pauli an die Galater, mit erklärenden Anmerkungen nach Koppe, Leipz.* 1792. 8.

15) Ita quippe sensum loci declarans *p.* 88. *Moses war nicht Gottes unmittelbarer Mittler, denn wäre er das gewesen, so hätte er sein Gesetz nicht, wie eine Tradition sagt,* δι' ἀγγέλων, *durch mehrerer Engel Dienstleistung, sondern nur von einem einzigen, nämlich von Gott unmittelbar erhalten müssen.*

vero omnia, ſi vere a Paulo tradita fuiſſent, praeter omnem rationem nulloque certo conſilio ab eo nunc propoſita fuiſſe, ecquis tandem eſt, qui non intelligat? Tum vero et hoc omnes nobis concedent, nullum hic neque internum, neque externum parentheſeos indicium occurrere [16]), hincque eam temere profecto ſumi, adeoque hoc potius relinqui, continuum horum verborum cum antecedentibus nexum eſſe admittendum. Neque vero etiam vllo modo obſcurum eſſe poterit, ea, qua grammaticam quidem rationem cum proxime praecedentibus verbis, ἐν χειρὶ μεσίτου arctiſſime nexa eſſe, ita quidem, vt, poſtquam dixerat modo Paulus, legem interuentu μεσίτου fuiſſe promulgatam, nouam ſtatim ſententiam annectat, vel de hoc eodem μεσίτης, vt multis videtur, aliquid enuntiantem, vel de quolibet μεσίτης vniuerſe valentem. Quonam vero ſpectet haec ſententia et cum quanam alia logico nexu et cohaereat, quo quidem conſilium eius definitur, ea de re permagna iterum fuit atque etiamnum eſt ſententiarum inter interpretes diuerſitas, aliis quidem nexum eius logicum atque conſilium vel ad ſingulas quasdam v. 19. ſententias, vel ad vniuerſum illum verſum, aliis ad v. 17. et 18. atque prioris huius Capitis partis argumentum, aliis ad v. 16. et totius huius loci argumentum, aliis denique ad vniuerſae adeo epiſtolae conſilium referentibus; de quibus omnibus iam deinceps erit exponendum.

Qui conſilium h. l. ad ſingulas v. 19. ſententias retulerunt, ii vel proxime antecedentis ſententiae qua lex ἐν χειρὶ μεσίτου data fuiſſe dicitur, vel remotioris, qua ea propoſita fuiſſe traditur ἄχρις οὗ ἔλθῃ τὸ σπέρμα ᾧ ἐπήγγελται, vel denique prioris, quae ab initio verſ. legitur, et ex qua illa lex τῶν παραβάσεων χάριν προσετέθη rationem habuerunt.

---

16) Quod facile poterit intelligi, ſi quis ea parentheſeon indicia, quae in *Element. Hermeneut. N. T.* §. 51. enumerauimus, ad hunc locum adplicauerit.

Qui illam, cuius primo loco mentionem fecimus, viam ingressi sunt, hi, prout in μεσίτῃ illo vel de Mose, vel de Christo cogitarunt, ita vel de hoc vel illo nunc hoc, nunc illud tradi sibi persuaserunt. Et prioris quidem sententiae defensores, vel simpliciter nunc doceri putarunt, cuiusnam partis μεσίτης fuerit ille Moses, vel causam exponi, cur et a quanam parte μεσίτῃ opus nunc fuerit, vel eius indolem aliquam describi. Prius non nisi vni *Wallio* * placuisse vidimus hanc quidem viam ingresso, vt Paulum ex eo, quod μεσίτῃ non nisi inter duos locus sit, Deus autem vna modo pars fuerit, hoc collegisse diceret, Mosen istum populi fuisse μεσίτην, quod tamen quo consilio eum iusserit argumentatione tali efficere, cum vel ex historia satis iam constaret, nos quidem ingenue fatemur, plane non perspicere [17]). Simili modo Anonym. *in Theol. Nachrichten* hoc doceri putat, eum Dei simul μεσίτην, idque diuinitatis legis praedicandae causa moneri statuit. Eodem fere cum *Wallio* modo iudicauit et Censor quidam apud *Bonitzium* §. 149. *Bengelius* hoc doceri existimat, νόμῳ μεσίτην eum fuisse non Dei. Qui vero causam nunc exponi iudicarunt, cur et quanam ex parte in lege ferenda opus fuerit μεσίτῃ, i omnes in verbis: ὁ δὲ μεσίτης ἑνὸς οὐκ ἔστιν sententiam vniuersam agnouerunt, eamque ad Mosen putarunt nunc transferri atque adplicari. Sensum autem eius ita constituerunt, vt hoc eam innuere statuerent, μεσίτην non nisi inter partes dissidentes solere adhiberi,

17) Qua quidem de re ne ipsi quidem *Wallio* satis videtur constitisse. Sunt nimirum verba eius in *Oper. bibl. anglic. germ. vers. Vol. XV. p.* 720. haec: *Die Absicht dieser Stelle v.* 19. 20. (*es sey nun, dass Paulus darauf zur Bestärkung seiner Schlussrede dringe, oder sie als einen Einwurf anführe*) *scheint zu seyn, anzuzeigen dass das Gesetz ein Bund oder Vertrag zwischen Gott und dem Volke war, denn das Gesetz redet von Moses, als von einem Mittler, dieser aber muss zwischen zweyen Partheyen gewesen seyn. Gott ist die eine Parthey, es muss noch eine andere gewesen seyn, und diese muss das Volk seyn.*

illa autem verba: ὁ δὲ θεὸς ἔστιν de Deo ſemper ſibi conſtante ſunt interpretati, iamque Paulum ſic iuſſerunt argumentari [18]): cum mediator non niſi inter partes inuicem diuerſas et diſſidentes ſoleat adhiberi, neceſſe eſſe, vt diſſidium fuerit populo cum Deo, hincque is μεσίτῃ opus habuerit, cum Deus, tanquam immutabilis et ſemper ſibi conſtans [19]), neminem poſſit offendere. Fuit tamen etiam, qui hanc potius μεσίτε ea in re adhibiti cauſam tradi ſtatueret, quod transigendum fuiſſet cum hominibus admodum mutabilibus, nimirum *Io. Ben. Carpzouius*, qui ſenſum horum verborum in

---

18) In quorum numero fuerunt *Balduinus, Luc. Osiander; Iac. Capellus, Phil. Iac. Spenerus* et *I. D. Winckleruus.* In easdem vero partes inclinaſſe etiam videntur *Nic. Selneccerus* et *Iac. Bruckerus*, tum ille quidem ita de h. l. disputauit: Mediator vnius non eſt, *quin agit mediator inter partes diſſidentes. Et Moſes cum Iſraëlitae vocem Dei audire non poſſent fugerentque tonitrua, fumum et clangorem tubarum angelicarum, veriti, ne morerentur, Exod. XX. mediatorem egit, ex cuius manu decalogum tabulis inſcriptum acciperent:* Deus autem vnus eſt, *i. e. Deus non opus habet mediatore, quia ſemper idem et ſui ſimilis eſt et neminem offendit, nec indiget mediis, quin immediate agere poteſt, quicquid vult;* hic autem ita de eius conſilio diſſeruit: *Bey einem jedem Mittler ſind zwey Partheyen nöthig, zwiſchen denen er ſich zum Unterhändler brauchen läſst, und alſo muſs das Hinderniſs, nicht ohne Mittler handeln zu können, auf eine von ſolchen Partheyen fallen; nun iſt Gott bey Verkündigung des Geſetzbundes die eine Parthey, die gar keinen Mittler und Unterhändler zu dieſer Handlung gebraucht hat, alſo muſs die Urſache, daſs ein Unterhändler hat gebraucht werden müſſen, bey dem Volke geweſen ſeyn.*

19) Fuerunt tamen inter eos etiam, qui vocem εἷς de vnitate Dei nunc intelligerent, *Osiander* nimirum atque *Spenerus*, quorum ille quidem haec de h. l. ſcripſit: *Mediator autem partis tantum vnius non eſt: ſed vbi mediatoris mentio ſit, ibi neceſſe eſt, duas eſſe partes, offendentem et offenſam:* Deus autem vnus eſt, *qui cum parem non habeat in toto mundo, ipſe etiam mediatore nullo vnquam opus habuit, qui videlicet inter Deum et Deum intercederet. Ergo Moſes tunc populi aliquo modo mediatorem egit;* hic autem poſterius comma ita explicuit: Gott aber iſt einig. *Er iſt allein und hat ſeines gleichen nicht, darum auch ohne Mittler nicht mit ihm zu handeln iſt.* At enimuero ita conſtituto horum verborum ſenſu omnis profecto eorum cum ſuperiori commate nexus deſideratur.

vernacula epiſtolae huius verſione hunc in modum expreſſit: *Ein Vermittler ward darzu gezogen, weil mit veränderlichen Menſchen gehandelt wurde. Gott aber iſt unveränderlich* [20]). Simili vero modo etiam ii, qui Moſis μεσίτȣ indolem aliquam hic deſcribi exiſtimarunt, hoc nominatim doceri ſibi perſuaſerunt, eum non fuiſſe veri nominis μεσίτην, idque vel inde repetierunt, quod vnius tantum populi, non vero omnium fuerit μεσίτης, qualem tamen natura Dei, omnium hominum patris, poſtulet [21]), vel quod non fuerit μεσίτης Dei vnius [22]) ſed angelorum. Praeterea vero fuerunt

---

20) Quibus tamen verbis conſequens magis expreſſit, quod ex verbis Apoſtoli repetendum eſſe ſtatuit, quam ipſam ſententiam diſerte ab eo declaratam. Nam et hunc virum priora illa: ὁ δὲ μεσίτης ἑνὸς ȣ̓κ ἔστιν, pro ſententia vniuerſa habuiſſe, ex iis intelligitur, quae in nota ſubiecta illuſtrationis cauſa adſcripſit: *Ein Vermittler iſt nicht nöthig, wenn Leute unter einander einig ſind, oder ſich nicht ſtets verändern wollen.* At enim vero ex hac interpretatione vltimam ſententiam, Deum eſſe immutabilem, prorſus ſuperfluam eſſe et temere plane adiectam, vel non monentibus nobis intelligitur. Olim vero idem vir doctus, vt monuimus iam *p.* 215. *not.* 5. paulo aliter de h. l. ſtatuerat, atque non modo vocabulum μεσίτης de ſponſore atque fideiuſſore maluerat explicare, quam mediatore, ſed verſum hunc parentheſi etiam includendum iudicauerat, qua ad peruerſam aliquam Galatarum opinionem reſpiceretur, ex qua legem ideo debuiſſe immutabilem manere ſtatuerint, quod in ea proponenda ſponſor et fideiuſſor fuerit adhibitus, quod non factum fuiſſe reperiatur in promiſſione Abrahamo data, cui hinc non poſſit tanta vis atque auctoritas tribui, atque id ipſum, quo fideiuſſor in lege tradenda fuerit adhibitus, ad eius potius auctoritatem minuendam a Paulo conuerteretur.

21) Hanc rationem inter antiquiores iam ſecutus eſt *Gennadius*, qui, teſte quidem Oecumenio, de ſenſu h. l. ita iudicauit: Moſes in lege ferenda interpretis quidem munere fungebatur, ſed interceſſit tantum inter vnum populum. At verus μεσίτης futurus, (quem verbis: ὁ δὲ μεσίτης ſignificari putauit,) omnium gentium internuntius erit, ſiquidem Deus omnium gentium Deus eſt. Ex recentioribus vero eum ſecutus eſt *G. F. Seilerus*, dum h. l. in recentiſſima quidem verſionis ſuae germ. editione ita reddidit: *Der (wahre) Mittler aber iſt nicht der Mittler nur eines einigen Volkes, es iſt ja ein Gott der Juden und Heiden.*

22) Quo quidem modo ſenſum h. l. conſtituit *W. L. Albrechtus*, qui de eo ſatis prolixe ita commentatus eſt: *Dieſer Mittler alſo (Moſes) iſt nicht der wahre einige Mittler des Einigen (ἑνὸς ſcl. τȣ̃ θεȣ̃) ſondern nur der vorbildende, der*

etiam, qui ex hoc ipso, quod non veri nominis μεσίτην eum fuisse doceat Paulus, id eum simul colligi voluisse defenderent, alium adhuc praestantiorem μεσίτην esse expectandum, Christum [23]). De hoc ipso autem Christo qui proxime nunc sermonem esse statuerunt, ii vel hoc putarunt doceri, eum vnius eiusdemque cum Deo esse naturae [24]), vel cuiusnam partis ille mediator fue-

---

ja (dem 19ten Vers zufolge) das Gesetz nicht unmittelbar von Gott, als dem Einigen erhielt (Christus hingegen der einzige wahre Mittler erhielt als Sohn Gottes sein Evangelium unmittelbar von Gott selbst,) sondern zunächst nur mittelbar aus den Händen jener Engel; Gott aber ist doch einzig und allein, mithin, folgen der Apostel, kann er (Gott oder es) auch nur einen einzigen wahren Mittler haben, (geben) — und dieser ist kein anderer, als Iesus Christus, (μεσίτης καὶ σπέρμα) der wahre Nachkömmling Abrahams, v 16. der ächte Israëlit, durch den die dem Abraham zugesagte Verheissung in Erfüllung geht, und die Nachkommen Christi sind demnach die ächten Israëliten cf. die vorhergehenden Verse und 1 Tim. 2, 5. Ebr. 8, 5. 6. Ebr. 3, 5. 6 Eandem vero h. l. interpretationem olim iam proposuerat Censor quidam ignotus *Tom. III. Commentar. Lang. in glossarium N. T. Teller.* a *Bonitzio* §. 149. laudatus.

23) Quod factum nominatim est a *Christph. Wollio* et *I. I. Wetstenio.*

24) Haec antiquissimorum potissimum latinae ecclesiae doctorum fuit sententia, *Ambrosii* nominatim, *Hieronymi* atque *Primasii*, qui omnes in ea ex loco nostro repetenda eodem fere modo versati sunt. Et *Ambrosius* quidem hoc nunc tradi iudicauit: Christum, tanquam interpretem, qualis secundum humanam naturam fuerit inter Deum et homines intercessisse, at secundum diuinam naturam ipsum vnum Deum fuisse, similique modo *Hieronymus* etiam id nunc dici statuit, Christum *secundum Deum vnum esse ipsum cum patre, secundum mediatoris autem officium alium ab eo intelligi.* *Primasius* autem *subaudiur*, inquit, *substantiae, vel vnius partis. Ideo autem addit:* Deus autem vnus est, *ne quis eum propter officium carnis assumtae ab vnitate diuinae substantiae separet.* Vnius non est, *vt subaudias substantiae, quia in Christo sicut vna persona ita gemina substantia.* Atque eandem interpretationem *Dionysius Carthusianus* tanquam vulgarem suae adhuc aetatis explicationem commemorat, ipse vero ita potius de h. l. statuit: *Sed videtur hoc loco per mediatorem Christus posse intelligi, per cuius manum, h. e. ministerium data est lex. Moses enim inter Deum et populum Israël fuerat mediator, sicut et ipse interdum testatur. Constat ergo, quod lex data sit Mosi non solum vnius ministerio angeli, sed multorum, quamuis communiter*

rit, declarari [25]), vel etiam causam exponi, cur non vnius, sed omnium populorum communis sit μεσίτης [26]).

At enimuero quemadmodum de Christo μεσίτη sermonem nunc esse, plane non potest argumentis idoneis et ad persuadendum aptis doceri [27]), ita facile etiam poterit intelligi, iis, quae de Mose nunc tradita fuisse dicuntur, si vel maxime iustis omnia niterentur interpretandi rationibus, hic tamen tradendis commodum locum minime fuisse futurum, cum nunc quidem non ex professo, quod aiunt, de eo tanquam μεσίτη agatur, sed in περιστάσεσι legislationis Sinaiticae enarrandis et hoc obiter moneatur, legem illam ipso mediatoris personam sustinente traditam fuisse. Quid igitur attinebat, et hoc nunc exponere, quanam de causa eius μεσιτείᾳ opus fuerit vel cuiusnam generis μεσίτης fuerit aut non fuerit? Quare si quid eiusmodi de ipso ab Apostolo nunc traditum fuisset, id profecto alia de causa cum loci huius consilio arctius nexa monitum fuisse statuendum foret.

---

non fiat mentio in libris Mosi, nisi de angelo singulariter, qui etiam frequenter duntaxat nominatur, cuius persona adparuit, ac loquebatur.

25) Ex huius sententiae defensoribus *Augustinus* quidem id innui statuit, Christum non potuisse non interpretis negotium in hominum commodum atque salutem suscipere. Ex illis enim verbis: *mediator vnius non est, Deus autem vnus est*, patere, internuntium non posse intercedere inter Deum et Deum, qui sit vnus idemque, nec inter Deum et angelos, quippe quorum alii, non lapsi, non indigeant interpretis cuiusdam cum Deo reconciliatione, alii sponte ex voluntate libera, nemine suadente, scelera aggressi, nullo interprete fauoris diuini participes fieri possint. *Clarius* vero id doceri opinatus est, eum Dei atque hominum fuisse mediatorem, dum sensum horum verborum ita constituit: *quilibet vero μεσίτης est duarum partium, Deus est vna pars*, tumque hoc addidit: *ergo quorum erit Christus mediator, nisi Dei et hominum?*

26) Quae *Mich. Weberi* olim fuit sententia, qui in libello *de vsu versionis N. T. syriacae exemplis praestantioribus illustrato* h. l. ita fuerat interpretatus: *hic vero interpres*, (Christus) *non est vnius populi, Deus enim est Deus communis s. omnium populorum.* Eodem redit et *Setleri* sententia in vers.

27) Vt paucis iam obseruauimus *p.* 248.

Hinc ergo non poteſt conſilium huius verſ. a ſola illa Moſis μεσίτȣ commemoratione repeti ſed alio adhuc erit referendum. Quaeritur igitur, num rectius forſitan de eo iudicauerint ii, qui id cum vna ex reliquis huius verſus ſententiis vel integro verſu nexum eſſe ſtatuerunt.

V.

Hinc progrediendum nobis nunc erit ad illos, qui conſilium eius ad propoſitionem haec verba proxime praecedentem, qua lex illa propoſita fuiſſe traditur ἄχρις ὃ ἔλθῃ τὸ σπέρμα, ᾧ ἐπήγγελται, maluerunt referre. Hi autem, quorum non niſi tres nobis occurrerunt, omnes cauſam aliquam in hoc verſ. exponi iudicarunt, cur legis auctoritas ad tempus modo valere debuerit, aut potuerit ſaltem ſalua conſtantia Dei, Chriſto adueniente, iterum aboleri; neque tamen in ea re explicanda feliciter ſatis videntur verſati fuiſſe, atque maximam partem alterutrius modo commatis rationem habuerunt, alterum vero prorſus neglexerunt. Et *Chryſoſtomus* quidem, qui primus ab eorum partibus ſtetiſſe deprehenditur, de Chriſto μεσίτῃ cogitans, eum, qui in lege illa ferenda mediatoris inter Deum et homines partes egerit, eandem etiam abrogare potuiſſe ſtatuit, eum, qui legem dederit, eius etiam abrogandae auctoritate polleat. *Cocceius* contra, de Moſe μεσίτῃ nunc ſermonem eſſe intelligens, hoc doceri arbitratus eſt, cum non fuerit mediator ἑνὸς vel ἑνότητος (quod varias in partes explicari poſſe ille quidem exiſtimauit [1]), non potuiſſe legem ipſo interueniente promul-

1) De quo qui accuratius edoceri cupiat, ipſum eius locum ex *Opp. To. VI.* a *Zaeunero p.* 157. integrum transſcriptum adeat. Addatur etiam *Oertelius* in *Lex. N. T. p.* 457. *Hezelius* in *verſ. german.* atque *Wilkius.*

gatam vltra aduentum feminis, cui promiſſio a Deo vno facta fuerit, durare vimque ſuam obtinere. *Io. Harduinus* * autem, et ipſe quidem Moſen μεσίτην admittens, at non illo ſenſu, quo plerique hanc vocem acceperunt, quod ſe inter populum et Deum interpoſuerit, ſed hoc potius, quod inter Abrahamum et Chriſtum aetate medius fuerit [2]), hoc nunc tradi ſibi perſuaſit, eum neceſſario debuiſſe Chriſto adueniente ita definere, vt lex eius finem haberet, quoniam Deus, qui ſalutem Abrahamo per Chriſtum promiſerit, vnus ſemper ſit idemque, hincque ſenſum huius loci hac paraphraſi expreſſit: *Qui mediator autem s. medius eſt, non eſt, ubi ſit alter vnicus, ſed eſt inter duos. Deus autem ſemper vnus eſt ac perpetuo idem, qui promiſit Abrahamo benedictionem in Chriſto. Moſes igitur, qui medius poſt Abrahamum interuenit, ac veluti ſe inſeruit inter Abrahamum et Chriſtum, adueniente Chriſto debet definere, h. e. lex eius debet finem habere in Chriſto.* Pertinet huc etiam *Hezelii* ſententia, qui Deum non mutabilem reddi doceri ſtatuit, eo, quod legem Moſis ad aliquod modo tempus voluerit valere. Verum vt non repetamus id, quod praemiſimus iam, alterutrum h. l. membrum ab his interpretibus prorſus fere negligi, et hoc putamus nobis ab

---

2) Qua quidem de re haec monuit in *Comment. in N. T.* (*Amſtelod.* 1741. *Fol.*) ad h. l. *Vocem* mediatoris *longe a mente Apoſtoli accepere hoc loco omnes, opinor, quos nunc habemus, interpretes pro eo nimirum, qui ſe inter Deum et populum interponat. Vnde valde ſudant, vt cohaerere orationem Apoſtoli cum illa vocis iſtius acceptione ſuadeant. Cum nihil aliud* mediator *hoc loco ſit et verſu praecedente, niſi qui ſit interiectus inter aetates Abrahami et Chriſti, qui propterea adueniente Chriſto ceſſare debeat* etc. Haec igitur addenda erunt iis quae *p.* 215. de variis interpretum de ſenſu huius vocabuli μεσίτης iudiciis disputauimus. Quidnam vero de hac mira ſententia ſit ſtatuendum, vix opus eſſe arbitramur vt moneamus, cum nemo, niſi vſus loquendi prorſus ignarus, futurus ſit, quin eam nullo pacto probari poſſe et ab huius loci contextu alieniſſimam eſſe intelligat.

vno quoque conceſſum iri, nullam plane intelligi poſſe cauſam cur hoc, legis vim ad tempus modo valere debuiſſe, peculiari argumento ab Apoſtolo nunc fuerit confirmandum, cum in ea re demonſtranda non conſulto nunc verſetur, ſed ſub finem potius Capitis atque proximi initio pluribus ea de re disputet, nunc vero inter plura, quae de legis illius conſilio et promulgandi ratione monet, et hoc obiter commemoret, eam ad Chriſti modo aduentum vsque auctoritatem ſuam debuiſſe tueri.

Id ipſum vero illi etiam neglexerunt, qui conſilium noſtri loci in demonſtrando confirmadoque eo poſuerunt, quod ab initio verſ. dixerat Paulus, legem illam παραβάσεων χάριν latam eſſe, quanquam facile potuiſſent perſpicere, nec huius rei demonſtrationem conſilii, quod Apoſtolus ſibi propoſuerat, rationem, exegiſſe, cum his omnibus, quae de lege nunc tradit, in medium proferendis vnum hoc ſpectet, vt oſtendat, per eam non debuiſſe promiſſioni Abrahamo datae quicquam derogari, ſed longe aliud eius conſilium fuiſſe. Hac tamen de re cum aliter viſum fuiſſet illis, quos diximus, interpretibus, id ipſum, quod de lege παραβάσεων χάριν data dixerat modo Apoſtolus, vel amplius ab eo illuſtrari, vel argumento aliquo muniri atque confirmari ſibi perſuaſerunt. Quibus prius arriſit, ii hoc, quod ante indefinite fuerat traditum, legem παραβάσεων χάριν propoſitam eſſe, accuratius putarunt a ſcriptore definiri, ita quidem, vt oſtendat, de populi tantum Iſraëlitici, neutiquam vero Dei παραβάσεσι eſſe cogitandum, cum in hunc nulla plane peccati culpa cadat, nec unquam cadere poſſit. Hoc *Dav.* ſaltem *Pareus* diſerte h. l. conſilium profeſſus eſt [3]), caeteri vero, qui easdem par-

---

3) His quippe verbis in *Comment. ad h. l.* vſus: *Vbi eſt mediator, ibi intelligitur, eſſe partes mutuo diſſidentes propter offenſas s. transgreſſiones. Mediator enim non eſt vnius partis ſed eſt conciliator duarum vel plurium partium diſſidentium. At Deus transgreſſionis argui non poteſt. Deus enim*

tes ſunt ſecuti, quorumque in numero *G. Perkinsium* [4]), et *Iac. Capellum* [5]), e recentioribus vero *God. Sigism. Iaspidem* [6]) et Anonymum quendam [7]) fuiſſe deprehendimus, hoc conſilium non quidem tam perſpicue Apoſtolo ſubiecerunt, attamen ſuis, quas in medium propoſuerunt, h. l. interpretationibus haud obſcure indigitarunt. Verum et hic quemlibet profecto arbitramur ſponte nobis eſſe conceſſurum, nullum facile inter lectores Pauli tam veſanum poſſe cogitari, vt vllam huius rei vberiorem expoſitionem atque illuſtrationem a ſcriptore expectare, isque hinc eam ſibi nunc adiiciendam eſſe ſtatuere [8]) potuerit. Ecquis enim

---

vnus eſt, h. e. iuſtitia et ſanctitate ſibi ſemper conſtans. Ergo transgreſſores homines fuerunt. Transgreſſiones igitur illae, quarum gratia lex addita eſt, non Dei, ſed populi intelligendae ſunt.

4) Cuius ad h. l. haec verba ſunt: *Addit Paulus, mediatorem non eſſe vnius h. e. vnumquemque mediatorem ad minimum eſſe duorum, idque duorum eorum, qui inter ſe diſſident diſſentiuntque, ac ſubiicit; Deum eſſe vnum, h. e. perpetuo ſibi ſimilem, ſine mutatione. Ratio vere dicti haec eſt, docuit Paulus legem eſſe datam per quendam mediatorem, quodque hoc innueret, aliquod diſſidium inter Deum atque hominem. Sed vbinam diſſidii huius cauſa, et cuius contingat culpa? Paulus reſpondet, non Dei, ſed hominum, quandoquidem Deus ſemper vnus idemque eſt.*

5) Qui ita in hunc verſum eſt commentatus: Mediator autem non eſt vnius *partis, ſed duarum, earumque diſſidentium. Cum igitur Moſes mediatorem ageret inter Deum ac populum, hoc ipſo teſtatus eſt diſſidium inter duas illas partes.* Deus autem vnus eſt, *isque ſemper idem, ſemper ſibi conſtans. Diſſidium igitur illud non Dei, ſed hominis mutationi deputandum eſt.*

6) Qui verſioni h. l. latinae hanc notam ſubiicit: *Omiſit Paulus, quod inde ſequitur: ergo cum mediator non vnius, ſed duarum partium ſoleat eſſe, fuit Moſes inter Deum et Iudaeos. Deus autem εἷς, ſemper idem, mutationis omnis expers, manet ſanctiſſimus; in ſolos Iudaeos igitur cadat omnis culpa neceſſe eſt, quare lex data eſt delictorum coercendorum cauſa.*

7) Cenſorem nimirum in *Neu. theolog. Annal.* 1805. *p.* 371. cuius locum exhibuit *Zaeunerus p.* 104. *ſq.*

8) Cuius generis quid ſubolueſſe etiam videtur Anonymo illi cenſori, qui parum abeſt, quin verſ. 20. prorſus ſuperfluum indicet, hincque haec de eo obſeruat: *Der V.* 20. *iſt im Grunde völlig*

de παραβάσεσι, quarum causa lex lata fuerit, sermonem esse audiens, vllam earum suspicionem in Deum coniiciat? Tum vero et hoc quemlibet nobis non minus lubenter largiturum esse confidimus, si peccati culpam a Deo nunc remouere voluisset Paulus, parum profecto commode vnitatis eius mentionem ab illo iniectam esse iudicandam, cum in oculos incurrat, sanctitatis potius atque iustitiae eius commemorationem multo aptiorem fuisse futuram, quod bene perspexisse videntur *Pareus* et *Iaspis* [9]), dum hanc Dei vnitatem ad illam ipsam eius sanctitatem atque iustitiam transferrent, reliquis contra, vno Anonymo illo excepto [10]), eam ad illius potius constantiam atque immutabilitatem referentibus. Non felicius tamen in indagando h. l. consilio versati fuisse videntur posterioris sententiae fautores, qui id in eo positum fuisse putarunt, vt illa de lege παραβάσεων χάριν data sententia ab Apostolo modo proposita argumento aliquo muniretur atque confirmaretur, quod et hic vnus certe ex illius sententiae patronis, *Waehnerus* nimirum, loci huius consilium diserte

---

überflüssig, er soll nur das Verhältniss Mosis, des μεσίτης zum Gesetz, oder vielmehr nur den relativischen Begriff eines Mittlers ausdrücken und näher beleuchten, damit schon aus der Benennung Mosis, als eines Mittlers, die Absicht und die Bestimmung des νόμος erkannt werde.

9) Vid. loca eorum *not.* 3. et 6. exhibita.

10) Apud quem hac quidem de re haec leguntur: *Paulus zeigt V.* 19. *dass der νόμος um der Sünde willen, folglich durch die Person eines μεσίτης (denn die Sünde machte einen Mittler nothwendig) der ἐπαγγελία ganz unbeschadet gegeben worden sey. Diess, fährt der Apostel V.* 20. *fort, erhellet ja klar daraus, dass der Begriff eines Mittlers eine zweyte auszusöhnende Parthey voraussetzet, und nicht ἑνὸς μεσίτης (denn das wäre ja widersprechend) seyn könne. Aber gerade dieser sonderbare unerhörte Fall träte ein, wenn Moses zum Mittler Gottes, welcher doch nur einig ist, d. h. wo die zweyte zu versöhnende Parthey nicht gedacht werden kann, und nicht vielmehr zum Mittler des Volkes um seiner Sünde willen verordnet worden wäre.*

declarauit [11]). Ipſum vero argumentum illud inde repetitum eſſe indicarunt, quod μεσίτȣ interuentu in eius promulgatione opus fuiſſet. Hunc enim non niſi inter partes diſſidentes interque ſe disiunctas hoc ipſo conſilio ſolere adhiberi, vt ſe inter eas interponat, easque inter ſe reconciliet. At enimvero hanc argumentationem, quae praeter *Waehnerum*, quem modo commemorauimus, a *Spenero* etiam atque *Gablero* [12]), itemque *I. E. C. Schmid-*

---

11) Qui, *Ne hac pertinaciae*, inquit (in *Diſſert. ad h. l. Goetting.* 1744. 4.) *Iſraëliticae probationi nihil effici clamarent aduerſarii, eam quoque probatione corroborat Paulus, dum ita pergit:* ὁ δὲ μεσίτης ἑνὸς ἐκ ἔστιν, *vnius vero partis non datur mediator. Niſi diſſenſus, inquit, inter Deum populumque Iſraëliticum fuiſſet, interuentore opus non fuiſſet. Vna vero pars, quae amice conſpirat, mediatore non indiget, ſed diſſentientes. — Diſſidentium harum partium alteram Deum eſſe, Paulus ſubiungit. Familiari ſibi breuitate dicit,* ὁ δὲ Θεὸς εἷς ἔστιν, *Deus vero alter eſt, — alteram vero Iſraëliticam ſilentio praeterit.*

12) Horum vterque duplici modo mentem h. l. eiusque conſilium conſtituit, ita quidem, vt nunc in priorem, quam modo commemorauimus, ſententiam magis inclinaret, nunc vero in poſteriorem. Et *Spenerus* quidem ita primum de h. l. iudicauit: *Ein Mittler aber iſt nicht eines einigen Mittler. Wo nur eine Parthey iſt, oder wohl zwey, aber welche ganz einig und eins mit einander ſind, da bedarf es keines Mittlers, als der eine Vermittelung machen ſollte. So muſs alſo zwiſchen Gott und den Menſchen eine Mishelligkeit geweſen ſeyn, weil es unter denſelben eines Mittlers nöthig gehabt hat. — Gott aber iſt einig. Er iſt allein und hat ſeines gleichen nicht, darum auch ohne Mittler nicht mit ihm zu handeln iſt*; tum vero et ſic: *Moſes iſt nicht Mittler auf Seiten Gottes. Denn da iſt keine Uebertretung, ſondern es iſt ein Mittler auf der Seite derer, die viele ſind, nämlich der Menſchen. Daraus folgt, daſs ſolche Menſchen, welche, ſobald nur das Geſetz gegeben worden, eines Mittlers bedurften, Sünder ſeyn, und das Geſetz um der Uebertretungen willen gegeben ſeyn müſſe. Gablerus* vero hanc primum de h. l. ſenſu et nexu ſententiam olim propoſuit: *Ubi recta ſtudia ab vtraque parte ſibi conſtant, et nulla ſit ſenſuum bonorum mutatio, ibi non opus eſt internuntio aliquo. At Deus ſemper ſibi conſtat. Ergo neceſſitas* μεσίτȣ *non erat in Deo, ſed in Iſraëlitis, quibus propter peccata commiſſa internuntio opus eſſet. Ita intelligimus,* τὸν νόμον *fuiſſe datum* παραβάσεων χάριν. Tum vero ita etiam de eo disputauit: *Internuntius non eſt vnius partis, h. e. requirit internuntii cu-*

tio [13]) et amico quodam *Stolzii* [14]) Apoſtolo ſubiectam vidimus, magnopere nos dubitamus, in vniuerſum probari atque idoneam iudicari poſſe. Ecquem enim fugiat, mediatori in aliis quoque pluribus cauſis locum inter homines eſſe, eosque eo, quoties aliquid inter duas pluresue partes fit transigendum aut componendum, vti ſolere. Tum vero nec hiſtoria et ipſa res permittunt, vt hoc, quo illi volunt, conſilio Moſen μεσίτε perſonam in lege ferenda ſuſtinuiſſe ſtatuamus, imo hoc potius, vt in ſuperioribus iam obſeruauimus [15]) docent illi agendum fuiſſe, vt legem a Deo ſibi traditam populo promulgaret, poſtque foedus illius cauſa inter vtramque partem ineundum ſanciret, hocque ipſo foedere pangendo populum ad obſequium iſti legi praeſtandum obſtringeret. Denique facile etiam intelligitur Paulum, ſi hoc, quod illi ponunt, demonſtrandum ſibi ſumſiſſet, populum tum, cum lex illa ferretur, peccatis ſe polluiſſe,

---

iusque ratio duas ſaltem partes, quarum alterutra aliquid commiſerit; alioquin enim non opus eſſe internuntio; atqui Deus ſemper ſibi conſtat, h. e. nulla vnquam culpa in Deo haerere poteſt. Ergo quum Moſes fuerit μεσίτης *inter Deum et Iſraelitas, in hos ſolos cadat neceſſe eſt culpa omnis. Itaque lex data eſt* παραβάσεων χάριν.

13) Qui in *Commentar. philol. ad h. l.* haec de eo habet: ὁ μεσίτης ἑνὸς οὐκ ἔστιν, *ein Mittler iſt nicht eines einzigen Mittler, d. h. wo ein Mittler iſt, müſſen zwo Partheyen ſeyn, die eines Mittlers bedürfen, die einander zuwider ſind. Dieſe Worte geben hier den Beweis von dem Satz des vorigen Verſes:* ὁ νόμος τῶν παραβάσεων χάριν προσετέθη — *Paulus ſagt daher, der Umſtand, daſs das Geſetz durch einen Mittler promulgirt wurde, beſtätiget, daſs die Juden nicht das wahre göttliche Lieblingsvolk, ſondern Feinde des Jehovah waren, denn nur zwiſchen zwo feindlichen Partheyen iſt ein Mittler nöthig.* Idem fere viſum fuit *I. C. R. Eckermanno* (in *Erklär. aller dunkeln Stellen des N. T. Vol. III.*)

14) Qui, referente *Stolzio*, haec de loco noſtro monuit: *Herabgewürdigt wird das Judenthum durch die Geſetzgebung der Engel, und durch das Bedürfniſs eines Mittlers, der nur von der Widerſpenſtigkeit der Juden zeugt.*

15) *Pag.* 216.

nominatimque idololatriae ſe dediſſe [16]), hincque eam non niſi per mediatorem dari potuiſſe, aliud plane fuiſſe demonſtraturum, quam quod verbis illis: τῶν παραβάσεων χάριν προσετέθη ſignificare voluerat. Neque enim his verbis hoc innuere voluit, legem illam peccantibus datam fuiſſe, ſed aperte potius promulgationis illius conſilium in iis aperit, hincque nullum alium iis ſenſum ſubiicere potuit, niſi hunc, eam peccatorum in hoc populo in poſterum aliquo ſaltem modo coërcendorum cauſa fuiſſe propoſitam [17]).

Qui denique conſilium noſtri loci cum vniuerſo v. 19. nexum eſſe iudicarunt, ad quos inſtitutae disputationis ordo nos nunc ducit, hi ad illorum claſſem pertinent, qui, vt monuimus iam [18]), in illo v. 19. obiectionem aliquam vel tacitam vel expreſſam contineri exiſtimarunt, ad quam a Paulo hic reſpondeatur. Neque tamen vel hi vnam eandemque omnes cum obiectionis, tum reſponſionis Paulinae conſtituendae rationem inierunt. Etenim *I. R. Steckius* quidem v. 19. legis Moſaicae ſplendorem hoc conſilio ab aduerſario [19]) ſtatuit deſcribi, vt doceat homines per hanc iam felices fieri potuiſſe, a Paulo vero v. 20. hoc reſponderi, Moſen non fuiſſe verum interpretem, qui omnes gentes debuerit opera ſua amplecti, quoniam Deus vnus non alius ſit Iudaeorum, alius gentilium Deus, hincque verum iſtum interpretem in ſolo Chriſto eſſe agnoſcendum. Simili

---

16) De qua nominatim nunc cogitari voluerunt *I. E. C. Schmidtius* et amicus *Stolzii*.

17) Quem horum verborum ſenſum bene perſpexit Scholiaſta is, cuius hoc Scholion in ſua librorum N. T. editione ad h. l. exhibuit *Chr. Fr. Matthaei*: ὥστε κἂν ὀλίγας πλημμελείας κωλύσαι.

18) *Pag.* 263. *not.* 1.

19) In quo tamen diuerſus ab eo fuit is, qui *Sterckii* nomine inſignitus eſt, qui haec non aduerſarii obiectionem, ſed Pauli adverſariis aliquid concedentis verba eſſe iudicauit.

modo *I. F. G. Tischerus* etiam v. 19. inprimis inde a verbis: διαταγεὶς δι' ἀγγέλων etc. legis illius praeſtantiam atque ſplendorem ab aduerſario ita depingi ſibi perſuaſit, vt eam laetiſſimis et ſplendidiſſimis auſpiciis vſam fuiſſe doceatur, quippe angelorum miniſterio non minus, quam per legatum latam; at reſponſionem Pauli ita conſtituit, vt eum hoc reſpondere iuberet, non Moſen, ſed Deum fuiſſe Abrahami interpretem, cuius ſolius ratio nunc fit habenda, hunc quidem in modum verſ. hunc reddens: *hic autem interpres* (Moſes) *non eſt interpres illius primi: Deus autem primus interpres eſt* [20]). Eundem legis ſplendorem ortamque hinc eius auctoritatem *F. A. Borgerus* * etiam Paulo ad impugnandam vel ſententiam in ſuperioribus ab eo propoſitam, qua legem ad δικαίωσιν aliquid valere negauerat, vel illam, qua eam παραβάσεων χάριν datam eſſe dixerat, vel denique hanc, qua eam valere debuiſſe defenderat ἄχρις οὗ ἔλθῃ τὸ σπέρμα etc. [21]) ab aduerſario quodam Iudaeo iudicauit opponi, a Paulo autem in contrarium moneri, eſſe quidem legem illam angelorum et interpretis miniſterio latam, attamen non ſolam poſſe tali interprete gloriari, cum et chriſtiana religio ſimilem interpretem habuerit, vel etiam hoc con-

---

20) Quam loci huius verſionem recitauimus iam *p.* 256. coll. *p.* 223. *not.* 36. et *p.* 234. *not.* 7.

21) In hoc enim definiendo ipſum virum doctiſſimum adhuc fluctuaſſe et ancipitem haeſiſſe, luculenter teſtantur, quae *p.* 220. *ſq.* hanc in rem ſcripſit: *poteſt*, inquiens, *haec Iudaeorum obiectio referri, vel ad vniuerſam orationis ſeriem, qua Paulus legem Moſaicam aliquid valere ad* δικαίωσιν *negauerat, vel ad verba,* παραβάσεων χάριν, *mirantibus ſc. Iudaeis legem adeo glorioſam ac tanto maieſtatis adparatu inſtructam huic tantummodo inſeruiſſe conſilio, vt populi coerceretur ferocia, vel denique ad* ἄχρις οὗ ἔλθῃ *cet. quibus verbis ſatis ſignificauerat Apoſtolus, temporariam tantum et Meſſiae aduentu abrogandam fuiſſe legem Moſaicam, quae auctoritate diuina diuinisque inſignibus munitior videbatur atque ornatior Iudaeis, quam vt religione chriſtiana, quae humilem haberet angelisque et internuntio inferiorem multo auctorem, penitus potuiſſet infringi.*

tendi, dignitatem et diuinam religionis auctoritatem non esse a legati, qualis sit μεσίτης, auxilio suspensam, ideoque hoc nihil demere promissioni Abrahamo datae, quod non habuerit suum interpretem, qualis in lege fuerit adhibitus. Prius nimirum ex prima quam proposuit, loci huius interpretatione eum iussit respondere [22]), posterius vero ex secunda, qua quidem vniuersae huius disceptationis rationem hunc in modum constituit [23]): *Quo tandem pacto*, inquiunt Iudaei, *contendas, promissiones diuinas vim suam non amisisse per legem, sed hanc παραβάσεων χάριν esse latam, cum potius haec lex angelorum et interpretis auctoritate munita, omnia, quae ante eam fuerunt instituta diuina, adeoque etiam promissiones tanto splendore non exhibitas, omni sua vi priuasse videatur? Concedo*, ait Paulus v. 20. *vnum illud πρᾶγμα (sc. promissionem) non habuisse suum interpretem, vt habuit alterum illud, (sc. lex): neque hoc quicquam demit promissioni, vnus enim idemque Deus auctor est legis Mosaicae et promissionis, Abrahamo factae; iam vero dignitas et diuina alicuius instituti auctoritas non est a legati, qualis est μεσίτης, auxilio repetenda, sed satis est, illud Deum habere auctorem; vnde patet legem Mosaicam non potuisse tollere promissiones diuinas hanc ob causam, quod his non, vt illi, adfuerit interpres, quippe quae tantum fuerit adiuncta quaedam περίστασις.* Contra vero *Antonius*, qui et ipse, vt in superioribus diximus, plures h. l. interpretandi rationes in medium protulit, ex altera ea-

---

22) *Pag.* 224. vbi *Paulus*, inquit, *hoc commate respondere censendus est ad obiectionem Iudaeorum v.* 19. *commemoratam: Lex quidem illa lata est angelorum et interpretis ministerio; at vero interpres non est solius legis Mosaicae, i. e. sola lex Mosaica non habet interpretem, seu, lex sola Mosaica gloriari non potest internuntio, intellige, christiana religio quoque habet suum interpretem.*

23) *Pag.* 233. *sq.*

rum legis Mosaicae auctoritatem unquam cessare potuisse, ideo putauit ab aduersario negari, quod Moses vnici Dei internuntius fuerit, a Paulo autem hoc regeri, eum, licet vnius Dei interpres fuerit, tamen nullum amplius esse, cum contra Deus vnus idemque semper maneat, hincque locum ita reddidit: *Moses, licet vnius Dei interpres, tamen iam nullus est*[24]), *at Deus vnus etiam nunc est*, vel *Deus ipse vnus idemque manet.* Denique *I. D. Schulzius* non quidem certo defendere sustinuit, v. 19. adversarii obiectionem contineri, ad id tamen sumi posse existimauit[25]) eaque hanc contra Paulum suspicionem moueri statuit, annon per Mosen iam id effectum fuerit, quod Deus Abrahamo olim futurum promiserit, huic autem suspicioni a Paulo ita occurri, vt Mosen neget negotio simplici peragendo, constituendae nimirum religioni christianae[26]) aptum et idoneum fuisse. At vero monuimus iam superius *pag.* 268. non posse plura illius v. 19. verba, quam priora pro obiectione, aut, vt rectius dicamus, dubitatione ab ipso Paulo mota haberi, caetera vero omnia responsionis loco adiecta esse censenda. Id enim ipsa illorum verborum forma grammatica declarat, ex qua per interrogationem, qua scriptor noster in talibus proponendis semper vti solet, perspicue

---

24) Ita enim hunc virum verba: ἐκ ἑνὸς, quae a praecedenti vocabulo ἑνὸς seiungenda esse statuit, interpretari, obseruauimus iam *p.* 219. *not.* 17.

25) Haec quippe in *Augusti Neu. theolog. Blätt.* Vol. II. Part. II. scribens: *Vielleicht könnte der ganze Vers als Beantwortung eines möglichen Einwandes betrachtet werden. Man könnte nämlich dem Paulus einwenden: sollte nicht schon Moses das realisirt haben, was Gott einst dem Abraham versprach? Mit nichten, antwortet Paulus. Moses als Mittler konnte nur thun, was für den Mittler gehöret; für dieses Geschäft, das auf Einheit hinführt, man betrachte es seiner Natur und Veranlassung nach, oder von Seiten Gottes, war er nicht nöthig.*

26) De hac enim illud ἕν, cuius μεσίτης non fuerit Moses, ab hoc viro explicari, monuimus iam *p.* 235. *not.* 12. Praeterea *Steudelii* etiam sententia huc pertinet.

enuntiantur: τί ἓν ὁ νόμος; Cum vero, his positis, statim incipiat consilium huius νόμου declarare, simulque et hoc tradere, quam diu vis eius valere debuerit, ecquis tandem non fateatur, in his aperte scriptorem dubitationi a semetipso motae occurrentem eamque remouentem audiri? Illa autem, quae sub finem versus leguntur: διαταγεὶς δι' ἀγγέλων, ἐν χειρὶ μεσίτου, nullo pacto pro noua obiectione possunt haberi; imo vero propterea a scriptore tanquam ad περιγράσεις promulgationis illius legis pertinentia subiiciuntur, quoniam commodam ei occasionem praebebant, nouum in suam, quam nunc tractabat, rem argumentum inde repetendi. Id vero quale sit, et quonam nominatim spectet de eo in sequentibus plura dicendi locus erit, vbi de reliquorum interpretum hac de re sententiis a nobis disputabitur.

VI.

Peruenimus nimirum ad eos, qui loci nostri consilium ad v. 17. et 18. retulerunt, hincque id, quod in vtroque versu illo a Paulo defenditur, promissionem Abrahamo factam per legem serius promulgatam tolli suaque vi priuari neque potuisse, neque debuisse, argumento aliquo ab eo nunc confirmari statuerunt. Hoc autem argumentum repetere eum dixerunt vel ab auctoris legis illius atque promissionis vnitate aut diuersitate, vel a Dei immutabilitate et constantia, vel inde etiam, quod omnium gentium atque hominum Deus sit, vel a diuersa Dei et mediatoris legis conditione et natura, vel a diuersitate eorum, quorum res in vtroque negotio agebatur, vel denique diuersitate eius, quod in vtroque agebatur, cognoscendoque hinc diuerso vtriusque consilio.

Qui ad vnum eundemque legis atque promissionis auctorem ab Apostolo respici putarunt, quorum non

nisi duo nobis occurrerunt, *Camero* nimirum et *P. L. Muzelius*, ii hoc ab eo innui existimarunt, ea, quae ab vno eodemque auctore sint profecta, nullo modo posse secum pugnare [1]). Contra vero exsiterunt etiam alii duumviri, *F. S. Winterbergius* et *Car. Chr. Lud. Schmidtius*, qui legem atque promissionem diuersos auctores habuisse, angelos quippe et Deum, a Paulo doceri, exque hoc ipso simili modo ab eo colligi sibi persuaderent, non potuisse vnam altera tolli [2]). Multo

1) Huc certe vtriusque viri sententia redit, licet caeteroquin in priori huius vers. commate explicando eoque vniuersae argumentationi accommodando diuersas iterum vias inierint. Etenim *Camero* quidem de loco nostro haec scripsit: *Apostolus monet, mediatorem non esse vnius tantum, sed et alterius foederis: itaque illud ἑνὸς neutrius est generis, non masculini. Deinde quia videbantur illa pugnantia, vt mediator non sit vnius foederis, monet Apostolus, ista optime inter se quadrare, quia Deus vnus est, vnum eundemque scopum constituit in vtriusque foederis pactione. Cum ergo ministerium Mosis subordinatum fuerit, vt ita loquamur, ministerio Christi, idque auctore Deo, subordinata vero inter se non pugnent, quanquam diuersarum rerum fuere mediatores, vnus tamen (quod ad consilium et voluntatem attinet,) erat Deus, — Diuersitas ergo mediatorum non facit continuo, vt fuerit consilii et propositi diuersitas in Deo: idem enim Deus est, cuius, (si ita loqui fas est,) ductu et auspiciis lex et euangelium data sunt.* *Muzelius* autem de eo in hunc modum est commentatus: *Ein solcher Mittler aber ist da nicht nöthig, findet da nicht statt, wo keine Uneinigkeiten statt finden. — Dadurch soll der Apostel den Iuden die versteckte Weisung geben, dass sie nicht so gut geblieben wären, wie Abraham war. Um nun dem Vorwurf auszuweichen, als wären die Verheissung und das Gesetz, beyde von Gott, einander entgegengesetzt sagt er nun: Gott, der beydes gegeben hat, bleibt sich immer gleich;* ex quibus posterioribus verbis hoc simul intelligitur, hunc virum non tam statuisse, Paulum id, quod ante dixerat, legem et promissionem non pugnare inter se, hoc loco nostro argumento aliquo voluisse confirmare, quam potius dubitationi cuidam contra id mouendae occurrere.

2) Id ipsum tamen et hi diuerso modo e verbis ab Apostolo vsupatis repetierunt. Et *Winterbergius* quidem sensum atque consilium loci ita constituit: *Also ist dieser Mittlersmann nicht der Mittlersmanndes* אחד, *des grossen Einzigen, (des höchsten und allgemeinen Weltregierers); denn Jehovah ist der Einzige, oder, weil sich dieser Satz auch absolut umkehren lässt, dieser Einzige ist der Jehovah. Moses hat das Gesetz, welches er an die Iuden brachte, von den Engeln erhalten, nicht von*

plures vero ab eorum partibus ſtetere, qui verbis: ὁ δὲ θεὸς εἷς ἐστιν, conſtantiam Dei atque immutabilitatem ſignificari contenderent, hacque Paulum in ſententiae v. 17. a ſe propoſitae argumentum ita vſum eſſe iudicarent, vt propter hanc ipſam Dei immutabilitatem promiſſionem ſemel ab illo datam lege abrogari aut vlla ex parte immutari potuiſſe negaret. Huic enim ſententiae hos nominatim interpretes calculum ſuum vidimus adieciſſe: *Theod. Bezam, Corn. a Lapide, Geo. Weinrichium, Io. Anaſt. Freylingshausenum,* Com. *de Lynar, Io. God. Koernerum*[3]), *Io. Andr. Cramerum, Io. Ben. Koppium, Fr. Andr. Strothium, Laur. Sahlium*[4]), *Io.*

Gott ſelbſt; das Geſetz kann alſo die Verheiſsung nicht aufheben. Schmidtius autem locum hunc in modum vertendum iudicauit: *Iſt wohl der Vermittler* (Moſes) *der Vermittler eines und deſſelben? finden zwiſchen einem und demſelben Jehovah Mittelsperſonen ſtatt? gewiſs nicht! Jehovah iſt aber einer und derſelbe, eine und dieſelbe Perſon.* Ipſam vero argumentationem in his verbis latentem hac ratione definire ſtuduit: *Sind alſo die Moſaiſchen Geſetze nicht von Jehovah, ſondern von Engeln durch einen Vermittler, Moſes, angeordnet, und den Iſraeliten promulgirt worden: ſo können ſie die dem Abraham und ſeinen Nachkommen gegebene Verheiſsungen, und ſelbſt die Iſraeliten die rechte Nachkommenſchaft nicht geweſen ſeyn; denn ſonſt hätte Jehovah ſeine freyen Verheiſsungen der rechten Nachkommenſchaft, welche er im Teſtamente beabſichtigte, ohne Mittelsperſon und ohne einen Vermittler Moſes ertheilt. Was Jehovah einem verheiſsen hat, das ertheilt er auch dieſem. Wer den Zweck will, will auch die Mittel.* In quibus tamen poſterioribus profecto intelligitur hunc virum prius argumentum quodammodo deſeruiſſe, et ad aliud deflexiſſe, in quo mediatoris potius in legis promulgatione adhibiti ratio habetur, unde etiam poſt ipſe monuit, hanc Apoſtoli argumentationem tum quoque ſaluam manere, ſi quis Moſaicam etiam legem a Deo traditam fuiſſe ſumſerit.

3) In *der heiligen Schrift IIItem Th., welcher die ſämmtlichen Bücher des N. T. enthält, mit Anmerkungen herausgegeben von I. G. Koerner,* (Leipz. 1773. 4.) ad h. l.

4) In libro ſic inſcripto: *D. N. Ieſu Chriſti Nouum Teſtamentum, duce et auctore Sebaſt. Caſtellione dilucidata interpretatione latine reddidit, ſuis pariter ac recentioribus variorum exegeticis et philologicis notis illuſtrauit — Laur. Sahl.* Havn. 1780. II. Part. 8.

Guil. Schmidium[5]), *Geo. Mayerum*, *F. A. G. Krausium*, *Guil. Fr. Hezelium*[6]), *S. F. N. Morum*, *I. E. C. Schmidtium*, *I. M. H. Harrasium*, *Io. Ph. Gablerum*, *I. H. Heinrichsium*, denique ignotum etiam virum quendam doctum[7]). Quanquam vero hi in ſumma huius argumenti omnes inuicem conſentiunt, in integro tamen loco vertendo argumentoque illi aptando mire inter ſe discrepant. Cum enim vix poſſet eos praeterire, in hoc quidem argumento non niſi poſterioris verſ. huius commatis rationem haberi, prius autem prorſus fere negligi, neceſſe profecto erat, vt de hoc etiam ſolliciti eſſent; inque hoc ipſo perſequendo in varias iterum vias deducti ſunt. Et *Cornel.* quidem a *Lapide* aperte faſſus eſt, hoc prius comma fere ſuperfluum eſſe, et non niſi verborum cuiusdam luſus adiuuandi cauſa adiectum[8]). *Weinrichius* contra ea, quae de Moſe inter Deum et homines vtriusque partis placandae cauſa intercedente dicuntur, ideo addita fuiſſe exiſtimauit, *vt hoc modo adumbraretur Chriſti mediatoris officium.* Alii vero

---

5) Qui nimirum auctor eſt *Commentat. in qua μεσίτου notio indagatur*, *a Zaeunero p.* 124. *ſq.* laudatae.

6) In bibliis gloſſatis ſub hoc indice editis: *Die Bibel A. und N. T. mit vollſtändig - erklärenden Anmerkungen von Wilh. Fr. Hezel, Vol. X.* (Lemg. 1791. 8.) ad h. l.

7) Auctorem dicimus commentarii biblici a ſocietate quadam virorum doctorum hoc indice praefixo editi *Bibelcommentar, zum Handgebrauch für Prediger, Schullehrer und Layen, nach den jetzigen Interpretationsgrundſätzen herausgegeben von einer Geſellſchaft von Gelehrten*, (Altenb. 1799. — 1805. 7. Voll. 8. mai.) *Vol. VI. p.* 407. *ſq.*

8) Haec quippe monens: *In hisce verbis vim argumenti non ponit Apoſtolus, niſi oblique et inchoate, ſed tantum in his explicandis ludit per antitheſin, vt ſcilicet opponat mediatorem, qui duorum eſt, Deo, qui vnus eſt, in quo facit praecipuam vim.* Simile quid *Hezelii* etiam animo videtur obuerſatum fuiſſe, dum *l. l.* ſenſum h. l. etiam ſic conſtitui poſſe iudicauit; *Unſer Mittler aber iſt nicht* (*Mittler*) *eines einzigen* (*Volkes der Iuden.*) *Denn ſo iſt ja auch nur ein Gott*, (*der Iuden und Heiden*).

hoc prius comma vel diſerte ad aliam, quam vſſ. 17. et 18. ſententiam ſpectare monuerunt, vel ipſa ſaltem re alio retulerunt. Prius quidem ab *I. E. C. Schmidtio* factum vidimus, qui ad verba v. 19. *ὁ νόμος παραβάσεων χάριν προστετέθη* id reſpicere ſtatuit[9]), cum iisdemque id olim iam a *Theod. Beza* et noſtris temporibus ab auctore commentarii Altenburgici[10]) iunctum deprehendimus. Alii vero de hoc etiam commate eidem, quod nunc tractet Paulus, argumento aptando cogitarunt, neque tamen omnes aeque feliciter in illo tentando ſunt verſati. Omnium quidem minime ea res ſucceſſiſſe videtur *I. A. Freylingshauseno*, qui, dum Moſes *ἐκ ἑνὸς μεσίτης* fuiſſe dicatur, id negari exiſtimauit, eum vnius illius ſeminis Abrahamitici v. 16. et 19. commemorati internuntium fuiſſe, qui peccati quippe expers, Deique voluntatem ſemper exequutus, non tantum ſine internuntio Deum potuerit adire, ſed nobis etiam omnibus aditum ad eum aperire. Id enim quid nunc ad rem praeſentem faciat, nemo facile dixerit. Neque felicior in ea re conſtituenda fuiſſe dici poterit *Cramerus*, qui de Chriſto *μεσίτῃ* nunc cogitans, verbis: *ὁ δὲ μεσίτης ἑνὸς ἐκ ἔστιν*, hunc ſenſum ſub-

---

9) *Dieſe Worte*, inquiens, *geben hier den Beweis von dem Satz des vorigen Verſes: ὁ νόμος παραβάσεων χάριν προστετέθη.*

10) Quorum ille quidem haec ad h. l. obſeruauit: *Dixerat Apoſtolus, non opus eſſe internuntio iis, qui inter ſe conſentiunt. Itaque legem, cum per internuntium ferretur, non fuiſſe conſenſus, ſed discordiae ſignum. Hic vero excipere poterant Iudaei, hunc ipſum internuntium, accepta lege pacem ſanxiſſe. Ideo, vt huic obiectioni occurratur, addit Apoſtolus, Deum ſui ſemper ſimilem eſſe. Itaque cum ex promiſſo Abrahami δικαιοσύνην promiſerat, non potuit nouum pactum inire, quo prius antiquaretur:* hic autem ſimilem in modum haec ſcripſit: *Die Urſache, warum Gott ſtreitig war mit den Iſraeliten, gründete ſich in ihrem Betragen gerade zu der Zeit, als Moſes das Geſetz empfing. Während dieſer Zeit nehmlich verehrten ſie den goldnen Stier. Gott wollte ſie ganz verlaſſen. Moſes vermittelte es endlich noch. Daraus erhellt, will Paulus ſagen, daſs die Iſraeliten das eigentliche Lieblingsvolk nicht waren. Zwey Freunde brauchen keinen Vermittler.*

esse iudicauit [11]), eum non esse vnius, scil. rei, μεσίτην, quippe cum non tantum legem, sed etiam promissionem ab illo habeamus, hincque non potuisse alterum altero tolli. Idem de iis etiam statuendum erit, qui non nisi aliis demum pluribus sententiis cogitando adiectis huic commati aliquem cum isto argumento nexum conciliare potuerunt, quo quidem *Koppius* nominatim et *Io. Guil. Schmidius* videntur referendi [12]). Paulo felicius contra in isto nexu declarando versati sunt ii, qui priori commate hoc tradi sibi persuaserunt, Mosen populi tantum Israelitici, non vero alterius partis, ad quam promissio Abrahamo facta simul pertinuisset, gentium nimirum, mediatorem fuisse, hacque ipsa de causa Deum immutabilem et constantem promissionem semel datam per legem immutare potuisse, ab Apostolo negari statuerunt, quoniam altera illa pars non adfuisset; quas quidem partes *Lynarius* [13]) atque *Koerne-*

---

11) Quanquam et aliam eorum explicationem admitti posse statuit, de qua mox referemus.

12) Quorum ille quidem hoc verbis huius commatis sensu subiecto, non νόμῳ Mosis tantum suum fuisse interpretem, cum plures fuerint, altero commate id iam a Paulo asseri putauit, omnes istos μεσίτας ab vno eodemque Deo semper sibi constante missos esse, hincque non posse vnum alteri repugnare; quam viri doctissimi sententiam fuisse ex iis inprimis intelligi potest, quae ad v. 21. obseruauit: hic autem de consilio huius commatis haec scripsit: *Quid? quod mediatori plerumque non vnum, sed plura negotia mandata sunt, nimirum non vnius tantum partis promissa alterius nomine accipiendi, sed huius etiam beneuolam voluntatem ac promissionem factam illi declarandi, adeoque et Moses tanquam mediator non tantum legem diuinam populo promulgauit, et quod legis huius seruandae populus fidem fecerit, Deo renunciauit, sed illam ipsam etiam promissionem Abrahamo iam factam confirmare, eiusque memoriam renouare debebat.* Verum facile profecto intelligitur, ex vtriusque viri interpretatione non nisi vagum et perquam laxum vtriusque commatis nexum gigni.

13) Ab vno *Zaeunero* laudatus, qui tamen prima tantum Paraphras. eius editione vsus est, in qua *Lockii* atque aliorum sententiam, de qua infra disputabitur, fuerat secutus; verum in altera illius Paraphras. editione, quae Hal. 1772. prodiit, sententiam suam paululum immutauit, locique sensum hoc modo circumscripsit: *Moses war also dem einen Theile, nämlich den Heiden, nicht*

rus[14]) sunt secuti. Multo tamen faciliori ratione nexum vtriusque commatis ii constrinxerunt, qui eum hunc esse voluerunt, vt, cum Moses non fuerit vnius tantum partis, populi nimirum Iudaici, sed Dei etiam immutabilis mediator, iure ab Apostolo negari defenderent, Deum istum immutabilem promissionem semel datam per legem illius interuentu promulgatam tollere potuisse, quae *L. Sahlii*, *G. Mayeri*, *F. A. G. Krausii* et *Mori* fuit sententia. Omnium vero facillimam vtriusque commatis nectendi rationem *Gablerus* proposuit, dum summam argumenti Paulini hanc esse contendit[15]), per legem mutabilem[16]) non potuisse promissionem Dei immutabilis tolli. Simillimo vero modo *Heinrichsius* etiam mediatorem, qui non fuerit immutabilis, Deo immutabili hoc consilio putauit opponi, vt doceatur, per eiusmodi mediatorem non potuisse promissionem ab illo factam abrogari[17]); ad eundemque modum *Harrasius* etiam ex eo, quod Moses ex

---

zum Mittelsmann gesetzt, und daher konnte auch bey dieser Gelegenheit die vorhergegangene Verheissung Gottes an alle Völker unmöglich aufgehoben werden. Ohnedem bleibt Gott immer ein und ebenderselbe, der wegen eines hinzugekommenen Gesetzes seine allgemeine Zusage gewiss nicht verändert noch zurück nimmt.

14) Qui vtriusque commatis nexum arctius adhuc, quam a *Lynario* factum fuerat, constrinxit, ita eum constituens: *Dieser Mittler aber, nämlich Moses, ist nicht der Mittler der ganzen einen Parthey. Er handelte nur mit Gott in Ansehung der jüdischen Nation. Von den Heiden hatte er keinen Auftrag. Gott aber, der sich selbst allemal gleich bleibt und unveränderlich ist, konnte nicht durch einen einseitigen Mittler das Juden und Heiden ohne Unterschied gegebene Versprechen aufheben oder verändern.*

15) Ex illa nimirum loci huius interpretatione, quam in diario theolog. a se edito proposuit, quamque sibi nunc ea, quam olim secutus fuerat, probabiliorem videri professus est.

16) Quam verbis: ὁ δὲ μεσίτης ἑνὸς οὐκ ἔστιν significari indicauit, in hunc iis sensum acceptis: *dieser (Moses) aber war nicht ein Mittler von etwas Unveränderlichem.*

17) Dum nimirum verba prioris commatis in hunc modum in-

ipsius Dei consilio non fuerit eiusmodi mediator, cuius auctoritas in perpetuum valere debuisset, id ipsum intelligi posse, Deum ratione promissionis a se factae immutabilem esse futurum, ab Apostolo defendi statuit [18]). *Hezelius* denique nexum vtriusque commatis ita constituit, vt prius concludendo ex posteriori repeti adeoque ex Dei immutabilitate hoc ab Apostolo colligi defenderet, Mosen non fuisse mediatorem Christi, hincque legem ab illo propositam non pertinuisse ad promissionem ab isto immutabili factam [19]). Neque dissimilis huic est sententia a *I. G. Rosenmüllero* olim defensa [20]), ad eandemque proxime etiam accedit inter-

---

terpretanda esse statuit, ac si ita se haberent: *ὁ δὲ μεσίτης ἑνὸς οὐκ εἰς ἐστι, der Mittler eines einigen unveränderlichen ist ja deswegen noch nicht selbst einig und unveränderlich, das ist und bleibt Gott allein*, iamque de eorum consilio haec addidit: *Folglich — kann das Enthymema weiter ergänzt werden — folglich kann auch Moses und sein νόμος keine allgemeine Gültigkeit und auf immer bindende Kraft haben, ist folglich bey weitem nicht im Stande, dasjenige umzustossen, was einst Gott zum Abraham sagte, etc.*

18) Hinc sensum nostri versus ita constituit: *Ist Mosis Ansehen temporär, so erscheint Gott eben dadurch desto unveränderlicher in seiner gegebenen Verheissung, dass er sie gewiss erfüllen wird.*

19) Haec quippe l. l. de sensu h. l. disputans: *Diese Mittelsperson aber hat auf jenen Einen* (*S. v.* 16.) *nämlich auf jenen grossen Nachkommen Abrahams den Messias, auf welchen jene Verheissung gieng, keine Beziehung. — Die Mosaische Religion sollte der Absicht Gottes nach gar nicht das Mittel der von Gott gegebenen Verheissungen seyn. Gott aber ist einig d. i. Gott aber bleibt immer derselbe unveränderlich, d. i, da Gott in jener Verheissung offenbar auf den Messias und seine göttliche Religion zielt: so kann er unmöglich die Mosaische Religion zum Mittel der Erfüllung ihrer Verheissung verordnet haben. Gott ist in seinen Rathschlüssen unveränderlich.* Post tamen hic quidem vir doctus suam de h. l. sententiam varie immutauit.

20) In *Prolus. in locum difficilem*, *Gal. III*, 19. 20. Erlang. 1779. edita, in qua nostra nominatim verba p. 16. ita interpretatur: *hic autem non est mediator vnius illius* (*sobolis, σπέρματος ᾧ ἐπήγγελται v.* 19. *cui vna cum Abrahamo ἐρρέθη-σαν αἱ ἐπαγγελίαι v.* 16.) *nam Deus est vnus idemque, semperque sibi constat.*

pretatio h. l. a *E. A. Strothio* propofita [21]). Longe pauciores contra illi fententiae fauerunt, ex qua verba: ὁ δὲ θεὸς εἷς ἐστιν de eo folent explicari, quod Deus omnium gentium atque hominum Deus et pater fit, exque hoc ipfo id ab Apoftolo colligi defenditur, hunc Deum non potuiffe per legem vni populo Ifraëlitico datam promiffa ad omnes gentes fpectantia vlla ratione irrita reddere. Verum cum et hi facile poffent perfpicere, ex hac quoque ratione omnem argumenti vim in vltimo huius verfus commate latere, prius autem faluo eo commode poffe abeffe, in hoc etiam ei accommodando in varias iterum vias abierunt. *G. H. Langius* quidem hoc eo tradi putauit, in quolibet interprete non vnam modo, fed alteram quoque partem effe refpiciendam, cum nullus vnius fit interpres, iamque Apoftolum ita iuffit argumentari; in Mofe etiam mediatore non populum tantum Ifraëliticum, fed Deum quoque tanquam alteram partem fpectandum effe, hunc vero, cum non Iudaeorum, fed gentilium etiam, imo omnium gentium Deus fit, non potuiffe per foedus cum populo Ifraëlitico Mofe interueniente initum promiffis ad omnes pertinentibus quicquam derogare. Contra vero *C. C. Tittmannus* *, Dresdenfis Theologus, id ipfum, Mofen fuiffe interpretem ad omnes gentes pertinentem, inde a Paulo colligi fibi videtur perfuafiffe [22]), quod Deus

---

21) Ex qua h. l. ita reddidit: *Diefes Mittlers Gefchäft aber bezog fich nicht auf den einigen und nämlichen Zweck Gottes, den doch Gott, der heute nicht anders ift, als geftern, nicht aufheben wollte;* inque nota fubiecta hanc illuftrationis caufam adiecit: *Da Mofes Amt alfo nicht auf eben den Zweck gieng, fagt der Apoftel, wohin die Verheifsungen, wohin das Chriftenthum führen follte, und Gott, der fich immer gleich bleibt, doch diefen Zweck nicht aus den Augen fetzen wollte, fo läfst fich auch nicht denken, dafs das durch Mofen gegebene Gefetz, das durch ihn geftiftete Judenthum, die Abraham gegebene Verheifsung Gottes aufheben follte.*

22) Quantum quidem ex iis licet iudicare, quae in *Opufc. theol. p.* 357. de fenfu h. l. hunc in modum disputauit: *Mofes*, (*is*

omnium gentium communis sit Deus. *I. C. Schmidtius* autem rationes argumentationis Paulinae ita construxit [23]), vt nullus plane vtriusque commatis nexus inde prodiret. Prius nimirum ita voluit intellectum: Mosen non fuisse vnius (Messiae, v. 16.) interpretem, h. e. eum illum neque annunciasse, neque quicquam cum illo rei habuisse; posterioris autem sensum his verbis multiplici modo declarauit: *Deus autem est vnus*, (a quo nempe omnia pendent, vel, a quo et promissio Abrahamo data et lex Mosaica instituta est), *est vnus Deus omnium*, omnium, non Iudaeorum tantum, salutem curat; *promissionibus Dei prioribus lex illa Mosis posterior neutiquam aduersatur, eas minimę tollit.* *G. Lessius* denique, priori commate de Christo explicato, hanc loci mentem esse iudicauit: *omnino Moses etiam erat μεσίτης ad Iudaeos tantum ablegatus, summus autem ille ac vnus quasi μεσίτης, quem Deus Abrahamo tanquam salutis perfectissimum auctorem promiserat, non Iudaeorum solum, sed gentilium etiam est seruator, quemadmodum Numen illud beneficentissimum communem hominum parentem esse scimus.* Simili modo etiam ii, qui a diuersa mediatoris et Dei natura atque conditione argumentum Apostoli repetitum esse putarunt, va-

---

enim ibi sine omni dubitatione intelligendus est,) interpres voluntatis diuinae fuit non communis *omnibus gentibus, sed tantum vni proprius; per eum constituere voluit Deus oeconomiam non vniuerso generi humano communem, sed tantum genti Iudaicae propriam, nec perpetuam, sed tantum ad tempus duraturam;* Deus vero est communis omnium Deus, *idque demonstrauit quoque hactenus, quatenus abrogata illa oeconomia Mosaica, aliam per alium mediatorem constituit, eandemque communem omnibus omnium temporum hominibus, atque perpetuam.*

23) In *Differt. theol. compreh. tentamen, sensum loci varie explicati ad Gal. III*, 20. *secundum regulas probabilitatis hermeneuticae pensitandi*, Praeside *Teoph. Schlegelio* defensa Gryphisw. 1805. 4.

rias in eo construendo rationes inierunt, prout in vocabulo μεσίτȣ vel de definito aliquo mediatore, eoque Mose, vel indefinite de mediatore quocunque cogitandum esse iudicarunt. Quibus prius placuit, ii vel hoc priori commate doceri existimarunt, Mosen non fuisse vnius seminis, v. 16. et 19. commemorati, μεσίτην, hincque non potuisse eum lege a se promulgata promissa ad illud pertinentia vlla ratione labefactare, quae *H. W. Gerdesii*, *S. I. Baumgarteni* et *Theoph. Schlegelii*[24]) fuit sententia, vel Apostolum ita iusserunt argumentari; Mosen, cum vnius tantum populi Israëlitici fuerit mediator, non potuisse de abolendis promissis ad omnes pertinentibus agere, hincque Deum ea tollere debuisse, quem tamen id fecisse minime credibile sit, quam viam *Henr. Papius** ingressus

24) Quibus et ipsis tamen non potuit non haud leuis molestia eo creari, quod non facile poterat doceri, quaenam posterioris commatis in hac argumentatione partes sint. Id vero quomodo *Gerdesius* quidem effici posse statuerit, vix ac ne vix quidem ex scripto eius potest intelligi. Putat nimirum hoc a Paulo tradi: Mosen populi quidem Israëlitici in legislatione Sinaitica mediatorem fuisse, non vero seminis illius benedicti, cui proprie et specifice κληρονομία promissa dicatur, adeoque illius iuri derogare non potuisse, vtpote cui tum vnitas seminis, cui promissum, tum vnitas Dei promittentis obstiterit. Ipsa autem loci nostri verba ita reddidit: *hic autem mediator, non est mediator vnius*, seminis scil. cui promissum, iuxta v. 16. et 19. *nam Deus vnus est. Baumgartenus* vero, postquam prioris primum commatis sensum in hunc, quem diximus, modum constituerat, de posteriori haec deinde addidit: *Dann bekommen die letzten Worte eine doppelte Bedeutung. Entweder: Gott ist einig, allezeit einerley, mit sich selbst übereinstimmend, oder beständig. Oder: derselbe Mittler, (oder Offenbarer der Verheissung, der zu dem einigen Saamen gehört und denselben gewährt,) ist Gott selbst; dieser, der mit dem Abraham zu thun gehabt, auch nachher das Gesetz gegeben, ist der einige, wahre, höchste Gott. Folglich will der Apostel seinem Zweck nach so viel sagen: alle diese Umstände reichen nicht hin, die einmal gegebene Verheissung Gottes wieder aufzuheben und zu entkräften.* Simili vero modo *Schlegelius* etiam in sensu horum verborum constituendo fluctuauit, dum vel post vocem ὁ δὲ θεὸς, (vt obseruauimus iam *Part. I. p.* 230. *not.* 58.) verbum λέγει supplendum iudicauit, vel vocabulum θεὸς de eo etiam explicari posse existimauit, qui vnum illum annuntiauerit.

est [25]), vel denique, vt a *G. F. Hufnagelio* factum esse vidimus, hoc a Paulo moneri statuerunt, mediatorem non vni religioni Mosaicae fuisse destinatum [26]). Ex posteriori autem sententia, quae in vocabulo μεσίτης quemlibet mediatorem vult cogitari, quaeque non nisi vni viro docto [27]) fuit probata, argumenti Paulini summa haec esse defenditur: nullum mediatorem sui iuris et arbitrii esse, Deum vero vtique sui iuris esse, et constantissimum. Multo maior consensus inter eos obtinuit, qui argumentum scriptoris a diuersitate eorum,

---

25) In *Handb. zum richtigen Verständniss und nutzbaren Gebrauche der Sonn- n. Festtags Evangel. und Epist.* (Brem. 1781. 8. mai.) vbi *p.* 799. sensum huius versus ita παραφράζει: *Moses aber war nur damals die Mittelsperson eines Volkes, des israelitischen. Und eine solche Mittelsperson, die nur für ein einziges Volk handelt, findet hier nicht Statt, um durch ihre Unterhandlungen die ehemaligen göttlichen Verheissungen*, die alle Völker betreffen, *ungültig zu machen. Dies konnte doch, wenn es geschehen sollte, niemand thun, als Gott allein, der der einzige mit allen Menschen handelnde ist: der einige, der mit Abraham handelte, als er ihm die gnädigen Verheissungen gab, und der mit den Israeliten handelte, als er denselben sein Gesetz gab. Nun ist also die Frage: ob Gott selbst durch die Gesetzgebung seine ehemaligen Verheissungen habe aufheben wollen?* ad quam quaestionem proximo versu ab Apostolo responderi existimat.

26) Vtimur iisdem verbis, quibus vir ille doctus suam de h. l. sententiam in libro a *Zaeunero p.* 182. laudato obscurius profecto, quam optandum fuisset, hunc in modum significauit: *Es war ja dies Gesetz nur für einen geringen Theil der Menschheit, der dadurch von Sünden abgehalten werden sollte. Daher die himmlische Feyerlichkeit, womit es durch den Mittler, der nicht für diese einzige Religionsverfassung allein bestimmt ist, unbeschadet der Wahrheit: es ist nur Ein Gott, ehemals bekannt gemacht wurde. Schon darum kann dieses Gesetz von Moses den göttlichen Verheissungen durchaus nicht entgegen seyn.*

27) *Bonitzii* nimirum amico cuidam, cuius sententiam ille *Spicileg. p.* 32. §. 245. recitauit, qui, θελήματος aut πνεύματος vocabulo ad vocem θεὸς suppleto, sensum loci his verbis exposuit: *Internuntius non potest idem consilium, non potest suum consilium sequi; etenim vel ab alterutra parte, vel ab vtraque pendet, et maximam partem non sua sponte nec libere agit. Deus vero est sui iuris, Deus sibi est constantissimus. Ein Mittler aber hängt nicht von seinem eignen Entschlusse ab; Gott aber ist selbstständig.*

quorum res in vtroque promiſſionis atque legis dandae negotio agebatur, repetitum eſſe opinati ſunt. Hi enim omnes Paulum ita dixerunt ratiocinari: in promiſſione Abrahamo data duas aperte partes in cenſum veniſſe, Deum nempe promittentem et gentes vniuerſas, ad quas promiſſio eius pertinuiſſet. Harum vero partium in legislatione Sinaitica vnam modo adfuiſſe, Deum nimirum, ex altera autem parte defuiſſe gentiles, quippe non niſi Iudaeorum mediatore praeſente; hinc Deum cum hoc mediatore non potuiſſe de re ad omnes gentes pertinente quicquam transigere; quo quidem loci noſtri interpretationes a *Lockio* atque *Doddridgio* * [28]) itemque *I. G. Napierskio* * [29]) et Com. *de Lynar* [30]) propoſitae in ſumma omnes redeunt. Neque minor conſenſus inter eos locum habuit, qui diuerſitatis eius, quod in vtroque negotio actum fuerit, cognoſcendique hinc diuerſi vtriusque conſilii in argumento a Paulo propoſito rationem habitam fuiſſe defenderunt. Hi nimirum ex eo, quod lex ἐν χειρὶ μεσίτου, promiſſio autem ab vno Deo data fuerit, hoc ab eo colligi ſibi perſuaſerunt, in illa quidem inter vtramque partem, quae neceſſario cogitanda ſit ibi, vbi mediator aliquis intercedat, pactum mutuum initum fuiſſe, promiſſionem autem ab vno tantum factam non potuiſſe non gratuitam eſſe, cum non fuerit a conditione ab altera parte implenda ſuſpenſa, hincque nec alteram alteri potuiſſe repugnare: hancque argumentandi rationem magno conſenſu probaſſe reperiuntur *Seb. Caſtellio, Dionys. Petauius, Th. Pyle, G. T. Zachariae, C. L. Bauerus, I. A. Erneſti* * [31]), *Io. Guil. Fuhr-*

---

28) In Oper. bibl. angl. *To. XV. p.* 725.

29) In loco *p.* 233. not. 5. iam laudato.

30) In prima Paraphr. ſuae epiſt. apoſtoll. editione. In altera enim aliam eum rationem ſecutum eſſe ſupra oſtendimus.

31) Cui certe in *G. I. Wickmanni Bibliſch. Hand-Con-*

mannus, *I. C. Blaschius*, *C. G. Storrius*, *Io. Babor* * [32]), et *I. I. Hessius* [33]), licet non omnes eam accurate satis exposuerint, nec aeque planis atque perspicuis verbis eam explicauerint [34]); neque alio redire etiam videtur ignoti cuiusdam censoris [35]) sententia, licet hic plura immiscuerit ad rem minime pertinentia [36]),

---

cordanz Vol. II. p. 204. II. edit. haec loci huius interpretatio tribuitur: *Das Gesetz hatte einen Mittler, Mosen, weil zwey Partheyen waren, deren eine (Gott) befahl: thut das! die andere, (Israël) gelobte: ich wills thun. Aber beym Testament, (der Verheissung) war kein Mittler. Gott war der Einige (Redende, Verheissende) Abraham sagte nichts dagegen zu.*

32) In versione librorum N. T. in qua versum hunc his verbis expressit: *Nun ist aber ein solcher nicht eines einzigen Mittler; Gott aber war nur einer*, inque nota subiecta hanc interpretationem argumentis non incommodis muniuit.

33) Qui in tertia saltem, quae nuper prodiit libri vtilissimi editione: *Geschichte und Schriften der Apost. Iesu* aperte hanc sententiam secutus est, dum *Vol. II. p.* 317. de h. l. sensu haec scripsit, ab illa ratione, qua eum in prioribus editionibus constituerat, paululum recedentia: *wo es, will der Apostel sagen, um nichts anderes, als um Erfüllung eines freyen unbedingten Versprechens (das dem Abraham zu Gunsten seines Nachkömmlings geschehen war) zu thun ist, da kommen nicht, wie bey der auf ein zwischen Gott und der Nation festzusetzendes, verfassungsmäßiges Verhältniss sich beziehenden Gesetzes Anstalt, zwo Partheyen zum Vorschein, es bedarf also darzu keines Mittlers. Gott allein ist es, der etwas zu leisten, zu erfüllen auf sich nimmt. Schon das also, dass bey der Gesetzgebung eine Mittelsperson geschäftig war, zeigt, die Anstalt war nicht die Erfüllung jenes Versprechens etc.*

34) Quod inprimis cadit in *Castellionem* atque *Pylium*, quorum posterior rationem huius argumenti duplici modo constituere conatus est, prior autem posterius comma non videtur argumento satis feliciter intexuisse, dum ita de eo disputauit: *Sequester autem vnius non est, atqui Deus vnus est, i. e. sequester internuntius est duorum, qui aliquid paciscuntur: Atqui Deus vnus est, non duo: itaque necesse est, Mosen Dei et Israëlitarum internuntium fuisse. Nec enim potest Dei et Dei internuntius fuisse, cum duo Dei non sint. Quod si est, oportet in eo foedere aliquid ab vtraque parte promissum fuisse: nam ea est foederum natura.*

35) In Ephemer. litter. German. supra a *Zaeunero p.* 173. laudatis.

36) Vt docent verba eius huc inprimis pertinentia: *Der* 20. *V. bezieht sich nämlich auf den* 16*ten, und Paulus will in dieser*

easdemque partes *Chr. Fr. Preissius*[37]) etiam videtur secutus fuisse.

Praeterea vero fuerunt etiam qui v. 18. vt videtur, potissimum moti, hoc etiam v. 20. idem doceri opinarentur, quod priori iam Cap. III. parte ostendere studuerat Paulus, δικαιοσύνης beneficium non posse per legis Mosaicae aut vniuersae etiam legis obseruationem a Deo impetrari. Id autem illi nunc quidem argumento vel a legis consilio, vel Dei constantia, vel ipsa legis ratione vel denique Mosis, tanquam mediatoris imperfecti, conditione repetito ab Apostolo demonstrari sibi persuaserunt. E prioris sententiae fautoribus, quorum tres omnino fuere, vnus quidem, *Chr. Hagmaier*, scriptorem hoc monere statuit, non alium legis vsum quaerendum esse, quam quem Deus, cuius et ipsius, neutiquam vero solius populi Israelitici mediator Moses fuisset, ei tribuerit; hunc vero ad peccata, non ad δικαιοσύνην spectasse. Duo reliqui autem *G. G. Zeltnerus* et *I. H. D. Moldenhawerus*, id ipsum, legem istam non pertinuisse ad reconciliationem cum Deo et iustificationem ab illo impetrandam ex eo a Paulo colligi iudicarunt, quod mediatore in ea ferenda opus fuerit. Qui vero argumentum Apostoli constantia Dei niti putarunt, quorum iterum duo fuere, *1o. Piscator* et *Laur.*

Beziehung sagen: Moses war ja ein Mittler; dieses setzt schon voraus, dass er's von mehrern war, die Verheissung ist von Einem, *von Gott, und muss von* Einem, (*Christus*) *nur zu Stande gebracht werden: überall ist von einer Mittelsperson die Rede.* Einer *ist aber Gott allein — der jene Verheissungen unmittelbar gab, und auch durch den* Einen *Christus unmittelbar sie zu Stande bringen wird. Es liegt hierin also noch der Sinn verborgen, dass jener* Eine *aus der Nachkommenschaft Abrahams Christus — Gott ist: und dass Moses und sein Gesetz, welches er von Engeln empfangen hatte, weit unter ihm, dem Mittler der Verheissungen — Gott selbst, stehen müsse.*

37) Quod probabile certe redditur illa ratione, qua l. h. in sua, quae nuper prodiit, librorum N. T. versione germanica ita transtulit: *Der Mittler ist es nicht für Einen, Gott aber ist Einer.*

Müller, vel, vt ſe adpellari maluit, *Theoph. Alethaeus*, ii eum hoc dixerunt indigitare voluiſſe, Deum, cum ſui ſemper ſit ſimilis, non poſſe non et nunc legis violatoribus aeque iraſci, ac Moſis temporibus fuerit iratus. Tertiam autem ſententiem vnus *Ioach. Langius* ſecutus eſt, eamque ita informauit, vt hoc nunc tradi defenderet, legis quidem ratione habita neminem poſſe absque mediatore Deo probari gratiamque eius conſequi, idque in Moſaica iam legislatione fuiſſe adumbratum, hincque et nos Chriſtianos mediatore indigere, qui ſit Chriſtus. Simili tandem modo vltimam etiam rationem vnus *Sal. Deylingius* iniit, ex eaque hoc a Paulo defendi ſtatuit, Moſen, cum non fuerit mediator vnius, ſc. Dei, hincque nec ἀληθινὸς et ab omni labe immunis, ſed φιλάνθρωπος, multo infirmiorem fuiſſe, quam qui ſibi aliisque Dei gratiam potuiſſet conciliare ac promereri.

Iam vero ſi de horum omnium ſententiis iudicium aliquod nunc ſit ferendum, profecto non poterit negari, in vniuerſum quidem illos omnes, qui conſilium noſtri loci cum v. 17. nexum eſſe voluerunt, omnium optime de eo iudicaſſe. In eo enim inde a v. 15. vtique conſulto nunc verſatur Paulus, vt demonſtret, per legem a Moſe promulgatam promiſſionem Abrahamo factam minime fuiſſe ſublatam. Poſtquam enim iſto v. 15. hoc praemiſerat, ne in hominum quidem promiſſionibus fieri ſolere, vt, vbi ſemel factae fuerint et ratae habitae, iterum ſoluantur, aut noua quaedam conditio iis adiiciatur, id v. 16. ſqq. ad promiſſionem Abrahamo datam nominatim transfert, cumque primum hanc ipſam promiſſionem eiusque argumentum v. 16. explicaſſet, docet deinde v. 17. eam non potuiſſe per legem Moſaicam multo ſerius datam iterum tolli et aboleri, quod, vt v. 18. monet, factum vtique fuiſſe ſtatuendum foret, ſi legis illius obſeruatio boni promiſſi impetrandi conditio ſcripta

fuiſſet. Tum vero v. 19. idem ex legis quoque conſilio ſtudet oſtendere, eamque ad peccata potius, quam boni illius largitionem docet ſpectaſſe et non niſi in certum aliquod tempus datam fuiſſe. Cum autem in hoc ipſo legis conſilio exponendo περιϛάσεων ſimul mentionem iniecciſſet, quae in lege illa ferenda locum habuerant, conſulto deinde inhaeret ei, quod vltimo loco poſuerat, legem illam ἐν χειρὶ μεσίτου fuiſſe promulgatam, vt vel hinc etiam aliquid ad rem ſuam pertinens repetat. Id vero ecquis tandem alio ſpectare ſibi perſuadeat, quam ad id ipſum, quod nunc tractandum ſibi ſumſerat, longe aliud nimirum legis conſilium fuiſſe, quam promiſſionis, illamque adeo, vt dixerat iam v. 17. ad hanc abrogandam plane non pertinuiſſe, nec pertinere potuiſſe. Cum vero v. 18. huius ipſius ſententiae illuſtrandae tantum atque vberius exponendae cauſa additus fuerit, non videtur eorum, quos vltimo loco commemorauimus, ſententia probari poſſe, qui id, quod v. illo 18. ſumtum fuerat, inque ſuperioribus iam pluribus demonſtratum, bonum nimirum Abrahamo promiſſum non poſſe per Moſaicam legem obtineri, verſu noſtro ex mediatoris quoque, qui in lege illa ferenda locum habuerit, interuentu Deique ἑνότητι concludendo repeti defendunt. Neque enim hoc conſulto nunc tractat ſcriptor, cum in eo confirmando ante iam ſatis fuerit verſatus, ſed id potius agit, vt oſtendat, legem illam non valuiſſe ad promiſſionem iſtam conditione quadam ei ſubiicienda abolendam. Quae cum ita ſint, cogitur inde, illorum potius ſententiae calculum eſſe adiiciendum, qui id ipſum noſtro etiam v. 20. volunt declarari. Cum vero et hi admodum varias, vt oſtendimus, vias in eo enucleando inierint, neque tamen omnes rectam ingreſſi poſſint iudicari, deberet quidem per ſingula eundo a nobis oſtendi, quorumnam ſententia vel probanda ſit, vel improbanda, huiusque iudicii cauſae ſimul exponi. Verum cum haec nimis moleſta taediique plena res ſit fu-

tura, cumque praeterea ex iis etiam, quae in superioribus iam disputavimus, facile possit intelligi, in plerisque illarum sententiarum vel eiusmodi verbis sensum subiici, qui cum loquendi vsu vix poterit conciliari, vel vnius tantum, non item alterius versus nostri commatis rationem haberi, vel alia iis obstare; juvat potius hanc omnem rem paucioribus absolvere. Si enim recte se habent, quae cap. II. et III. de huius utriusque commatis sensu maxime probabili disputavimus [38]), sponte profecto intelligitur, non nisi illorum sententiam commodam posse iudicari, consilioque loci accommodatam, qui hoc utroque commate doceri contendunt, mediatorem quidem non vnius, sed duarum certe partium esse, Deum autem, qui Abrahamo beneficii aliquid promiserit, vnum modo fuisse, hincque Apostolum id a lectoribus suis colligi voluisse statuunt, in lege ista Mosaica pactum mutuum Deum inter atque populum Israeliticum mediatoris opera intercedente initum fuisse, contra vero in promissione rem ab vnius tantum, (Dei scl. qui solus eam dederit,) voluntate pendentem transactam, hincque legi isti nihil plane cum hac rei fuisse, adeoque nec potuisse ea nouam illius promissionis implendae conditionem constitui, eoque ipso promissionem hanc omnino tolli *). Hoc autem argumentum quamquam non poterit eiusmodi censeri, quod ab omni dubitatione aut exceptione liberum sit, tamen illius scriptoris ingenio accommodatum erit iudicandum, qui paulo ante v. 16. simili argumento a forma vocis grammatica ducto vsus fuerat, quique et alibi argumentis a περιστάσεσι rei gestae ductis vsus esse deprehenditur [39]). Com-

38) *Pag.* 218. et *pag.* 257.

*) [Hanc suam de consilio loci tractati sententiam b. auctor adcuratius se definiturum et contra *Wilkii* maxime dubitationes serius motas defensurum in margine adnotauit; sed morte occupatus consilio ac promisso excidit. — Ed.]

39) Vt docent exempla a *Bauero* in *Logic. Paul. pag.* 257.

mendatur vero haec loci interpretandi argumentique in eo propositi constituendi ratio etiam eo, quod illa admissa facillime potest proximi v. 21 origo et nexus explicari. Cum enim docuisset nunc Paulus aliud plane in ferenda lege negotium fuisse peractum, quam in promissione, facile quis potuisset in hanc suspicionem adduci, hoc modo plane noui quid, idque forsitan praestantius, legis foedere ineundo fuisse constitutum, quam quod promissio illa sperare iusserit. Hinc ipse hanc statim quaestionem mouet: ὁ οὖν νόμος κατὰ τῶν ἐπαγγελιῶν τοῦ θεοῦ; docetque in lege quoque eiusdem felicitatis promissionem mansisse, cuius spes olim facta fuisset, at non potuisse eam illius obseruatione tali, qualem ea postulasset, teneri, cum haec in homines peccatis obnoxios plane non caderet.

VII.

Restat igitur, vt nunc de illorum etiam sententia paucis differamus, qui vers. 20. vel cum v. 16. aut totius, qui inde ab illo versu vsque ad hunc nostrum continetur, loci argumento consilii quidem ratione habita nexum esse defendunt, vel eum ad vniuersae adeo epistolae consilium referunt.

Qui de consilio eius cum v. 16. nectendo cogitarunt, promissionis, de qua ibi sermo est, vel euentum, vel eius implendae necessitatem nunc declarari statuerunt. Prius quidem *Theodoreto* iam fuit probatum, hincque is non nisi hanc vnam sententiam historicam hic tradi sibi persuasit, Mosen quidem non fuisse vnius μεσίτην, sed Deum inter atque populum intercessisse

---

seq. collecta, praeter quam conferenda etiam est eiusd. viri *Rhetor. Paulin. Part. I. pag.* 717. *sq.* vbi nonnullas quoque dubitationes contra hanc loci interpretationem motas remouere studuit.

Deum vero vnum esse, qui et promissionem illam dederit et legem tulerit, illiusque etiam euentum nunc ostenderit [1]); quae tamen sententia, quo consilio nunc proponatur, nemo facile dixerit [2]). Promissionis autem illius ad omnes gentes pertinentis implendae necessitatem *Camp. Vitringa* a Dei vnitate, *Semlerus* autem ab eius immutabilitate ab Apostolo repeti statuit, dum ille quidem eum rationes suas ita construere iussit [3]), vt, cum Moses eiusmodi legem tulisset, per quam Israelitae a gentibus fuissent divisi, necesse fuisse ostenderet, vt Deus aliquando toti mundo tanquam *unum*, h. e. omnibus gentibus perinde fauentem earumque salutem curantem se exhiberet; hic autem hoc ab eo doceri voluit [4]),

---

1) His quippe verbis vsus: *ὁ δὲ μεσίτης ἑνὸς οὐκ ἔστιν, ἐμεσίτευσε γὰρ τῷ θεῷ ὁ δὲ θεὸς εἷς ἐστιν, ὁ καὶ τὴν ἐπαγγελίαν τῷ Ἀβραὰμ δεδωκὼς καὶ τὸν νόμον τεθεικὼς καὶ νῦν τῆς ἐπαγγελίας ἡμῖν ἐπιδείξας τὸ πέρας: Οὐ γὰρ ἄλλος μὲν ἐκεῖνα θεὸς ᾠκονόμησεν, ἄλλος δὲ ταῦτα.*

2) Quod recte iam admonuit *Bonitzius* §. 88.

3) Haec quidem scribens *de Synag. vet. pag.* 1085.: Mediator non est vnius, sed Deus est vnus. *Moses, antiqui foederis mediator, legem dedit Israelitis, per quam ipsi a gentibus divisi sunt; sed cum Deus se, eo non obstante, declaraverit unum esse, ratio flagitabat, vt aliquando se tanquam vnum toti mundo exhiberet. h. e. Iudaeos et gentes reduniret in vnum populum, eosque eodem modo tractaret et per eandem viam iustitiae duceret ad gloriam.*

4) Hac nimirum h. l. paraphrasi vsus: *Si accessit internuncius, intelligimus, eum non esse tantum vnius partis aut causae, sed esse partem, cui opus fuit hoc ministerio. qui a non auderet ipsa cum Deo rem peragee, Deus vero, qui omnibus populis ac gentibus promiserat illud beneficium, est vnus et idem;* hisque posterioris nominatim sententiae illustrandae causa ei subiectis: *Abrahami isti posteri non servarunt Abrahami indolem, delapsi potius in multa flagitia, itaque opus fuit illo mediatore, qui aliud particulare et exile pactum iniret, cuius consilium fuit longe humilius, vita scilicet pacata sine sceleribus et flagitiis postea agenda. Sed Deus non est alius ante h. nc legem et post eam, idem ille Deus, quod ad ipsum attinebat mansit in bona fide, et omnium gentium felicitatem sine hac lege porro ratam habuit.* In eandem vero sententiam et olim iam in Paraphrasi huius epistolae, *Baumgartenii* eiusdem et aliarum epp. Paull. interpretationi a se editae subiecta, haec scripserat de

Deum, qui vnus ſemper idemque ſit, non potuiſſe non implere promiſſionem ſemel a ſe factam, neque legem etiam fuiſſe daturum, niſi ea propter Iſraëlitarum peccata opus fuiſſet [5]).

Qui vero argumenti totius, qui cum v. 16. incipit, loci rationem a Paulo nunc haberi exiſtimarunt, hi cum viderent, de promiſſione Abrahamo data, atque lege per Moſen promulgata pendenteque hinc religione cum Iudaica, tum Chriſtiana, nunc ſermonem eſſe, vel comparationem aliquam inter vtramque ab Apoſtolo putarunt inſtitui, et quaenam altera potior ſit atque praeſtantior doceri, vel vtriusque diuerſitatem exponi. Et prioris quidem ſententiae patroni vel promiſſioni nixaeque ea religioni chriſtianae hoc nomine putarunt praeſtantiam aliquam vindicari, quod non opus habuerit μεσίτη, cuius neceſſitas vel in ipſa etiam religione chriſtiana non niſi ex hominum peccatis orta fuiſſet [6]),

---

h. l. ſenſu: *Ein Mittler aber iſt nicht blos einer einzigen Perſon und Parthey; (ſondern bezieht ſich auf zwey Partheyen, die nicht mehr mit einander in dem vorigen guten Vernehmen ſtehen, das Volk hatte ſich durch Abgötterey aller Vortheile beraubt, die es aus jenem Bunde haben konnte, und zeigte, daſs es zu unfähig war, durch ſolche geiſtliche Kenntniſs und Glauben von unſichtbaren Dingen Gott wohlgefällig zu werden: es hatte ſinnliche und ſichtbare Uebungen nöthig, darum wird ihm nun durch Moſen dieſes Geſetz gegeben). Gott aber iſt einer, (auf Seiten Gottes blieb immer ein und dieſelbe Ordnung und Inhalt ſeines Bundes ſtehen, der auf alle Völker ſich erſtrecken ſoll).*

5) Quam viri acutiſſimi mentem vix videtur recte ſatis aſſecutus eſſe *Bonitzius*, dum §. 55. omnia ad legis vilitatem eiusque conſilium, παραβάσεων ſcl. χαριν eam traditam eſſe, comprobandum ab eo referri putavit.

6) Quae Poli nominatim fuit ſententia, cui in *Oper. bibl. Anglic. To. XV. verſ. germ. pag.* 724. haec tribuuntur: *Es ſcheint mir, der Apoſtel erhebe die Verheiſsung über das Geſetz darin, daſs die Verheiſsung dem Abraham mittelbar von Gott, (der einer im Weſen iſt), das Geſetz aber nicht unmittelbar von Gott, ſondern durch Moſen als Mittler, der darin zu einem Vorbilde von Chriſto diente, gegeben war: und Gott hat dadurch gezeigt, daſs das Geſetz niemanden, ohne den einen und einzigen Mittler, Chriſtum Jeſum, zum*

vel e contrario legi, cui per hunc ipſum μεσίτȣ interventum facile videri poſſet auctoritas aliqua atque praerogatiua conciliari, hanc omnem hoc quidem argumento abiudicari, quod omnes μεσίται ab uno eodemque Deo mittantur [7]), vel Moſen ideo dixerunt tanquam inferiorem Chriſto, qui absque alius interuentu cum Deo agere potuiſſet, μεσίτην deſcribi, quoniam legis longe alia futura erat ratio, quam promiſſionis [8]), vel denique hoc tradi exiſtimarunt, promiſſionem lege ideo praeſtiare, quod cum data ſit Abrahamo primo, tum vero etiam a Deo ſummo facta [9]). Ex poſteriori vero

---

Leben und zur Seligkeit bringen würde. Chriſtus iſt in der That der Mittler des neuen Bundes, er hat die Vermittelung um denſelben, er hat ſie in demſelben übernommen: aber es war die Uebertretung des Geſetzes, welche die Menſchen in die Nothwendigkeit brachte, einen Mittler zu haben, (indem die Sünde das einzige iſt, was Trennung zwiſchen Gott und den Menſchen macht). Gott iſt einer, und es wäre keine Vermittelung zwiſchen ihm und den Menſchen nöthig geweſen, wenn es nicht um des Geſetzes willen, das die Menſchen übertreten hatten, nöthig geweſen wäre.

7) Quo quidem modo de conſilio h. l. iudicavit auctor verſionis epiſtolae huius germanicae; cum notis ad modum *Koppii* inſtructae, qui locum hunc ita reddidit: *Mittler aber giebt es nicht bloſs bei dieſer einzigen Geſetzgebung; von einem und demſelben Gott kommen alle Mittler her*, iamque *pag.* 82. in *not.* haec ſubiiecit: *Der Apoſtel wollte alſo bloſs den Gedanken ausdrücken: Es iſt kein Vorzug der Moſaiſchen Religion, einen Mittler zu haben, zugleich will er zeigen, daſs die Moſaiſche und chriſtliche Geſetzgebung deswegen nicht mit einander in Widerſpruch kämen: denn, ſetzt er hinzu, auf den Mittler kommt hier nichts an, weil alle doch von einem Gott kommen.*

8) Quod a *Rooſio* nominatim defenſum eſt, qui hunc verſui noſtro ſenſum ſubiecit: hic interpres, Moſes, non erat vnius interpres, non egit ſine alius interventu cum ipſo Deo, ſed internuncius erat inter angelos et Iſraëlitas, in qua tamen explicatione ſponte intelligitur, poſterius comma, quod ille quidem de Deo immutabili intelligendum eſſe ſtatuit, totum negligi.

9) Quae ſententia et ipſa non niſi vni *I. F. G. Tiſchero* fuit probata, qui locum ita reddendum iudicavit: *hic autem interpres (Moſes) non eſt interpres illius Primi, Deus vero primus interpres eſt*, atque duo commemorari putavit, quae promiſſio prae lege praecipua habeat, alterum quidem, quod promiſſio con-

ſententia, quae non niſi vnum *Mich. Weberum* [10]) fautorem atque defenſorem nacta eſt, id h. l. doceri ſumitur, quanam in re vtraque Abrahami proles religionem vel Iudaicam vel Chriſtianam ſequens, cum differat, tum vero etiam non differat.

Simili denique modo et ii, qui ad vniuerſae epiſtolae conſilium hunc, quem nunc tractamus, locum retulerunt, ad quos pertinere etiam videtur *Schulthefsius*, diuerſas in ſententia ſua adornanda vias inierunt. Cum nimirum probe perſpexiſſent, vniuerſae epiſtolae conſilium huc redire, vt doceatur, Chriſtianos ex gentilibus ortos legis Moſaicae obſeruatione, nominatimque circumciſionis ſubeundae neceſſitate, non amplius teneri, id ipſum hoc etiam verſu ab Apoſtolo ſpectari iudicarunt. Verum in ipſa hac ſententia inde repetenda, varie inter ſe diſceſſerunt. Alii quidem argumentum Pauli inde repeti dixerunt, quod Moſes, legis illius μεσίτης, non fuerit gentilium μεσίτης, ideoque hi non poſſint lege ab illo promulgata teneri, quas partes in vniuerſum quidem ſecuti ſunt *Th. Pylius*, *I. D. Michaelis*, *G. C. B. Moſchius*, *I. A. Schützius* et *I. C. Erbſteinius* *. Cum vero ex hac ratione omnis ar-

---

tigerit Abrahamo, illi Primo, alterum vero, quod legis interpres, Moſes, homo fuerit, promiſſionis vero Deus.

10) Qui eam miſſa illa, quam olim probaverat, recentius propoſuit in *Eclog. II. in epiſt. Pauli min.* (Viteb. 1797.) ubi loci huius ſenſum ita conſtituit: *hic vero interpres (Moſes) non eſt interpres vnius illius poſteritatis, Deum vero utraque Abrahami poſteritas communem habet*; tumque de conſilio eius haec ſcripſit: *Niſi fallitur mens, explicare vult Paulus v. 20. qua ex parte differat utraque Abrahami proles*; σπερμα κατα σαρκα et σπερμα κατα πνευμα, *poſteritas non credens et poſteritas credens, qua vero etiam ex parte non differat. — Differt in interprete, non differt in Deo. Credens Abrahami poſteritas, cui vni promiſſio data eſt* (*coll. v. 9. et 16.*) *Chriſto nititur interprete. — Contra vero poſteritas Abrahami non credens*, σπερμα κατα σαρκα *Moſe nititur interprete. — Quod autem Deum attinet, qui ab utraque poſteritate colitur, nihil eſt diſcriminis. Utraque colit verum Deum. Eſt Deus utrique* σπερματι σαρκικῳ *et* πνευματικῳ *vnus idemque, Deus communis,* θεος εἷς.

gumenti vis eo potissimum niteretur, quod Moses non fuisset gentilium μεσίτης, necesse profecto erat, vt de altero etiam commate, in quo vnitatis Dei mentio sit, cum eo nectendo eique aptando cogitarent, in quo tamen tentando nunc felicius, nunc infelicius sunt versati. Prius quidem de *Pylio*, *Michaele* et *Schützio* valere videtur, qui omnes illud: θεὸς εἷς ἐστι, de eo sunt interpretati, quod Deus vna modo pars sit, licet caeteroquin ipsam scriptoris argumentationem varie constituerint atque enunciauerint [11]); posterius autem in

---

11) *Pylius* nimirum, postquam illam primum loci nostri interpretationem in paraphrasi sua expresserat, cuius fautorem eum in superiori capite pag. 300. laudavimus, haec deinde subiicit: *Oder wenn ihr die Sache in Rücksicht auf die Heidenchristen betrachtet, so ist sie noch deutlicher. Durch den Bund mit dem Abraham wurde dem ganzen menschlichen Geschlechte, allen Nationen des Erdbodens, Begnadigung und Seligkeit verheissen. Die beyden Partheyen bey diesem Bunde waren Gott, der die Verheissung gab, und das* menschliche Geschlecht, *das die Verheissung des Segens empfing. Allein bey dem Israelitischen Bunde auf dem Berge Horeb war es nicht so. Hier befanden sich keine zwey Partheyen.* Gott war die einzige *Parthey die diesen Bund mit eurer Nation insbesondere machte, das ganze menschliche Geschlecht nahm keinen Theil daran, weder an den Ceremonien, noch an den Verheissungen desselben. Und wie könnt ihr also sagen, dass die aus dem Heidenthume bekehrten Christen nicht seelig werden könnten, wenn sie sich den Ceremonien eines Bundes nicht unterwürfen, bey welchem sie niemals eine Parthey ausgemacht, noch jemals Antheil daran genommen haben. Michaelis* vero in paraphrasi huius epist. olim a se edita sensum h. l. his verbis declaraverat: *allein dieses Gesetz kann in Absicht auf die Heiden nichts von dem ehemaligen Bunde Gottes ändern Denn der eine Theil, der zu diesem Bunde gehörte, nämlich die Heiden, hatten Mosen nicht zum Mittler bevollmächtiget, und wussten nicht einmal von ihm: Gott aber selbst ist nur ein Theil, und kann seinen Bund nicht durch einen einseitig bestimmten Mittler ändern*, eodemque etiam redit translatio h. l. quam in integra librorum N. T. versione germ exhibuit his verbis expressam: *Ein Mittler aber wird nicht von Einem, den Vertrag machenden, allein gesetzt. Gott aber ist nur einer. Schützius* denique argumentationem, qua Paulus ipsi vsus esse videbatur, his verbis complexus est, *mediator non est vnius tantum partis, Deus autem vna pars fuit. Ergo in altera parte Israelitae fuerunt. Vnde simul patet, legem ceremonialem Christianis non esse latam, quia hi non fuerunt in altera parte.*

Moschium cadit atque *Erbsteinium*, quorum ille τὸν θεὸν ἕνα de vno eodemque legis et promissionis auctore [12]), hic autem de Deo omnium gentium communi explicauit, licet neutrum horum cum argumento, quod a Paulo nunc tractari volunt, commode cohaerere reperiatur [13]). Multo aptius contra *I. A. Noessel-*

---

12) Loci mente hac quippe versione a se declarata: *Aber dieser Mittler kann und darf keinesweges als der Mittler der einigen und ächten Nachkommenschaft Abrahams, auf welche sich die ihm gegebenen Verheissungen beziehen, angesehen werden. Und so ist auch Gott der einige (Urheber des Gesetzes und der Verheissung).*

13) De quo facile poterit cuilibet persuaderi, si ea legerit, quae ab utroque eam in rem sunt disputata. *Moschius* nimirum ad illustrandam loci versionem a se propositam et cum lectoribus nostris modo communicatam haec subiunxit: *Moses war also, wie die Juden selbst bekennen müssen — damals, als er von Gott so vielerley Gesetze auf dem Berge Sinai empfing, nur allein von ihnen dazu bevollmächtiget, und also eigentlich nur ihr Unterhändler und Stellvertreter. Hingegen kann und darf von ihm nicht gesagt werden, dass er auch zugleich von derjenigen Nachkommenschaft Abrahams, auf welche sich die schon dem Abraham von Gott gegebene und vorhin angeführte Verheissung bezog, bevollmächtiget gewesen, und Mose auch zugleich als der Mittler derselben anzusehen sey. Denn diese waren damals noch gar nicht da: diese konnten also auch Mosen keinesweges zu ihrem Unterhändler mit Gott erwählen, folglich sind auch diese keinesweges an die Beobachtung des von Gott durch Mosen gegebenen Gesetzes gebunden. Und so hat auch eben der Gott, der ehedessen das Gesetz durch Mosen bekannt machte, auch dem Abraham diejenige Verheissung gegeben, in welcher allen Völkern auf eine erfreuliche Begnadigung Hoffnung gemacht wird. Erbsteinius* vero in *Wörterbuch üb. das N. T. II. Bd. 1tes St. 2te Hft. pag.* 12. haec ad h. l. observavit: Der Mittler aber ist nicht eines einigen — *der Mittler, den Gott dabey gebraucht, ist nicht der Mittler des einzigen Saamens, wovon es V.* 16. *heisst: als durch Einen, durch deinen Saamen — sein Gesetz gehet diesen Saamen, diese Nachkommenschaft Abrahams, die an Jesum glaubet, nichts an — diese hat es mit dem Glauben und mit dem Evangelio zu thun.* Gott aber ist einer, — *alle aber haben nur einen Gott, er ist ein Gott der Juden und der Heiden und der Christen, der Gott, der Mosen gesandt, hat auch Jesum gesandt, und kann folglich seine Verheissung erfüllen, wenn er gleich den Juden auf eine Zeit lang ein schweres Joch aufgelegt.* Ex quibus utriusque viri verbis profecto intelligitur, eos ne ipsos quidem posterius comma cum isto argumento nexum iudicasse, sed alio potius id retulisse.

tus, et qui eum poſt ſecutus eſt, *I. G. Roſenmüllerus*, qui et ipſi prius comma de eo intelligendum ſtatuerunt, quod Moſes non fuerit gentilium μεσίτης, Apoſtolum rationes ſuas ita dixerunt conſtruxiſſe, vt ex hoc ipſo, quod per Moſen iis non fuerit proſpectum, colligeret, alia iis opus eſſe ad ſalutem via et alio internuncio, huncque non potuiſſe non iis a Deo, Judaeis et gentibus aeque propitio, mitti atque concedi [14]). Idem tamen iudicium de ſimillima huic *G. I. Pauli* * argumentum hoc conſtituendi ratione [15]) videtur ferendum.

---

14) Cuius argumentationis nexum vterque his verbis declarauit: *Internuncius iſte Moſes vnius Iſraeliticae gentis, ſ. eorum liberorum Abrahami cauſa erat conſtitutus, qui proprie eſſent tales, ſ. ab eo generati; propter alterum genus, h. e. gentium, ſ. fide ſimilium Abrahami, nullo modo. Veruntamen Deus horum quoque Deus eſt, iique ſunt proprie benevolentiam eius conſecuturi vi promiſſionis Abrahamiticae, qua Deus ſe edixit fortunaturum cum Abrahamo gentes quascunque. Itaque cum his non ſit proſpectum per Moſen, alia eſt ad ſalutem via, alio opus internuncio, Chriſto: omnimoque quum Deus Iudaeis et gentibus aeque propitius eſſe velit, ſi quidem fide ſtudeant probari Deo: intelligitur, et carere nos hodie legibus Moſaicis poſſe et legem eam non hactenus datam eſſe, vt eſſet verum ſalutis praeſidium.*

15) Quae in Ei. *Abhandlungen üb. einige wicht. Stellen des N. T. pag.* 231. his ab eo verbis exponitur: *Zwey Sätze konnten die eifrigſten Juden nach ihren heiligen Büchern unmöglich läugnen, noch in Zweifel ziehen. Einmal, daſs die Verheiſsung des Segens durch Chriſtum, die Gott dem Abraham verliehen, eine allgemeine Verheiſsung geweſen, die lange vor der Geſetzgebung durch Moſen bekannt gemacht worden. Hernach daſs das Geſetz Moſis und aller darin verheiſsene Segen das Volk Iſrael ganz allein anging. Und daraus folgte unwiderleglich, daſs wenn jene allgemeine Verheiſsung, welche durch dieſe beſondere nicht aufgehoben, erfüllt werden ſollte, das Judenthum aufhören und eine allgemeine Kirche ſtatt haben muſste. Das Geſetz iſt um der Uebertretungen unſerer Väter willen darzwiſchen gekommen, und dieſs Geſetz ward durch die Engel Gottes und durch den Dienſt eines Mittlers, Moſis, geſtellt.* Dieſer Mittler aber iſt der nicht eines Volkes Mittler nur? *Kann alſo das Geſetz, das durch ihn anbefohlen iſt, alle Menſchen angehen? Sind andere Völker, die Moſes gar nicht bey Gott vertrat, in deren Namen er gar nicht das Halten dieſer Geſetze angelobte, zu dieſem Nationalgeſetz verpflichtet? Der Gott aber, der durch den Saamen Abrahams, durch den Weltheiland allen Völkern den Segen zugeſagt hatte, iſt nur ein Einiger, ſowohl der Juden*

Tum vero fuerunt etiam, qui eandem argumentationem paululum immutarent ſic, vt ſcriptorem propterea negaſſe dicerent, legem Moſaicam Chriſtianis ex gentibus ortis poſſe iniungi, quoniam Moſes non fuiſſet μεσίτης ad omnes gentes pertinens, Deus autem vtique ſit omnium gentium communis Deus, quo quidem modo *P. H. Hanius* [16]) et ignotus quidam * vir doctus [17]) eam conſtituendam iudicarunt. Alii denique idem inde ab Apoſtolo repeti voluerunt, quod Moſis μεσίτȣ nulla amplius vis ſit atque auctoritas, cum ea ad tempus modo valere debuerit. Hanc viam primum ingreſſus eſt *Guil. Fr. Hezelius*, qui duplici huius loci interpretatione in medium propoſita [18]) hoc in eo doceri ſta-

---

als der Heiden Gott! — Die allgemeinen Verheiſsungen, (ſcripſerat hinc *pag.* 214. in eandem ſententiam,) *dieſes einigen Gottes muſsten folglich, da die Zeit erfüllt war, allen Völkern zu gut kommen. Das Evangelium muſste allen Völkern gepredigt werden etc.*

16) Cuius verba huc inprimis pertinentia haec ſunt: *Hier ſchiebt nun der Apoſtel folgenden Beweis ein. Das Moſaiſche Geſetz ſey blos der Iſraelitiſchn Nation gegeben worden, und Moſes ſey keinesweges der Promulgator eines allgemein geltenden Geſetzes geweſen:* (ὁ δὲ μεσίτης ἑνὸς οὐκ ἔστιν.) *Aber Gott ſey ein Gott aller Menſchen. Wie man denn dieſs Geſetz, das nicht allen Menſchen publicirt worden, allen Menſchen könne aufbürden wollen, wie man erwarten könne, daſs Gott nach demſelben alle Menſchen beurtheilen und richten werde, und mit welchem Grunde die Juden alle übrigen Menſchen, welche dieſs Geſetz nicht hätten, oder nicht annehmen wollten, von Gottes Gnade ausſchlieſsen könnten?*

17) Auctor libri ſupra iam *p.* 235. *not.* 10. commemorati: *Neue erläuternde Ueberſetzung. der Epiſt. u. Evang. auf alle Sonn- u. Feſttage etc.* qui *p.* 122. ſenſum h. l. ita παραφράζει: *Dieſe Mittelsperſon Moſes aber iſt nicht der Mittler des ganzen menſchlichen Geſchlechts, (für welches er verbindende Geſetze empfangen hätte), ſondern nur allein der Iuden. Gott hingegen iſt der allgemeine Herr der Iuden und Heiden, der alſo auch noch andere Mittelsperſonen gebrauchen kann, als den Moſe, wenn er andern Völkern Geſetze oder Verheiſsungen geben will. Er kann den Meſſias, er kann andere, er kann Abraham gebrauchen, durch den er ſchon allen Völkern eine Verheiſsung ertheilt hatte, nach v.* 16. *Das Moſaiſche Geſetz gehet alſo allein die Iuden an: nicht alle Völker.*

18) Quarum prima quidem, quam nuperrime in integra etiam

tuit, quanquam lex et religio Mosaica certo tantum tempori fuerit destinata, ea tamen re immutabilitatem Dei minime tolli, indeque hoc colligi voluit, istam Mosaicam religionem nunc quidem, postquam Christiana in eius locum successerit, non amplius esse sequendam[19]). Praeter hunc vero huc referendus etiam est *C. I. Besenbeckius*, qui et ipse h. l. rationem aliquam exponi statuit, quare Christi assecla e non opus habeant, vt Mosaicae legis praeceptis se obstringi patiantur, et ad hanc rem demonstrandam eandem cum *Hezelio*, quoad prius saltem comma, argumentationem scriptori videtur subiecisse, licet paulo obscurius eam declarauerit[20]). Denique eadem de h. l. consilio sententia *I. G. Eich-*

---

libr. N. T. versione germ. secutus est, ita habet: *Dieser Mittler (Mose) aber ist nicht (Mittler) des Gesetzes allein, d. h. nach Gottes Willen sollte es Mose nicht seyn. Mose sollte nicht Mittler oder Stifter einer Religion allein bleiben, d. h. die Mosaische Religion sollte ihrer Absicht nach gar nicht die einzige und ewige Religion der Welt seyn, oder es werden. — Aber Gott bleibt dabey einer und ebenderselbe. — Demohngeachtet bleibt sich Gott gleich. Demohngeachtet kann man nicht sagen, dass Gott dadurch, dass er die Mosaische nur eine Zeitlang gelten und endlich durch die vollkommnere Messianische oder Christliche aufheben liess, Veränderlichkeit zeige.* Ex altera vero, quam tamen illa minus probabilem iudicauit, sensum h. l. etiam sic constitui posse existimauit: *Dieser Mittler der ersten (Religion, der Mosaischen) ist dahin! (Seine Religion gilt nun nichts mehr. Ietzt gilt nur der neue Mittler, und seine Religion, die Christliche.) Und dabey bleibt doch Gott ebenderselbe, (d. i. er widerspricht sich dadurch nicht.)*

19) Hoc enim consilio Apostolum id ex ipsius sententia monuisse, ex iis cognoscitur, quae in *Schriftforsch. 2ten Bd. Istem St. p.* 202. his verbis obseruauit: *Also — was sollte dann noch, wenn der Messias mit seiner Religion da war, die Mosaische, die ja, dem ganzen Plane der Vorsehung nach, nur gleichsam Lückenbüsserin bis auf die Zeit des Messias seyn sollte.*

20) Postquam nimirum prioris commatis mentem iis, quae supra *p.* 242. *not.* 44. recitauimus, verbis declarauerat, de posterioris sensu haec deinde addit: *Deus autem vnus est, h. e. a Deo omnia proficiscuntur, is legem per Mosen instituit, vt Israëlitae legis vi a delictis peccatisque abstraherentur, atque ita Deo placarentur. Is Deus vero, quia omnia efficit, quae nemo mortalium perficere potest, Iesum misit, vt per eum id consequeremur, quod leges Mosaicae praestare nullo modo poterant,*

hornio * haud dubie fuit probata [21]) dum et hic verba loci nostri de eo intelligenda iudicauit, quod Moses quidem non fuerit legis immutabilis μεσίτης, Deus vero vtique sit immutabilis.

Iam vero quanquam post ea, quae in superiori capite de consilio h. l. monuimus, vix opus esse videtur, vt de harum sententiarum pretio iudicium aliquod subiiciamus, nonnulla tamen ea de re adhuc videntur addenda. Si enim recte se habent, quae ibi de verisimillima consilii h. l. definiendi ratione disputauimus, cogitur inde, nullam earum, quas nunc enarrauimus, sententiarum idoneam mentique Pauli consentaneam posse iudicari. Idem vero per se etiam facile poterit intelligi. Quod enim primam attinet, ecquis tandem hoc nunc expectauerit, Paulum promissionis Abrahamo factae vel euentum esse declaraturum, vel eius implendae necessitatem demonstraturum, cum de vtroque nemo, cui de Dei immutabilitate atque constantia vlla ratione fuerit persuasum, vnquam possit dubitare, neque id etiam nunc ageretur, vt eam vel euentum vere habuisse, vel habere saltem debuisse, esset ostendendum, sed id potius a scriptore in quaestionem fuisset vocatum, annon ea per legem serius datam ita fuerit abolita, vt huius potius obseruatio fauoris diuini obtinendi conditio fuisset constituta? quod locum non habuisse vbi fuerat demon-

21) Quantum quidem ex iis licet iudicare, quae nuperrime in Introduct. in libr. N. T *Vol. III. Part. I. p.* 82. de vniuersi loci, qui inde a v. 15. legitur, consilio et mente in hunc modum scripsit: *Da Gott dem Abraham vernünftigen Glauben und nicht das Mosaische Gesetz, das erst 400 Jahre später gegeben worden, zur Bedingung des ihm zu schenkenden Wohlgefallens gemacht habe, so müsse er auch den geistigen Nachkommen Abrahams nicht das Mosaische Gesetz zur Bedingung des ihnen zu schenkenden Wohlgefallens gemacht haben, sondern Glauben. Das Mosaische Gesetz müsse also aufhören: und das konnte auch geschehen, denn Moses sey nicht Mittelsperson von etwas Unveränderlichem gewesen; Gott aber sey unveränderlich, und habe daher nie sein Wohlgefallen an das Mosaische Gesetz binden können, nachdem er es (nach der Geschichte Abrahams) einmal an den Glauben gebunden gehabt habe.*

ſtratum, ſponte ſequebatur, eam adhuc implendam fuiſſe. Multo minus vero vlla legis atque promiſſionis comparatio aut diuerſitatis eius explicatio commodo nunc loco poſita fuiſſet, ſed absque omni potius conſilio adiecta nunc foret iudicanda. Quominus vero nec conſilii vniuerſae epiſtolae in hoc verſu ſcribendo rationem ab Apoſtolo habitam fuiſſe quis exiſtimet, illud videtur impedire, quod cum hoc vniuerſae epiſtolae conſilio omnis illa disputatio, quae a v. 15. incipit et ad finem usque capitis pertinet, arctiſſime nexa eſt. Hac ipſa enim de cauſa hoc nunc declarandum ſibi ſumſit ſcriptor, non fuiſſe promiſſionem Abrahamo factam, cuius v. 8. mentionem iam iniecerat, per legem Moſaicam ſublatam, ſed aliud fuiſſe huius legis conſilium, idque certi tantum temporis neceſſitatibus adſtrictum, vt adpareret inde id, quod v. 14. modo ſubindicauerat, poſſe nimirum et debere nunc τὴν εὐλογίαν τοῦ Ἀβραὰμ εἰς τὰ ἔθνη γενέσθαι ἐν Χριςῷ Ἰησοῦ. Hinc igitur profecto non credibile eſt, Paulum id ipſum noſtro etiam nominatim verſu voluiſſe oſtendere, ſed vero multo propius eſt, huius verſus conſilium cum ſpecialiori potius omnis huius disputationis argumento, aliud nimirum fuiſſe legis et promiſſionis conſilium, cohaerere ſic, vt ex ipſis περιςάσεσι in vtraque obuiis id iam intelligi poſſe declaret.

Verum haec iam de loco iſto, in cuius vero, qui exiſtimandus ſit, ſenſu explorando, noſtro quidem iudicio, propter nimiam eius breuitatem nunquam vltra probabilitatem aliquam progredi licebit, eiusque explicandi diuerſitate disputaſſe ſuffecerit. Putamus enim ex iis, quae de eo ſcripſimus, abunde potuiſſe intelligi, quantum vtilitatis in examinandis diuerſis ſingulorum ſcripturae s. locorum interpretationibus praeſtet interpreti, ſi iſtas interpretationis diuerſitates ad certa quaedam momenta et capita reuocauerit, earumque cauſas et fontes indagauerit, vt de ſingulis ſeparatim deinde poſſit iudicare.

X.

DISSERITUR DE PAULO πρὸ ἐτῶν δεκατεσσάρων ἁρπαγέντι ἕως τρίτε ἐρανȣ̃ καὶ εἰς τὸν παράδεισον AD LOCUM 2 Cor. XII, 1 — 7.

Quo maior eſt cum fatorum, quae Paulus Apoſtolus per muneris ſui apoſtolici decurſum expertus eſt, tum rerum ab illo geſtarum notitiae chronologicae ad ſcripta eius intelligenda ac iudicanda neceſſitas atque vtilitas; eo ſtudioſius circumſpicienda et anquirenda ſunt ipſius potiſſimum ſcriptorum loca, quibus vlla aliqua temporis ad vitae eius momentum aliquod pertinens ſignificatio ineſt, cum non modo pauciſſima nobis ad ſingulorum eius euentuum tempus definiendum adiumenta praeſto ſint, ſed nec vllus alius certiorem ipſo harum rerum ſcientiam habere potuerit. Inter huius autem generis loca nobis praeter alia referendus etiam videtur nobiliſſimus ille 2 Cor. XII, 1 - 7. locus, in quo de ἀποκαλύψεσι, quae ſibi ante hos quatuordecim annos contigerint, exponit, quanquam nobis certe ne vnus quidem [1]) adhuc

Nota editoris. Nouiſſimum hoc exegeticorum b. auctoris ſtudiorum ſpecimen anno 1816. in conſueta aliqua ſolennitate academica editum fuit, cum vltimum decani theologici munere fungeretur.

1) Poſſet quidem *Io Chrſtph. Harenbergius* huc videri referendus, dum, vt ſaltem in inſcriptione illius, qua id facere inſtituit, commentationis profeſſus eſt, tempus, quo ſcripta fue-

innotuit, qui illius hoc respectu rationem habuerit. Quare nos eum hoc nominatim consilio examinare constituimus, vt ad quodnam vitae Paulinae tempus illi quatuordecim anni videantur referendi, potissimum quaeramus, e singulis autem illius verbis atque sententiis, quas, paucis exceptis, nulla magnopere difficultate laborare iudicamus, ea tantum attingamus, quorum illustrandorum per reliquae disputationis opportunitatem occasio nobis suppeditabitur.

Duo vero sunt, ad quae haec omnis disputatio videtur reuocanda esse, primum quidem, *ad quemnam ille ἁρπαγμὸς εἰς τρίτον ἐρανὸν*[2]) *καὶ τὸν παράδεισον pertinuerit, vtrum ad Paulum ipsum, an ad alium quendam?* et tum, *cum quonam alio vitae Paulinae momento ille videatur ita nexus fuisse, vt in idem cum illo tempus incideret, sintque hinc illi quatuordecim anni ad id ipsum etiam referendi.*

De priore autem quaerendi nulla profecto vnquam cogitatio vlli exortura fuisse videtur, nisi Paulo hoc scribendi genere vti placuisset, vt non tam de semet ipse, quam de alio potius loqui videretur, dum v. 2. et 3. scriberet, nosse se *ἄνθρωπον ἐν Χριστῷ ἁρπαγέντα ἕως τρίτου ἐρανοῦ* et *εἰς τὸν παράδεισον*. Attamen vel sic

---

rit haec altera ad Corinthios epistola ex illo Pauli *ἁρπαγμῷ* definire studuit. Est enim illa sic inscripta: *Commentatio de XIV. annis Paulinis ad illustranda loca 2 Cor.* XII, 2. *Gal.* II, 1 *pro definiendo conscriptae alterius ad Corinthios epistolae anno*, extatque in *Biblioth. Bremens. class. VII. p.* 886. *sqq.* Verum qui illam commentationem ipse inspexerit, statim intelliget, eum neutiquam hoc egisse, vt tempus, quo haec epistola scripta sit iudicanda ex illius *ἁρπαγμοῦ* tempore definiret. sed ex illo potius tempore, quo hanc epistolam aliis argumentis ductus scriptam statueret, anno nimirum Christi LV. illius *ἁρπαγμοῦ* tempus constituere studuisse; quod tamen et ipsum ita praestitit, vt aperte Paulo ipsi repugnaret, eumque non XIV. sed XVIII. potius annis ante exaratam hanc epistolam locum habuisse contenderet.

2) Quanquam enim a Paulo ipso scriptum potius est *ἕως τρίτου ἐρανοῦ*, id tamen nihil aliud sibi velle, quam si scriptum esset: *εἰς τρίτον ἐρανὸν*, quemadmodum mox v. 4. diserte dicitur raptus fu-

etiam tam perſpicua ſermoni ipſius indicia ineſſe videbantur, e quibus de nullo alio, quam de ipſo Paulo in iſto ἀνθρώπῳ cogitandum eſſe, patefieret, vt ante ſuperioris ſeculi initia nemini ea de re dubitare ne in mentem quidem veniſſet. Quarto tamen illius ſeculi decennio *Geo. Ludov. Oederus*, nobiliſſimus ille ob plures ſacrarum literarum interpretationes duriores a ſe defenſas Theologus, acutius ceteris verum perſpexiſſe ſibi viſus eſt, dum non Paulum ipſum, ſed alium quendam Chriſtianum ignotum in coelum et paradiſum abreptum, ac Paulo tanquam talem in viſione oſtenſum fuiſſe iudicaret [3]), ideoque nec hanc ſententiam ſuam in peculiari diſſertatiuncula [4]) cum viris doctis communicare dubitauit, nactus tamen mox cum aduerſarium, *Io. Iac. Bosium*, eccleſiaſten quondam in hac vrbe noſtra non ignobilem [5]), tum vero etiam cauſae ſuae defenſorem, filium nimirum, *Georgium Guilielmum*, qui olim iam in diſſertatione illa defendenda Reſpondentis partes ſuſtinuerat, poſt vero in ſimili libello academico [6]) aduerſarii iſtius tela retundere ſtuduit. Quanquam vero is omnem, quem potuerat, lapidem mouerat, vt patris ſententiam, pluribus ſane difficultatibus oppres-

---

iſſe εἰς τὸν παράδεισον, neutiquam vero ſic intelligendum eſſe, ac ſi ad tertii coeli veſtibulum tantum et confinia fuerit abductus, vt ſuſpicatus quondam fuerat *Sim. Episcopius* in *Inſtitut. theol. cap. XI. p.* 91. dudum a ſanioribus interpretibus eſt obſeruatum.

3) Vt adeo, quam Paulo abiudicare velle videbatur ἀποκάλυψιν, eam tamen ex altera parte ipſi iterum vindicaret.

4) *De raptu non Pauli Apoſtoli, ſed alterius cuiusdam in paradiſum, et de palo carni dato, ad 2 Cor. XII,* 1 – 9. *Suobac.* 1737, 4. et poſt in *Animaduerſionibus* ipſius *ſacris* (*Brunsw.* 1747. 8.) *p.* 1. *ſqq.* iterum repetita.

5) Qui aliquot annis poſt edidit diſſertationem ſic inſcriptam: *Paulus in tertium coelum raptus a ſententia Georg. Lud. Oederi vindicatus, ad 2 Cor. XII,* 1 – 4. *Lipſ.* 1740. 4.

6) Gottingae ao. 1742. Praeſide *Io. Matth. Gesnero* defenſo atque ita inſcripto: *de raptu non Pauli in tertium coelum et σκόλοπι τῇ σάρκι 2 Cor. XII,* 1 – 9. 4.

ſam, probabiliorem redderet, aliisque de eius veritate perſuaderet, nullos tamen, exceptis duobus minus notis [7]), ſectatores habuit imo non modo poſt etiam fuerunt, qui eam diſerte improbarent, atque ex profeſſo, vt aiunt, impugnarent [8]), ſed omnes quoque, qui ab eo inde tempore de h. l. diſſeruerunt, vel in eum ſunt commentati, in vulgarem olim omnibusque communem ſententiam iterum abierunt, eamque non antiquitatis vel auctoritatis praeiudicio moti, ſed idoneis, vt ipſi quidem profeſſi ſunt, argumentis ducti, diſerte ſunt ſecuti. Noſtris tamen temporibus iterum extiterunt duumviri doctiſſimi, qui non quidem integram *Oederi* ſententiam recoquerent, at in eo tamen cum illo conſentirent, quod Paulo iſtam ἀποκάλυψιν abiudicarunt, et in ignotum quendam eius diſcipulum eam transferendam cenſuerunt, *Io. Erneſt. Chriſt. Schmidtius* Theologus Gieſſenſis celeberrimus [9]), et *Io. Georg. Frider. Leunius* [10]), hisque alios etiam plures ea in re aſſentiri, vix eſt, quod dubitemus, cum vel his ipſis diebus omnia alia expectantes in duos alios eiusdem ſententiae patronos, neutiquam ſpernendos inque publicam lucem mox prodituros inciderimus. Quare profecto neceſſe eſt, vt, quibusnam cauſſis ducti et nos anti-

---

7) Quorum notitiam debemus *Chſtph. Aug. Heumanno* in: *Erklärung des N. T. Vol. XII. p.* 17.

8) Quibus annumerandus potiſſimum eſt *Io. Georg. Knappius*, Halenſis tum Theologus in *Disput. exegetico-theol. prior. de raptu et cruce Pauli* (*Hal.* 1750. 4.) *p.* 9 – 20. itemque *Disput. poſter.* (*ibid.* 1751.) *adpend. p.* 141. *ſſ.*

9) In *Philologiſch - exeget. Clavis über das N. T. Erſt. Theils erſte Abth. die Briefe an die Römer und Corinthier* (*Gieſſ.* 1795. 8. mai.) *p.* 164. *ſqq.* a quo tamen ea in re diſſentit *Car. Chr. Ludov. Schmidtius*, vt intelligitur ex libro ab vtroque iunctim edito: *Bibliothek für Critik u. Exegeſe des N. T. u. älteſte Chriſtengeſch. Vol. II. Part. I. p.* 639. *ſq.*

10) Qui edidit *Pauli ad Corinthios epiſt. ſecund. graece, perpetua annotatione illuſtrat. Lemgov.* 1894. 8. vbi vid. animaduerſſ. eius ad h. l.

quiorem ſententiam etiamnum tueamur, paulo diligentius exponamus: idque facilius adeo effici poſſe arbitramur, quam alterum, quod ante poſuimus, quanquam et hoc cum conſilio nobis in h. l. tractando propoſito non minus arcte coniunctum et nexum eſt, quam illud. Neque tamen aliis ea in re argumentis vti poterimus, quam quibus alios iam ante nos vſos fuiſſe deprehendimus, cum eorum vis noſtro quidem iudicio etiamnum inuicta perſiſtat.

Primum nimirum nobis commemorandus videtur arctiſſimus vniuerſi loci cum antecedentibus et conſequentibus nexus. Inde enim a Cap. X. id agit Apoſtolus, vt acerbiſſimis aduerſariorum, quos in eccleſia Corinthiaca nactus fuerat, criminationibus de ſe ſparſis occurrat, laudumque eorum praedicationi, qua illi inter Corinthios vſi fuiſſe videntur, ſimilem ſuae dignitatis praedicationem meritorumque ſuorum enarrationem opponat, ſeque iis nulla in re inferiorem, imo parem et vel maiorem adeo eſſe demonſtret. Cum vero minime fugeret ipſum, quam lubrica res ſit et periculi plena, hincque parum etiam conducens, ſuas ipſum laudes praedicare, tam caute in ea re verſatur vt nuspiam amplius quid ſibi vindicet, quam iure poterat, (Cap. X, 12. ſqq.) nec quicquam a vero vlla ex parte alienum ſibi tribuat, magisque in iis haereat, quae non potuerant non moleſta ipſi eſſe atque iniucunda, quam quae honorem aliquem et gloriam ei viderentur conciliare, omninoque ſummae ſimul in iſtis laudibus ſuis exponendis modeſtiae ſtudeat. Ea autem in re eo vsque progreditur, vt diſerte ἀφροσύνην appellet, quod ſuas ipſe laudes canat Corinthiosque identidem roget, vt hanc ἀφροσύνην ſuam patienter ferant, ipſi φρονιμώτεροι ὄντες, (Cap. XI, 19. ſqq.) et ſub finem loci hoc adhuc addat, ſe non niſi coactum ab iis tam inſipienter egiſſe, meliusque ſane futurum fuiſſe, ſi ipſi laudes eius praedicaſſent, quam quod eum ad illas enarrandas impuliſſent,

(Cap. XII, 11.) Ecquis igitur in tali loco, qui totus ad Pauli perſonam pertinet, et in quo illa etiam de ἀποκαλύψεσι, quae ſibi contigerint, ῥήσις, de qua nunc agitur, occurrit, de alio, quam de ipſo vspiam ſermonem eſſe poſſe ſibi perſuadeat? aut ἐκστάσεως, quae non ipſi Paulo, ſed alii potius fuerit oblata, deſcriptionem in huius, ſi vel maxime is eius diſcipulus fuiſſet [11]), honorem quicquam facere poſſe exiſtimet? Quodſi vero quis cum *Oedero* [12]) de eiusmodi ἀποκαλύψεσι nunc ſermonem eſſe ſtatuat, quae Paulo minus honorifica fuiſſet, magisque ad modeſtiam ipſi commendandam, quam animum illi addendum valuiſſet, qui tandem oſtendere poterit, illius commemorationem huius loci conſilio, non dicamus conſentaneam, ſed non prorſus contrariam, planeque repugnantem fuiſſe? Profecto enim perquam incommodum fuiſſet, illius nunc mentionem facere velle, cum Apoſtolo hoc iam agendum eſſet, vt auctoritatem atque dignitatem ſuam aduerſus eiusmodi homines tueretur, qui honori ipſius quouis modo detrahere ſtudebant. Et niſi in illis ἀποκαλύψεσι de eiusmodi reuelationibus cogitaſſet Paulus, quae vtique erant admodum inſignes, et propter quas facillime potuiſſet altiores ſpiritus ſumere, quo tandem modo dicere potuiſſet v. 7. ſibi hoc ipſo conſilio videri σκόλοπα quendam carni quaſi infixum eſſe, angelumque Satanae immiſſum, vt ne illa ὑπερβολῇ τῶν ἀποκαλύψεων [13]) nimium inflaretur, eaque ſuperbiret?

---

11) Quod ſuſpicatus eſt *I. E. C. Schmidtius l. l.* quem ſecutus etiam eſt *Leunius l. l.*

12) Ille nimirum conſilium ἀποκαλύψεως vel viſionis potius, quam Paulo obtigiſſe ſtatuebat, quaque ipſi probus quidam Chriſtianus in tertium coelum abreptus fuiſſet monſtratus, eo ſpectaſſe exiſtimauit, vt perſpiceret inde Paulus, fratrem iſtum ſibi longe fuiſſe antepoſitum et maiore cum Deo familiaritate dignum habitum disceretque hinc modeſte de ſe ſentire; cui tamen ſententiae quam multa quoad rem quoque ipſam obſtent, non male demonſtrauit *Knappius l. l.* §. 12. *p.* 11. *ſq.*

13) Quam tamen ὑπερβολὴν τῶν ἀποκαλύψεων et ipſam aper-

Tum vero ex vniuerſi etiam loci argumento eiusque ſingulis fere ſententiis adparere nobis videtur, de Paulo ipſo, neutiquam vero de alio, in eo ſermonem eſſe, quanquam contrariae ſententiae patroni in his ipſis plura ſibi reperiſſe viſi ſunt, quae ipſorum potius ſententiae faueant, eamque adeo neceſſario admittendam eſſe poſtulent; quae qualia ſint, hoc ipſo argumento exponendo optime poterit demonſtrari. Poſtquam igitur Cap. XI, 30. dixerat Paulus, ſe, ſi quidem oporteat gloriari, nil niſi calamitates et pericula, quae ſubierit, eſſe commemoraturum, iterum incipit Cap. XII. initio ſimili modo declarare, quantopere a gloriandi ſtudio alienus ſit, cum haec ſubicit: καυχᾶσθαι δὴ ἐ συμφέρει μοι. ἐλεύσομαι γὰρ εἰς ὀπτασίας καὶ ἀποκαλύψεις Κυρίε, in quorum verborum ſenſu definiendo interpretibus de nexu eorum, qui vtique paulo difficilior eſt, recte conſtituendo inprimis fuit laborandum. Quod ſi vero ſatis ſana ſunt prioris commatis verba [14]), vix poterunt alio

---

te peruertit *Oederus*, dum eam §. 10. et 11. de fine vel extremo reuelationum interpretatus eſt. Etenim neque haec, quae hic de σκόλοψι et ἀγγέλῳ σατᾶν a Paulo dicuntur, vere ipſi obtigiſſe, ſed et ipſa in viſione tantum ei monſtrata fuiſſe exiſtimauit, ſenſum quippe loci ita conſtituens: *in fine illarum viſionum vltimo quaſi loco obiecta mihi eſt imago aerumnarum grauiſſimarum, quas perpeti deberem in poſterum.* (*Act. IX*, 5. 16.) *Vidi enim in viſione angelum Satanae colaphis me caedentem, ad ſignificandas calamitates varii generis a Satana excitandas. Haec vero omnia in viſione facta, mihique tempore illo oſtenſa ſunt, ne hoſtis Chriſti manerem nec pergerem ſaeuire et inſultare, ſicvt adhuc feceram, in eccleſiam.* At emmuero quam parum haec interpretatio illius ὑπερβολῆς cum loquendi vſu et ſermone contexto poſſit conciliari ipſe *Oederi* filius videtur animaduerſiſſe, hincque is patris interpretationem ita immutare inſtituit, vt poſſet quidem illa ὑπερβολὴ τῶν ἀποκαλύψεων de *excellentia* reuelationum explicari, et tamen illius ſententia ſeruari, de noua quippe reuelatione cogitans, hancque Paulo ſententiam ſubiiciens Diſſert. ſuae §. 25. p. 48 *Neue vlla viſionum praeſtantia efferri poſſem, obtigit mihi non modo ea, quam modo commemoraui, ſed et altera, quae me plane deprimeret, quam nunc ſubtexam* At nec huius ſententiae veſtigia vllus facile in verbis a ſcriptore vſurpatis reperiat.

14) Quod in tanta lectionis, quae circa ea obtinet, varietate

modo explicari, quam quo a pluribus iam [15]) factum esse constat, qui particulam γὰρ pro ἀλλ' ὅμως nunc positam iudicarunt, hincque nexum ac sensum vtriusque commatis hunc esse dixerunt: *quanquam gloriatio nihil mihi prodest, tamen veniendum mihi nunc est ad visiones et reuelationes, quae a Domino mihi sunt oblatae* [16]). Si quis vero nolit concedere, particulae γὰρ hanc vim tribui posse, vt negarunt sane omnes, qui diuersam a nostra de subiecto huius loci sententiam tuiti sunt; poterunt haec verba ex nostra sententia, quae nobis illa priore vtique commendabilior esse videtur, in eiusmodi etiam sensum transferri, ex quo vulgaris illius significatio causalis [17]) seruaretur, ita quidem, vt sententia quaedam a scriptore nunc omissa fuisse dicatur, a qua nexus posterioris commatis cum priore sit suspen-

---

vix quisquam affirmare audeat, ipsosque interpretes agnouisse, diversissima eorum de vera h. l. lectione iudicia luculenter confirmant.

15) Quibus praeter *Lutherum*, quem illorum partibus fauisse, versio eius germanica perspicue prodit, quemque secutus etiam est *Piscator*, annumerandi v. c. sunt *Beza*, *Moshemius*, *Io. Chr. Frid. Schulzius* in *Animadv. ad h. l.* *Car. Lud. Bauerus* in *Philologia Thucydideo - Paul. p.* 158. itemque *Logic. Paul p.* 115. et *Rhetor. Paul. Part. II. p.* 696. *Reichardus* in vers. sua aliique plures, et a quibus nec dissentire mihi videtur *Godofr. Sigism. Iaspis*, dum locum hunc ita reddidit: *Profecto non expedit mihi gloriatio; sed enarrabo nunc visa ac reuelationes, quae a Domino mihi contigere.*

16) Ita enim illas ἀποκαλύψεις Κυρίου nunc intelligendas esse, non minus perspicuum esse arbitramur, quam in isto Κυρίῳ de Christo nunc cogitandum esse, ex v. 8. et 9. recte collegisse nobis videtur *Gablerus* in *Neu. theolog. Journ. Bd. XV. St. I. p.* 16.

17) Quam tamen significationem causalem *Oederus* vterque huic particulae nimis audacter vbique vindicare studuerunt. Id enim qui facere sustineat, is eiusmodi loca, qualia leguntur v. c. Rom. V, 7. Phil. III, 20. Hebr. XIII, 22. all. parum perpenderit necesse est. Attamen illam, quae ipsi ex ea, quam diximus, interpretatione subiicitur, significationem, quaque de eo, quod alteri fit contrarium, illam dici et per *tamen* verti debere defenditur, non posse alio librorum N. T. loco confirmari, nobis vtique concedendum videtur.

ſus [18]), cuius generis omiſſiones in libris N. T. non raro obuenire, dudum eſt ab interpretibus obſeruatum [19]). Poſt priorem nimirum ſententiam: καυχᾶσθαι δὴ ȣ̓ συμφέρει μοι, *gloriari profecto non expedit mihi*, cogitando addendum foret id, quod poſt v. 5. diſerte monet: alioquin vtique poſſem iure meritoque gloriari, iamque proximo commati hic ſenſus [20]) foret ſubiicien-

---

18) Cuius generis quid ſuboluiſſe iam videtur *C. L. Bauero* dum *Rhetor. Paul. l. l.* haec de voce illa ſcriberet: *Hic ſi* enim *cauſſam effert, ſupple: tamen nihilo ſecius gloriabor*, quanquam mox, miſſa hac ſententia, iterum redit ad interpretationem olim iam *ll.* ante *laudd.* a ſe defenſam. Simili vero modo *Schottus* quoque ſententiam aliquam intermediam adiiciendam ſtatuit, loci quippe mentem in verſione ſua ita exponens: *gloriari quidem mihi non conducit;* [*quod libere profiteor;*] *venio quippe nunc ad viſiones et reuelationes, quae a Domino mihi contigerunt.*

19) Qua de re cfrri poſſunt, quae ipſi monuimus in *Elementis Hermeneut. N. T.* §. 63. *not. a.*

20) A quo eodem reperiendo parum abfuiſſe videtur *Seilerus*, dum eum in poſtrema verſionis ſuae germ. librorum N. T. editione ita conſtituit: *Es ziemt ſich nicht, viel von ſich zu rühmen, ſonſt würde ich auch noch der Erſcheinungen und Offenbarungen vom Herrn erwähnen.* Minus commode textuique graeco parum conuenienter eum in verſionis ſuae recentiſſima editione ita declarauit *Stolzius: Denn nun werde ich gar von Erſcheinungen, von Offenbarungen des Herrn reden müſſen;* neque magis eum aſſecutus videtur *Hezelius*, qui his eum verbis enuntiauit: *Doch — was nützet mir* dies *Rühmen all? — Ich komme lieber auf ein merkwürdiges Geſichte, in welchem ſich der Herr mir offenbarte*, a quo non multum receſſit *Io. Babor*, qui locum hunc prius iam in verſione ſua (*Ueberſetz. des N. T. mit erklärenden Anmerkungen. Wien*, 1805. 2. *Bde. mai.* 8.) ita reddiderat: *Indeſſen* bey dieſer Art des *Ruhms zu verweilen, iſt von keinem Nutzen für mich. Ich komme auf die Erſcheinungen und Offenbarungen des Herrn.* Contra vero nexum vtrivsque commatis vel plane non curaſſe, vel ſaltem in verſionibus ſuis non apertius declarare voluiſſe videntur *Chr. Frid. Preissius, W. M. de Wette* atque *Car.* et *Leand. van Eſs.* Prior enim totum verſum germanice ita reddidit: *Das Rühmen ziemt mir nicht; denn jetzt will ich lieber noch von Erſcheinungen und Offenbarungen des Herrn reden.* Alter vero ad literam eum vertit ſic: *Das Rühmen frommet mir freylich nicht; denn ich komme jetzt auf die Geſichte und Offenbarungen des Herrn. Eſsii* denique haec habent in verſione ſua: *Nein, das Rühmen ziemet mir nicht, denn ich werde nun auf Erſcheinungen und Offenbarungen des Herrn kommen.*

dus: *venirem enim*, vel *possem enim ad reuelationes Domini venire.* Neque enim vocabulum ἐλεύσομαι commode satis verti nunc iudicamus per *veniam* aut *venirem*, sed eodem potius modo explicandum esse statuimus, quo mox v. 6. verbum καυχήσομαι, vt post monebimus, dicitur de eo, quod fieri ab aliquo posset. Profecto enim non consulto in istis reuelationibus describendis haeret, sed eas, vt sequentia docent, paucissimis tantum tangit, et v. 6. diserte profitetur, se ab omni eiusmodi gloriatione consulto nunc velle abstinere[21]). Id ipsum vero, quod paucis saltem eas attingendas putauit, ideo haud dubie sibi faciendum persuaserat, vt ne vanitatis argui posset, si eiusmodi quid sibi videretur arrogasse, quod in ipsum plane non conueniret. Hoc igitur consilio ductus pauca tantum exempla quaedam eiusmodi reuelationum commemorat, eaque talia, in quibus iure sibi videbatur quandam ὑπερβολὴν τῶν ἀποκαλύψεων (v. 7.) agnoscere. Vt tamen omnem gloriationis de iis speciem atque suspicionem effugeret, non modo, vt diximus iam, duobus tantum verbis eas commemorat, sed ab omni etiam suae personae mentione in ea re iniicienda abstinet, ideoque eo vsque progreditur, vt de alio potius, quam de semet ipse loqui videatur, dum haec narrare incipit v. 2.: οἶδα ἄνθρωπον ἐν Χριστῷ etc. Attamen vel sic etiam his verbis sat luculenta vestigia impressa esse, quae Apostolum haec omnia de se, non de alio intellecta voluisse, eumque non nisi consulto ἑτεροπροσώπως locutum esse, perspicue monstrent, nos quidem adeo planum esse iudicamus, vt nisi quis ipse oculos sibi occoecauerit, non possit non facile perspicere. Eccur enim si alium, cui tantus honor con-

---

21) Ex qua tamen professione non magis, quam ex v. 1. cum *Oederis* colligi poterit, eum plane noluisse de iis, quae sibi contigissent, exponere, hincque de alio loqui censendum esse. Id enim aperte repugnaret iis, quae cum reuera scripsisse deprehenditur, tum diserte etiam declarauit v. 5. et 6.

tigiſſet, in animo nunc habuiſſet, non ipſum nomen eius commemoraſſet, aut eius perſonam apertiore ſaltem ratione ſignificaſſet, quam illa latiſſimi ambitus adpellatione ἀνθρώπε ἐν Χριςῷ vel hominis Chriſtiani [22])? et cum mox addat, non conſtare ſibi, vtrum iſte homo tum cum corpore ſuo adhuc fuerit coniunctus, an [23]) extra illud verſatus, (εἴτε ἐν σώματι, ὐκ οἶδα· εἴτε ἐκτὸς τȣ̃ σώματος, ὐκ οἶδα· ὁ Θεὸς οἶδεν,) ecquis non in prima illa perſona vocabuli οἶδα perſpicue illum ipſum loquentem audiat, cui haec obtigerant, quique ſui tum tam parum conſcius fuerat [24]), vt vtrum corpore etiamnum fuerit praeditus, an eo per aliquod tem-

---

22) De tali enim nos quidem iſtum ἄνθρωπον ἐν Χριςῷ nunc explicare malimus, quam cum *Storrio (Opuſc. academ. ad interpretat. libr. ſacr. pertin. Vol. II. p.* 254.) de miniſtro Chriſti, cum huius notionis nullum plane adſit nunc indicium. Multo magis tamen a vero aberrauit *Grotius* dum illud ἐν Χριςῷ cum proximis verbis: πρὸ ἐτῶν δεκατεσσάρων in hunc ſenſum iungendum putauit: hominem, qui per annos iam quatuordecim Chriſto ſeruiat. Is enim dici potius debuiſſet: δι' ἐτῶν δεκατεσσάρων ἐν Χριςῷ γενόμενος. Non minus improbanda quoque eſt eorum ratio, qui, vt ſuaſit v. c. *Knappius l. l. p.* 28., illud ἐν Χριςῷ ad praecedens verbum οἶδα referri maluerunt, Paulumque his verbis certiſſimam hac de re perſuaſionem ſuam ſignificare voluiſſe ſtatuerunt. Facilius contra ferri poterit id, quod probatum fuit *Hammondo* et *Lockio* in paraphraſ. ad *h. l.* idemque *Io. Car. Volborthio* in *Animadv.* ad *Zachariae* paraphr. h. l. qui iſtud ἐν Χριςῷ ad verba proxima ἁρπαγέντα ἕως τρίτε ὐρανȣ̃ retulerunt, et *per* Chriſtum vel *ab* illo iſtum ἁρπαγμὸν effectum eſſe eo doceri ſibi perſuaſerunt. Id enim non modo loquendi vſus, ſed ipſa etiam res permittunt. Si enim omnes iſtae ὀπτασίαι et ἀποκαλύψεις, quae Paulo obtigerunt, τȣ̃ Κυρίȣ fuerunt, vt dicitur v. 1. etiam iſte ἁρπαγμὸς ad illum referri poterit atque debebit. Praepoſitionem autem ἐν etiam de cauſa efficiente alicuius rei dici et ſignificare *per*, vix admonitione indiget. Cfr. *Schleusneri Lex. N. T. ſub h. v. n.* 16. Cur vero et quo ſenſu hac hominis chriſtiani adpellatione ſe nunc ſignificauerit Paulus, de eo infra pluribus dicendi locus erit.

23) Per hoc enim *utrum, an* illud duplex εἴτε recte nunc verti, ſcite obſeruauit *Kypkius* in Obſerv. ſacr.

24) Qualem conſcientiae ſui defectum Philo iam τῇ ἀποκαλύψει proprium iudicauit, vt docent loca eius, quae ad hunc ipſum locum commode laudauit *Ad. Frid. Kühnius* in *Spicileg. Obſervatt. ad N. T. e Philone Alex. Loesner.*

pus quasi exutus et qua animum solum aliorsum delatus [25]), definire non amplius valeret, sed vni Deo notum esse iudicaret? vt taceamus disertam quoque temporis, quo ea res euenerat, mentionem (πρὸ ἐτῶν δεκατεσσάρων), quae si de alio hic ageretur, nihil plane ad rem facere poterat, nunc minime fuisse expectandam, optime vero conuenire ei, qui non poterat non temporis, quo tam memorabilis res ipsi contigerat, perpetuam memoriam seruare. Idem vero etiam valet de altera, cuius breuem nunc mentionem iniicit, ὀπτασίᾳ vel ἀποκαλύψει, in cuius descriptione non modo eandem conditionis, qua tum etiam fuerit omni sui conscientia destitutus, significationem repetit, sed, cum quae tum cognouerat auribusque perceperat, verbis quidem ex hominum vsu et consuetudine depromtis plane non posset declarare [26]), et hoc addit, audisse se ἄῤῥητα ῥήματα. Etenim hunc, de quo v. 4. loquitur, ἁρπαγμὸν εἰς τὸν παράδεισον neutiquam, vt plerique statuerunt, eundem cum illo, quem v. 3. paucis attigerat, sed, vt et alii [27]) rectius iam viderunt, ab illo potius

---

25) Id enim haud dubie verbis illis: εἴτε ἐν σώματι, εἴτε ἐκτὸς τοῦ σώματος significare nunc voluit Paulus, hincque iis aperte abusus est Oederus, dum ea Comment. laud. §. 17. et 18. ad mortem illius hominis, qui Paulo in visione tanquam in tertium coelum abreptus fuerit repraesentatus, retulit, iamque hoc ab illo nunc tradi sibi persuasit, nescire se, vtrum Deus istum hominem a mortuis iterum resuscitasset, an vero solam animam eius corpore solutam, figura aliunde adscita, ipsius oculis obtulisset.

26) Id enim aperte significare voluit verbis illis: ἃ οὐκ ἐξὸν ἀνθρώπῳ λαλῆσαι, quae haud dubie inseruiunt explicationi praecedentis: ἄῤῥητα ῥήματα, quibusque Paulum non aliud indicare voluisse, nisi hoc: non posse ea ab homine verbis exponi, esseque adeo ineffabilia, additus ille Datiuus: ἀνθρώπῳ luculenter declarat. Hinc igitur non potuit non vana et inanis esse omnis eorum opera, qui quaenam fuerint illa ἄῤῥητα ῥήματα, definire studuerunt, quod facere e. c. olim instituit *Io. Christ. Genselius* in *Diss. inaug. ad locum Pauli 2 Cor. XII, 4. illustrandum* edita *Lipsi.* 1749. 4. qui ista ἄῤῥητα ῥήματα in patefacta Paulo nominis יהוה ἀῤῥήτου pronunciatione sibi detexisse visus est.

27) A quorum partibus olim iam steterunt *Chrysostomus*,

diuersum esse iudicandum, cum diuersitas loci, ad quem vterque pertinuisse dicitur, postulat, tum vniuersa etiam, qua de illo differit Paulus, ratio probabile reddit. Neque enim illa quidem aetate, qua Iudaeorum de statu post mortem opiniones adhuc obtinebant, quas ipse etiam Iesus in parabola de Lazaro et diuite, itemque in responso, quod latroni in crucem secum affixo dedit Luc. XXIII, 43. aperte secutus est, *paradisus* in coelo, sed orco potius positus et pro illa eius regione habitus est, in qua probi et pii versarentur, contra vero in *coelo tertio* de Dei et angelorum sede cogitasse Iudaeos ab omnibus iam interpretibus dudum est obseruatum; vt adeo iste homo non modo ad Dei consortium admissus, sed in beatorum etiam domicilium translatus fuisse dicatur. Quod vero scriptoris de eo dicendi rationem attinet, cum particula καὶ, qua hic v. 4. tertio ab eo annectitur, tum repetita etiam asseueratio illa, nescire se, vtrum tum corpori adhuc iunctus, an vero ex illo remotus fuerit, haud obscure declarant, eum hunc, de quo nunc dicat, ἁρπαγμὸν vtique ab illo superiore diuersum a lectoribus suis voluisse cogitari. Huius enim asseuerationis repetitione cur opus esse iudicauerit, profecto non posset intelligi, si de vno eodemque ἁρπαγμῷ ipsi nunc sermo esset; quod contra est, si statuamus, meminisse eum, etiam in altero idem locum habuisse.

Postquam vero hoc modo vtrumque istum ἁρπαγμὸν digito magis quasi significauerat Apostolus, quam vnerius descripserat, monet iam v. 5 ff. de his revelationibus se iure meritoque posse gloriari [18]), nisi aliis de

---

Oecumenius atque *Theophylactus*, quos inter recentiores etiam inde ab *Erasmo* plures sunt secuti.

28) Ita enim, vt supra iam monuimus, fuitque etiam dudum a *Grotio* obseruatum, verbum illud καυχήσομαι v. 5. nunc vertendum esse: *possem gloriari*, luculenter docet proximus v. 6. in quo sic pergit: ἐὰν γὰρ θελήσω καυχᾶσθαι, οὐκ ἔσομαι ἄφρων, *si enim* vellem *de illo gloriari, neutiquam possem stultitiae vel*

caufis confultius iudicaret ifta gloriatione prorfus abstinere. Hic vero iam ad eum locum delati fumus, quo qui alius, quam Pauli, ἁρπαγμὸν hic defcribi ſtatuunt, inprimis nituntur, quoque tanquam validiffimo ad fuam fententiam defendendam argumento omnes vtuntur, cum ex illo planiffime adparere affirment, Paulum fe ab illo homine ἁρπαγέντι perfpicue difcernere, eique fe opponere, dum haec fcribat: ὑπὲρ τοῦ τοιούτου καυχήσομαι ὑπὲρ δὲ ἐμαυτοῦ οὐ καυχήσομαι, εἰ μὴ ἐν ταῖς ἀσθενείαις μου. Recte enim monent, illud τοιούτου non, vt multi voluerunt, de re, de qua in duobus praecedentibus verff. fermo fuerat, fed de homine ἁρπαγέντι εἰς τρίτον οὐρανὸν καὶ εἰς παράδεισον effe intelligendum. Id enim non tantum oppofitio τοῦ ἐμαυτοῦ, fed et hoc poftulat, quod v. 2 et 3. eodem pronomine iam vfus fuerat, idque diferte vocabulo ἀνθρώπου iunxerat hoc quidem fenfu, quem et nunc obtinet, vt idem fignificaret, quam τοῦτον, cuius loco ponitur etiam 1 Cor. V, 5. et VII, 28. At enimuero quanquam hoc ambabus iis largiamur, tamen non poffumus in hanc cum iis fententiam abire, vt Paulum de alio, quam de fe, loqui ftatuamus. Cum enim femel hoc dicendi genere vfus effet, vt iftas vifiones et reuelationes alii videretur tribuere, non poterat profecto id, quod in animo nunc habebat,

---

vanitatis accufari. Haec enim nonne aperte declarant, eum in antecedentibus non fimpliciter dicere potuiffe, fe gloriaturum effe, fed fumfiffe tantum, poffe fe gloriari? Hinc vix poterit *Schotti* huius verf. vertendi ratio probari, quae ita habet: *De hac quidem re gloriabor, minime de meis factis, nifi de calamitatibus, quas fuftinui.* Neque melius fenfum eius affecutus eft *Car. Chr. Lud. Schmidtius* in *Biblioth. für Kritik u. Exegefe des N. T. I. l. p.* 640. qui hoc in eo tradi ftatuit: *Blos meiner Schwachheit will ich mich rühmen! Ich rühme mich daher diefer Vifion — weil fie meine Schwachheit beurkundet*, ideoque de illa vifione cogitari voluit, quae Apoftolo in itinere Damafcenico obtigerit, (Act. IX.) fueritque ἀθενείας eius perfpicuum documentum. De tali enim ἀποκαλύψει, quae animum ipfius poffet deprimere, nunc neutiquam cogitauit, imo de eiusmodi potius, cui ipfe v. 7. ὑπερβολὴν aliquam tribuit.

nolle se nunc de se, quoad per istas reuelationes tam eximio honore dignus fuerit habitus, multa praedicare, sed si quid sibi de semet ipsi sit dicendum, se non nisi calamitates, quas subierit [29]), esse commemoraturum, alio modo enunciare, quam quo vere id enunciasse deprehenditur, se non de isto ἁρπαγέντι nunc esse gloriaturum, sed hactenus tantum in suam laudem aliquid de se praedicaturum, quatenus grauissima quaeque fuerit perpessus. Attamen vel hunc etiam ἁρπαγέντα, cuius honores ipsi habitos nolle se dixerat praedicare, non alium esse, quam semet ipsum, potuitne apertius declarare, quam v. 6. et 7. vere ab eo factum videmus? Si enim v. 6. ἐὰν γὰρ, inquit. θελήσω καυχήσασθαι, οὐκ ἔσομαι ἄφρων, de quonam alio καυχήσεως argumento potuit tum cogitare, quam de illo ipso, quod ad τοῦτον τὸν ἁρπαγέντα pertinet? Nam se omnino nolle gloriari, neutiquam professus fuerat, imo se vtique gloriaturum dixerat, attamen non nisi de ἀσθενείαις ἑαυτοῦ. Hinc igitur pergit nunc: si vero etiam de istis ἀποκαλύψεσι vellem gloriari, non essem insipidus iudicandus, quoniam non nisi vera essem dicturus. Verum abstineo, subiicit, ab hac praedicatione, ne quis honorificentius *de me* statuat, quam *mea* vel facta, vel dicta permittunt, φείδομαι δὲ, μὴ τις εἰς ἐμὲ λογίσηται ὑπὲρ ὃ βλέπει με, ἢ ἀκούει τι ἐξ ἐμοῦ. Nonne vero his satis perspicue docet, suam nunc rem agi, nec de alio, quam de se hic sermonem esse? Id ipsum vero multo etiam apertius declarat v. 7. in quo hoc adhuc addit, alio etiam modo iam prospectum esse, quo minus

---

29) Has enim a Paulo vocabulo ἀσθενειῶν nunc significari, neutiquam vero mentis et animi eius infirmitates, vt alii voluerunt, cum ex Cap. anteced. v. 30. coll. v. 25. *ff.* itemque v. 32. et 33. cognoscitur, tum docet etiam huius ipsius Capit. v. 10 in quo eius synonyma ponuntur ὕβρεις, ἀνάγκαι, διώγμοι et στενοχωρίαι, eodemque sensu et alibi dicitur hoc vocabulum v. c. Rom. VIII, 26. Gal. IV, 13.

ista revelationum, quae sibi contigerint, eminentia efferatur, quoque et ipso efficiatur, vt non facile ad eas praedicandas pronus esse possit, eo nimirum, quod quasi palus corpori suo sit infixus, Satanae quippe angelus, qui non patiatur, vt altiores spiritus ob illum honorem sibi habitum sumat, sed se quotidie potius quasi colaphis caedat, animumque suum deprimat, quo quidem haud dubie pertinacissimos illos aduersarios suos, qui ipsi in omnibus fere coetibus, inprimisque Corinthiaco, renitebantur, eumque acerbissimis conuiciis proscindebant et perpetuis criminationibus atque calumniis petebant, quosque *cap. super.* v. 15. adpellaverat iam διακόνους τοῦ σατανᾶ, significare voluit, licet nostri consilii ratio nunc neutiquam ferat, vt hanc sententiam nostram, quam tamen et ipsam cum multis aliis interpretum communem habemus, pluribus exponamus argumentisque muniamus. Nunc enim vnum hoc nobis sufficit, ex his verbis luce clarius intelligi, istas ἀποκαλύψεις, quae in superioribus fuerant commemoratae, ad Paulum, non vero ad alium pertinuisse. Apud quem enim cautum fuisse dicitur, quo minus τῇ ὑπερβολῇ τῶν ἀποκαλύψεων efferretur, huic istas etiam obtigisse, profecto necesse est.

Ita vero profligata iam priore, quam supra proposuimus, quaestione ad alteram nobis nunc est progrediendum, quaerendumque et hoc, cum quonam alio vitae Paulinae momento istae ἀποκαλύψεις videantur fuisse coniunctae, et ad quodnam tempus eae sint referendae. Atque etiam hac de re (de qua tamen multi interpretum ne cogitarunt quidem, nedum accuratius quaesiuerunt,) non vna fuit eademque omnium opinio, imo admodum variae potius sententiae in medium sunt propositae. Alii enim eas ad tempus conuersionis Pauli ad Christum, nominatimque coecitatis ipsius triduum [30]),

30) Quam sententiam praeiuit iam *Thom. Aquinas*, quem

alii ad ipſius commorationem in Arabia [31]), alii ad illam ecſtaſin, quae ei, ipſo narrante Act. XXII. 17. in primo poſt conuerſionem ſuam itinere Hieroſolymitano in templo contigit [32]), alii ad illud tempus, quo una cum Barnaba ad munus Apoſtoli obeundum ab eccleſia Antiochena ablegatus fuiſſe dicitur Act. XIII, 2. 3. [33]), et alii denique ad illam calamitatem retulerunt, quae ipſi iuxta narrationem Lucae Act. XIV, 19. apud Lyſtrenſes accidit, cum lapidibus in eum coniectis tam grauiter fuiſſet vulneratus, vt mortui inſtar humi iaceret [34]); *Sam. Basnagius* vero hunc eius raptum ab omnibus viſionibus a Luca commemoratis diuerſum

---

mox secutus eſt *Nicol. Lyranus*, poſt vero praeter alios inprimis defenderunt *Lud. Capellus in hiſtor. apoſtol. adpend. charact. VI. Critic. Anglican. Vol. VIII. p.* 522. *edit. Amſtelod. Tillemontius* in *Mémoires pour ſervir à l' hiſtoire Eccleſ. des ſix prem. ſiècl. To. I. P. II. p.* 551. *edit. Brux.* Oederus vterque, *C. Chr. L. Schmidtius l. l.* et nuperrime etiam ignotus Auctor commentar. Altenb. (*Bibelcommentar zum Handgebrauch für Prediger, Schullehr. u. Layen, Altenb.* 1799 *ſſ.*) *ad h. l. Vol. VI. p.* 381.

31) In quorum numero praeter *Welſium, Anglum*, inprimis fuerunt *Heumannus* in *Comment. ad h. l. Vol. XII. pag.* 7. et *Laur. Frid. Leutwein* in *Apoſtol. Brief. erklärt aus den Religionsmein. des erſt. Jahrh. Vol. III. p.* 506.

32) Quod cum inprimis defenſum fuiſſet a *Frid. Spanhemio Opp. To. II. p.* 326. poſt inter Anglos probatum etiam fuit *Benſono, Doddridgio* et *Lightfooto Opp. To. II. p.* 799: inter *Germanos* vero *Harenbergio l. l. Io. Iac. Boſio* in *Differt. laud. p.* 38. *Guil. Frid. Hezelio* in Bibl. gloſſ. ad h. l. (*Die Bibel A. u. N. T. mit vollſtänd. erklär. Anmerkung. Vol. IX. p.* 565.) et *Seilero* in recentiſſ. edit. verſion. germ. libr. N. T. *Vol. II. p.* 214.

33) Inter quos nomina ſua inprimis profeſſi ſunt *Io. Pearſonus* in *Ann. Paul. p.* 6. qui et alios popularium ſuorum ſecum conſentientes habuit, itemque *Herm. Witſius* in *Meletem. Leidenſ. p.* 42. et inter *Germanos Ioach. Langius* in *Commentat. de vita et epp. Apoſt. Pauli p.* 48. *Io. Henr. Dan. Moldenhawerus* in *Gründl. Erläuter. der ſchwer. Stellen der Büch. des N. T. Vol. II. p.* 378. et *Sigism. Iac. Baumgarten* in commentar. in vtramque epiſt. ad Corinth. a *Noeſſelto* edit. *p.* 932.

34) Quae *Iac. Vſſerii* nominatim fuit ſententia, nonnullis etiam aliis praeter ipſum probata.

fuiffe, hincque cum nulla earum comparari poffe ftatuit [35]). Quemadmodum vero haec poftcrior fententia quaeftionem a nobis motam plane non dirimit, fed in ambiguo potius relinquit; ita priores eam ita definiunt, vt excepta ea, quam primo loco commemorauimus, nulla earum poffit probari [36]), cum vel nullo plane fundamento nitantur, vel alia fint, quae iis obstent. Etenim Paulo vifionem aliquam aut reuelationem obtigiffe, cum vel in Arabia commoraretur, vel ab ecclefia Antiochena ad munus Apoftoli obeundum in regiones Afiae minoris dimitteretur, vel apud Lyftrenfes lapidibus vsque ad necem fere obrueretur, neque ipfe vnquam narrauit, neque alibi de eo traditum legitur, hincque profecto temere plane et praeter omnem rationem fumitur. Illam vero ecftafin, in quam in templo Hierofolymitano abreptus fuit, ipfe dicit Act. XXII, 18 ff. vnum hoc fpectaffe, vt moneretur, ne Hierofolymis diutius haereret, doctrinaeque chriftianae ibi tradendae frufira operam impenderet, fed ad alienigenas potius gentes abiret, hincque plane non poffe ad hunc noftrum locum referri, fponte intelligitur. Quare profecto vnum hoc relinquitur, vt vel harum, de quibus nunc dicitur, reuelationum nullam alibi mentionem fieri, hincque nec tempus earum vnquam definiri poffe cum *Basnagio* ftatuamus [37]), vel eas fub tempus conuerfionis Pauli ad religionem chriftianam locum habuiffe iudicemus, fi vel maxime nolimus eas cum plerisque huius fententiae defenforibus notiffimo illi coecitatis, qua tum laborauit, triduo ad-

---

35) In *Exercitatt. Anti-Baron. ad an. XLIV. pag.* 695. Idem defendit etiam in *Annal. polit. eccleſ. To. I. p.* 517 *ſſ.*

36) Vnde pleraeque etiam, ne illa quidem, quam diximus modo, excepta, ab aliis iam fuerunt impugnatae atque repudiatae, nominatim a *Basnagio* in *Exercitatt. Anti-Baron. p.* 691 *ſſ.*

37) In quam partem praeter hunc inclinauit etiam *Io. Marckius* in *Syllog. Differtatt. philologico-theolog. in ſelect. quosdam text. N. T. Exercit. XXIV. §.* 8 *p.* 777 *ſſ.*

ſtringere. Huic vero ſententiae quod obstet, in toto loco nihil plane occurrit, imo vero plura in eo reperiuntur, quae eam admodum probabilem reddunt. Primum enim illud iam ipſi favet, quod tempus, quo iſta duplex ἀποκάλυψις ſibi contigerit, tam accurate definit Paulus, vt ante hos quatuordecim annos locum eas habuiſſe defendat. Si enim vllius rei, quae ipſi euenerat, memoriam firmiſſime ipſius animo infixam haeſiſſe credibile eſt, id profecto in hanc tam memorabilem eius converſionem cadit, hincque vel ſingularum etiam eius περιστάσεων tam accurate eum meminiſſe deprehendimus, vt teſtantibus Act. Apoſt. cap. XXII, 6 ſſ. et XXVI, 9 ſſ. quauis occaſione ſibi oblata facili negotio eas poſſet enarrare. Alius vero, quae ipſi obtigerat, reuelationis, ſi vel maxime perquam inſignis fuiſſet, facile potuiſſet memoria ita apud eum obliterari, vt poſt plurium ſaltem annorum interuallum tempus eius non tam accurate amplius definire valeret. Illius autem euentus forſitan ipſi etiam Corinthii tam accuratam notitiam habebant, vt cognito illo quatuordecim annorum numero ſponte in illius cogitationem adducerentur, hincque non opus eſſet, vt accuratius de eo admonerentur. Saltem eum ipſos minime latuiſſe, vel ex priore epiſtola ad eos ſcripta conſtat, in qua quippe Paulus illius mentionem iam injeciſſe deprehenditur Cap. XV, 9. De eodem vero illum et nunc cogitaſſe, ſecundo loco eo etiam probabile redditur, quod non potuit non per inſidiarum, quas in urbe Damaſcenica ſibi olim ſtructas fuiſſe paulo ante (Cap. XI, v. 32 ſq.) dixerat, commemorationem in illius temporis memoriam adduci, eoque ipſo eorum quoque, quae tum euenerant, ita admoneri, vt ex omnibus, quas ſibi per vitae ſuae apoſtolicae tempus obtigiſſe meminerat ἀποκαλύψεις, illas potiſſimum, quibus tum dignus habitus fuerat, quaeque inter ceteras omnes natura ſua et conditione eminebant, nunc commemorandas vel attingendas ſaltem iudicaret. Denique vero neſcimus etiam,

annon illud ipſum ſuae ad Chriſtum conuerſionis tempus eo ſignificare voluerit, quod ſe dicit ἄνθρωπον ἐν χριστῷ. Neque enim nobis perſuadere poſſumus, eum, ſi de ſemet ipſo in his verbis cogitari volebat, (quod propter cauſas in ſuperioribus allatas vtique admittendum cenſemus,) ſimpliciter ſe Chriſtianum nunc fuiſſe adpellaturum, hincque nec Particip. ὄντα, ſed γενόμενον potius [38]) in illis: ἐν χριστῷ ſupplendum iudicamus, iamque ſenſum vniuerſi commatis hunc eſſe arbitramur: *novi hominem, qui cum ad Chriſtum eiusque religionis profeſſionem fuiſſet adductus, ante hos quatuordecim annos in tertium vsque coelum fuit abreptus.* Illo autem tempore Apoſtolum praeter iſtam viſionem, quae ipſi in itinere Damaſcenico in vicinia illius vrbis oblata fuerat, aliis etiam pluribus ὁράμασι gauiſum eſſe, non modo ex iis conſtat, quae leguntur Act. IX, 12. et XXVI, 16. ſed aliunde etiam probabile fit. Si enim vllo vnquam tempore eiusmodi viſionum capax erat, illo potiſſimum fuiſſe cenſendus erit, quo tanta in ſentiendo ac iudicando mutatio locum apud eum habuit, vt non poſſet non animus ipſius in diuerſiſſimas partes trahi, altiusque efferri. Atque ſi tum, vt traditur Act. IX, 16., calamitates et miſeriae, quae ipſum in munere apoſtolico obeundo in poſterum manebant, ipſi iam in anteceſſum ſunt demonſtratae et ob oculos poſitae, iuſtum ſane et aequum erat, vt laetioribus etiam viſionibus, quibus in Dei, vt hic dicitur, conſortium ſibi videbatur admiſſus inque beatorum ſedes translatus, exhilararetur, animusque ipſi ad tanta mala lubenter ſubeunda patienterque ferenda adderetur.

Quae cum ita ſint, nihil profecto impedit, quominus, quae hic narrantur, ad hoc, quod diximus, tem-

---

38) Quod vocabulum hoc eodem ſenſu cum illis ἐν χριστῷ iunctum legitur Rom. XVI, 7., vbi de Andronico et Iunia haec dicit Paulus: οἱ καὶ πρὸ ἐμοῦ γεγόνασιν ἐν χριστῷ.

pus transferamus, ideoque hanc secundam ad Corinthios epistolam decimo quarto post Apostoli ad Christum conversionem anno scriptam fuisse statuamus, si modo haec sententia per alias rationes chronologicas possit admitti cumque iis conciliari [39]). Iam vero si illi quatuordecim anni, qui Gal. II, 1. commemorantur, dicunturque ibi in secundum iter Pauli Hierosolymitanum incidisse, recte se habent, tum sane haec sententia nostra nullo modo ferri potest, cum isti loco aperte aduersetur. Verum si istis quatuordecim annis cum *Ludov. Cappello*, *Guil. Caveo* et *Ioh. Henr. Heinrichsio* quatuor potius anni ibi substituantur, quod vt faciamus, plures sane rationes suadent, tum omnes vitae Pauli apostolicae rationes chronologicae bene sibi constant, multumque iis hoc nostro loco lucis accenditur et non parum firmitatis conciliatur. Id tamen vt pluribus nunc exponamus argumentisque muniamus, cum huius libelli limites neutiquam permittant, alio loco ac tempore vberius a nobis demonstrabitur *).

---

39) Quae enim praeterea huic sententiae ab aliis, nominatim a *Spanhemio*, fuerunt obiecta, tam leuia sunt, vt vix attentione digna sint iudicanda, qua de re non incommode disputauit Oederi filius *Dissert. laud.* §. 19. *p.* 34 *sq.*

*) [Huius etiam nominis ex voto soluendi opportunitate b. auctor mortis iniuria priuatus fuit. *Ed.*]

XI.

BREVIS EXPOSITIO NARRATIONIS PARABOLICAE QUAE EST APUD LUCAM XVI, 1—13.

Quam variae fuerint et diuerſae interpretum de huius narrationis ſenſu et conſilio ſententiae, inter omnes conſtat, atque ex ſingulari *Schreiteri* (meritiſſimi iam in Academia Kilonienſi Theologi) super ea libro prae ceteris, quorum intereſt, cognoſcere poſſunt [1]). Quare, miſſis iam aliorum interpretationibus singulisque ipſius narrationis verbis et commatibus, in quibus explicandis ſatis operae iam ab omnibus commentatoribus poſitum fuit, in eo acquieſcere apud me ſtatui, vt illam de *argumento* et *conſilio* huius parabolae ſententiam idoneis arbritris judicandam proponam, quae mihi a pluribus jam annis inde et facillima et veriſſima viſa fuit, quanquam, quantum equidem ſcio, a nullo interprete

Nota editoris. Pluribus in praefatione iam expoſitum eſt de cauſis, quibus editor commotus fuit, ut academicarum *Keilii* diſſertationum exegeticarum collectioni huic illas etiam addere ſtatuerit, latine quidem redditas, quas ille alio loco germanico ſermone scriptas propoſuit. Atque haec quidem commentatio de oeconomo improbo inſerta ab eo fuit *Analectis* ad iuuandam theologiae exegeticae et dogmaticae ſcientiam ed. a *Car. Aug. Theoph. Keilio* et *Henr. Theoph. Tzſchirnero*, Theol. in Acad. Lips. Profeſſoribus, inde ab anno 1812. Vol. II. Part. II, p. 152—165.

1) *Ioh. Chſtph. Schreiter* hiſtor. critica explicationum parabolae de improbo oeconomo deſcriptio. Lips. 1805. 8.

adhuc propoſita. Hanc vero meam parabolae noſtrae interpretationem ita et explicare et aſſerere animus eſt, vt ad leges hermeneuticas, in compendio Hermeneutices N. T. a me edito, de recta locorum parabolicorum interpretatione ſcriptas, lectores ablegem, huiusque ipſius narrationis exemplo eas ſimul cum illuſtrem tum adeo confirmem.

In hoc igitur, quem tractamus, loco, cum quinis videat, non rem aliquam vere factam, ſed parabolam narrari, decreti vel praecepti alicuius cauſa effictam; omnium primum, iuxta compendii hermeneut. §. 79 *), quaerendum eſt, quidnam illud fuerit, quod Ieſus narranda hac parabola voluerit docere, et in quonam eius conſilium a lectore ſit ponendum. Hunc autem parabolae verum ſcopum, ne lector prorsus ab eo aberret, auctorem ipſum, vti l. l. §. 80 **) monitum eſt, ullo aliquo modo oportet ſignificare; quod etiam vti in omnibus N. T. parabolis, ita in noſtra factum eſſe patet. Ipſe enim Ieſus in ἐπιμυθίῳ, quod dicunt, v. 9. diſertis verbis ab auditoribus, erant autem diſcipuli, poſtulat, vt eidem prudentiae, qua oeconomus, tanquam υἱὸς τοῦ αἰῶνος τούτου, in re ſua gerenda vſus fuerit, quaque υἱοὶ τοῦ φωτὸς plerumque careant, et ipſi ſtudeant, eiusque a ſe adhibitae in adminiſtrandis et vſurpandis opibus et diuitiis ſpecimina edant [2]). In eo igitur Ieſu hanc parabo-

*) [Vid. *Car. Aug. Theoph. Keilii* elementa hermeneutices N. T. latine reddita a *Chriſt. Aug. Godofr. Emmerling*. Lipſ. 1811. 8. vbi p. 122 haec paragraphus ita habet: In his (parabolis) igitur interpres, quantum ad earum explicationem attinet, duo habebit, quibus attendat; *primum*, vt, quaenam iis aut ſententia illustretur, aut depingatur res, indaget; *deinde*, vt conſtitutis parabolae partibus, quae ad rem pictam transferri poſſint, quo in ſingulis cernatur momentum comparandi, recte definiat. — Ed.]

**) [Haec paragraphus l. l. ita legitur: et prius quidem neceſſario ab ipſo ſcriptore interpretando quoquo modo indicatum, aut eiusmodi eſſe debet, vt e nexu loci, in quo obuenit parabola, cognoſci queat; alioquin omnis eius explicatio eſſet arbitraria. Ed.]

2) In verbis enim v. 8: καὶ ἐπῄνεσεν ὁ κύριος τὸν οἰκόνομον τῆς ἀδικίας, ὅτι φρονίμως ἐποίησεν, narrationem ipſam finiri

lam narrantis consilium positum fuit, non vt vniuerse rectum diuitiarum vsum doceret et inculcaret, sed vt prudentiae aliquod genus in diuitiarum humanarum administratione conspicuae monstraret et commendaret. Quod enim hanc praesertim oeconomi prudentiam ad finem narrationis diserte notatam et commendatam reperimus, clarissimo est argumento, huius ipsius prudentiae commendationem primariam totius parabolae causam fuisse. Quanam autem re prudentiae laudem meruerit, eiusque adeo exemplum imitandum iste oeconomus praeiuerit, ex ipsa narratione satis clare patet. Narratur enim hic vir, postquam ab hero suo, falli se suspicato, rationem administrationis ipsi creditae reddere et post munere cedere iussus fuerit [3]), per breve, quo eo adhuc fungi licuerit, tempus sui muneris opportunitate tam prudenter vsus esse, vt futura etiam commoda inde in se redundarent; debitoribus nimirum heri in huius ipsius fraudem ita sibi deuinciendis, vt ab iis, quae ad vitam alendam necessaria forent, impetraturum se in beneficii parum honesti remunerationem sperare posset. Simili ergo cum prudentia Iesus suos cupit versari in vsurpandis huius vitae bonis incertis et fragilibus, ita nimirum iis, dum ipsorum essent, collocandis et administrandis, vt (quod v. 10 — 13 distinctius eloquitur) Deo, cuius vere sint, se gratum facturos, curaeque suae aeterna ab eo praemia accepturos esse confidere possint.

Quae si recte a me disputata sunt, facillime iam

κύριον vero, qui hic commemoratur, patrem familias s. herum ab oeconomo circumuentum, minime vero Iesum significare; in verbis autem statim subsequentibus: ὅτι οἱ υἱοὶ τοῦ αἰῶνος τούτου etc. Iesum *docendi* denuo initium facere, neque vero *narrando* pergere, ex ipsa omnis loci natura elucet, estque diu a praestantissimis interpretibus defensum.

3) Hoc enim vere iuberi oeconomum his verbis: οὐ δυνήσῃ ἔτι οἰκονομεῖν, nemo dubitaverit; quare etiam verba praecedentia: ἀπόδος τὸν λόγον τῆς οἰκονομίας σοῦ, non de reddenda ea ratione intelligi possunt, qua examinanda herus de rumoris ad eum perlati veritate certior fieri voluerit, quod *Preissius* statuisse videtur, sed de ultima et finali, quae dicitur, omnium computatione.

interpres altera officii parte, qualis in compendii hermeneutici §. 81 *) descripta reperitur, poterit fungi, quae nimirum in eo cernitur, vt definiat, quaenam sint narrationis parabolicae partes necessariae, cum summo narrationis consilio vere coniunctae, et qua ratione hae ad rei propositae illustrationem sint adhibendae. Parabolae vero cuiusuis partes omnino illae sunt habendae necessariae, quibus vel prorsus omissis vel certe mutatis omnis parabola nec illustratura nec comprobatura sit eam rem, cuius illustrandae et comprobandae causa ab auctore vsurpata fuit. Iam vero effecisse mihi videor, vniuersam sententiam, quam Iesus proponenda parabola nostra illustrare voluerit, nullam aliam fuisse, nisi hanc: *prudentis est viri, aliquo bono suo, quod breui sibi ereptum iri videt, dum licet, ita in rem suam vti, vt facta etiam illius iactura, vtilitate tamen vlterius inde capienda haud destituatur.*

Hoc autem praeceptum si Iesus voluit narrationis alicuius fictae s. parabolae ope auditoribus commendare, non poterat non ita in ea fingenda versari, vt loquentem et agentem hominem aliquem faceret, cui rei alicuius iactura breui immineret, quique ea ipsa, dum adhuc eam teneret, prudenter in suum commodum vte-

---

*) [Laudata paragraphus haec est: Quod ad posterius pertinet, in parabolis sententiam aliquam illustrantibus necessario aliter erit versandum, quam in iis, vbi res narratae similis depingitur. Scilicet in illis, quando non nisi eae narrationis partes palmariae iudicari debent, quae aut qualemcunque ipsius auctoris habent notationem, aut cum sententia illustranda tam arcte sunt coniunctae, vt ea salua abesse non potuerint; interpres, praetermissis iis, quae ad narrationem ornandam iuuandamque eius probabilitatem addita sunt, illa tantum, quae praecipua esse diximus, ad sententiam depictam accommodare, et, quid iis respondeat, quaerere debet. In parabolis autem historicis, quarum finis in re simili depingenda cernitur, singulae earum partes fere habent, quo referantur, et quod iis respondeat. Inde vt in vtroque narrationum genere comparationis momentum recte definiat, danda ei est opera, et, necubi in monstrando vsu illam iusto latius patere iubeat, sedulo cauendum, quem in finem potiorem quamque narrationis partem ex ea tantum lege metiri debet, quam consilium eius in quoque loco suppeditat. — Ed.]

retur, eo modo, qui a Iesu in praecepto dictus erat et inculcatus. Talis autem omnino est, qui in parabola commemoratur, oeconomus, cui propter perfidiae culpam munere diutius administrando interdicitur, qui vero, antequam haec iactura vere irruebat, perbreue, quod ipsi reliquum erat, tempus muneris sui opportunitate pro suo commodo vtebatur eo modo, quem in parabola narratum legimus. Hae duae igitur res, *imminens boni alicuius iactura, eiusque ante iacturam in futuram utilitatem prudens conversio*, necessariae sunt parabolae propositae partes, cetera vero, quae praeter haec commemorantur, ornatus causa addita sunt, quo plenior et verisimilior narratio redderetur, potuissentque adeo, si Iesu ita visum fuisset, aliter narrari; vnde patet, ea in adplicatione parabolae eiusque vero consilio constituendo non esse respicienda et premenda. Haud igitur quaerendum, quemnam Iesus κυρίου nomine voluerit significare, vel statuendum, sub huius κυρίȣ persona Deum ipsum latere, qui diuitiarum et opum humanarum tamquam verus dominus describatur, eosque hominibus, quasi oeconomis a se constitutis, administrandas et distribuendas tradidisse narretur. Etenim cum Iesu visa esset oeconomi persona praecepto a se illustrando accommodatissima esse, quo tandem modo in enarrandis huius hominis artibus potuisset prorsus nullam heri alicuius mentionem facere, in cuius re familiari gerenda occupatus fuerit? Illud autem quemuis concessurum mihi confido, oeconomi loco cuiuslibet alius etiam conditionis hominem ad praecepti propositi illustrationem potuisse a Iesu excitari, si modo de munere et dignitate breui amittenda periclitantem et de huius commodis in posterum etiam tempus sibi seruandis consilia agitantem fecisset. Oeconomum haud dubie propterea Iesus exempli loco posuit, quod ad rei familiaris peculiique rectam administrationem sententia atque praeceptio illa pertinebat, quam parabolica narratione pro more suo illustrari optime posse statuit.

Neque tamen in hac oeconomi persona necessarium parabolae momentum aliquod esse quaerendum, plura sunt, quae clarissime doceant. Nimirum, vbi de oeconomo narratur, *alius* cuiusdam, non suorum, dicitur bonorum fuisse administrator, vbi autem parabolae vsus exponitur, de *suo ipsorum* peculio regundo auditores admonentur. Porro oeconomus de heri sui reditibus non prudenter augendis, imo perfide minuendis, cogitasse dicitur; prouincia contra, sibi tamquam oeconomo (exigendae etiam debitae hero suo pecuniae constituto) credita, haud parum prudenter callidissima sibique ipsi vtilissima ratione fuisse vsus. Quae vero praeter has supersunt parabolae partes, eas multo luculentius patet ornandae tantum et perficiendae narrationi inseruire, vbi v. c. oeconomus perhibetur, fraudem suam nexuisse hac de causa, quod nec mercenarii more laborando, nec mendici instar stipem petendo, vitam alere voluerit; vbi duo tantum heri debitores, non plures, ab eo in consilii communionem vocati recensentur; atque vbi alterutri eorum omnino ista, quae diserte numeratur, aeris alieni summa, nec maior nec minor aliqua, a fraudulento oeconomo remissa esse refertur.

Verum definitis necessariis parabolae partibus, interpreti, quo prorsus officio satisfaciat, secundum compendii hermeneutici §. 81. iam laudatam, non minus curae adhibendum est, vt tertium comparationis, quod dicunt, recte constituat, caueatque, ne in transferenda et accommodanda ad rem propositam parabola iusti fines migrentur *). Quae quidem cautio in ea, quam tracta-

*) [Haec autem cautio omnino maxime necessaria est, susceptaque eius a *Keilio* diligentior explicatio et commendatio eo pluris aestimanda, quo minus nec ab *Ernestio* nec a *Moro* ea de re quicquam certi definitum fuerat. Ille enim in *Institutione interpretis N. T.* ad calcem P. I. sect. II. cap. IV. vbi de dictione tropica iudicanda et interpretanda disseruerat, vna breui §. 20 omnem de parabolarum interpretatione doctrinam absoluit, huius cautionis nulla prorsus mentione facta; hic vero in *Aeroasibus super Her-*

mus, parabola mirum in modum neglecta fuit; quo factum eſt, vt ea haud pauci, nec ſine ſuo iure, grauiſſime offenſos ſe profiterentur. Horum igitur et aliorum ſimili offenſioni vt occurratur, e. c. ſtatim ad initium narrationis in *verbis heri* tantummodo ad remotionem oeconomi a munere, quae verbis illis iubetur [4]), non ad cauſas illius, quanquam ſimul commemoratas, eſt attendendum reſpiciendumque; cum in hac modo ſubita et inopinata muneris iactura ſimilitudo illa inſit, quam Ieſus ſuos auditores et illum oeconomum intereſſe docere voluit, quippe quibus et ipſis ſuorum bonorum ſimilis iactura quouis die immineat vereque accidere poſſit. Quod vero illius remotionis a munere cauſae ſimul in heri verbis commemorantur, in eo nullo modo eſt haerendum, neque de aliqua perfidiae in adminiſtrandis bonis admiſſae notatione, tanquam cum parabolae conſilio iuncta, cogitandum. Nequaquam enim oeconomum Ieſus ſuos iuſſit tanquam perfidiae in adminiſtrandis ſuis bonis fugiendae exemplum intueri, vel hac ipſorum cum illo ſimilitudine monſtranda eorum animos percellere voluit; ſed fragilitatis tantum et mutabilitatis humanarum opum cupit eos in illius hominis ſubito caſu documentum clariſſimum cernere, cuius vero fragilitatis cauſam prorſus noluit in eo poſitam oſtendere, quod homines haud raro illis perfide vtantur.

Quae ſi recte ſunt obſeruata, non amplius poterit dubitari (vt hoc obiter moneam) de vero verborum

---

meneutica N. T. ab *Eichſtaedtio* editis Vol. I. p. 315 §. XIX, quanquam acutiſſime et copioſe satis de diſtinguendis neceſſariis et non neceſſariis parabolae partibus diſputauit, de recta tamen neceſſariarum ad rem vel illuſtrandam vel depingendam rite transferendarum et cum ea componendarum ratione ne verbulum quidem addidit. — Ed.]

4) De hac enim ſola et ipſe oeconomus ſollicitus fuiſſe dicitur, dum v. 4. narratur ipſe ſecum conſilia agitaſſe, quid ſibi munere exuto iam ſit faciendum: *τί ποιήσω, ὅτι ὁ κύριός μου ἀφαιρεῖται τὴν οἰκονομίαν ἀπ' ἐμοῦ.*

μαμμωνᾶς τῆς ἀδικίας ſenſu, in quo definiendo notum eſt interpretes in duas potiſſimum abire partes, vſu loquendi vtrisque aeque fauente, cum illis, qui incertas et fragiles, tum his, qui male partas et adminiſtratas divitias τῆς ἀδικίας nomine ſtatuunt inſigniri. Etenim de fragilitate et fluctuatione [5]) diuitiarum humanarum Ieſum, iſta phraſi eas inſignientem, procul dubio cogitaſſe, luculentiſſime ex primario omnis parabolae conſilio patet, quod in eo eſt, vt auditores moneantur, bono eo, cuius mutabilitatem et imminentem iacturam ſentiant, prudenter ita vti, vt etiam eo vere erepto commodis tamen inde capiendis haud careant. Neque alium ſenſum illis verbis tribui patitur oppoſitum, ἀληθινός, quod v. 11. legitur [6]). Qui autem τῆς ἀδικίας voce Ieſum contendunt vel improbitatem in parandis, vel perfidiam in adminiſtrandis opibus taxare voluiſſe [7]), hi, quomodo ſuam interpretationem palmario parabolae conſilio eſſe conſentaneam poſſint demonſtrare, plane non video. Neque minus ea pugnat, me iudice, cum eo, quod v. 11. dicitur, ἐν ἀδίκῳ μαμμωνᾷ πιστὸν γενέσθαι, quum, qua tandem ratione in re perfide parata et adminiſtrata fides poſſit probari, vix doceri poſſe videatur; quare ex hoc ipſo commate 11. rectiſſime colligitur, ἄδικον, τῷ μαμμωνᾷ praedicati loco additum, alio ſenſu eſſe intelligen-

---

5) Huius enim notionem τῆς ἀδικίας voci ex vſu loquendi vere ineſſe praeter plures alios praecipue docuerunt *Schreiterus* l. l. p. 174. ſqq. et *Kuinoelius* in Commentar. ad libros N. T. hiſtoricos Vol. II. p. 561.

6) Haud dubie h. l. per τὸ ἀληθινὸν ſignificatur illud, quod *non fallit* fidem, neque deſinit eſſe, quod eſſe debuit. Ita enim Ieſus ratiocinatus eſt: qui ne illo quidem recte vtitur, quod ereptum aliquando ſibi iri certo ſcit, quodque haud raro opinione citius eripi nouit; multo minus dignus iudicari poteſt eo, quod certum eſt et ſemper duraturum.

7) Huius ſententiae acutiſſimum vindicem ſe nuper praeſtitit *C. L. Nitzsch* Theologus in Academia (dum ea fuit.) Vitembergenſi celeberrimus in *Io Fr. Flatti Magaz. fur chriſtliche Dogm. u. Moral.* Part. IV. p. 1. ſqq.

dum, ac in praecedenti v. 10., vbi de ἀδίκῳ aliquo cum ἐν ἐλαχίστῳ tum ἐν πολλῷ, qui τῷ πιστῷ opponitur, ſermo iniicitur; quamquam, recte monentibus *Schreitero* [8]) et *Kuinoelio* [9]), vtraque ſignificatio vocis ἄδικον, in commatibus et 10 et 11, poſtremo ad eundem ſenſum ducit, vt intelligatur nimirum illud, quod *perfidum* eſt et *fallax;* quibus ipſis vocabulis in vertendo vtroque commate aliquis recte vti poſſit, quum non minus, ac homo aliquis, opum etiam *abundantia* haud inepte *fallax* et *perfida* vocetur, quippe frequenter ſubito euaneſcens ideoque nec veram vitae felicitatem parans.

Sed redeamus ad rem propoſitam. Nimirum cavendum porro eſt, ne in transferenda ad vniuerſum praeceptum laudata *oeconomi* prudentia et calliditate nimii fimus finesque transgrediamur. Conſiſtendum omnino eſt interpreti in *prudentia*, atque ea quidem prudentia, quae duraturas ex rebus facile eripiendis amittendisque vtilitates ſibi parare ſtudeat. Hinc ad ſubſidia illa, quibus oeconomus iſte in adhibenda tali prudentia vſus eſſe narratur, in parabolae accommodatione plane non eſt reſpiciendum, quaerendumque aliquid, quod huic parabolae parti reſpondeat. Hoc enim citra comparationis momentum foret, omnisque praeterea ex hac parte oeconomi agendi ratio ita ab honeſtatis legibus aliena reperitur, vt nullo modo imitandam ſuis Ieſus eam propoſuiſſe credi poſſit. Verum ipſe Ieſus ſatis clare ſignificauit, quatenus illius viri prudentiam ſuis exemplo eſſe voluerit, cum diſerte υἱὸν τοῦ αἰῶνος τούτου eum compellet, h. e. hominem ex eorum numero aliquem, qui, neglectis nobilioribus bonis, praeſentis tantum vitae neceſſitatibus et voluptatibus proſpiciant, atque adeo ex his ſolis agendi cauſas ſuſpenſas habeant [10]). Cum igitur

8) l. l. p. 180. ſq.

9) l. l. p. 562. ſq.

10) Malitiam ergo et honeſtatis contemtum patet hac compel-

ſuos monet, vt talium hominum prudentiam, in procuranda reliquae ſuae vitae proſperitate conſpicuam [11]), in ſuis etiam rebus adminiſtrandis imitentur; quomodo praeter hanc ipſam ſolam prudentiam credi poſſit aliud quicquam illis commendaſſe, atque adeo iis, tanquam *υἱοῖς τȣ̃ φωτὸς*, h. e. hominibus iuſti rectique ſtudioſis, permiſiſſe, quid quod iniunxiſſe, vt iisdem, quibus illi, ſubſidiis maxime inhoneſtis et turpibus vtantur? Quae cum ita ſint, quis tandem indignum Ieſu, doctore diuino, cenſeat, quod virum parum honeſte ſentientem et agentem, in eo tamen, quod per ſe ſpectatum nullo modo reprehendi poteſt, imitandum ſuis propoſuerit [12])? Nonne commendanda talis viri imitatione effici debebat, vt eo magis ſentirent, ſimilem ſaltem a ſe in re ſua, tanquam multo digniori, curam adhibendam eſſe, ſummoque ſibi dedecori futurum, ſi ab eius generis hominibus ſuperari ſe paterentur? Neque obſcurius ſuae in docendo

---

latione ſimul ſignificari, cuius quidem notionem voci *αἰὼν* vere ineſſe teſtantur loca Rom. XII, 2. Epheſ. II, 2. et alia; neque hoc aliter in noſtro loco ſe habere, inde recte colligitur, quod *υἱοὶ τȣ φωτὸς* opponuntur, qui non poſſunt alii eſſe, niſi virtutis ſtudioſi, quo eodem ſenſu *φῶς* vſurpatur 1 Ioh. I, 5. 7. vbi *υἱοὶ τȣ̃ φωτὸς* ita deſcribuntur, vt ſint *ἐν τῷ φωτὶ περιπατȣ̃ντες*.

11) De hoc reliquo vitae tempore verba: *εἰς τὴν γενεὰν ἑαυτῶν* h. l. haud dubie explicari debent, cum ceterarum, quae voci *γενεὰ* tribui ſolent, ſignificationum nulla alia commodum ſenſum fundat, praeter eam, qua aetatem, vitae tempus vniuerſe indicat. Hanc enim aperte poſtulat ſententiae oppoſitae ratio, vbi Ieſus ſuos hortatur, vt ipſi, tanquam *υἱοὶ φωτὸς*, aeternae potius poſt mortem felicitatis curam agant, ita locutus: *ποιήσατε ἑαυτοῖς φίλȣς ἐκ τȣ̃ μαμμωνᾶ τῆς ἀδικίας, ἵνα ὅταν ἐκλίπητε, δέξωνται ὑμᾶς εἰς τὰς αἰωνίȣς σκηνάς*. Etenim ad verba *ὅταν ἐκλίπητε* ſupplendum eſſe *τὸν βίον*, vel *τὴν ψυχὴν*, a *Kypkio*, *Kuinoelio* et al. iam ſatis eſt demonſtratum. Secundum vulgarem rationem *εἰς γενεὰν ἑαυτῶν* poſitum eſſe pro *ἐν τῇ γενεᾷ*, et ſignificare dicunt generationem, homines ſimul viuentes, vertuntque: amicos vobis inter veſtri aeui homines comparate; quod quam frigidum omnique loci conſilio parum accommodatum ſit, quisque videt; qua eadem de cauſa haud probabilis eſt eorum ratio, qui *εἰς τὴν γενεὰν* vertunt: *in ſuo genere*, quae inſuper loquendi vſui prorſus eſt contraria, quicquid etiam ad eam defendendam fecerit *I. I. Bauer*, *Beytrag zur Erklärung der Parabel vom ungerechten Haushalter*, Tübing. 1800. p. 8 *ſqq.*

ſapientiae ſpecimen Ieſus eo edidit, quod, cuius in *pietate* omnino grauiſſima atque adeo vnica eſt cauſa, id *prudentiam* potiſſimum moneret poſtulare, vt ex Dei voluntate et praeceptis opibus ſuis vterentur [13])? Optime enim nouerat, diſcipulos nondum ad eum ſanctitatis gradum euectos, vt ad recte pieque faciendum vtilitatis inde ſperandae cogitatione prorſus non egerent, eosque adeo ab his ipſis tenuibus initiis ad altiora ſenſim eſſe perducendos: hinc et ipſe in explicando et inculcando parabolae propoſitae ſenſu et conſilio ſatis clare et grauiter docuit: niſi in vſurpandis ſuis opibus eo, qui Deo placeat, modo, verſati fuerint, nullam plane praemiorum olim ab ipſo [14]) ferendorum ſpem ipſis ſupereſſe, quum,

---

12) Niſi forte quis dixerit, omnino haud licere virtutes illas, quibus etiam mali interdum excellunt, imitandas ſibi ſumere; quod quam ſecus habeat, egregie docuerunt *Reinhardus in orat. ſacris* anno 1801 habitis, Vol II, p. 144. vbi egregie expoſuit de recta ratione vtendi prauorum hominum exemplis. quod idem iam ante eum non minus grauiter fecit *Zollikoferus*, *Orat. ſacr.* Vol. II. p. 310. ſuper hoc ipſo loco commentatus de turpi Chriſtianis hominum tempori ſuo inſeruientium in prudentia praeſtantia.

13) Cfr. *Reinhardus* Syſtem der chriſtlichen Moral Vol. IV. p. 384. et *I. I. Bauer* l. l. p. 30. *ſqq.*

14) Ad Deum enim reſpiciendum eſſe in verbis: ποιήσατε ἑαυτοῖς φίλους, optime nuper, me iudice, euicit *Kuinoelius* l. l. p. 563., nec, vt alii voluerunt, ad homines egenos, beneficiis, dum viuerent, a diuitibus adfectos. Sapientiam enim in diuitiarum vſu adhibendam in hoc certe loco Ieſus minime dixit liberalitate aduerſus miſeros et pauperes maxime fieri conſpicuam, ſed in transferenda ad rem propoſitam parabola vniuerſe locutus eſt de fideli diuinaeque voluntati conſentanea diuitiarum adminiſtratione. Qui igitur hac parabola illam liberalitatem et beneficentiam erga pauperes commendare voluiſſe Ieſum cenſent, profecto illi de conſilio cum vniuerſae parabolae, tum eorum praeſertim, quae oeconomus ad deuinciendos ſibi in ſuam vtilitatem heri debitores inſtituiſſe narratur, perperam iudicant. Haud enim miſericordia ductus oeconomus benefecit heri debitoribus, ipſe potius confeſſus eſt, illorum lucro ſe inſeruiſſe hac ſpe, vt exulem ſe breui futurum in ſuis aedibus ſedem figere paterentur. Similiter Ieſus ſuos iubet, pie vſurpandis fragilibus vitae bonis amicos ſibi parare, apud quos, hac terreſtri vita finita, aeternam ſibi ſciant patere habitationem. Horum autem amicorum nomine et imagine quem alium ſignificauerit Ieſus, quam *Deum ipſum*, quem penes vnum eſt arbitrium aeternarum aedium vel aperiendarum vel claudendarum? Quod autem hic ſum-

qui in adminiſtrandis paruis, fragilibus atque adeo alienis bonis leuitatis culpam tulerint, neque idonei (v. 10.) neque digni (v. 11. 12.) haberi poſſint, quibus grauiora, certiora, et duratura bona adminiſtranda et poſſidenda adeo credantur.

---

mus Deus per τὰς φίλας plurali numero compellatur, eius cauſa procul dubio in verbis antecedentibus eſt quaerenda, vbi oeconomus et ipſe φίλας ſibi paraſſe dicitur. Quanquam, ſi quis tamen in plurali numero haeſerit, rectius etiam ſtatuat, angelos per τὰς φίλας ſignificari, quorum, ſecundum huius ipſius capitis v. 22, ex illorum temporum opinione fuit, mortuorum animas ad ſedem coeleſtem occupandam comitari: quid, quod Ieſus τὰς φίλας commemorando ſui ipſius rationem fortaſſe habuit, cum et ipſe et Apoſtoli clare docuerint, de futura poſt hanc vitam mortuorum ſede decernendi facultatem ipſi a patre eſſe conceſſam. Vtrosque tamen et angelos et Ieſum ex Dei voluntate et praecepto acturos tenendum eſt. Huius enim Dei cogitationem Ieſu, haec dicenti, maxime obuerſatam eſſe, clariſſime docet v. 13, vbi diſerte pronunciat, neminem poſſe τῷ Θεῷ καὶ τῷ μαμμωνᾷ δουλεύειν ſimul, ſed aut huic aut illi eſſe inſeruiendum et ſidendum; quo dicto ſuis omnino hanc legem ſcripſit, vt, quicquid agerent, ex Dei voluntate prorſus penderent, ac in vſurpandis nominatim diuitiis et vitae bonis nil niſi illius mandata ſpectarent, iisque cum obſequio exſequendis gratos ſe illi redderent et acceptos.

XII.

DE DEFINIENDO TEMPORE, QUO SCRIPTA ESSE CENSENDA SIT PAULI EPISTOLA AD GALATAS.

Quanquam in definiendo tempore, quo Pauli epiſtola ad Galatas vere ſcripta putari debeat, in diuerſiſſimas partes abierunt viri docti, qui illius vel argumento explicando vel hiſtoriae ſcrutandae operam dederunt; in

Nota editoris. Huius chronologicae disquiſitionis ſuscipiendae b. *Keilius* duplicem habuit cauſam. Altera quidem in ea disputatione fuit, quam de definiendo Pauli itinere Hieroſolymitano Gal. II, 1. commemorato inſtituerat, (quae ſuperius huic ipſi volumini inſerta reperitur p. 160 - 171.), eam de Pauli itineribus in ea profeſſus ſententiam, qua non poterat non ad nouam plane de epiſtolae ad Galatas tempore iudicandi rationem duci, ab omnium fere interpretum conſuetudine prorſus recedentem. Alteram autem ipſi praebuit *Io Ern. Chriſt. Schmidtius*, Theol. Gieſs. celeberrimus, qui in commentatione de Chronologia in Actis Apoſtolicis obuia, inſerta *Analectis* ſaepius iam laudatis, Vol. III, P. I. in nonnullis ſententiae ab ipſo in illo programmate defenſae contradixit. Hinc, quo oſtenderet, ſe dubitationibus ab hoc auctore motis ad mutandam mentem tamen non potuiſſe compelli, ſuae ſententiae contra illum vindicias ſtatim in appendice adiecto egit l. l. p. 142 - 150. ſimulque pollicitus eſt, ſe alio loco adcuratius de Pauli itineribus eiusdemque ad Galatas epiſtola recte inter ſe componendis eſſe quaeſiturum. Cui promiſſo ſuo breui poſt ſatisfecit, hac ipſa, quam h. l. latine redditam appoſuimus, disquiſitione chronologica, primum edita in *Analectorum* Vol. III. Part. II. p. 55 - 79. Hinc non poterat ea ex hac collectione recte abeſſe, cum alteram vere partem efficiat libelli de itinere Pauli Hieroſolymitano, ſimulque egregium interpretationis hiſtoricae iuſtae ſpecimen contineat.

hoc vno tamen, quantum equidem ſcio, omnes conſenſere [1]), poſteriorem hanc epiſtolam cenſeri debere ſolenni illo Apoſtolorum conuentu, quem Hieroſolymis celebratum eſſe Actor. XV pluribus narratum legamus; in eo tantum diſſentientes, quod alii poſt primam, alii poſt ſecundam aliquam Apoſtoli inter Galatas commorationem hanc ad eos epiſtolam datam eſſe contendant. Qui prius quidem defenderunt, plane deſtituti ſunt argumentis, quibus ſententiam ſuam fulciant, quum omne totius epiſtolae argumentum illam erroris arguat; qui autem poſteriorem rationem praetulerunt, quanquam et ipſi a vero aberraſſe recte dicuntur, aliquam tamen ſui erroris cauſam in vocula πρότερον, quae Cap. IV, 13. legitur, oſtendere potuerunt. Quare omnino mirandum eſt, hanc poſteriorem ſententiam, quanquam haud omni excuſatione carentem, a pauciſſimis tamen [2]) adoptatam eſſe, longeque plurimos noſtro tempore calculum adieciſſe priori, quaſi nulli omnino dubitationi obnoxiae,

---

1) Praeter vnum *Io. Chriſtn. Fiſcherum*, apud Stauſſenſes in Thuringia iam ſacrorum miniſtrum, qui cum in ſcholis meis exegeticis, quibus adſidue interfuit, de itinere Pauli Hieroſolymitano, ad Gal. II, 1. ea disputantem me audiuiſſet, quae ſingulari libello poſt perſecutus ſum, diligentiusque de iis quaeſiuiſſet, ſimiliter in eam ſe vidit ſententiam ductum, vt epiſtolam ad Galatas ante concilium Apoſtolorum Hieroſolymitanum ſcriptam eſſe ſibi perſuaderet; quam ſententiam publice propoſuit in libello, quo *Bonitzio* (auctori libri: Plurimorum de loco Gal. III, 29. interpretum ſententiae examinatae, Lipſ. 1800.) antiſtitis in dioeceſi Longoſaliſenſi honores gratulatus eſt, cuique inſcripſit: *de tempore, quo epiſtola Pauli ad Galatas ſcripta fuerit.* Longoſal. 1808. 4.

2) Tres tantum inter recentiores interpretes huic ſententiae favere reperi: *Haenleinium*, introduct. in libros N. T. Vol. III. p. 407. ed. 2. atque compendii introduct. p. 436. *Hugium*, introduct. in libr. N. T. Vol. II. p. 235. et *Eichhornium* introd. N. T. Vol. III. p. 75. *Heſſius* autem, in hiſtoria et ſcriptis Apoſtolorum Ieſu, quanquam hanc ad Galatas epiſtolam ſuae narrationi eo loco demum inſeruit, vbi de itinere Pauli in illas regiones Act. XVIII, 23. commemorato expoſuit, in recentiſſima tamen huius libri editione Vol. II. p. 301. profeſſus eſt, non omnino ſe negare, quod alii ſtatuant, eam ante hoc iter atque poſt vnam tantum apud Galatas commorationem ſcriptam fuiſſe.

eidemque tamen, me ſaltem iudice, omni veriſimilitudine prorſus vacuae. In hanc autem de vtraque ſententia iudicandi rationem me non temere eſſe delatum, ſed grauiſſimis, vti mihi certe perſuaſum habeo, argumentis fuiſſe adductum, pluribus iam animus eſt et officium lectoribus demonſtrare.

Tria autem potiſſimum fuerunt, quibus non tam inuitatum quam coactum fere me vidi, vt ab vtraque de epiſtolae ad Galatas aetate ſententia, viris doctis adhuc probata, prorſus recederem. Ac *primam* quidem huius ſeceſſionis cauſam mihi reperiſſe viſus ſum in iis, quae Paulum ipſum in noſtrae epiſtolae Cap. I. et II. de rebus poſt ſuum ad Ieſu caſtra acceſſum a ſe geſtis, de locis, vbi ſit commoratus, ac de itineribus praeſertim, quibus Hieroſolyma petierit, narraſſe legimus. De his autem omnibus adcuratius expoſuit, vti ex omni epiſtolae argumento luculenter patet, eo conſilio, vt dubitationes de ſuae inſtitutionis diuina auctoritate ortas remoueret, ceterorumque Apoſtolorum plauſu doctrinam resque a ſe geſtas fuiſſe comprobatas doceret. Cum enim certior factus eſſet, extitiſſe inter Galatas homines, qui ipſum in tradenda Chriſti doctrina, et in impugnanda potiſſimum Moſaicorum praeceptorum et inſtitutorum dignitate, ceterorum Apoſtolorum inſtitutioni prorſus contrariam rationem eſſe ſecutum criminarentur, eiusmodi criminationibus optime ſe occurrere poſſe credidit eo, quod doceret, a Deo ipſo nec ab vllo quouis homine ſe primum accepiſſe, quae tradiderit, eadem vero etiam poſtea, ceteris Apoſtolis a ſe, quam primum eius rei opportunitas ſibi fuiſſet oblata, expoſita et communicata, horum omnium plauſum tuliſſe, fuiſſeque ab illis comprobata. Hoc igitur conſilio ſtatim ab initio epiſtolae Cap. I, 16. ſqq. narrat, ſibi, poſtquam a Deo ad propagandum euangelium vocatus, idque ipſum ab eodem Deo edoctus fuerit, minime neceſſarium viſum fuiſſe, vt Hieroſolyma ſtatim peteret, atque ad

ceteros Apoſtolos de rebus ſuis referret; imo ſe tribus demum annis poſt, in Arabia interim et Damaſci verſatum, in vrbem Hierofolymitanam profectum eſſe, quo Petri de facie noſcendi opportunitatem nanciſceretur; praeter hunc vero et Iacobum in nullius ceterorum Apoſtolorum tunc notitiam veniſſe, cum, vix quindecim diebus praeterlapſis ex vrbe profectus, plures dehinc annos in Syria et Cilicia transegerit. Deinde Cap. II. *alterius* ſuae in vrbe ſancta commorationis, priore paullo longioris, mentionem faciens, narrat, hac vice ſe Apoſtolorum pluribus innotuiſſe atque adeo conſulto adcuratius (v. 2.) iis expoſuiſſe, quid et quomodo doceret; ſimul vero etiam addit, neminem eorum in ſua inſtitutione quicquam vel reprehendendum vel addendum ſtatuiſſe, imo inter ſe et illos ita conueniſſe, vt ipſe gentilium potiſſimum inſtitutioni operam daret, illi vero Iudaeorum praeſertim conuerſioni ſtuderent.

Iam, ſi vere ante epiſtolam ad Galatas ſcriptam tertium etiam Hieroſolyma fuiſſet profectus, quo Apoſtolorum de gentilibus, circumciſione ceterisque ritibus Moſaicis aut liberandis aut onerandis, deliberantium concilio intereſſet, huius tertiae profectionis neceſſario eum oportuiſſet h. l. mentionem iniicere, quum illius concilii Apoſtolici conſilium arctiſſime cum omnis epiſtolae argumento nexum reperiatur, lectoribusque ſtatim ex eiusmodi ſilentio ſuſpicio naſci deberet, conſulto Apoſtolum iſtius itineris commemorationem praetermiſiſſe, quia in illo Apoſtolorum conuentu ſuae inſtitutionis a ceterorum doctrina discrepantia animaduerſa taxataque fuerit. Verum nullum plane extat in epiſtola ad Galatas tertiae huius profectionis veſtigium, quaeque porro narrantur, ad id tantum tempus pertinent, quod tertium illud iter paullulum modo anteceſſit. Quae enim, finita ſecundi itineris Hieroſolymitani enarratione, de ſua cum Petro controuerſia, Antiochiae exorta, addidit, ea, quod inferius pluribus oſtendetur, ante tertiam profectionem

euenisse censenda sunt. Quid ergo? Rectissime ex his omnibus colligitur, tertium illud iter, cum Paulus hanc ad Galatas epistolam exararet, nondum fuisse factum, hancque ipsam epistolam omnino eo tempore scriptam esse, quo in ea ipsa commemorando Paulus de suis rebus narrandi finem fecit, tempore inquam illo, quod fuit medium inter eius cum Petro altercationem et tertiam ad concilium Hierosolymitanum profectionem [3]). De hoc vero ipso itinere tertio nullo plane modo posse intelligi, quae cap. II, 1. 2. nostrae epistolae leguntur: eius rei ampliori demonstratione prorsus nunc supersedere possum, quum ea in libello de definiendo tempore itineris Pauli Hierosolymitani, ante paucos annos a me edito *), in tam clara luce fuerit a me posita, vt haud paucos meae sententiae accessisse videam [4]), sitque praeterea eiusdem rei in hac ipsa commentatione magis etiam confirmandae opportunitas futura.

Alterum enim argumentum, quo commotus epistolam ad Galatas ante concilium Apostolicum scriptam esse credo, in eo ipso est, quod decreti grauissimi, ab Apostolis vnanimi consensu in ista congregatione comprobati, atque adeo ab ipso Paulo eiusque comitibus ad ceteras ecclesias perlati, in hac nostra epistola ne minima quidem facta reperitur mentio; quanquam ea ipsa

---

3) Similiter de hac Pauli ipsius de suis itineribus Hierosolyma factis narratione iudicauit *Griesbachius*, in lection. hermeneut. a *Steinero* edit. p. 139., vbi dicit: *hinc colligimus, Paulum, antequam hanc epistolam scriberet, haud saepius Hierosolyma profectum fuisse, quam ipse narrauit*, cap. I, 17. 18. II, 1.

*) [Quem huic ipsi volumini insertum vid. p. 160 – 171.]

4) Inter quos vnum *Süskindium*, Theol. Tubing. nomino, qui postquam meae sententiae calculum adiecerat, in *Gableri* Journal für auserlesene theol. Literat. Vol. I, p. 2. p. 251. eiusdem adeo vindicias contra *Vogelium*, Theol. Altdorf. egit in commentatione: *Neuer Versuch über chronolog. Standpuncte für die Apostelgeschichte u. für das Leben Jesu* §. 1. quae inserta legitur *E. G. Bengelii* Archiv für die Theol. u. ihre neueste Literatur Vol. I. Part. I. p. 157.

iniicienda omnis illa ſuspicio, cuius amouendae cauſa vniuerſam epiſtolam ab Apoſtolo ſcriptam eſſe patet, facillime ac pleniſſime ſublata fuiſſet. Quod nimirum in hac ſua epiſtola Paulus argumentum tractauit, de eodem in communi illa Apoſtolorum Hieroſolymis congregatorum deliberatione actum fuit, quaeſitumque, num, qui gentiles antea fuiſſent, Ieſu doctrinam profeſſi obſeruandis ritibus Moſaicis, inprimisque circumciſioni eſſent adſtringendi? Apoſtoli vero hac de re doctrinam, iſti Apoſtolorum decreto omnino conſentaneam, quum esſent inter Galatas, qui plane contrariam ceterorum Apoſtolorum inſtitutioni eſſe criminarentur, atque adeo asſererent, ex Apoſtolorum reliquorum mente gentiles etiam ad rituum Iudaicorum communionem eſſe ducendos: quomodo tandem de illius obtrectationis vanitate melius lectoribus perſuadere potuiſſet, quam commemoranda illa ſententia, ab Apoſtolis ſe ipſo praeſente publice lata? Quid quod ne locum quidem habere vllo modo potuiſſet iſta criminatio, ſi Galatae ad Chriſtiana ſacra amplectenda per Paulum in eo demum eius itinere ducti fuiſſent, de quo Act. XVI, 6. exponitur, noſtraque ad ipſos epiſtola breui poſt modo eſſet ſcripta; in qua ſententia recentiorum interpretum multos eſſe video [5]). Hoc enim ſi ſtatueris, neceſſario etiam putandus tibi eſt Paulus, Galatas non minus ac ceteras eccleſias recens conditas ſecundum v. 4. de illo ipſo Apoſtolorum communi decreto edocuiſſe, quo facto plane non intelligitur, qua ratione ab iisdem Galatis, in prima ſtatim inſtitutione a circumciſionis neceſſitate liberatis, adulteratae ceterorum Apoſtolorum doctrinae accuſari potuiſſet? Huius autem adulterationis eum vere poſtulatum fuiſſe, quis dubitet, qui viderit, pluribus epiſtolae

---

5) V. c. *Michaëlem*, *Haenleinium*, *Io. Ern. Chr. Schmidtium*, introd. in N. T. libros hiſtorico - criticae Vol. I. p. 244. ſqq. et al.

locis Apoſtolum de induſtria eius culpam a ſe amolientem? Quis vero etiam non miretur, omnium aliorum argumentorum loco Apoſtolum non ad illud ſolenne decretum prouocaſſe [6]), ſi vere illud communi conſenſu iam antea comprobatum ipſisque Galatis adeo propoſitum fuiſſet? Verum enim vero illud decretum Galatis plane incognitum atque adeo nondum vere editum fuiſſe, cum epiſtola haec ſcriberetur, non ex ſilentio tantum, quo in ea praeteritur, ſed ex vniuerſo etiam eius argumento clariſſime doceri poteſt. Ex hoc enim, ſi adcuratius examinaueris, recte colligitur, Paulum aliquanto liberius ceteris Apoſtolis ſtatuiſſe, finesque illo communi decreto poſitos adeo migraſſe, dum ritus Iudaicos omnes ac ſingulos nullo excepto indignos homine Chriſtiano, atque a quocunque tali prorſus nihili faciendos cenſuerit. Ita enim ipſum cenſuiſſe, non modo iis confirmatur, quae ipſe cap. II, 14. ſqq. ſe Petro oppoſuiſſe retulit, ſed multo luculentius etiam inde patet, quod cap. V, 3. ſq. diſertis verbis edixit, quemcunque, qui circumciſionis neceſſitatem ſibi etiamnum impoſitam credat, ceteris etiam ritibus Moſaicis obſtrictum eſſe habendum; qui autem in his antiquo more continuandis aliquod diuini fauoris conſequendi adminiculum ineſſe ſtatuat, eum vera cum Chriſto coniunctione excidiſſe, (v. 5.), gratiaeque diuinae per illum partae prorſus expertem eſſe redditum. Neque etiam poterat aliter Paulus de ceterorum rituum Moſaicorum dignitate iudicare, poſtquam v. 2. circumciſionem inter Chriſtianos vlterius

6) Haud negari quidem poteſt, nec in aliis epiſtolis, quanquam de eadem re agatur, v. c. in epiſtola ad Coloſſenſes, ad illud decretum Hieroſolymitanum prouocari; ſed fuit haec epiſtola multo ſeriori tempore a Paulo, Romae in vinculis habito, ſcripta, poſtquam illius decreti grauitas aliquantum minor reddita fuit; neque in hac ſcribenda eadem atque in illa vrgebatur Paulus neceſſitate, ſuae doctrinae cum Apoſtolorum inſtitutione conſenſum demonſtrandi; quare in alius generis argumentis pro ſuae diſciplinae veritate afferendis poterat acquieſcere.

exerceri grauissime vetuerat. Hinc vero rectissime dicitur illis etiam interdixisse Christianos ritibus etcere moniis, quibus congregati Hierosolymis Apostoligen tiles Christi doctrinam amplexos decreuerant obstringi *debere*, *τῶν ἐπάναγκες τέτων* Act. XV, 28.

De hac ipsa vero Pauli aduersus rituum Iudaicorum in coetibus Christianis reliquias seueritate cogitanti mihi *tertia* se vltro obtulit causa, quae haud permittere videbatur, vt epistolam ad Galatas *post* solennem illum Apostolorum conuentum demum scriptam esse statuerem. Nimirum nullo modo negari potest, Paulum post illud concilium Hierosolymitanum multo mitiori quam antea circa hanc rem fuisse animo, atque de coniungenda inter se Iudaica et Christiana ratione multo aliter iudicasse, quam in hac ad Galatas epistola eum fecisse legimus. Hanc enim quum scriberet, nulla plane ipsi videbatur circumcisionis Mosaicae in Christianorum etiam sacris adhibitae esse excusatio. Verum breui post illud concilium Timotheum, dilectissimum discipulum, matre quidem Iudaea at patre gentili editum, ipse circumcidi non modo non prohibuit sed adeo iussit et curauit, vti Act. XVI, 3. relatum legimus, quo illarum regionum, quas comitante Timotheo cum maxime peragraturus erat, Iudaeis minus esset offensioni, eosque contra ad se beneuole excipiendum proniores redderet. Quis autem eundem virum, postquam tali modo Iudaeis cessisset, sibi persuadeat scribere potuisse nihilominus ad Galatas, quae cap. V, 2. 3. leguntur, haec: *ἐγὼ Παῦλος λέγω ὑμῖν, ὅτι, ἐὰν περιτέμνησθε, Χριστὸς ὠφὲν ὑμᾶς ὀφελήσει. Μαρτύρομαι δὲ πάλιν παντὶ ἀνθρώπῳ περιτεμνομένῳ, ὅτι, ὀφειλέτης ἐστὶν ὅλον τὸν νόμον ποιῆσαι*? Quis non videat, his verbis quodcunque obsequium praeceptis et ritibus Mosaicis ab homine Christiano praestandum prorsus tolli, atque hac ipsa de causa non potuisse non Paulum grauissime praesentibus ceteris obiurgare (cap. II, 14.) Petrum collegam, quod Antiochiae,

quorundam Iudaeo - Christianorum, Hierosolymis illuc missorum, superstitioni cedens, a consueta, antequam isti adueniſſent, cum Christianis gentilibus familiaritate et conuictu abstinuisset, imo Christi adeo turpiter deserti eum postulare, quoniam, qui semel huic nomen dederit, is omnibus Mosaicis sacris penitus valedixisse solique Deo et Christo suspiciendis et sequendis se obstrinxisse recte censendus sit. Enimuero mirum sane aliter sentiens idem Paulus 1 Cor. IX, 10. ipse laudi sibi ducit, quod Iudaeis Iudaeum, gentilibus gentilem, infirmis infirmum, omninoque cuiuis facilem se et commodum praestiterit, quo, inter quoscunque demum fuisset versatus, aliquos certe ad salutem perduceret; cuius accommodationis exemplum valde memorabile Lucas Act. XXI, 20. sqq. memoriae tradidit. Ita autem statuentem et agentem Apostolum quis neget a se ipso haud parum differre, indeque clarissime elucere, nostram ad Galatas epistolam ei tempori esse tribuendam, quo illius animus ira quadam aduersus paterna sacra, nuperrime a se reprobata, eoque vehementiori recentis doctrinae super illa quouis modo laudibus et factis extollendae studio arderet, necdum ceterorum Apostolorum admonitionibus suoque ipsius vsu eo esset adductus, vt mitius agendum esse statueret, atque omnino intelligeret, arduam hanc a se coeptam rem non tam vi et impetu quam sapienti patientia et lenitate optime geri?

Iam vero recte quaeritur, num vere ante concilium Apostolicum fieri *potuerit*, vt epistola ad Galatas daretur? De hoc autem equidem nullus dubito, cum nihil sit, quod impediat, quo minus Galatas non eo demum, quod Act. XVI, 6. commemoratur, tempore, sed illo potius ad Christiana sacra transiisse statuamus, (vti plures revera statuisse iam reperio [7]), cuius Act. XIV, 6.

---

7) In primis *Koppium* in prolegom. ad hanc epistol. p. 8. adit. 2., quem secutus est *Haenleinius* l. l. p. 397. 407.

facta eſt mentio, ita quidem, vt Paulus et Barnabas, poſtquam Iconio lapidibus fugati disceſſerint, dicantur in vrbes Lycaoniae, Lyſtram puta, Derben, et τὴν περίχωρον, ſe contuliſſe ibique Chriſtianam doctrinam proieſſi fuiſſe, κἀκεῖ ἦσαν εὐαγγελιζόμενοι. Hanc enim περίχωρον haud incommode ad Galatiam, Lycaoniae nimirum confinem, quanquam multi dubitarunt [8]), equidem credo referri non modo poſſe, ſed adeo oportere, ſi locum Act. XVI, 6. adcuratius examinaueris. Scilicet narratur hic Paulus comite adiuncto Timotheo Aſiae minoris regiones denuo peragraſſe, hoc potiſſimum (cf. cap. XV, 26.) conſilio, vt coetus Chriſtianos ibi iam antea conditos reuiſeret, atque in fide Chriſto data confirmaret. Hinc peragrata primum Syria et Cilicia, cap. XV, 41. Derben et Lyſtram petiit, coetibusque ibi iam florentibus de communi Apoſtolorum decreto Hieroſolymitano expoſuit. His autem peractis in Phrygiam et Galatiam ſe conuertit, ad proconſularem adeo Aſiam, vti videtur, perrecturus euangeliumque docturus, indeque Bithyniam porro transiturus, niſi, πνεύματι Ἰησοῦ κωλυθεὶς τὸν λόγον λαλῆσαι ἐν τῇ Ἀσίᾳ, ab hac profectione animum auertiſſet. Quis quaeſo in hac narratione vel minimum veſtigium doctrinae Chriſtianae prima vice apud Galatas propoſitae reperiat, quum diſerte Paulus in hoc itinere a propagando per Aſiam euangelio prorſus abſtinere et in confirmandis iam conditis (inter quas

---

8) Has dubitationes mouerunt praecipue *Hugius* l. l. p. 236. et *Eichhornius* l. l. p. 73. qui quidem hoc maxime vrget, vniverſam prouinciam nullo modo dici poſſe aliquarum vrbium τὴν περίχωρον, ſed ſignificari potius hoc nomine oppidula aliqua, iſtis celebrioribus vrbibus vicina. (cfr. p. 29.) Verum nulla eſt cauſa, qua cogatur lector τὴν περίχωρον ad iſtas duas vrbes, Lyſtram et Derben, referre, cum eodem iure poſſit in ea voce ad omnem Lycaoniam reſpici, cuius nomen proxime antecedit, et ad quam iſtae vrbes pertinuiſſe diſerte dicuntur, πόλεις τῆς Λυκαονίας. Quis demum pauca oppidula vel vicos τῆς περιχώρου nomine inſigniuerit? Praeterea hac voce in omnibus ceteris N. T. locis conſtanter *regio circumiecta* ſignificatur.

Galatenſis etiam fuit) eccleſiis conſiſtere debuiſſe, nouarum vero condendarum in Graecia demum opportunitatem denuo nactus eſſe tradatur [9])? Hinc patet, nec Galatas in hoc demum itinere a Paulo ad Chriſtiana ſacra adductos narrari, ſed concedendum eſt potius, eorum conuerſionem aut cap. XIV, 6. aut nusquam in Actis Apoſtolicis commemoratam eſſe. Ubi enim cap. XVIII, 23. Apoſtolus iterum dicitur in Galatia et Phrygia eſſe verſatus, diſertis verbis adiicitur, confirmandorum (non primum inſtituendorum) in fide chriſtianorum cauſa illum adfuiſſe. Quodſi vero cap. XVI, 6. non de prima, ſed de altera quadam Pauli in illis terris commoratione vel peregrinatione exponi certum eſt: haud dubie epiſtola ad Galatas, quae ſuperſtes eſt: iam ante hoc alterum ad eos iter ſcripta eſſe putanda eſt.

Omne enim huius epiſtolae argumentum clariſſime docet, breui poſt Galatarum ad ſacra Chriſtiana transitum Paulique ab illis disceſſum tempore eam exaratam

---

9) *Io. Ern. Chr. Schmidtius* quidem l. l. afferuit, Paulum in hoc itinere inter Galatas *plane non* docuiſſe, ideoque pugnare hunc locum dixit cum iis, quae Act. XVIII, 23. commemorentur, vbi diſertis verbis Paulus dicatur Chriſtianos per Phrygiam et Galatiam ſparſos in fide confirmaſſe, vnde recte colligatur, maturius iam eos fuiſſe doctrinam Chriſtianam edoctos. Verum tunc quidem Apoſtolum *inter Galatas* docuiſſe haud diſerte negatur Act. XVI, 6., ſed in Aſia tantum (quam proconſularem haud dubie fuiſſe optime notauit *Eichhornius* l. l.), Myſia et Bithynia dicitur, quo minus publice doceret, prohibitus fuiſſe: *διελθόντες δε τὴν Φρυγίαν καὶ Γαλατικὴν χώραν, κωλυθέντες ὑπὸ τοῦ ἁγίου πνεύματος λαλῆσαι τὸν λόγον ἐν τῇ Ἀσίᾳ* etc. Neque magis etiam h. l. Lucas putari poteſt narraſſe (quod tamen ab eo factum alio loco idem *Schmidtius* contendit), in hoc ipſo itinere euangelium *primum* inter Galatas a Paulo fuiſſe praedicatum; ſumma potius breuitas, qua in commemorando Apoſtoli per Phrygiam et Galatiam itinere vtitur, haud obſcure ſignificat, in his terris non opus fuiſſe ſingulari doctrinae Chriſtianae expoſitione, quum ea iam antea facta fuerit, eaque ipſa de cauſa feſtinantius Paulum per eas profectum, vt alibi, quo nondum penetrauerat, Euangelium doceret, *λαλεῖν τὸν λόγον*. Quod tamen, quo minus facere poſſet, prohibitus fuit *διὰ τοῦ ἁγίου πνεύματος*.

fuiſſe, poſtquam nuncius Apoſtolo allatus fuiſſet, poſt ipſius abitum extitiſſe doctores falſarios, qui Galatis de circumciſionis aliorumque rituum Iudaicorum obſeruatione, Chriſtianis etiam neceſſaria perſuadere ſtuderent; neque ullum eſt argumentum, quo recte doceri poſſit, Apoſtolum ante epiſtolam ſcriptam *bis* inter Galatas fuiſſe commoratum. Fuerunt quidem haud pauci, qui tale argumentum ſibi reperiſſe viderentur in vocula πρότερον, qua Paulum vſum fuiſſe legerent cap. IV, 13. οἶδατε ὅτι δι᾽ ἀσθένειαν τῆς σαρκὸς εὐηγγελισάμην ὑμῖν τὸ πρότερον, quamque contenderent ad aliud quoddam δεύτερον εὐαγγελίζεσθαι reſpicere iubere. Sed parum recte hoc poſtulant, quum illud πρότερον frequenter in N. T. libris ita adhibitum reperiatur, vt nullo modo pro numerico habendum, et δεύτερον quoddam et τρίτον illi ſit iungendum, sed ſimpliciter ſignificet *antea*, *alias*, *quondam* v. c. Ioh. IX, 8. 1 Timoth. I, 13. Hebr. X, 32. 1 Petr. I, 14. Quanquam autem veriſſime hoc moneri ſcio, ipſe tamen perſuaſum mihi habeo, in hoc noſtro loco πρότερον omnino numerice eſſe intelligendum, atque adeo *primum* ſignificare; verum illud dico, in verbis, πρότερον (*prima vice*) εὐαγγελίζεσθαι, non ineſſe ſignificationem *ſecundae* alicuius inſtitutionis, a praeſente Apoſtolo ipſo ſusceptae, ſed primam illam modo dici propter alteram *in hac ipſa epiſtola* repetitam, quam ſtatim poſt v. 19. tropice ita deſcribit, vt dicat: οὓς πάλιν ὠδίνω (nimirum cum maxime ad vos ſcribens), ἄχρις οὗ χριστὸς μορφωθῇ ἐν ὑμῖν. Quae quidem ipſa oratio egregie docere videtur, inter hanc ad Galatas epiſtolam primamque ipſorum a Paulo praeſente factam inſtitutionem, (qua ex conſueta Apoſtoli dicendi ratione ipſius quaſi filii ſint redditi) nullum aliud eius cum illis interfuiſſe commercium; quod ſi vere locum habuiſſet, vix potuiſſet Apoſtolus his potiſſimum verbis vti. Sed breui tantum poſt Galatarum converſionem tempore praeterlapſo ſuam ad eos epiſtolam

miſiſſe Paulum, omnium luculentiſſime ex Cap. I, 6. patet, vbi inconſtantiae ab Apoſtolo accuſantur his verbis: θαυμάζω, ὅτι οὕτω ταχέως μετατίθεσθε ἀπὸ τοῦ καλέσαντος ὑμᾶς ἐν χάριτι εἰς ἕτερον εὐαγγέλιον. Hic nimirum in verbis οὕτω ταχέως perperam permulti ſtatuerunt ad aliquam Apoſtoli breui antea praeſentis inter Galatas commorationem reſpici; huius enim nulla plane nec in hoc nec in ullo alio epiſtolae loco mentio facta eſt. Referenda potius ſunt iſta verba ad vocationem (τὸ καλεῖσθαι) Galatarum, paulo antea factam, mirarique ſe magnopere dicit Apoſtolus, quod vixdum prima Chriſtianae doctrinae ſcientia imbuti paſſi ſint ad peruerſam ſtatuendi rationem ſe abripi. Alioquin enim non intelligitur, cur τοῦ καλέσαντος eos commoneſecerit, praetereaque patet, ſi a prima inſtitutione, vsque ad errores iam inter eos graſſantes, longius tempus fuiſſet praeterlapſum, eum haud dubie ſcripturum tantum fuiſſe: μετατίθεσθε ἀπὸ τοῦ εὐαγγελίου τοῦ χριστοῦ εἰς ἕτερον. Ex quibus omnibus ſi recte colligitur, breui modo poſt factum coetus Chriſtiani inter Galatas initium Apoſtolique ex ipſorum regione in alias urbes abitum extitiſſe errores in hac epiſtola taxatos et impugnatos: haud ita longe a vero aberrare mihi videor, cum *in illo ipſo primo Pauli itinere*, ad propagandam Chriſtianam doctrinam facto, atque *ante ipſius reditum* in Antiochenam vrbem, Act. XIV, 26. commemoratum, hanc noſtram epiſtolam ad Galatas ſcriptam fuiſſe contendo. Quae quidem mea ſententia eo praeterea confirmatur, quod non modo initio epiſtolae vniuerſe tantum commemorantur Chriſtiani tunc temporis cum Apoſtolo verſantes, οἱ σὺν ἐμοὶ πάντες ἀδελφοί, nullius eorum nomine adiecto, sed in calce etiam ſalutationes ſingulorum coetuum et Chriſtianorum, in ceteris Pauli epiſtolis vbique obuiae, prorſus deſiderantur [10]). Quare maneo in eo,

10) Hac ipſa de cauſa non poſſum a me impetrare, vt in

quod ſupra dixi, *epiſtolam ad Galatas ante concilium Apoſtolorum Hieroſolymitanum, Act. XV commemoratum, eſſe ſcriptam.*

Quod ſi recte a me poſitum et demonſtratum eſt, quiuis huius epiſtolae lector vltro concedere debebit, Cap. II, 1. nullo modo de illo Apoſtoli itinere poſſe explicari, quo Hieroſolyma ſe contulerit, vt ſolenni Apoſtolorum conuentui intereſſet. Verum ſunt praeter hoc vnum duo alia grauiora, quibus haec mea ſententia lucis aliquid affundere videtur. Prorſus nimirum ea conſpirat cum antiquiſſimo, ſi quidem Marcionis [11]) canoni fides habenda, eccleſiae iudicio, quo Pauli epiſtola ad Galatas omnium prima declarata fuit. Quod quidem iudicium recentioribus temporibus *Michaëli* etiam probatum fuit, quanquam paulo ſerius, ac mihi veriſimile viſum eſt, eam ſcriptam eſſe contendit, quoniam Galatarum ad Chriſtiana ſacra acceſſum poſt celebratum demum concilium Hieroſolymitanum eueniſſe ſtatuit. Quod etiamſi conceſſeris, nihilominus tamen huic epiſtolae primus inter ceteras locus eſt aſſignandus. Galatas enim Chriſto nomen demum dediſſe *poſt* Pauli in Aſia minori commorationem et hinc in Graeciam transitum, nemo vnquam dixerit. Quum autem certo

---

Fiſcheri ſententia ſim, qui l. in nota 1. laudato dicit, epiſtolam ad Galatas haud dubie ab Apoſtolo eo tempore fuiſſe ſcriptam, quo ſecundum Act. XIV, 28. Antiochiae commoratus fuerit. Etenim ſi ex hac urbe data eſſet epiſtola, procul dubio, pro more conſueto, Apoſtolus coetus Antiocheni ſalutationes ad finem adjecturus, aut certe ad initium v. 2. adcuratius vel patriae vel muneris vel alius cuiusdam ipſorum conditionis ſignificatione definiturus fuiſſet, quinam vere eſſent illi Chriſtiani, quos vniuerſe compellat οἱ σὺν ἐμοὶ πάντες ἀδελφοί. Hinc mihi quidem multo veriſimilius videtur, epiſtolam in itinere ipſo eſſe exaratam, poſtquam Apoſtolus, fortaſſe dum Lyſtrae et Iconii verſaretur, de iis certior factus eſſet, quae cum maxime inter Galatas a ſuae diſciplinae adverſariis docerentur et fierent.

11) cf. *Michaëlis* introd. in libros N. T. Vol. II. §. 173. p. 1193. edit. recent. et *Semleri* Prolegom. in epiſt. ad Gal. §. 2.

conſtet, epiſtolas ad Theſſalonicenſes Corintho miſſas ceteris omnibus haud dubie eſſe priores; quomodo tandem in epiſtola ad Galatas, ſi ſerius illis duabus ſcripta fuiſſet, tanto temporis ſpatio interiecto, Paulus eos obiurgare potuiſſet, quod οὕτω ταχέως poſt acceptam doctrinae Chriſtianae cognitionem in erroneas de ea opiniones delapſi eſſent [12])? Si qui vero ex mea ſententia Galatarum inſtitutionem, epiſtolamque adeo ad eos ſcriptam, priorem eſſe conuentu Apoſtolorum Hieroſolymitano ſtatuerint; hi quidem hac ipſa ſententia profitenda omnium Pauli, quae aetatem tulerunt, epiſtolarum eam antiquiſſimam declarant. De anno autem ipſo, quo ſcripta putanda ſit, certi quid definiri tunc demum poterit, cum, quo anno Paulus ipſe Chriſto ſe dederit, atque adeo reliquae, quarum in hac epiſtola ipſe mentionem fecit, vitae eius viciſſitudines euenerint, certa ratione demonſtratum fuerit. In quibus quidem definiendis quomodo, me quidem iudice, recte verſandum ſit, id adcuratius docendi opportunitatem alio loco me nacturum ſpero, vbi de adornanda vitae Paulinae chronologia pluribus exponere conſtitui *).

Hinc ad alterum illud pergo, cuius in mea de epiſtola ad Galatas ſententia dixi momentum aliquod ineſſe; quod quidem ad lectionis varietatem, in verbis Cap. II, 5: οἷς οὐδὲ πρὸς ὥραν εἴξαμεν, obuiam, pertinet, in quibus οἷς οὐδὲ ab aliis tanquam genuinum defenditur, ab aliis veluti ſpurium notatur; quanquam recte penſitatis argumentis internis et externis, quae vtraque ſat multa et grauia ſunt, vix videtur diutius horum verborum auctoritas in dubitationem vocari

---

12) Hinc et *Michaëlis* ipſe eodem anno ſcriptam eſſe vult epiſtolam, quo ex ſua ſententia Galatae Chriſtianis acceſſiſſent, atque adeo in ipſo itinere, quo Theſſalonicam ſe contuliſſet, ab Apoſtolo fuiſſe exaratam.

*) Valde dolendum eſt, hoc b. *K.* per mortem non licuiſſe.

posse [13]). Illorum autem argumentorum grauitatem et vim haud parum adiuuari et augeri per ea credo, quae de vero huius epistolae tempore a me disputata sunt. Nimirum, si Paulus de fide Christiana et ritibus Iudaicis nullo modo inter se conciliandis vere ita statuit, vti eum omnino statuisse ex totius epistolae argumento aliisque causis docuisse mihi videor; quo tandem modo credatur ipse narrasse, cessisse se παρεισάκτοις ψευδαδέλφοις πρὸς ὥραν, Titum circumcidendum esse flagitantibus [14])? Hoc enim si vere fecit atque a se factum ipse adeo narrauit, qui tandem a se impetrare potuerit, vt paucis commatibus interiectis in eodem capite iterum ipse narraret, paulo post Petrum a se coram coetu grauiter fuisse taxatum et vituperatum, quod in re multo leuiori, in convictu cum gentilibus, quo antea vsus fuerat, recusando, indigna Christiano doctore cum leuitate Iudaeis obsecutus fuerit? Vel quomodo eo audaciae progredi potuerit, vt, admissa Titi circumcisione, Galatis tamen vehementissime ea interdiceret, atque adeo Cap. V, 2 sq. profiteretur, qui-

---

13) Quod ipsum *I. E. Chr. Schmidtius* aduersus *Koppium* breuiter quidem, sed luculentissime, defendit in bibliotheca crit. et exeget. N. T. cum antiquiss. eccles. Christ. histor. Vol. II, Part. 3. p. 449.

14) In Titi enim circumcisione recusanda, non autem in denegata decreti Apostolorum Hierosolymitani approbatione, vti *Michaëlis*, *Zachariae* et al. statuerunt, repugnasse Apostolum illis ψευδαδέλφοις, vix videtur alicui dubium esse posse, quum illius decreti nulla prorsus h. l. mentio fiat, de Titi autem circumcisione postulata disertis verbis dicatur, et super ea etiam hoc addatur, illos ψευδαδέλφους Christianos libertate sua voluisse exuere et in pristinam seruitutem redigere, καταδουλῶσαι, h. e. ritibus Mosaicis denuo obseruandis adstringere. Non enim intelligitur, quanam alia re isti homines inter ea, quae tunc quidem acta esse narrantur, illud ipsorum consilium prodiderint, nisi flagitanda ipsa Titi circumcisione. Hinc etiam verba v. 3: οὐδὲ Τίτος ἠναγκάσθη περιτεμνηθῆναι, me quidem iudice, non ita sunt vertenda: *Titus non coactus fuit, vt circumcisionem pateretur*, sed in hunc potius modum: *non passus sum, Titum ad circumcisionem adigi;* de qua ipsa versione pluribus iam alio tempore a me disputatum fuit in *Gablerii* Iourn. für auserles. theol. Liter. Vol. III, Part. I, p. 21.

cunque e gentilibus ad Chriſtiana ſacra admotus circumcidi ſe paſſus fuerit, illum Iudaeum eſſe redditum, non Chriſtianum, vniuerſae legi Moſaicae obnoxium, veraque cum Chriſto coniunctione prorſus indignum? Quare quemadmodum eo iam tempore, quo talia defenderet et ſcriberet, nullo modo credi poteſt Timothei circumciſionem vel curaſſe vel toleraſſe, vti supra docui; ita neque in Titi libertate ab illo ritu defendenda aduerſariis inferiorem eum fuiſſe veriſimile eſt [15]). Nonne hoc modo prorſus contraria docens et agens maximae inconſtantiae ſummo iure accusandus fuiſſet?

Valde autem memorabile eſt, iam tum, cum altera vice Apoſtolus Hieroſolymis praeſens adeſſet, comitis eius diſcipulique, iuuenis praeputiati, circumciſionem tam acriter fuiſſe flagitatam. Patet enim inde, doctorum, rituum Iudaicorum neceſſitatem tuentium, magnam fuiſſe et auctoritatem et multitudinem, qui multas crearent Paulo moleſtias, criminationibus Galatarum mentes haud parum conturbarent, tandemque Antiochiae in impugnanda Chriſtiana libertate ab ipſo defenſa eo progrederentur, vt coetus in ea vrbe proceres nonniſi Apoſtolorum ipſorum arbitrio tanti ponderis quaeſtionem rite ſolui poſſe cenſerent. Aegerrime enim tulerant Pauli aduerſus ſe conſtantiam in recuſanda circumciſione Titi, qui haud dubie primus nominis Chriſtiani cultor circumciſione haud notatus Hieroſolymis adfuit; poſt de eiusdem Pauli in vituperando Petro propter vitae communis aliquam rem leuiorem vehementia per Chriſtianos Hieroſolymitanos, τινὰς ἀπὸ Ἰακώβου, Gal. II, 12.

---

15) Quod tamen idem Apoſtolus, paulo poſt, Timotheum vere circumcidi non modo tolerauit, sed ipſe adeo curauit, in eo mihi quidem videtur dubitationis de verborum οἷς οὐδὲ auctoritate apud multos exortae graniſſima et vera cauſa quaerenda eſſe. Veriti enim theologi Chriſtiani, vt inconſtantiae parum ipſo dignae Paulus iure accuſaretur, ſi, quod alio tempore vetuiſſet, ipſe poſtea iuſſiſſet, verba οἷς οὐδὲ eliminanda potius cenſuerunt, quo in Titi et Timothei rebus Apoſtolus ſemper idem fuiſſe reperiretur.

certiores redditi fuerant; quid, quod, postremo comperarant, integros adeo coetus a Paulo in Galatia fuisse ex hominibus gentilibus ita conditos, vt circumcisionis ceterorumque rituum Mosaicorum ab illis tenendorum ne mentio quidem vlla fieret. Quod non amplius sibi ferendum rati quouis modo istos coetus meliora docere atque ea ipsa de causa eo adducere studuerunt, ut Paulum a ceterorum Apostolorum institutione prorsus recedere sibi persuaderent. Et initio quidem satis felici in hoc consilio exsequendo vsi sunt successu, vsque dum per Apostoli epistolam ad Galatas datam illo exciderunt. Quo facto haud dubitarunt, Antiochiam ipsam, vbi Paulum cum maxime versari nouerant, petere, ipsoque audiente palam docere: ἐὰν μὴ περιτέμνησθε, οὐ δύνασθε σωθῆναι, Act. XV, 1. Cui ipsorum doctrinae quanquam Paulus vna cum Barnaba fortissime repugnauit, tam pertinaciter tamen ei inhaeserunt, vt ad litem componendam summa et communi Apostolorum ipsorum auctoritate opus fieret. Ad hos igitur legati Hierosolyma sunt missi, in quibus Paulo et Barnabae primus honos fuit.

XIII.

ARGUMENTORUM PRO HISTORICAE INTERPRETATIONIS VERITATE BREVIS REPETITIO EIUSQUE ADVERSUS VARIORUM DUBITATIONES VINDICIAE VLTIMAE.

PRAEFATIO EDITORIS.

Redactis iam in vnum corpus ſpeciminibus, quibus b. Keilius interpretationis hiſtoricae cauſam, cui agendae tempus et vires conſecrauerat, commendare et promouere ſtuduit, illorum editori a ſui inſtituti conſilio haud alienum viſum eſt, curare, vt ad calcem monumentum aliquod eorum etiam poneretur, quae illi pro defendendo et propugnando iſto interpretationis genere ſuscipienda fuerunt. Pro communi enim hominum et literarum ſorte haud aliter fieri potuit, quam vt ſuae rationis varios aduerſarios nanciſceretur, exiſterentque inter viros doctos, qui hiſtoricae interpretationis, ab eo tanquam vnice verae et

iuſtae laudatae, dignitatem impugnarent. Ac longe quidem vir modeſtiae ſtudioſiſſimus ab ea vanitate abſuit, qua rem ſuſceptam ſe perfeciſſe atque ita abſoluiſſe ſibi perſuaderet, vt ab vllo aliquo in re a ſe tractata meliora edoceri poſſe praefracte negaret. Idem tamen etiam, quaecunque in medium afferebat, tanta diligentia tantaque ſubtilitate antea excuſſerat, atque ab omni parte examinauerat, conſulendis, antequam ipſe decerneret, quantum fieri poterat, fere omnibus, qui de eadem re aliquando diſputaverant, vt raro tantum ab aduerſariis quicquam ei opponi poſſet, de quo non antea iam ipſe cogitaſſet, cuique quod regereret in promptu non habuiſſet. Quod autem interdum, vbi poſſet, non repugnaret, id concordiae ſtudio fecit, quippe qui ab omni inter viros doctos altercatione atque acerbitate, quam inde plerumque naſci viderat, prorſus abhorreret. Hinc, quanquam ipſum minime fugiebat, hic et illic vel tranſeundo vellicata vel conſulto impugnata fuiſſe, quae in primis ſtatim libellis inde ab annis 1781 et 1788 ad interpretationis hiſtoricae laudem praedicandam vſumque commendandum propoſuerat, tamen viginti demum annis et amplius praeterlapſis eiusdem ab aduerſariorum dubitationibus vindicandae conſilium cepit, poſtquam experientia edoctus fuerat, neque exempla illius ad explicanda loca difficiliora a ſe adhibitae publice propoſita, neque adeo legum, qui-

bus illa nititur, iuſtam et plenam in hermeneutices compendio, anno 1810 edito, expoſitionem effeciſſe, vt eam deſinerent vel neglectorum ceterorum interpretationis ſubſidiorum, vel imminutae grauiſſimorum fidei noſtrae capitum dignitatis, vel violatae adeo reuerentiae et pietatis, auctoribus ſacris librisque diuinis debitae, accuſare. Ac prima quidem vice ab his et ſimilibus criminationibus ſuam interpretandi rationem defendere inſtituit vberiori illa diſputatione, quam anno 1812 propoſuit in *Analectorum theologiae exegeticae et ſyſtematicae ſtudio inſeruientium*, a ſe ipſo et *Tzſchirnero* editorum Vol. I. Fasc. I, pag. 47—85. hoc titulo inſignitam: *Vertheidigung der grammatiſch-hiſtoriſchen Interpretation der Bücher des N. T. gegen die neuerlich wider ſie erregten Zweifel.*

Occurrere autem hac diſputatione voluit dubitationibus motis a *Ioh. Dan. Schulzio*, nunc Rectore Gymnaſii Luccauienſis in Luſatiae parte iam Boruſſica, de grammatica N. T. interpretatione pluribus libris egregie merito, qui anno 1801 *menſibus theologicis, (Theol. Monatsſchrift)* ab *Io. Chriſt. Wilh. Auguſti*, nunc Theologo Bonnenſi, editis Vol. I. p. 334 commentationem inſeri curauit hanc: *Beweis, daſs die von Koppe, Keil u. andern vertheidigte hiſtoriſche Interpretation nicht ſtatt finden könne.* Argumenta autem, quibus hiſtoricam interpretationem petiit, haec fere fuerunt: Si verum ſit, vna hiſto-

ria duce ad perfectam dictorum Iesu intelligentiam posse perueniri, recte inde colligi, aut Iesum vltra sui temporis doctores prorsus non sapuisse, aut nihil omnino obscuritatis in illius sermonibus reliquum esse posse; praeterea fontes, ex quibus istorum temporum historia hauriri possit, ita parcos esse et raros, vt sufficientem opinionum apud doctos et indoctos tum obtinentium cognitionem nemo facile sibi inde acquirere possit; atque adeo ad alicuius philosophi decreta melius intelligenda nil omnino facere vel perfectissimam rerum eo viuente et docente apud suum populum gestarum scientiam. —

Multo grauiores autem difficultates eidem interpretationi ex ipsius natura petitae obiectae fuerunt a *Car. Frid. Staeudlino*, longe celeberrimo in inclyta Academia Goettingensi doctore et theologo, qui in programmate Academico, anno 1807 edito, *de interpretatione historica non vnice vera* docere instituit, huius interpretationis ope ad verum et genuinum multorum Iesu et Apostolorum dictorum sensum non posse penetrari, cum tanta illis insit diuinae sapientiae et sanctitatis copia, vt ad ea intelligenda et interpretanda non magis doctrina omnimoda, quam animo per Spiritum diuinum emendato veraeque pietatis sensu pleno, opus esse pateat; hinc historicae interpretationi religiosam, moralem et philosophicam iungendam esse; praeterea in hac interpretandi ratione historica vix

caueri poſſe, ne grauiſſima doctrinae Chriſtianae capita corruant, cum haud dubitent eius cultores turpi cuidam et Ieſu indignae accommodationi tribuere id, cuius vel minimum in doctorum Iudaicorum dictis et libris veſtigium ſibi reperiſſe videantur, atque hac ipſa de cauſa, neglecta iuſta cautione, vndecunque corradere, quae in ſuam rem facere ullo aliquo modo exiſtiment.

Et ad has quidem viri doctiſſimi dubitationes *Keilius in elementis hermeneutices N. T.*, tribus annis poſt editis, ita reſpexit, vt §. 5. p. 9. breuiſſime moneret, ſuam hiſtorice interpretandi rationem illis dubitationibus partim plane non tangi, ſed aliam quandam omnino haud commendandam nec a ſe commendatam, partim adeo iisdem confirmari et adiuuari. Hoc autem *Keilii* iudicium paulo acrius perſtrinxit breui poſt idem *Staeudlinus in hiſtoria diſciplinarum theologicarum inde ab inſtauratis literis* Vol. II, 417. argumentisque antea oppoſitis addidit haec: in omni hiſtorica interpretatione ſemper aliquid incerti reſtare, et in pauciſſimis locis praeter omnem dubitationem poſſe definiri, quid auctores ipſi cogitauerint, vel quomodo lectores, quibus ſcripſerint, pro ſua ratione neceſſario ipſorum verba intellexerint; ideoque hanc interpretandi rationem nunquam eo eſſe ducturam interpretes, vt omnis inter eos diſſenſus tollatur.

Quare *Keilius*, non tam ſuam, quam rei a ſe adhuc geſtae et a ſe maximi factae cauſam

agi ratus, diſputatione illa, quam ſignificauimus, euincere ſtatuit, interpretationis hiſtoricae a ſe commendatae et adhibitae veritatem et dignitatem iſtis dubitationibus nullo modo fuiſſe labefactatam. Inſuper in eadem commentatione breuiter ſimul monſtrauit, nomine tantum ab hiſtorica differre et alienam videri eam interpretandi rationem, quam *Chriſt. Frid. Boehmius* (ſacrorum Luccae in ducatu Altenburgensi antiſtes, inter philoſophos pariter ac theologos meritiſſima laude florens, itemque *Keilio* ipſi cariſſimus) philoſophicae, vel, vti etiam dici eam poſſe concedit, ſubiectiuae nomine commendauerit, quamque haud exiguo acumine docuerit in eo ſpectari, vt interpres ſuam etiam de re a ſcriptore ſacro propoſitae ſententiam ſuumque ſenſum ſubſidii loco adhibeat, in *I. L. W. Schereri* ſcrutatore biblico *(Schriftforſcher)* Vol. II. Fasc. I. p. 112 ſq.

Verum quanquam adcurate ſatis et prolixe omnem rem *Keilius* tractauerat, minime tamen ſatisfecit *Staeudlino*, qui paulo poſt vniuerſam eius diſputationem in examen vocauit in commentatione ampliſſima, quae reperitur *in diario critico literaturae theologicae recentiſſimae* ed. ab *Ammonio* et *Bertholdtio* Vol. I. Faſc. 4 et Vol. II, Faſc. 1-2: *über die blos hiſtoriſche Auslegung des N. T.* Praeterea etiam *Boehmius*, non tam ſuam ſententiam defenſurus (quanquam nec deſerturus), quam oſten-

ſurus, quae vera ſit natura et cauſa diſſenſus inter *Staeudlinum* et *Keilium*, egregium vtrumque theologum, et quam ſuo iure vterque in ſua ſententia permaneat, quaeque ex adcuratiori controverſiae inter illos agitatae disquiſitione diſci poſſint, ſcripſit: *über das Verhältniſs der Geiſtesbildung zwiſchen dem Interpreten und ſeinem Auctor*, quae commentatiuncula a *Keilio* ipſo inſerta eſt *Analectorum* Vol. III, Fasc. 2, p. 80 ſq.

Dum vero haec inter *Staeudlinum* et *Keilium* agitantur, alius exoritur rei inter ipſos controuerſae arbiter, *Carol. Guil. Steinius*, nunc apud Niemeccenses in Saxonia iam Boruſſica ſacrorum miniſter, vir rerum theologicarum peritiſſimus, in libro: *über den Begriff und oberſten Grundſatz der hiſtoriſchen Interpretation*, Lipſiae, 1815. Cui libro ſuo vt nominis commendationem aliquam pararet: a *Keilio* petiit, vt ſua praefatione eum ornaret, theologorumque ad eum examinandum animos converteret. Neque vir humaniſſimus illius honeſto deſiderio deſuit, quanquam ipſe ſaepius in hoc libro ab auctore taxatus et erroris poſtulatus, prouinciaque ſuſcepta ita functus eſt, vt oblata hac opportunitate ſtrictim cum ea repeteret, quae vario tempore et loco pro defendenda hiſtorica interpretatione antea iam diſputaſſet, tum ea etiam adderet, quae ad tollendas difficultates, recentius demum et ab ipſo libri com-

mendandi auctore hiſtoricae interpretationi oppoſitas, amoliendas et tollendas idonea ipſi viderentur; profeſſus ſimul, vltimum ſe hac vice, quantum in ſe ſit, in hanc aream deſcenſurum publiceque pro ſua cauſa verba facturum eſſe. Hoc autem decreto atque hac ſpe quo minus excidere poſſet, morbo atque morte breui poſt ingruente impeditus fuit, quanquam, vti videtur, vix a ſe impetraturus, vt a repetitis ſuae hermeneutices vindiciis abſtineret, ſi per fata licuiſſet vel de iis publice ſententiam ferre, quae, mira ſane neque nunc expectata, a nonnullis hermeneuticae artis praeceptoribus recentioribus, ipſe adhuc vivo, denuo propoſita multaque cum religionis affectatione inculcata ſunt, vel teſtem et arbitrum illis turbis exegeticis intereſſe, aetati noſtrae parum honorificis, quae, per impetus in biblia Altonana inde ab anno 1817 factos, per omnem fere Germaniam motae ſunt.

Ut igitur huius libri lectores cum omnino omnes tum hiſtoricae potiſſimum interpretationis cultores ſcirent, in qua de illius veritate et dignitate, variis modis in dubitationem vocata, ſententia fuerit ſub vitae finem is vir, qui noſtra quidem aetate primas inter illius praeceptores et patronos partes tenuiſſe recte iudicatur: conſultiſſimum editori viſum eſt, iſtius praefationis, *Steiniano* libro praemiſſae, verſionem hic exhibere, omiſſis tamen iis particulis, quae huius ipſius libri cauſa ſolummodo ſcriptae ſunt.

Quum valde inopinato mihi denuo oblata ſit de interpretatione N. T. hiſtorica differendi opportunitas: ea quidem ita vſurus ſum, vt repetendis de eius natura, veritate et indole diſputationibus in omne tempus poſterum ſuperſedere poſſim. De his enim quanquam ſaepius iam eo modo me expoſuiſſe putaui, vt iuſtae de illis dubitationi nullus amplius videretur locus ſupereſſe posſe: etiamnum tamen reperio hiſtoricam interpretationem haud parum offenſionis et ſuſpicionis habere nonnullis videri; quid, quod eo adeo res deduci coepit, vt, quicquid errorum noſtra aetate progenitum, vel quicquid certe non communi omnium plauſu exceptum ſit, ex hac interpretatione originem duxiſſe dictitetur. Quare nec indignum rei grauitate nec alienum a mea perſona duxi, de indole et conſilio interpretationis hiſtoricae talis, qualem ego quidem docui et ipſe ſecutus ſum, quantum poſſem, ita differere, vt quiuis lector ipſe iudicare poſſit, num ad eam etiam pertineant, quae interpretationi hiſtoricae, vniuerſe ac valde diuerſe nuper ſic dictae, vitio verſa fuerunt.

Hiſtoricam autem interpretationem, quotiescunque de ea verba mihi facienda fuerunt, eam dixi a me ſignificari, quae in hoc vno verſetur, vt definiat, quid auctor libri explicandi quocunque loco et ipſe cogitauerit et lectores cogitare voluerit. Talem autem interpretationem *hiſtoricam* potiſſimum dici poſſe debereque adeo propterea putaui, quod *rem vere factam* narret, dum referat, atque ex ſcriptoris alicuius verbis doceat, quid ille cum ipſe ſtatuerit de hac vel illa re, tum alios verbis ſuis docere voluerit. Hoc ipſo autem conſilio omnino omnem cuiuscunque libri interpretationem vnice inſtitui atque fieri, nec vllo alio inſtitui et fieri vere poſſe, eandemque, dum ita inſtituatur, vnice etiam veram eſſe habendam, non eſt, quod pluribus demonſtretur. Quiuis enim

ſponte intelligit et concedit, eum demum facere, quod ſit interpretis, qui efficere curet, vt libri alicuius lectores vere intelligant, quid illius auctor verbis a ſe adhibitis voluerit ſignificare lectorumque ob oculos ponere. Neque magis dubitari poteſt, quin talis interpres recte dicatur *hiſtorici* perſonam ſuſtinere et partes agere; in eadem enim re verſatur cum illis, qui ex auctorum eccleſiaſticorum vel philoſophicorum libris eruere ſtudent, quid illi ipſi ſenſerint et voluerint a ſuis lectoribus pro ſua ipſorum ſententia haberi, quoſque propterea narraſſe hiſtoriam dogmatum vel philoſophiae nemo dubitat dicere. Ad hiſtoriam enim non externae tantum rerum ſed internae etiam animorum viciſſitudines pertinent.

Sed hoc ipſum boni interpretis officium quum eodem prorſus modo illius etiam interpretationis legibus praecipiatur, quae ex antiquiore loquendi vſu *grammatica* dici ſolebat: patet, ab hac grammatica eam, quae iam hiſtorica dici conſueuit, plane non differre, vti egregie docuit *Tittmannus*, theologus Dreſdenſis celeberrimus[1]), atque a me ipſo dudum monitum eſt in Comment. de hiſtorica libr. ſacr. interpretatione, p. 84. nec non in Elementis hermeneutices N. T. §. 7. Quoniam autem animaduerteram, *grammaticae* vocem recentiori tempore multo arctiori ſenſu dici, atque adeo *gramma-*

---

1) Vid. *Car. Chriſtiani Tittmanni* Opuſcula theologica. Lipſ. 1803. p. 661: „Si exiſtimauit (*Semlerus*) exiſtimandumque praecepit, hiſtoricum ſenſum ſcripturae i. eſſe ſenſum aliquem peculiarem, diuerſum a grammatico, vt ſaltem exiſtimare videntur, qui eum ſequuntur, ſiue, quae temporaria fuerint quoad rationem cogitandi et docendi, ea temporaria quoque eſſe quoad rem, tum vero nullo modo probari poſſunt. Neque enim vterque ſenſus differt vllo modo, ſed eſt vnus idemque. Grammaticus ſenſus eſt vel maxime, et poſſes dicere, vnice hiſtoricus, *et interpretatio grammatica vnice hiſtorica eſt*, nam eſt res hiſtorica, et pendet vnice ab vſu loquendi.“

ticae interpretationis nomini ambiguitatis aliquid iam adhaerere, nec nostros homines eodem illud, quo maiores, ambitu intelligere: omnino consultius mihi videbatur, ampliori *historicae interpretationis* nomine insignire eam, qua sola adhibenda boni interpretis officio satisfieri potest. Hac enim compellatione duo alia etiam simul consecuturum me sperabam; alterum, vt statim, vel solo nomine audito, intelligeretur, ad historiam pertinere historicaeque, vt ita dicam, indolis esse, quod ab interprete postuletur; alterum, vt interpretes, simulac se operi faciendo accingerent, monerentur, ab iis sibi cavere erroribus, quibus tot interpretes omni tempore in explicanda S. S. irretiti fuerunt, quos etiamnum haud pauci parum fugere solent, quibusque nunquam satis occurri potest.

Quum autem intellexissem, nonnullos hac historicae interpretationis compellatione ita abuti coepisse, vt a grammatica multum differre, et alius fere indolis esse, et omne interpretis officium eo contineri videretur, quod is ex illorum antiquorum temporum decretis et opinionibus vulgaribus auctoris a se explicandi verba et sententias iudicaret (a qua quidem ratione me prorsus abhorrere iam confirmaueram in commentatione de historica interpretatione p. 87.): ab eo inde tempore *grammatico-historicae* nomen potius mihi visum est; quo nomine, in ipsa compendii hermeneutices N. T. a me editi inscriptione germanica posito, haud obscure significaui, historicam interpretationem ex mea certe mente a grammatica nullo modo seiungendam, sed arctissime contra illi iungendam esse.

Haec autem grammatico-historica interpretatio tantum abest, vt scrutanda et comparanda vulgari hominum alicuius aeui de rebus propositis statuendi ratio-

ne omnem rem doceat abſolui poſſe, vt omnibus aliis ſubſidiis etiam iubeat quam diligentiſſime vti, quibus demum adhibitis cognoſci poſſit, quid aliquis auctor in quouis ſui libri loco et quomodo cogitauerit. Hinc eadem primum omnium poſtulat hoc, vt *verba*, quibus auctor mentem expreſſit, adcurate examinentur, quo non ſolum ſignificatio et ſenſus ſingularum vocum et enuntiationum, ſed earum inuicem iunctarum nexus etiam et ambitus ſingulis locis obtinens recte conſtituatur. Deinde animum aduertere illa iubet ad *genus orationis*, in libro vniuerſo vel ſingulari eius loco obuiae, propriae vel figuratae, ſedatae vel concitatae et vehementis, proſaicae vel poeticae, et alia; item ad *conſilium* auctori in ſcribendo libro propoſitum; nec non ad *argumentum* libri explicandi, in quibus quippe omnibus haud leue rectae interpretationis momentum reperiatur. Denique eadem etiam interpretem grauiter monet, vt ad ſcriptoris a ſe explicandi omnem *indolem* et *rationem*, quantum eam nouerit, ſemper reſpiciat, neque in enucleando eius libro de eo quaerere negligat, qua ille *ſcientia*, *ingenio*, *animo*, *moribus*, quo *loco*, qua *conditione*, quibus *hominibus* vſus ſit. Minime igitur interpretatio grammatico - hiſtorica interpretem in rerum notionibus, ſcriptoris alicuius tempore vulgo probatis, afferendis et comparandis acquieſcere patitur, quum in iis vnum tantum eorum inſit, quae vltimo loco eam poſtulare audiuimus; veruntamen nec parui earumdem cognitionem finit interpretem facere, eamque negligere, quum nullo modo poſſit negari, earum in formando ſcriptoris ingenio maiorem minoremue omnino fuiſſe vim, neque ſatis feliciter in eius libro explicando verſaturum eſſe interpretem, illarum cognitione carentem, ſiue auctor ipſe fuerit illis imbutus et inter ſcribendum obſecutus, ſiue illis ſe ſubtraxerit atque adeo fortaſſe ſe oppoſuerit diſerteque repugnauerit. Poſtulat igitur ea inter-

pretatio, vt *argumenti* etiam diligens et adſidua ab interprete habeatur ratio; quare recte ea dicitur ſimul philoſophica etiam eſſe et moralis, neque eius leges recte accuſantur, quod huc interpretis ſtudium haud dirigant.

Inter ea omnia tamen ſemper illius bene memorem iubet eſſe interpretem, quod *hiſtorici* perſonam tantummodo ſuſtineat, remque mere hiſtoricam agat, dum ipſius ſit, nihil aliud quaerere niſi hoc, vt monſtret, *quid* libri explicandi auctor verbis ſuis voluerit exprimere, et *qualem* rei a ſe deſcriptae notionem ſibi finxerit. Hanc ipſam autem rei notionem vtrum auctor ipſe meditando ſibi parauerit an ab aliis acceperit, vtrum de illius veritate ipſi prorſus perſuaſum fuerit, an aliis de cauſis forte eam tantum, quum ſcriberet, tanquam ſuam oſtenderit, vtrum omnino atque in ſe vera poſſit haberi rectaque, an ex ſola hominum eius temporis, quo auctor vixit, ſtatuendi ratione potuerit admitti, de his et ſimilibus quaerere et decernere plane non eſt interpretis hiſtorici, neque, vt quaerat et decernat, ab eo recte poſtulari poteſt; quanquam facile intelligitur, eum, dum ſenſum tantummodo verborum a ſe explicandorum inueſtiget, haud raro vel nolentem ad vnam alteramue ex illis etiam quaeſtionibus duci, neque prorſus inepte eum facere, ſi, quid ea de re ſibi videatur, adiecerit, quo pateat, quibuſnam de rebus vel ſibi vel aliis etiamnum diligentius quaerendum ſit. In his vero ipſis interpretis omne officium contineri, neque praeter verum et genuinum auctoris explicandi ſenſum aliud quid eſſe ipſi quaerendum, id eo ipſo nomine ſignificatur, quo hiſtoricus appellatur interpres, hiſtoricaeque interpretationis leges ſecutus eſſe dicitur.

Ex huius autem ipſius grammatico - hiſtoricae interpretationis legibus inſtituendam eſſe omnium cum an-

tiquiorum tum recentiorum auctorum, qui *profani* audiunt, interpretationem, nemo vnquam dubitauit, atque noſtro etiam tempore communi conſenſu ad vnum omnes conceduut. Eandem vero nominatim etiam in explicandis *biblicorum* auctorum ſcriptis eodem iure et modo eſſe adhibendam et ſequendam, poſt *Io. Aug. Erneſtium*[2]) et *Io. Godofr. Herderum*[3]) omnes noſtrae eccleſiae theologi et hermeneuticae artis praeceptores vno ore docuerunt, eſtque duobus inſuper libris ſingularibus defenſum, qui publico theologorum in Academia Gottingenſi elogio comprobati atque adeo praemio ornati fuerunt[4]). Verum a paucis inde annis extiterunt inter viros doctos, qui rem ſecus ſe habere adfirmarent, atque in explicandis libris diuinis aliter, quam in humanis,

---

2) Cf. Inſtitutio interpr. N. T., vbi Part. I. Sect. I. cap. I. §. 16. ita docet: Quoniam haec omnia communia ſunt libris diuinis et humanis: patet, non alio modo vel quaeri vel reperiri ſenſum verborum in libris ſacris, quoad humana opera intercedit, quam quo in humanis vel ſolet vel debet.

3) Vid. *Briefe das Studium der Theologie betreffend*, Vol. I. P. I. (*ſämmtliche Werke zur Religion u. Theologie* Vol. IX. p. 1. ſqq.) vbi haec habet: *Menſchlich muſs man die Bibel leſen; denn ſie iſt ein Buch durch Menſchen für Menſchen geſchrieben; menſchlich iſt die Sprache, menſchlich die äuſsern Hülfsmittel, mit denen ſie geſchrieben u. aufbewahrt worden iſt; menſchlich iſt ja auch der Sinn, mit dem ſie gefaſst werden kann, jedes Hülfsmittel, das ſie erläutert, ſo wie der ganze Zweck u. Nutzen, zu dem ſie angewendet werden ſoll. Sie können alſo ſicher glauben, je humaner (im beſten Sinne des Wortes) ſie das Wort Gottes leſen, deſto näher kommen ſie dem Zwecke ſeines Urhebers, der Menſchen zu ſeinem Bilde ſchuf, u. in allen Werken und Wohlthaten, wo er ſich uns als Gott zeigt, für uns menſchlich handelt.*

4) *Ioh. Asboth* Comment. de interpretatione codicis ſacri ad communia omnes libros interpretandi principia reuocata. Gotting. 1791.; ac *Guil. Nic. Freudentheil* Comment. de codice ſacro, more in reliquis antiquitatis libris ſolenni ingenue interpretando, adiectis difficultatibus N. T. propriis. Chemnit. 1791.

verſandum eſſe contenderent [5]). Neque ego illos viros a vero prorſus aberraſſe dixerim, ſi modo recte intellexi, quae ad mentem ſuam explicandam attulerunt. Cum enim illi poſtulant, vniuerſas interpretandi leges temperandas eſſe et quodammodo limitandas ex biblicorum librorum argumento prorſus ſingulari, auctorumque ipſorum, a quibus profecti ſunt, ingenio, vnicuique eorum proprio, ac praeterea in illis interpretandis ſubſidia adhibenda eſſe, non in quouis alio ſcriptore explicando obuia et idonea: quis quaeſo haec vel ignorauerit vel negauerit?

Sed bene notandum eſt, quod nec illi ipſi infitias eunt, tali cautione et temperamento in quouis claſſici auctoris libro opus eſſe; vnde etiam factum, vt inde a longo iam tempore inſtitutiones hermeneuticae ſolis biblicis auctoribus interpretandis deſtinatae ſcriberentur, nec errant, qui eiuſmodi ſpecialioris hermeneuticae inſtitutionis haud paruam iudicant vtilitatem futuram in omni libro, qui tempore et loco a noſtris aliquantum remotiori ſcriptus fuerit. Attamen in his etiam ſumma rei eadem eſt, nec ab iis legibus, quae in quouis libro interpretando primariae ſunt, prorſus recedendum. Etenim in ſacro non minus quam in profano auctore hoc eſſe propoſitum debet interpreti, vt eruat, quid auctor, quum ſcriberet, ipſe cogitauerit, quae ipſius orationi ſententia ſubiecta ſit, quamque ex iiſdem lectores ſuos ſuſcipere voluerit. Quod vero libri biblici diuina auctoritate, eorumque auctores, tanquam legati diuinitus miſſi, dignitate plane ſingulari gaudeant, id profecto vnuſquiſque videt non reſpiciendum eſſe interpreti tum, cum li-

---

5) Inter hos grauiſſimi fuerunt *Staeudlinus* et *Steinius*, quorum conferendi ſunt libri ſuperius in praefatione editoris, huic commentationi praemiſſa, laudati.

brorum illorum interpretationi primum ſe accingit. Hoc enim faciens relabatur neceſſe eſt in errorem iſtum haud ita pridem explosum, *tantum ſignificare verba librorum ſacrorum, quantum poſſint,* recludatque diuerſiſſimarum libros ſacros explicandi rationum ſcaturiginem, nulla humana ope et arte obſtruendam. Quum enim in illa diuinae originis atque auctoritatis notione conſtituenda et definienda omni tempore a ſe inuicem disceſſuros eſſe theologos per rei naturam longe certiſſimum ſit, nullo modo poteſt fieri, quin quisque illorum tam in iudicandis libris ſacris vniuerſis, quam in illuſtrandis illorum locis ſingulis, ſuam diuinitatis notionem ſequatur, ac quaſi veram interpretandi normam tueatur, vnde non poſſunt non interpretationes quam maxime inter ſe pugnantes naſci. Praeterea, ſi recte, de quo tamen valde dubito, *Koppius*, et qui eum ſecuti ſunt, accuſantur, quod *a priori,* vti dicunt, ſumſerint, in N. T. libris plane nil reperiri, quod non in Iudaeorum doctrina iam traditum fuerit, atque adeo ex hac ipſa illuſtrari poſſit: nonne prorſus eodem iure et modo, qui contra ſtatuunt, ſimiliter dici poſſunt, *diuinitatem* originis et argumenti librorum biblicorum a priori ſumſiſſe, atque in ea laudanda petitionem principii, quae in ſcholis vocatur, commiſiſſe? Vtriuſque enim diuinitas maximam partem ſic tantum poteſt defendi, vt inſtituta demum legitima illorum librorum interpretatione demonſtretur, doctrinam in illis propoſitam omneque illorum argumentum ita eſſe comparatum, vt pro diuinitus accepto, aut diuino legato certe digniſſimo, non debeat non haberi. Quae cum ita ſint, equidem fateor, me non videre, quo tandem alio modo de diuina euangelii origine et veritate aduerſario paulo ſubtiliori te ſperes perſuaſurum eſſe, niſi hoc, vt ipſum iubeas libros ſacros ſecundum eandem rationem, qua in legendis aliis antiquitatis libris vſus ſit, legere atque adeo examinare; quo rite facto

ipſe ſit intellecturus, hanc illamue doctrinam a ſe in dubitationem vocatam illis vere contineri, quid quod conceſſurus, talem doctrinam tali modo a talibus viris propoſitam re vera pro diuina a quocunque eſſe habendam.

Hinc, qui docent, in libris ſacris explicandis aeui illius, quo ſcripti fuerint, nullam eſſe rationem habendam, ipſorumque potius argumentum omne ad omnia tempora pari cum dignitate et ſanctitate pertinere, et ne in tradendi quidem modo, qui in illis obtineat, quicquam iudicari debere iſtius aeui tantum indoli eſſe accommodatum eiusdemque conſuetudini tribuendum; illi, inquam, ipſi haud temere putandi ſunt, aptiſſime momente *Bertholdtio* [6]), haud leue ſibi ſubtrahere argumentum, quo illorum non modo originem diuinam ſed ipſam adeo authentiam defendere poſſint. Verum enimvero etiamſi de illis libris licet non examinato ipſorum argumento, ſolam aliorum auctoritatem ſecutus, magnificentiſſime ſtatueris, eosque integros diuinae inſpirationi deberi iudicaueris; nihilo tamen minus concedendum eſt, in Θεοπνεύστοις etiam libris explicandis grammatico - hiſtoricae interpretationis legibus eſſe obſequen-

6) Cf. *Chriſtologia Iudaeorum Ieſu Apoſtolorumque aetate illuſtrata* à *D. Leonh. Bertholdtio.* Erlangae 1811. praefat. p. XIII, vbi haec leguntur: tantum abeſt, vt hanc ob cauſam doctrina Chriſtiana merus Ἰεδαιαμὸς vel maxime in meliorem formam ac effigiem refictus habendus ſit, vt ſole potius clarius ſit, hac vnica, quam monſtrat *hiſtoria*, ratione idoneam ac certam viam ad diuinam illius originem ac indolem intelligendam et percipiendam muniri et ſterni poſſe. Dicas enim, quaeſo, qui fieri potuerit, vt Iudaei, inter quos Ieſus ex Dei decreto aeterno vitam terreſtrem degit, ſibi perſuaderent, Ieſum eſſe naturam indole ſua πνευματικῇ hominibus ac angelis longe ſuperiorem Deoque aequalem eique coniunctiſſimam, niſi Iudaeorum magna pars tales ex longo tempore animis informatas habuiſſet de Meſſia venturo notiones, quarum doctrinae Chriſtianae annectendarum negotium erat quam maxime facile?

dum, interpretique omnium primum hoc curandum, vt quaerat, quid auctor libri ſacri, vel ſpiritus diuinus, quo agitatus ille ſcripſerit, quouis loco et ipſe ſenſerit et lectores cogitare voluerit. Etenim ſi vere Deo placuit alicuius aeui homines per viros θεοπνεύστος edocere, hos viros tamen oportuit humano more atque ea omnino ratione ad illos ſermonem facere, vt verborum ab ipſis adhibitorum vim iſti homines poſſent ſentire, adhibitis nimirum iis intelligendi adminiculis, quibus in quacunque alia inſtitutione ipſis vtendum fuerat, niſi forte Deus alia noua inſpiratione voluiſſet in vnoquoque illorum hominum efficere, vt veram reuelationis ſibi factae ſenſum aſſequeretur. Neque minus recte idem Deus vel eius ſpiritus cenſendus eſt iſtos viros monuiſſe, vt hominum a ſe edocendorum cogitandi, iudicandi, loquendi vſum, iſto tempore et loco quam maxime obtinentem, reſpicerent et ſequerentur, quoniam, ſi iuſtam horum omnium rationem habere neglexiſſent, iſti plane non intellecturi fuiſſent, quid viri diuini ſibi vellent. Hinc etiam omnes theologi certos aliquos reuelationis gradus fuiſſe conceſſerunt, neque vllus eorum negauit, rerum diuinarum notiones in V. T. haud paucas reperiri longe obſcuriores et imperfectiores iis, quae in N. T. ſcriptoribus ſint obuiae, quasque hac ipſa de cauſa non liceat veteri teſtamento obtrudere; quam quidem cautionem ab antiquioribus theologis centies fuiſſe neglectam, quis neget? Praeterea N. T. ſcriptores adeo ipſos de nonnullis doctrinae ſuae capitibus diuerſe iudicaſſe, ac ſingulos fere peculiari in quibusdam ſententia vſos fuiſſe, in hac ipſa autem proponenda et defendenda quemuis ſuum ingenium ſuamque dicendi facultatem eſſe ſecutum, quis poſſit vllo iure dubitare? Quo igitur modo interpres ſperet, in enucleando aliquo ſcriptore felici cum ſucceſſu ſe verſaturum, niſi quam diligentiſſime de eo quaeſiuerit, qualis apud illum ipſum eiusque aequa-

les eius rei, quae in explicando libro tractatur, notio obtinuerit, et qua ratione ad eam significandam suae linguae verbis vsi sint.

Haec fere fuerunt, quae me impedirent, quo minus aliter, quam olim feci, de grammatico - historicae interpretationis dignitate iudicarem adeoque eam fastidirem, vel aliorum de ea dubitationibus cederem; neque vllo iure verendum mihi videtur, ne repetitis subinde hac de re doctorum hominum disputationibus, (quas equidem minime improbandas esse duco) ista interpretandi ratio in contemtum adducatur, atque reperiendo vero et pleno singulorum N. maxime T. locorum sensui prorsus non sufficere iudicetur. Idem tamen vero etiam lubentissime concedo et grauissime contendo, praeter ea, quae ad legitimam librorum sacrorum interpretationem pertineant eiusque causa fieri debeant, multa alia etiam esse quam diligentissime adhibenda, quaerenda, excutienda, quibus aperiantur et vere cognoscantur, quae cum Iesus ipse tum Apostolorum quisque vere statuerit et docuerit, vniuersaeque doctrinae Christianae descriptio fiat eiusmodi, quae nostro tempori idonea sit nostrique seculi rationibus accommodata.

At si spes tamen aliquando falleret, accideretque, vt interpretationem grammatico - historicam vnice veram omnes negarent, quis non doleret summorum virorum *Hugonis Grotii* ceterorumque vsque ad *Ernestium* et *Morum* (ne superstites multos appellem) de theologia Christiana hac ipsa interpretatione adhibenda immortaliter meritorum sortem tristissimam, dubiusque haesitaret, annon egregii hi doctores vituperandi potius laesaeque veritatis accusandi sint, quam laudibus porro etiam extollendi? Omnium maxime autem lugendum et a

qu cunque theologo deplorandum illud foret, quod, funditus euerſa iſtius interpretationis dignitate, nulla alia ſuperfutura eſſet, qua duce ad plenam et certam doctrinae in N. T. propoſitae cognitionem peruenirі poſſet. Hoc enim facto nihil aliud poſteris relinqui videtur, niſi vnum ex his, vt *aut* ſuum quiuis in interpretando pium ſenſum ſequatur, (qui quidem pro magna natiuae indolis varietate non poteſt non cum ipſe eſſe maxime varius, tum ſummam etiam interpretationis varietatem et inconſtantiam gignere;) *aut* interpretandi magiſtrum et arbitrum, ſi quis ſit et eſſe poſſit, falli neſcium ſibi quaerat, vltra cuius decreta nemini ſapere liceat; *aut* penitus ſpreto quouis humanae doctrinae adiumento praeſtoletur, dum Deus ipſe in eius animum deſcendat, luceque coelitus demiſſa ipſum colluſtret.

SECTIO POSTERIOR

CONTINENS

COMMENTATIONES DE PHILOSOPHIAE PLATONICAE AD THEOLOGIAM CHRISTIANAM RATIONE.

DE CAUSIS ALIENI PLATONICORUM RECENTIORUM A RELIGIONE CHRISTIANA ANIMI.

Quantas per illud philosophorum genus, quod Platonicorum recentiorum vel Eclecticorum nomine dici plerumque consueuit, in ecclesia christiana turbas olim concitatas fuisse crediderit *Moshemius*[1]), vix quenquam eorum, qui historiae ecclesiasticae sunt studiosi, ignoraturum esse arbitror. Constat enim huius potissimum viri studiis effectum esse, vt ab eius inde temporibus omnes propemodum de antiquioris ecclesiae historia scriptos libellos occuparet, essetque iam peruulgata fere haec opinio, non modo omnem istorum hominum philosophiam ita fuisse instructam, vt doctrinae christianae prorsus esset opposita, et ad progressus eius in dies maiores factos cohibendos, si quam aliam, inprimis idoneam, sed id mali etiam secum tulisse, vt, cum doctores christiani tectas illas fraudes non intelligerent, sed ipsi potius istius philosophiae amore caperentur, ipsa adeo religio christiana multis variisque per eos erroribus contaminaretur. Ve-

Nota editoris. Scripsit hanc commentationem b. auctor inuitaturus ad audiendam orationem, qua munus Professoris Philosophiae extra ordinem adiit d. 19. Octbr. anni 1785.

1) Cuius hac de re videnda inprimis differt. *de turbata per recentiores Platonicos ecclesia*, quae cum inserta est Differt. eius ad Histor. Eccles. pertinentibus, Vol. I. p. 90. ff tum adiecta etiam Tom. II. versionis latin. Systematis intellect. *Cudworthiani.* Praeter hanc autem conferri etiam possunt, quae de eadem re scripsit in *Commentar. de rebus Christian. ante Constant. M.* p. 280. ff.

rum vtut etiam haec ſummi viri ſententia multis olim fuerit probata [2]), nuper tamen extitere, qui vel noxas religioni chriſtianae per philoſophos illos allatas tantas non fuiſſe contenderent, quantae plerumque fingerentur, vel omnino negarent, vniuerſam hanc philoſophiam ad chriſtianam potiſſimum religionem impugnandam et labefactandam vnice fuiſſe compoſitam. Inter illos quidem nominandi inprimis ſunt celeberrimi noſtrae aetatis in hoc literarum genere duumuiri, *Semlerus* [3]) et *Schroeckhius* [4]); inter hos autem, praeter anonymum quendam Franco-Gallum ſcriptorem [5]), referendus potiſſimum eſt *Meiners*, vir antiquioris hiſtoriae philoſophicae inprimis ille peritus, inque ea colenda multo cum acumine verſans, qui in libello, quem infra ſignificaui [6]), praeclare docuit, ſingula, quae his phi-

---

2) Praeter alios, qui eam ſecuti ſunt, nominandi inprimis videntur *Bruckerus* in *Hiſtor. crit. Philoſ.* T. II. p. 189. ſſ. et T. VI. p. 350. ſſ. et *Cramerus* in Continuat. Hiſtor. Boſſuet. T. II. p. 268. ſſ. Fuit etiam, qui eandem Moshemianam ſententiam principis alicuius ex horum philoſophorum genere viri exemplo confirmatum iret et illuſtratum, *Geo. Ern. Hebenſtreit*, cuius extat Diſſert. *de Iamblichi, Philoſophi Syri, doctrina, chriſtianae religioni, quam imitari ſtudet, noxia*, Lipſ. 1764. 4.

3) Vid. Eius *ſelecta capita Hiſt. Eccl.* T. I. p. 61. itemque nuper editae *Nouae obſeruationes, quibus ſtudioſius illuſtrantur potiora capita hiſtoriae et religionis chriſtianae vsque ad Conſtant. M.* p. 48.

4) Cuius vid. Hiſtor. Eccleſ. vernaculo ſermone ſcriptam, Vol. III. p. 299. ſſ. edit. ſec. et Compendium hiſtor. relig. et eccleſ. chriſt. p. 70.

5) Auctorem dico libri ſic inſcripti: *Hiſtoire critique de l'Eclectisme, ou des nouveaux Platoniciens*, 1766. 2. Tom. 12. qui quidem liber, etſi multis in locis eius, cuius ſectatorem ſe profitetur auctor, eccleſiae placitis eſt accommodatus, hic atque illic tamen vtiles quasdam et veras obſeruationes continet. Cfrri de eo meretur *Erneſti* in Biblioth. theol. Vol. VII. p. 793. ſſ. et 877. ſſ.

6) *Beytrag zur Geſchichte der Denkart der erſten Jahrhunderte nach Chriſti Geburt, in einigen Betrachtungen über die Neuplatoniſche Philoſophie*, Lipſ. 1782. 8. cui quidem libello quae oppoſuit vir quidam doctus in Annal. literar. Heimſiad. ao. 1783. Vol. I. p. 331. ſeq. ea etſi ſunt admodum docte et acute dispu-

losophis propria fuisse dicantur, placita, non fuisse ad Christianorum doctrinam oppugnandam primum ab iis inuenta, sed vel antiquiora ipsis fuisse, vel alio saltem, quam quod ipsis tribuatur, consilio ab iis defensa. Quae quidem etsi percommode disputata mihi videantur, putauerim tamen, omnino etiam quaerendum fuisse, num philosophi isti vere etiam in religionem christianam ita animo fuissent affecti, vt eam quouis modo extirpatam exque hominum societate penitus sublatam voluisse censendi sint, sitque adeo credibile, eos vniuersam philosophiam suam huic consilio suo improbissima fraude adaptasse. Quod quum equidem a nemine adhuc consulto factum meminerim, constitui iam iucundissima hac, quae Deo annuente mihi contigit, scribendi opportunitate ita vti, vt quaestionem hanc paulo diligentius examinem, exque ipsis horum philosophorum non minus, quam Christianorum, qui aequales ipsis fuerunt, scriptis docere instituam, quinam in vniuersum fuerit horum, quos dixi, philosophorum in religionem christianam animus, sique fuerit intellectum, eum ab illa abhorruisse, in causas dein eius rei inquiram, vt adpareat inde, vtrum non nisi ob infensum in eam animum ab ea fuerint alieni, an vero aliae causae extiterint, quae eam invisam ipsis et exosam redderent.

Hic autem antequam de ipsorum in christianam nominatim religionem animo quaeramus, primum omnium hoc nobis erit obseruandum, omnino eos hac mente fuisse, vt neminem, cui alia religio aliusue numinis cultus probaretur, quam quem ipsi sequebantur, hac de causa auersarentur aut odio prosequerentur, sed statuerent potius, non modo suam cuique religionem esse sequendam, sed vel plures adeo singulis colendas; de qua ipsorum sentiendi ratione non pauca testimonia in medium

---

tata, habere tamen mihi videor, quae, si modo locus nunc pateretur, iis putem responderi posse.

poſſunt proferri. Vt enim Apollonium illum Tyanenſem, quem *Philoſtratus*[7]) et *Suidas*[8]) profeſſum aliquando eſſe tradunt, non probari ſibi, ſi quis infenſo aduerſus Deorum aliquem animo ſit, ſed eum potius laudandum ſibi videri, qui de omnibus Diis bene ſentiat, ſilentio iam praetermittam, cum hunc non fuiſſe ex horum philoſophorum claſſe obiici poſſit, etſi equidem ſtatuere non dubitem, eum in plerisque eiusdem cum ipſis ſententiae fuiſſe, Proclum quidem illud dictitaſſe narrat *Marinus*[9]), non decere philoſophum, vnius tantum ciuitatis aut quarundam modo gentium Deos colere, ſed debere eum totius mundi ſacrorum antiſtitem eſſe; eodemque modo *Symmachus* etiam in illa, qua pro ara victoriae verba fecit, oratione[10]) ſuum cuique dicit morem et ritus eſſe, hosque ipſi conſtanter tenendos. Inprimis autem excitandae hic ſunt duae illae *Themiſtii* orationes ad Iouianum et Valentem habitae[11]), quibus vtrumque Imperatorem hoc potiſſimum nomine laudat, quod religionis numinisque cultum, peculiari lege ea de re propoſita, cuiusque arbitrio permiſerint, quamque praeclare illud ſanxerint, plurimis, inque his multis etiam percommodis, argumentis oſtendit. Non modo enim negat, quicquam hac in re minis vique aperta adhibitis effici poſſe, cum hae quidem in corporis tantum miniſteria cadant, animi autem iudicia et ſenſus nullius imperio ſint ſubiecti, ſed Deum etiam hanc voluiſſe ſempiternam legem eſſe, vt vniuscuiusque ar-

---

7) In vita Apollon. Libr. VI. c. 3. p. 232. edit. Olear.

8) In voc. *Τιμασίων*.

9) In vita Procli c. XIX. p. 47. edit. Fabric.

10) Quae extat in Epiſt. eius Lib. X. ep. 61. p. 440. ff. edit. Parei.

11) Quarum altera coram Iouiniano habita quintum inter orationes ipſius ab Harduino editas, (Pariſ. 1684. fol.) locum occupat, altera autem ad Valentem dicta, inter easdem eſt duodecima.

bitrio permitteretur, quodcunque pietatis religionisque iter ſibi ſequendum iudicauerit, inde elucere dicit, quod is omnium quidem hominum animis naturalem quandam ad religionem propenſionem inſtillauerit, rationem autem et modum, quo coli velit, non praeſcripſerit, ſed hunc voluerit potius cuiusque voluntati et libertati relictum. Neque vero chriſtianam ab iis hic exceptam fuiſſe religionem, teſtis eſt hic ipſe Themiſtius, ſi quidem vera eſt *Petauii* coniectura [12]), qua ſtatuit, eo in loco, quo, poſtquam Deum ſuis quamque gentem inſtitutis et ritibus vti voluiſſe dixerat, in his nominatim Syros etiam commemorat, per Syros hos intelligi Chriſtianos, quos gentiles ſaepe cum Iudaeis permiſcuerint, idque inde cognoſci poſſe exiſtimat, quod cum hos ipſos Syros in multiplices rurſus ſectas diſtributos eſſe defendat [13]), hoc ipſo aperte haereticorum inter Chriſtianos factiones ſpectet: quanquam equidem malim locum hunc de Iudaeis et Chriſtianis potius ſimul, deque horum vtrorumque variis ſectis explicare, cum non videam, quid de ſolis Chriſtianis nos cogitare iubeat, atque hoc ipſum, quod Chriſtiani non niſi pro iudaica ſecta a gentilibus habiti ſunt, ſuadeat nobis, vt ad Iudaeos partim vniverſos, partim ſingulas etiam eorum ſectas locum referamus. Vnde autem haec iſtorum hominum ſentiendi ratio fuerit profecta, id et ipſum intellectu non admodum difficile fore arbitror, ſi, quam ſententiam illi de variarum gentium numinibus fouerint, cognitum aliquis habeat perſpectumque. Cum enim, vt poſt doce-

---

12) Quam in not. ad h. l. propoſuit, p. 403. edit. laud.

13) Vt lectores ipſi etiam poſſint iudicare, integrum eius locum adſcribam, vt legitur p. 70. *ταύτῃ νόμιζε γάννυσθαι τῇ ποικιλίᾳ καὶ τὸν τῶ παντὸς ἀρχηγέτην· ἄλλως Σύρους ἐθέλει πολιτεύεσθαι, ἄλλως Ἕλληνας, ἄλλως Αἰγυπτίους· καὶ οὐδὲ αὐτοῖς Σύροις ὁμοίως· ἀλλ᾽ ἤδη κατακεκερμάτιςαι εἰς μικρά. εἷς γὰρ οὐδεὶς τῷ πέλας τὰ αὐτὰ ὑπείληφεν ἀκριβῶς, ἀλλ᾽ ὁ μὲν τοδὶ, ὁ δὲ τοδί.*

bitur, omnium populorum Deos pro Diis tantum intermediis haberent, qui ſingulis ſint ciuitatibus et gentibus a Deo ſummo praefecti, exque huius ipſius voluntate religioſo ab iis cultu proſequendi; facillimum profecto ipſis erat, in hanc ſententiam incidere, vt ſingulis his colendis non niſi vnum eundemque ſummum Deum, a quo illi ſingulorum cuſtodes ac tutores ſint conſtituti, omnes ad extremum venerari ſtatuerent. Hanc ipſam vero ſententiam diſerte *Celſus* primum apud Origenem profitetur eo in loco [14]), quo neminem plurium Deorum cultum religioni ſibi ducere debere oſtendit. Qui enim plures Deos colat, eundem ſummum etiam Deum colere, eique gratum facere dicit, nec eum putat Deo diſplicere poſſe, qui eos veneretur, quos voluerit ille coli. Similiter *Symmachus* etiam l. l. iudicat, *varios*, inquiens, *cuſtodes vrbibus cunctis mens diuina diſtribuit. Vt animae naſcentibus, ita populis fatales genii diuiduntur. — Aequum eſt, quicquid omnes colunt, vnum putari. Eadem ſpectamus aſtra, commune coelum eſt, idem nos mundus inuoluit. Quid intereſt, qua quisque prudentia verum inquirat? — Vno itinere non poteſt perueniri ad tam grande ſecretum.* Paulo apertius adhuc eandem ſententiam *Maximus* etiam *Madaurenſis*, Africanus Philoſophus, declarat, in epiſtola ad Auguſtinum data [15]) his quidem verbis vſus: *Dii te ſeruent, per quos et eorum atque cunctorum mortalium communem patrem, vniuerſi mortales, quos terra ſuſtinet, mille modis concordi diſcordia veneramur et colimus.* Eandem denique *Themiſtii* etiam ſententiam fuiſſe, ex iisdem, quarum paulo ante mentionem inieci, orationibus eius ſatis luculenter intelligitur. Comparat enim ibi homines

---

14) Contr. Celſ. L. VIII. p. 381. edit. Spenc.

15) Quae eſt inter epiſtolas *Auguſtini* XVI. p. 15. ſ. Opp. T. II. edit. Antwerp.

variis religionibus vtentes cum curſoribus ad eandem metam, diuerſis licet itineribus, decurrentibus et peruenientibus etiam, eundemque in modum vnum etiam dicit maximum ac verum Deum eſſe, ad quem licet non una tantum via perueniatur, ſed nunc moleſtiore et aſperiore, nunc vero tritiore et planiore, omnes tamen ad vnum eundemque tandem terminum deferri, nec aliunde certamen ac concertationem, quae hac in re inter homines obtineat, oriri, quam quod non eadem omnes via progrediantur [16]). Neque neglexit etiam hic ipſe *Themiſtius* in cauſas inquirere, cur Deus tantam hac in re varietatem eſſe voluerit, eaque re partim dicit pietatis ſtudium acui, cum ea eſſe ſoleat hominis natura, vt, quae absque contentione agat, lentius ac remiſſius ab eo perficiantur, in ea vero, ad quae gerenda contentione quadam ac certandi ſtudio excitetur, vehementius incumbat, partim ad maieſtatem etiam Dei intelligendam id facere oſtendit, ſi adpareat, non facile eſſe ipſum cognoſcere, ſed eſſe pluribus quaſi gradibus ad ipſum aſcendendum [17]).

In hac igitur iſtorum philoſophorum ſtatuendi iudicandique ratione profecto non videbatur metuendum eſſe, ne religione chriſtiana magnopere offenderentur, ſed credibile potius erat, eos vel Deum, quem Chriſtiani colerent, et ipſum pro minori quodam Deo habituros fuiſſe, quod de Iudaeorum quidem Deo Iulianum ſtatuiſſe nouimus [18]), vel, ſi cognouiſſent etiam, Chriſtianos ſummi tantum omniumque ſupremi Dei cultum profiteri, id tamen fuiſſe intellecturos, in ſumma ſaltem re iis ſecum conuenire, adeoque cum et ipſi concederent, hunc Deum quaſi ſupremum eſſe omnis religioſi cultus finem, mino-

---

16) Vid. inprimis, quae habet Orat. V. p. 69.

17) Cf. Orat. V. p. 69. ſq.

18) Apud *Cyrill.* contr. Iulian. L. III. p. 99. edit. Opp. Iuliani Spanhem.

rum Deorum contemtum non magno admodum vitio ipsis daturos fuisse [19]). Cum vero tamen res contra ceciderit, alia necesse est causa fuerit, quae hanc religionem inuisam ipsis redderet. Eam vero facile reperiemus, si iam quid Christiani contra de sua aliorumque populorum religione statuerint, quaesiuerimus. Hi vero, quod sponte intelligi potest, tantum aberant, vt tam faciles se in diuersis religionibus admittendis praeberent, vt suam potius vnice veram et ab omnibus suscipiendam, caeteras autem omnes abiiciendas esse contenderent. Id autem cum non verbis tantum scriptisque profiterentur [20]), sed re etiam ipsa omnem operam impenderent, vt suae religionis cognitio latius indies spargeretur, ideoque gentilem etiam religionem non in quotidianae modo vitae sermonibus falsitatis ac improbitatis saepe arguerent, sed scriptis etiam subinde oppugnarent, (quod a Minutio Felice, Arnobio aliisque pluribus factum nouimus), num quaeso mirum nobis videri poterit, philosophos istos religionem fuisse auersatos, quae ipsorum opinioni de singularum religionum auctoritate tota esset opposita,

---

19) Atque hoc fere modo *Iulianus* aliquo loco (epist. 63. p. 453. edit. Spanhem.) de iis iudicasse reperitur, vbi ex parte quidem vtique eos Dei cultores dicendos esse fatetur, quippe Deum potentissimum et optimum colentes, at in hoc tamen eos dicit peccare, quod spreto aliorum Deorum cultu, huic maxime Deo inseruiant.

20) Etsi non opus esse videtur, vt hoc multis eorum testimoniis afferendis confirmem, cum ipsa religionis nostrae natura neminem dubitare finat, ipsis sic fuisse docendum, tamen vel duo saltem loca afferam, quae nec veteres Christianos ab hac sententia alienos fuisse ostendant. Primus est *Origenis* locus, qui L. III. contra Cels. p. 116. s. edit. Spenc. Celso, cum inter alia hac etiam criminatione vsus esset, vt Christianos tam parum concordiae studiosos esse diceret, vt si omnes homines vellent Christiani fieri, ipsi hoc vix videantur admissuri, ita respondet, vt hanc criminationem falsissimam esse dicat, nec Christianos quicquam magis, quam id ipsum, vt omnes homines suam religionem amplectantur, in votis habere affirmet. Alter est *Lactantii* locus qui Instit. div. L. III. c. XVI. §. 10. *philosophiam*, inquit, *tollimus, quia humanae cogitationis inventio est; sophiam defendimus, quia diuina traditio est*, eamque ab omnibus suscipi debere testamur.

omnesque reliquas non modo adſpernaretur, ſed penitus adeo e medio vellet ſublatas? Fuiſſe autem eos hac ipſa, quam dixi, re maxime offenſos, ipſi in iis ſcriptorum ſuorum locis teſtantur, quibus id ipſum exprobrant Chriſtianis, quod ſe ſolos Deo probari, ſuamque religionem omnium praeſtantiſſimam vnamque veram eſſe dictitent; cuius generis vel ex *Celſi* atque *Iuliani* libris adverſus religionem chriſtianam ſcriptis teſtimonia aliquot nunc excitaſſe ſufficiat. Illum igitur Origenes non modo Iudaeis id vitio vertiſſe dicit, quod ſibi altioris cuiusdam ſapientiae cognitione placeant, ſeque Deo caeteris hominibus cariores eſſe exiſtiment [21]), ſed eundem Chriſtianis etiam hoc obiieciſſe narrat, quod ipſis ſolis regendis Deum vacare, et perpetuam cum ipſis conſuetudinem habere ſtatuant [22]). Eodem modo hic etiam pluribus locis hoc nomine Chriſtianos carpit, quod ſummum Deum a gentilibus penitus ignorari criminentur, et ſuum quem ipſi praeſtent, cultum omnium praeſtantiſſimum, eſſe iactitent [23]). Haec autem Chriſtianorum de inſigni ſuae religionis praeſtantia profeſſio cum his philoſophis ob multas, quas mox cognoſcemus, cauſas non probaretur, hi quidem non modo alienum ſuum ab illorum religione animum aperte profitebantur, ſibique ipſis in ea potius, quam a maioribus accepiſſent, perſiſtendum eſſe iudicabant, ſed, vt adpareret etiam, quas ita ſtatuendi cauſas habuiſſent, idem, quod Chriſtianos in ipſorum religionem iuris ſibi ſumſiſſe videbant, ſibi etiam

21) L. V. p. 259. edit. Spenc.

22) L. IV. p. 178.

23) Vid. v. c. quae de hac re habet apud *Cyrillum* L. II. p. 43. itemque epiſt. LXIII. p. 454. vbi de Chriſtianis hunc in modum queritur: *ἀλλ' ἡμῖν οἰόνται τοῖς ἔθνεσιν ἀποκεκλεῖσθαι μόνοις*, (nimirum *τὸν θεὸν δυνατώτατον καὶ ἀγαθώτατον*) *αὐτὰς ἀλαζονεία βαρβαρικῇ πρὸς ταυτηνὶ τὴν ἀπόνοιαν ἐπαρθέντες*. Simili modo in Moſe etiam itemque Ieſu et Paulo hoc apud *Cyrill.* L. II. p. 99. ſq. taxat, quod mundi opificem ſolam Hebraeorum gentem ſibi elegiſſe, et huic vni intentum fuiſſe dicant, aliarum vero gentium nullam plane mentionem faciant.

concedendum esse statuentes, iam horum etiam religionem pluribus aduersus illam scriptis edendis acriter oppugnabant, quod praeter ignotum quendam philosophum, Lactantio commemoratum [24]); a Celso [25]) potissimum,

---

24) Instit. div. Lib. V. c. 2. Hunc enim locum non esse de Porphyrio, vt *Baronius* olim in Annal. ad Ann. LXVIII. n. 31. statuit, intelligendum, recte iam docuerunt *Luc. Holstenius* in diss. de vita et scriptis Porphyrii, c. 3. p. 220. sqq. Vol. IV. Biblioth. graec. Fabricianae, cuius Lib. IV. haec integra dissertatio est inserta, inde a p. 267. sqq. *Baylius* in Diction. Hist. Crit. sub voce *Hierocles T.* II. p. 1463. edit. Roterod. *Buddeus* in Isagog. ad Theol. vniuers. p. 1014. itemque *Pagius* in Critic. Baron. ad an. 302. n. XIII. T. I. p. 325. et nuperrime *Brukkerus* in Histor. critic. philos. II. p. 254. Partim enim neque aetatis ratio, neque numerus librorum, quibus vtriusque viri scriptum constitisse dicitur, conuenit, partim vero nullus etiam veterum scriptorum Porphyrium tam turpium vitiorum accusauit, quam quae huic philosopho a Lactantio tribuuntur.

25) Huius, quod sub λόγῳ ἀληθεῖς titulo ediderat, scripto Origenem nouimus octo libris respondisse, in quibus magna ipsius operis Celsiani pars nobis est seruata, quorumque, vt taceam iam integram eorum versionem germanicam a *Moshemio* olim curatam, (Hamb. 1745. 4.) quatuor etiam priores libros in compendium nuper redegit *Semlerus* in libro sic inscripto: *Magazin für die Religion*, T. II. p. 171. sqq. et T. III. p. 279. sqq. (Hal. 1780. 81. 8.) Etsi vero is ipse *Origenes* virum hunc Epicuraeum fuisse defendat, non dubitaui tamen, eum Platonicis potius philosophis accensere, cum *Petr. Wesselingio in Probabil. libro* c. XXIII. p. 187. sq. et *Moshemio* in Praef. versioni modo commemoratae praemissa, p. 27. sq. cum vbique fere easdem cum illis sententias sequatur, et ipse *Origenes* etiam fassus sit, eum ἐν πολλοῖς πλατωνίζειν, vt dicit L. IV. p. 219. idemque ipsi etiam *Bruckero*, qui denuo eum Epicuraeorum scholae aduersus *Moshemium* vindicare studuit, (in Histor. crit. philos. T. II. p. 604. sq.) fuerit concedendum. Omnino enim admodum dubia et incerta sunt, quae *Origenes* de hoc viro tradidit, cum ex omni eius libro facile adpareat, eum certi quicquam de ipsius vita et scriptis neutiquam habuisse, sed omnia, quae de illo narrat, non nisi e coniecturis esse profecta. Non modo enim illud ignorauit, annon idem fuerit *Celsus*, qui plures libros κατὰ μαγείας, (cfr. L. I. p. 53.) itemque duos alios Christianis oppositos (L. IV. p. 186.) scripsisset, verum hoc ipsum etiam, Epicuraeum illum fuisse, non ex idoneo aliquo teste cognitum habuit, sed ex aliis modo scriptis, quae *Celsi* cuiusdam nomen prae se ferebant, et aperte Epicuraeum aliquem auctorem prodebant, coniecit, quod luculenter apparet ex ipsis eius verbis, quae statim ab initio operis occurrunt. L. I. p. 8. εὑρίσκεται μὲν γὰρ ἐξ ἄλλων συγγραμμάτων Ἐπικούρειος ὤν, hincque L. IV. p. 200. ipse dubius est, vtrum vere fuerit *Epicuraeus*, an cognomine tantum cum *Celso Epicuraeo* coniunctus.

Porphyrio [26]), Hierocle [27]), Iuliano [28]), et Proclo [29])

26) Is quidem alienum suum a religione nostra animum quindecim libris κατὰ χριστιανῶν inscriptis prodidit, quibus uniuersam scripturam sacram oppugnare, eamque errorum sententiarumque inuicem pugnantium accusare studuit, vt ex fragmentis eorum adparet, quae magno studio collegit *Holstenius* in eadem illa, quam modo excitaui, de vita et scriptis huius viri differt. An vero hic Porphyrius, vt *Socrates* quidem in Hist. eccl. I. III. c. 23. et *Augustinus* de ciuit. Dei L. X. c. 28. itemque *Nicephorus* in Hist. eccles. L. X. c. 36. tradunt, Christianus primum fuerit, post vero, cum iniurias Caesareae a Christianis quibusdam, qui verberibus ipsum castigauerant, acceptas concoquere non potuisset, apostata factus, ad gentilem religionem transierit, hincque atra in Christianismum a se eiuratum bile percitus, ad euudem atrocissimis convitiis proscindendum animum appulerit, (de qua re amice olim inter se concertarunt *V. G. Siberus*, nostrae quondam academiae decus, et *I. F. Thomas*, in epistolis aliquot ea de re scriptis, primumque insertis *Miscellan. Lipsi.* T. I. p. 331. l. nuper autem a *Iac. de Rhoer* ad calcem scripti Porphyriani *de abstinentia ab esu animalium* a se editi, (Trai. ad Rhen. 1767. 4. repetitis) id equidem neque confidentius affirmare, neque audacius negare ausim. Docuit enim me cum Origenis, de quo superiori notâ dixi, tum simile etiam Lactantii exemplum, scriptores illos ecclesiasticos in eiusmodi narrationibus non raro vanissimis locum dedisse suspicionibus. Nam et hic in eo loco, quo de Hierocle illo agit, de quo mox plura dicentur, cum narrasset, (Instit. div. L. V. c. 2. §. 14) eum in libris, quos adversus Christianos composuerat, multa scripturae s. loca attulisse, eaque sibi inuicem contraria dixisse, statim inde colligit, christiana olim doctrina ipsum fuisse imbutum, iamque quasi in re certissima versans hunc in modum de eo scribit: *Nam quaedam capita, quae repugnare sibi videbantur, exposuit, adeo multa, adeo intima enumerans, vt aliquando ex eadem disciplina fuisse videatur. Quod si fuit, quis eum Demosthenes poterit ab impietate defendere? qui religionis, cui fuerat accensus, et fidei, cuius nomen induerat, et sacramenti, quod acceperat, proditor factus est.* Mox vero, quasi recordatus, et aliam posse huius rei causam intelligi, haec addit: *nisi forte casu in manus eius diuinae literae inciderunt.* Et hunc tamen virum Lactantius coram viderat, eiusque conatibus ipse restiterat, vt dicit l. l. c. IV. §. 1. et nihilominus tamen tam parum certi de ipsius vita habuit. Quid igitur de illis statuemus, qui ab eorum, de quorum fatis exponunt, aetate paulo iam remotiores fuerunt? vt fuisse nouimus scriptores eos, quorum fide omnis illa, quam dixi, de Porphyrii defectione narratio nititur. — Caeterum huius hominis conatu multi in veteri ecclesia sunt excitati, vt ad ea, quae obiecerat, responderent, et sanctissimae religionis nostrae veritatem contra ipsum defenderent, quos omnes diligenter enumerauit *Fabricius* in *Syllab. scriptt. de veritate relig. christ.* c. III. p. 163.

27) Bithyniensem illum sub Diocletiano iudicem dico, cum Hierocle, Platonico philosopho Alexandrino, qui serius aliquanto

vixit, et praeter alia libros *de proridentia et fato* ſcripſit, non confundendum, vt poſt alios recte obſeruauit *Brucker*, l. l. T. II. p. 100 et 307 f. Is autem duos libros aduerſus Chriſtianos edidit, quos ſimili fere, quam Celſus, etſi paululum modeſtiori, titulo vſus, λόγοις φιλαλήθεις πρὸς χριστιανὸς inſcripſit, quorumque eam partem, qua Apollonium Tyanenſem cum Chriſto, ratione miraculorum ab vtroque effectorum, ita contulit, ut illum huic multum praeferret, peculiari ſcripto confutandam ſibi ſumſit *Euſebius*, (vti noſtro aeuo ſimili modo Anti-Hieroclem ſcripſit *Io. Balth. Lüderwald.* Hal. 1793. 8.) quod partim cum ipſius *de praeparatione euangelica* libris aliquoties editum eſt, partim etiam a *Gottfr. Oleario* in editione Operum Philoſtratorum vitae Apollonii a Philoſtrato ſcriptae ſubiunctum, p. 428. ſſ. Quae praeter haec in libro illo tractauerit, ſummatim expoſuit *Lactantius* Inſtit. div. L. V. c. 2. et 3. Illum enim virum, cuius hic, occultato licet ipſius nomine, mentionem facit, eundem cum noſtro Hierocle eſſe, partim libri, quem ei tribuit, inſcriptio docet, quae eadem eſt cum illa, quae apud Euſebium reperitur, partim ex eo etiam adparet quod in argumentis huius libri nominatim illud etiam fuiſſe a Lactantio traditur, (c. III. §. 7.) cui Euſebius peculiari ſcripto reſpondiſſe dixi, partim denique alio eiusdem Lactantii loco conficitur, (*de mort. perſec.* c. 16. §. 4.) quo eundem, quem hic calamitatis, qua Chriſtiani ſub Diocletiano affligebantur, inprimis auctorem fuiſſe narrat, diſerte Hieroclem appellat. Hinc equidem ſatis mirari non poſſum, qui factum fuerit, vt *Siberus* in epiſtolis illis, quarum ſuper. not. mentionem inieci, (p. 395. ex edit. Rhoer.) hunc Lactantii locum non de Hierocle, ſed Porphyrio potius intelligendum eſſe ſibi perſuaderet, ad Hieroclem autem illum ſcriptoris huius locum ſpectare vellet, de quo not. 24. dictum eſt, etſi omnia, vt docui, hunc potius locum ad Hieroclem nos referre iubeant.

28) Quos hic religionis chriſtianae oppugnandae cauſa edidit libros, quorum Cyrillo quidem teſte, tres, Hieronymo autem, (epiſt. 84.) ſeptem fuerunt, eorum maximam partem *Cyrillum Alexandrinum* nobis ſeruaſſe confiat, qui decem ei libris reſpondit, editis illis partim in ipſius Operum editionibus, partim etiam in Iuliani Operum editione ab *Ezech. Spanhemio curata*, (Lipſ. 1696. f. et Amſtel. 1728.) Ex hoc autem Cyrilli opere ſingula huius ſcripti Iulianei fragmenta collegit nuper, cumque gallica verſione ipſis adiuncta peculiari libello edidit Marchio *Argenſius*, cuius hunc titulum fecit: *Defenſe du Paganisme par l'Empereur Julien, en grec et en françois*, Berol. 1769. 8. Edit. 3. in quo tamen libro eum, neque in ipſa horum fragmentorum collectione, neque in eorumdem verſione ea ſemper, qua par erat, fide ac diligentia vſum fuiſſe, iure ſuo monuerunt *Klotzius* in Act. liter. Vol. II. Part. II. p. 175. ſſ. itemque *Erneſtius* in Nov. Biblioth. Theol. Tom. VIII. p. 551. ſſ.

29) Hunc octodecim ἐπιχειρήματα κατὰ χριστιανῶν a Io. Philopono poſt confutata reliquiſſe, *Suidas* ſub voc. Proclus his verbis teſtatur: Οὗτος ἐστι Πρόκλος, ὁ δεύτερος μετὰ Πορφύριον κατὰ χριστιανῶν τὴν μιαρὰν καὶ ἐφύβριστον αὐτῇ γλῶσσαν κινήσας· πρὸς ὃν ἔγραφεν Ἰωάννης ὁ ἐπικληθεὶς φιλόπονος, πάνυ θαυμασίως ὑπαντήσας κατὰ τῶν ιη. ἐπιχειρημάτων αὐτῇ, καὶ δείξας αὐτὸν, κἂν τοῖς Ἑλληνικοῖς, ἐφ' οἷς μέγα ἐφρόνει, ἀμαθῆ καὶ ἀνόητον.

denique factum esse nouimus. Non enim eo consilio calamum aduersus Christianorum religionem strinxisse putandi sunt, vt odio cuidam aduersus illam concepto effundendo locum quaererent, in eamque insurgerent, cum vix credibile videatur, eos vnquam aduersus Christianos scripturos fuisse, si hi religionem suam soli tenuissent, neque gentili dictis factisque obuiam iuissent, sed hoc unum scriptis suis efficere voluerunt, seque effecturos etiam sperarunt, vt nihil causae esse intelligeretur, cur, abiecta gentili religione, christianam omnes amplectantur; quod quidem scriptorum suorum consilium cum Lactantii illum philosophum, tum Iulianum etiam Imperatorem aperte prae se tulisse legimus [30]). In ipsis autem scriptis illis non tam id agebant, vt, quo potissimum fuisset religionis christianae falsitas ipsis

---

Id autem Procli scriptum, non minus ac Philoponi opus ei oppositum, nunc prorsus intercidisse, perperam olim a plerisque fuit existimatum, cum vterque liber, vt recte monuit *Fabricius* ad Marini vitam Procli p. 95. etiamnum extet in huius Philoponi XVIII. de *aeternitate mundi* libris, quibus quippe ipsum illud opus continetur, quod Proclo eum opposuisse Suidas tradit. Plura de hoc Proclo vid. in *Burigny Vie du Philosophe Proclus et Notice d'un Manuscrit, contenant quelques uns de ses Ouvrages, qui n'ont point encore été inprimés*, quae extat in Commentatt. Academ. Inscript. Parisiens. T. XXXI. p. 139. s.

30) De illo enim haec habet *Lactant.* l. I. c. 2. §. 5. *Professus ante omnia, philosophi officium esse, erroribus hominum subuenire, atque illos ad veram viam reuocare, id est ad cultus Deorum, quorum numine ac maiestate, (vt ille dicebat), mundus gubernetur; nec pati, homines imperitos quorundam fraudibus illici, ne simplicitas eorum praedae ac pabulo sit hominibus astutis. Itaque se suscepisse hoc munus philosophia dignum, vt praeferret non videntibus lumen sapientiae, non modo, vt susceptis deorum cultibus resanescant, sed etiam, vt pertinaci obstinatione deposita, corporis cruciamenta deuitent, neu saeuas membrorum laceratione frustra perpeti velint.* Hic autem his apud *Cyrill.* L. II. p. 39. verbis scripti sui consilium declarat: καλῶς ἔχειν μοι φαίνεται τὰς αἰτίας ἐκθέσθαι πᾶσιν ἀνθρώποις, ὑφ' ὧν ἐπείσθην, ὅτι τῶν Γαλιλαίων ἡ σκευωρία πλάσμά ἐστιν ἀνθρώπων, ὑπὸ κακουργίας συντεθέν· ἔχουσα μὲν οὐδὲν θεῖον, ἀποχρησαμένη δὲ τῷ φιλομύθῳ καὶ παιδαριώδει. καὶ ἀνοήτῳ τῆς ψυχῆς μορίῳ, τὴν τερατολογίαν εἰς πίστιν ἤγαγεν ἀληθείας.

declaranda, Iesu Apostolorumque eius historiam vanam et fictam esse ostenderent, sed in eo potius sibi elaborandum esse putabant, vt eadem vitia, quorum Christiani gentilium religionem insimulauerant, quaeque sibi vel in ipsis huius religionis scitis, vel in singulorum philosophorum sectarumque decretis sibi inuicem contrariis reperisse visi fuerant, in christiana etiam deprehendi docerent, hincque simili modo vel in sacris eius libris absurda hinc illinc tradi aut multa in iis sibi prorsus contraria reperiri demonstrarent, vel ipsa Christianorum de religione decreta errorum plenissima, gentilium contra veritati multo magis consentanea esse, omnibus planum facere studerent; id quod ipsis horum scriptorum, quae restant nobis, fragmentis legendis facili quisque negotio intelligere poterit [31]).

Quod autem hunc in modum de religione et sua et christiana iudicarunt, nec de huius veritate persuaderi sibi patiebantur, id et ipsum non ex hostili aliquo in hanc religionem odio ortum, sed aliis potius causis, in opinionibus quibusdam praeiudicatis aliisque iudiciis ab errore aut leuitate quadam profectis vnice illis quae-

---

31) Idem igitur etiam vidit auctor gallici illius, quem supra commemorauimus, libri, *Histoire critique de l'Eclectisme*, qui de argumento horum scriptorum haec habet, T. I. p. 114. *Aucun de ces quatre Auteurs* (Celsus nimirum, Porphyrius et duo illi a Lactantio commemorati) *n'ecrivit en particulier contre la personne de Jesus Christ, sa Vie, ses moeurs, sa Doctrine et ses Miracles. Ce qu'ils disent sur ces differens objets ne formoit pas le gros de leurs Ouvrages. Il y avoit sans doute beaucoup de traits contre Jesus-Christ et contre ses Miracles. On l'y traitoit de Magicien, de Chef de Voleurs, de fils adulterin d'un Soldat nommé Panthere, on y décrioit ses Miracles: on les attribuoit à la Magie, on lui préféroit Apollonius de Tyane etc. Mais on y insistoit beaucoup plus sur les absurdités et les contradictions prétendues de l'Ecriture, sur la vie miserable des Chretiens, sur la vanité de leurs espérances, sur les crimes, qu'on les accusoit de commettre dans leurs Assemblées, sur leur sotte credulité, leur ignorance, la grossiereté du style de leurs Ecrivains, sur leur obstination à mourir, plutôt que d'obéir aux Edits des Empereurs, et aux loix de l'Etat.* etc.

rendis, tribuendum esse putauerim, quae partim ex vniverso religionis et philosophiae ipsorum systemate, partim ex iis etiam, quae Christianorum religioni vitio vertisse reperiuntur, facile cognosci poterunt, iamque pluribus mihi erunt explicandae atque patefaciendae. Atque hic *primum* omnium eiusmodi ipsorum persuasio mihi est commemoranda, qua, vt patriam suam, quod postulabant Christiani, religionem abiicerent, non poterant non prorsus sibi illicitum iudicare. Etsi enim, vt paulo ante vidimus, a nulla, qualiscunque etiam esset, religione abhorrebant, sed omnes potius, quotquot earum reperirentur, colendas esse iudicabant, nemini tamen licere existimabant, ea, quam a parentibus accepisset, neglecta vel penitus adeo relicta aliam sequi sed statuebant potius, eius terrae sacra, qua natus quisque educatusque esset, aut quam per aliquod saltem tempus incoluisset, eaque a maioribus inde accepta, iamque publicis legibus stabilita, constanter ei tenenda esse, religiosissimeque iis vacandum. Nec profecto intellectu admodum difficile aut obscurum esse poterit, qua ratione per eam, quam ipsos supra dixi de singularum gentium numinibus fouisse opinionem, in hanc sententiam fuerint perducti. Cum enim ex hac eorum opinione singula numina eius, quam a summo Deo regendam gubernandamque acceperant, regionis peculiares haberentur praesides atque custodes, eaque cultum, quem sibi ob haec beneficia praestari vellent, ipsa praescripsisse iudicarentur, hinc necessario iam hoc consequebatur, vt haec numina propitia se habere non posse crederent, nisi huic ipsorum cultui sedulam operam nauarent, eo autem omisso omnis generis mala et calamitates ab ipsis metuendas esse statuerent. Atque huius ipsorum sententiae apertos testes habemus *Celsum* v. c. et *Symmachum*, quorum ille leges cuiusque gentis studiose seruandas esse hoc ipso argumento docere sustinet, quod sint a Diis singularum gentium praesidibus pro-

ſectae [32]), hic autem in illa, quam pro ara victoriae habuit oratione, ſupra iam a nobis commemorata, omnia, quae Romanorum imperio acciderint, mala, non nifi ex ſacrorum mutatione orta eſſe declarat [33]). Et eſt profecto tralatitium, hos ipſos, quos Symmachus dicit, Romanos non aliam ob cauſam ſuorum ſacrorum adeo tenaces fuiſſe [34]), quam quod ſui imperii magnitudinem numinibus, quae ab ipſis colebantur, tribuerent, perque haec, vt terrarum domini dicerentur, ſe obtinuiſſe ſibi perſuaderent, ideoque eos ſua etiam ſacra caeteris omnibus tantum praeſtare opinatos eſſe, quantum ipſi ſupra gentes alias omnes eminerent. Neque vero hae tantum de cauſa a religione patria deferenda alieniores erant, quod numinum tutelarium iram ea re provocari metuebant, ſed omnino quamcunque religionem, ſi vel maxime a ſuperſtitione quadam non prorſus vacua ſit, vel hac etiam de cauſa cuilibet conſtanter ſeruandam eſſe iudicabant, quod iam quodam quaſi praeſcriptionis iure gaudeat, et nefas iudicandum ſit, ab iis, quae communi omnium conſenſu ſint probata, recedere velle. Hanc enim iudicandi rationem cum in vniuerſum gentilibus propriam fuiſſe, ex *Tertulliani* [35]) et *Lactantii* [36])

---

32) Apud *Origen.* L. V. p. 248. *χρὴ τᾶς νόμως τηρεῖν, ἃ μόνον καθότι ἐπὶ νῦν ἦλθεν ἄλλως νομίσαι, καὶ ὅτι δεῖ φυλάσσειν τὰ ἐς κοινὸν κεκυρωμένα· ἀλλὰ καὶ ὅτι ὡς εἰκὸς, τὰ μέρη τῆς γῆς ἐξ ἀρχῆς ἄλλα ἄλλοις ἐπόπταις νενεμημένα, καὶ κατά τινας ἐπικρατείας διειλημένα, ταύτῃ καὶ διοικεῖται.*

33) l. l. p. 443. f.

34) Vid. quae de hac ipſorum aeque ac aliorum populorum in ſeruandis ſacris a maioribus acceptis pertinacia ſcripſerunt *Chriſt. Kortholtus in Pagan. obtrect.* L. I. c. V. p. 67. et *Io. Iac. Huldricus* in *gentil. obtrect.* p. 421. ſſ. (Tigur. 1744. 8. iemque *Grunerus* in *Exercitt. de odio humani generis Chriſtianis olim a Romanis obiecto*, p. 45. ſſ. (Coburg. 1755. 8.)

35) Apolog. c. 19. vbi, *apud vos quoque*, inquit, *religionis eſt inſtar, fidem de temporibus aſſerere.*

36) Inſtit. div. L. II. c. 6. §. 7. ita de iis ſcribentis: *Hae ſunt religiones, quas ſibi a maioribus ſuis traditas pertinacif-*

teſtimonio conſtat, tum nec his philoſophis improbatam fuiſſe, iidem, quos teſtes modo prouocaui, Celſus et Symmachus docere nos poterunt, eam quippe in iis, quae laudaui, locis aliquoties profitentes [37]). In eadem vero ſententia Porphyrium etiam fuiſſe, ex illo eius loco apparere putem, quo de Ammonio Sacca eiusque diſcipulo, Origene, dicens, illi quidem laudi ducit, quod dum a chriſtiana ad gentilium religionem transierit, ſacra legibus conſentanea fuerit amplexus, huic autem opprobrio eſſe iudicat, quod e gentili Chriſtianus factus vitam legibus contrariam fuerit ſecutus [38]). Atque ex

---

ſime tueri ac defendere perſeuerant, nec conſiderant, quales ſint; ſed ex hoc probatas atque veras eſſe confidunt, quod eas veteres tradiderunt: tantaque eſt auctoritas vetuſtatis, vt inquirere in eam ſcelus eſſe dicatur. Quibus ſimilia ſunt, quae L. V. c. 19. §. 3. habet: *A quibus ſi perſuaſionis eius rationem requiras, nullam poſſint reddere, ſed ad maiorum iudicia confugiant, quod illi ſapientes fuerint, illi probauerint, illi ſcierint, quid eſſet optimum: ſeque ipſos ſenſibus ſpoliant, ratione abdicant, dum alienis erroribus credunt.*

37) Illum enim non modo in eo, quem not. 32. attulit loco, illud ſeruatum voluiſſe vidimus, quod communis conſenſus approbaſſet, ſed ſtatim etiam poſt illum locum haec eum ſcripſiſſe tradit Origenes: *ὅτι παραλύειν ἐκ ὅσιον εἶναι τὰ ἐξ ἀρχῆς κατὰ τόπους νενομισμένα.* Hic autem in oratione illa aliquoties iam laudata ſaepius cauſae ſuae argumenta ab hac antiquitatis auctoritate petit, veluti p. 442. vbi Romae vrbi haec verba ſubiicit: *Optimi Principes, Patres patriae, reuereminī annos meos, in quos me pius ritus adduxit. Vtor ceremoniis auitis: neque enim poenitet. — Ad hoc ergo ſeruata ſum, vt longaeua reprehendar? videro quale ſit, quod inſtituendum putatur Sera tamen et contumelioſa eſt emendatio ſenectutis. Ergo Diis patriis, Diis Indigetibus pacem rogamus.* Et pag. ſeq. ipſe Symmachus, *praeſtate,* inquit, *oro vos, vt ea, quae pueri ſuſcepimus, ſenes poſteris relinquamus. Conſuetudinis amor magnus eſt. Si longa aetas auctoritatem religionibus faciat, ſeruanda eſt tot ſeculis fides, et ſequendi ſunt nobis parentes, qui feliciter ſecuti ſunt ſuos.* Eadem de cauſa etiam Iulianus Chriſtanis apud *Cyrill.* L. VII. p. 238. id exprobrat, quod patriorum inſtitutorum ſtudium abiecerint.

38) Ita enim habent verba eius ab *Euſebio* ſeruata H. E. L. VI. c. 19. *Ἀμμώνιος μὲν γὰρ χριστιανοῖς ἀνατραφεὶς τοῖς γονεῦσιν, ὅτε τῇ φρονεῖν καὶ τῆς φιλοσοφίας ἥψατο, εὐθὺς πρὸς τὴν κατὰ νόμους πολιτείαν μετεβάλετο· Ὠριγένης δὲ Ἕλλην ἐν Ἕλλησι παιδευθεὶς λόγοις, πρὸς τὸ βάρβαρον ἐξώκειλε τόλμημα· ᾧ δὴ φέρων αὐτόν τε καὶ τὴν ἐν τοῖς λόγοις ἕξιν ἐκαπήλευσε·*

hac ipſa eorum de antiquitatis auctoritate in cauſa religionis ſuſpicienda opinione et illud ortum eſſe nouimus, quod religionem chriſtianam hoc ipſo nomine contemſerint, quod, vt apud *Arnobium* [39]) dicitur, *nouella eſſet religio, et ante dies nata propemodum paucos*, quae cultus inauditos in terrarum orbem introduceret, et ſacra antiquitus inſtituta abolita vellet. Hinc enim eſt, quod Celſus, inuidiam religioni noſtrae creaturus, eam πρὸ πάνυ ὀλίγων ἐτῶν a Ieſu inſtitutam fuiſſe dicit [40]), et Iulianus Ieſu id exprobrat, quod non niſi per trecentos annos celebretur [41]); vt omittam iam ſimilia aliorum ſcriptorum loca, quibus eiusdem criminationis mentionem fecerunt, cum haec in notiſſimis *Kortholti* et *Huldrici* libris ſtudioſe iam ſint collecta [42]).

Neque vero hanc vnam nouitatem chriſtianae religioni vitio vertebant hi philoſophi, ſed et aliis aduerſus eam praeoccupati tenebantur opinionibus peruerſis, quae vt eiusmodi religionem vel prius iam, quam diligentius eius examen inſtituiſſent, repudiandam iudicarent, merito ipſis ſuadere videbantur, hisque equidem *ſecundum* in cauſis illis locum tribuerim, quibus effectum fuiſſe arbitror, vt de religionis chriſtianae veritate perſuaderi ſibi non paterentur. Harum autem opinionum prima haec fuit, quod hanc religionem vel ideo nulla attentione dignam iudicarunt, quoniam a Iudaeis, h. e. barbaris eam profectam videbant, vnde Celſo etiam βάρβαρον δόγμα dicitur [43]). Hos enim quantopere contem-

---

κατὰ μὲν τὸν βίον, χριστιανῶς ζῶν καὶ παρανόμως· κατὰ δὲ τὰς περὶ τῶν πραγμάτων καὶ τῶ θεῖα δόξας, Ἑλληνίζων τε καὶ τὰ Ἑλλήνων τοῖς ὀθνείοις ὑποβαλλόμενος μύθοις.

39) L. II. adu. gent.

40) Apud *Origen.* L. I. p. 21.

41) Apud *Cyrill.* Lib. VI. p. 191.

42) Vid. *Kortholti* Pagan. obtrect. Lib. I. c. I. §. 1. et 2. et *Huldrici* gentil. obtrect. c. XVI. p. 418.

43) Apud *Origen.* L. I. p. 5.

ferint Graeci, qui ſoli ſibi veritatis arbitri eſſe videbantur, cum aliunde iam ſatis conſtat, tum horum etiam hominum ſcripta aperte nos docent, in quibus ſaepe contemtiſſima de iis iudicia occurrunt, quorum vel duo nunc exempla commemorabo, alterum quidem Celſi, qui eos apud *Origenem* [44]) dicit ἀπ' Αἰγύπτου δραπέτας μηδὲν πώποτε ἀξιόλογον πράξαντας, οὔτ' ἐν λόγῳ οὔτ' ἐν ἀριθμῷ αὐτός ποτε γεγεννημένος, alterum vero Iuliani, qui in illis operis ſui fragmentis, quae in Cyrilli VII. libro recitantur, admodum longus in eo eſt, vt Iudaeos nullo plane numero ac loco habendos eſſe demonſtret, cum nec inſignis aliquis dux apud eos fuerit repertus, nec reipublicae leges aut iudiciorum forma vel ciuitatum regundarum ratio alia apud eos obtinuerit, quam miſera et barbara, nec vllos etiam in disciplinis progreſſus fecerint, aut artes liberales tractauerint [45]). Ab his igitur Iudaeis, quos tam contemtim illi habebant, cum et ortos primum ſcirent Chriſtianos, et eorum religionem cum iudaica ita nexam coniunctamque eſſe iudicarent, vt, quod prima iam Chriſtianismi aetate factum fuiſſe nouimus, vtrosque etiamnum ſaepe inter ſe confunderent [46]), quid mirum, ſi nec horum religio pluris ipſis aeſtimanda videretur, quam illorum facta ab iis fuerat? praeſertim cum et diſſidii, quod inter vtramque gentem obtinere videbant, tam parum idoneas cauſas eſſe ſtatuerent, vt vel hoc etiam Chriſtianorum ipſis religio ſuſpecta redderetur [47]). Verum mul-

---

44) L. IV. p. 181.

45) Vid. p. 218. ſſ.

46) Vid. quae de hac vtriusque gentis permixtione ſcripſerunt *Kortholt* l. l. L. I. c. 3. p. 55. ſſ. inprimis vero *Io. Georg Kraft* in Proluſſ. II. *de naſcenti Chriſti eccleſia ſectae iudaicae nomine tuta.* Erlang. 1771. et 72. editis; itemque *Io. Henr. Phil. Seideuſticker* in Diſſ. de Chriſtianis ad Traianum vsque a Caeſaribus et Senatu Romano pro cultoribus religionis Moſaicae ſemper habitis. Helmſt. 1790. 4.

47) Hanc enim inter vtrosque controuerſiam tam ſtultam et va-

to adhuc maiorem ad animos eorum a religione chriſtiana abalienandos vim alia haud dubie habuit peruerſa eorum perſuaſio, qua ingentium illorum malorum et calamitatum, quibus tum temporis imperium Romanum affligebatur, nullam exiſtimabant aptiorem et iuſtiorem cauſam intelligi poſſe, quam peſtiferae huius religionis inſignem, quam tum animaduertebant, propagationem: cuius quidem criminationis in ſanctiſſimam religionem noſtram olim coniectae tot ſcriptorum illius aetatis teſtimonia nobis ſuperſunt, vt ſi quis omnia colligere velit, integer libellus iis poſſit impleri [48]). Fuit enim adeo vulgaris, vt nulla propemodum vel leuiſſima calamitas oriretur, quin ſtatim in Chriſtianos culpa eius transferretur [49]), eratque haec omnium propemodum frequentiſſima cauſa vexationum, quas gentiles Chriſtianis tum attulere [50]), vnde hi peculiaribus tandem ſcri-

---

nam iudicabant, vt Celſus quidem apud *Origenem* L. III. p. 112. eam contentioni de aſini vmbra ſimilem dicere non dubitet, hincque Chriſtianos ſaepiſſime hoc nomine accuſabant, quod praeter omnem rationem a Iudaeis et patria lege defeciſſent, quod fecerunt v. c. idem Celſus ab init. L. II. operis *Origen.* et Iulianus apud *Cyrill.* L. VII. p. 238. Quare cum eos et a Iudaeis et a gentilibus diuerſos eſſe viderent, factum hinc eſt, vt *tertium* eos *hominum genus* contumeliae cauſa dicerent, de qua appellatione videndi ſunt *Kortholt.* l. l. L. I. c. IV. p. 65. et *Huldric.* l. l. c. 25. p. 490.

48) Et haec ſtudioſe iam collecta ſunt a *Kortholto* l. l. L. III. c. XV. p. 664. ſſ. et *Huldrico* l. l. c. 17. p. 427. ſſ. Fuiſſe autem hanc calumniam nec huius, de quo nunc loquor, philoſophorum generis ſectatoribus ignotam, *Symmachi* inprimis locus docet, quem *Kortholt.* p. 673. attulit, cui addiderim equidem alium *Iuliani* ex Epiſt. VII. p. 376. vbi *διὰ γὰρ*, inquit, *τὴν Γαλιλαίων μωρίαν ὀλίγε δεῖν, ἅπαντα ἀνετράπη, διὰ δὲ τὴν τῶν θεῶν εὐμένειαν σωζόμεθα πάντες.*

49) Facit huc inprimis *Tertulliani* locus, *Apologet.* c. 40. in quo de hoſtibus Chriſtianorum haec habet: *praetexentes ſane ad odii defenſionem illam quoque vanitatem, quod exiſtimant, omnis publicae cladis, omnis popularis incommodi Chriſtianos eſſe cauſam. Si Tiberis aſcendit in moenia, ſi Nilus non aſcendit in arua, ſi coelum ſtetit, ſi terra mouit, ſi fames, ſi lues, ſtatim Chriſtianos ad leonem.*

50) Quod pluribus equidem, quam factum eſſe video, docendum fuiſſe arbitror *Gottl. Frid. Gudio* in Comment. *de cau-*

ptis huic calumniae coacti ſunt occurrere, e quo genere nouimus *Arnobii aduerſus gentes* libros eſſe, item *Auguſtini* eos, quos *de ciuitate Dei* inſcripſit, *Orosii* porro ſacram hiſtoriam, et denique *Cypriani* ad Demetrianum, Africae Proconſulem, librum. Neque vero calumniae tantum cauſa hac criminatione vſi fuiſſe videntur, ſed vere arbitror ipſis ea de re fuiſſe perſuaſum. Vt enim homines omni tempore in hanc ſententiam inclinaſſe et etiamnum inclinare reperiuntur, vt in rerum externarum proſpero aut aduerſo ſtatu ſupremi numinis vel amoris vel irae ſignum agnoſcerent, ita illius etiam aetatis hominum animos haec opinio occupauerat, vt ex vniuerſorum aeque populorum ac ſingulorum hominum fatis haud obſcure intelligi poſſe ſtatuerent, vtrum Deum aut propitium haberent, aut infenſum, vtque ex eorum vel felici vel infelici ſorte de religionis etiam, quam profiterentur, vel veritate vel falſitate iudicarent. Vnde v. c. gentiles ſacra Chriſtianorum vera Deoque accepta non eſſe, ex eo quidem certiſſime intelligi poſſe arbitrabantur, quod Deus, quem colerent, tot eos tantisque malis affligi pateretur [51]); ſimilemque in modum etiam Celſus de Iudaeis iudicat, qui, quam cari Deo hi fuerint, facile dicit a quolibet intellectum iri, ſi ipſi modo eorumque regio ſpectentur [52]). Neque Chriſtianos etiam ab hac opinione alienos fuiſſe, id nobis documento eſt, quod in omnibus e. c. aduerſis eorum, a quibus vexabantur, fatis irae et vindictae diuinae argumentum quaerebant, (quae ſiniſtra iudicandi ratio *Lactantii* v. c. libellum peperit, quem *de mortibus perſecutorum* con-

---

fis odii paganorum in Chriſtianos et decem perſecutionum originibus, (p. VIII.) quae praefationis loco praemiſſa eſt libro eius ſic inſcripto: *Paganus Chriſtianorum laudator et fautor.* Lipſ. 1741. 4.

51) Vid. quae de hac ipſorum opinione occurrunt apud *Kortholtum* l. l. L. III c. XIV. §. 1. p. 654.

52) Apud *Origen.* L. III. p. 264.

ſcripſit), quodque calumniam illam de religione chriſtiana publicarum calamitatum cauſa ita in gentiles retorſerunt, vt ipſorum potius idololatriam vitamque peruerſam et impiam vnicam horum malorum cauſam eſſe defenderent [53]). Neque alia, vt puto, cauſa ductus Conſtantinus M. etiam in ſcriptis illis inſtitutionibus, quas, vt homines a plurium numinum cultu paulatim auocaret, per prouincias imperii circumferri curauit, id potiſſimum eos admonuiſſe legitur, vt ſuorum temporum felicitatem cum priſtinis miſeriis compararent, magnamque illam negotiorum publicorum, quae ipſo imperante facta eſſet, in melius mutationem, nulli alii auctori tribuendam eſſe intelligerent, quam Chriſtianorum Deo ipſius fide placato [54]). Eadem igitur peruerſa iudicandi ratione inducti, cum et hi philoſophi publicorum, quae tum erant, malorum cauſam in tantis illis, quos chriſtiana religio fecerat, et adhuc indies faciebat, progreſſibus quaerendam eſſe ſtatuerent, quid mirum, ſi religionem fuerint auerſati, quam ſuis, quae colebant, numinibus tam inuiſam eſſe exiſtimabant, vt aſſenſum illi habitum tam grauibus poenis vlciſcendum iudicarent?

His autem, quibus horum, quos nunc dico, philoſophorum animos a religione chriſtiana probanda vel ſuscipienda auocatos fuiſſe, hactenus docui, cauſis, *tertia* iam eaque omnium haud dubie grauiſſima accedebat haec, quod, vt ipſi quidem verbis prae ſe ferebant, ſuam, quam profiterentur, religionem vtique veram, chriſtianam contra vanam et effictam eſſe, ita id ipſum multis, iisque ex ipſorum quidem mente grauiſſimis argumentis

---

53) Loca ſcriptorum eccleſiaſticorum huc pertinentia collegit *Kortholt.* l. l. p. 689. ſſ.

54) Quae res ab *Euſeb.* traditur in *Vita Conſtant.* L. III. c. 53. cf. quae de ſapienti hoc ipſius inſtituto ſcripſit *Io. Guil. Hoffmann* in Diſſ. lectu digniſſima, qua *ruinam ſuperſtitionis paganae variis obſeruationibus ex hiſtoriis eccleſiae ſaec. IV. et V. illuſtrauit*, (Vitemb. 1738. 4.) p. 6. ſq.

inducti, vere etiam ſibi perſuaſerant [55]); quae vt paulo diligentius nunc exponam, mei iam inſtituti ratio poſtulat. Fuiſſe autem eos id, quod dixi, profeſſos, ſuae religionis ac philoſophiae formulam Chriſtiana multo potiorem eſſe, cum vniuerſum ſcriptorum, quae Chriſtianis oppoſuerunt argumentum declarat [56]), tum inde etiam intelligitur, quod Chriſtianos hac ipſa de cauſa, quoniam in errore eos verſari iudicabant, ſtultos ac ſtolidos appellaſſe eorumque religionem anilium fabularum et nugarum nomine reieciſſe reperiuntur [57]). Quod vero, dum hoc ita dicebant, non vana tantum et mera calumnia vſi fuerint, ſed ex animi id ſententia dixerint, id iis iam argumentis afferendis planum me facturum arbitror, quibus in hanc ſententiam videntur fuiſſe inducti. Horum autem in numero primum equidem illud poſuerim, quod, quae ipſis in Chriſtianorum doctrina probanda eſſe et recte ab iis dici videbantur, eadem ſuae etiam gentis philoſophos non modo et ipſos dudum tradidiſſe, ſed aptius etiam et melius propoſuiſſe perſuaſum ſibi habebant. Id enim non modo in vniuerſum pluribus ſcriptorum ſuorum locis praedicarunt [58]), ſed ſin-

---

55) Quod de Iuliano nominatim iam defendit *Argensius* in Differt. praelimin. verſioni fragmentor. eius ſupra (not. 28.) commemoratae praemiſſa, p. 28. edit. prim.

56) Hinc v. c. *Cyrillus* aduerſ. Iulian. L. I. p. 6. vniuerſum librorum Iuliani, contra quos pugnat, argumentum eo redire dicit, vt docere is ſtudeat, errare Chriſtianos, et a recta via imprudenter recedere, et tanquam per praerupta ſcopulorum ferri, ac prorſus ineptum ſummo omnium Deo cultum exhibere, neque ſapientis Moſis legibus, neque Graecorum ritibus ac moribus congruentem.

57) Legenda ſunt, quae de hoc eorum conuicio collegerunt *Kortholt* l. l. L. I. c. IX. p. 124. ſq. et c. XI. p. 159. ſq. et *Huldricus* l. l. p. 139.

58) Sic Celſiani quidem operis non exiguam partem in hac re demonſtranda verſatam eſſe, teſtis nobis eſt *Origenes*, qui ſub finem L. V. p. 274. haec de eo refert: *λέξεσί τισι, τοῖς πιστεύουσι τῷ χριστιανῶν λόγῳ συνεχῶς ὀνομαζομέναις, ἀντιπαρατίθησιν ἀπὸ τῶν φιλοσόφων· βουλόμενος τὰ καλὰ τῶν νομιζομένων Κέλσῳ παρὰ χριστιανοῖς λέγεσθαι, καὶ βέλτιον καὶ τερανότερον εἰρῆσθαι παρὰ*

gulis etiam ſubinde exemplis, cum ad credendorum ſcita, tum morum etiam praecepta illis quidem pertinentibus, confirmarunt et illuſtrarunt, e. c. dogmate de Deo et mundi creatione [59]), item praeceptis de moribus cum vniuerſis [60]), tum ſingulis etiam, vt de humilitate [61]), deque iniuriis nec inferendis nec repellendis [62]), et ſ. p. Neque vero ipſi modo philoſophi noſtri hoc dictitabant, ſe multa eorum, quae ad ſummam religionis pertineant, cum Chriſtianis communia habere, ſed chriſtiani etiam doctores tam parum aberant, vt id inficias irent, vt ipſi potius ſerio contenderent, vtique eos verum in multis vidiſſe, deque moribus etiam recte et praeclare praecepiſſe, ſaterenturque adeo, eos in his quidem parum aut nihil propemodum a religione chriſtiana abeſſe; in quam rem praeter alios luculentus inprimis et maxime notabilis eſt *Auguſtini* locus, omnibus iam hac in re laudatus, quo de Platone aliisque Graecorum philoſophis antiquioribus dicens, haec ſcribit [63]): *Itaque ſi hanc vitam illi nobiscum rurſum agere potuiſſent, viderent profecto, cuius auctoritate facilius conſuleretur hominibus, et paucis mutatis verbis atque ſententiis Chriſtiani fierent, ſicut plerique recentiorum noſtrorum-*

τοῖς φιλοσοφῆσιν. Et ſequenti libr. VI. in quo huic eius calumniae obuiam ire ſtudet, his prorſus ſimilia addit haec: παρέθετο γὰρ πλείονα, μάλιστα Πλάτωνος, ὁ Κέλσος, κοινοποιῶν τὰ δυνάμενα ἑλεῖν τινὰ καὶ σύνετὸν ἐκ τῶν ἱερῶν γραμμάτων· φάσκων, βέλτιον αὐτὰ παρ' Ἕλλησιν εἰρῆσθαι, καὶ χωρὶς ἀνατάσεως καὶ ἐπαγγελίας τῆς ἀπὸ Θεῦ, ἢ υἱῦ θεῦ. Similiter vero et Iulianum in libris ſuis ſaepe id egiſſe, vt, quae *Cyrilli* ſunt verba lib. III. p. 96. ſua dogmata cum chriſtianis conferret, ipſa eorum fragmenta a *Cyrillo* ſeruata quemque docere poſſunt.

59) *Celſ.* apud *Origen.* L. VII. p. 360. et *Iulian.* apud *Cyrill.* L. III. p. 96.

60) *Celſ.* apud *Origen.* L. I. p. 6. et *Iulian.* apud *Cyrill.* L. V. p. 152.

61) *Celſ.* apud *Origen.* L. VI. p. 285.

62) Idem L. VII. p. 370.

63) Libr. de vera relig. c. 4. Opp. T. I. p. 559.

que temporum Platonici fecerunt. Huius enim loci non alium ſenſum, niſi hunc eſſe, vt philoſophos hos, ſi pauca quaedam verba et ſententias, religioni chriſtianae non ſatis congruentes, mutaſſent, huic religioni aequae propinquos futuros fuiſſe dicat Auguſtinus, ac ſint ſuae aetatis Platonici, alius eiusdem ſcriptoris locus docet, huic prorſus ſimilis, in quo eandem ſententiam his verbis proponit [64]): *Ex quo intelligitur, ipſos quoque Platonicae gentis philoſophos paucis mutatis, quae chriſtiana improbat diſciplina, inuictiſſimo vni regi Chriſto pias ceruices oportere ſubmittere, qui iuſſit et creditum eſt, quod illi vel proferre metuebant.* Quae autem his locis de Platonicis nominatim defendit Auguſtinus, eadem in ſimillimam huic ſententiam de philoſophis gentilium vniuerſis profeſſus eſt *Lactantius*, his quidem verbis vſus [65]): *Facile eſt docere, paene vniuerſam veritatem per philoſophos et ſectas eſſe diuiſam. — Quod ſi exſtitiſſet aliquis, qui veritatem ſparſam per ſingulos, per ſectasque diffuſam colligeret in vnum ac redigeret in corpus; is profecto non diſſentiret a nobis.* Quam firmiter autem his doctoribus chriſtianis de hac gentilis philoſophiae cum doctrina chriſtiana conuenientia fuerit perſuaſum, exinde etiam adparet, quod de via adeo et ratione, qua harum rerum ſcientia ad hos philoſophos peruenisſet, quaeſiuerunt; quam quidem ſibi reperiſſe viſi ſunt partim in commercio quorundam horum philoſophorum, nominatimque Platonis, cum Hebraeis olim in Aegypto habito [66]), partim vero in na-

---

64) Epiſt. ad Dioſcor. §. 21. Opp. T. II. p. 255.

65) Inſtit. div. L. VII. c. 7. §. 2 – 4.

66) Loca veterum ſcriptorum, quibus commercii huius mentionem iniiciunt, praeter *Kortholtum* l. l. p. 27. ſ. inprimis collegit *Io. Lamius* in libr. *de recta Chriſtianorum in eo, quod myſterium diuinae Trinitatis attinet ſententia*, (Florent. 1733. 4.) L. II. c. 6. p. 101. ſq. Lib. III. tot. L. IV. c. 1. p. 184. ſq. In compendio autem eadem exhibuit *Lenfant. Biblioth. Germ.*

turalis cuiusdam reuelationis, quam vniuerſo hominum generi, illius quidem λόγȣ interuentu, cuius omnes homines participes facti ſint, contigiſſe ſtatuebant[67]). Neque tamen vel Chriſtiani in omnibus philoſophos hos verum aſſecutos eſſe ſibi perſuadebant: multa quippe in eorum philoſophia etiam improbantes, eaque humanis inuentis et erroribus tribuentes [68]): vel hi ipſi in multis ſe cum Chriſtianis non conſentire ignorabant aut inficiabantur, ſed in his veriorem ſe et rectiorem ſententiam ſequi iudicabant, quod nouum equidem argumentum

---

T. II. art. V. p. 124. ſqq. Nec inter recentiores etiam deſuerunt, quibus idem hoc antiquorum eccleſiae doctorum commentum probaretur, quos omnes commemoratos vid. apud *Brucker*. in Hiſtor. crit. Philoſ. Vol. I. p. 635. ſq. qui ibidem eos etiam recenſet, qui illud impugnarunt, quibus addendus iam eſt auctor Hiſtoriae critic. philoſoph. eclecticae aliquoties iam laudatae, T. II. p. 92. ſqq. et quem ille laudat, *Calmetus*. De primis autem huius opinionis auctoribus eiusque pretio videnda, quae ſcripſit nuper *Meiners* in praeclaro illo libro: *Geſchichte des Urſprungs, Fortgangs und Verfalls der Wiſſenſchaften in Griechenland und Rom.* Vol. I. p. 375. ſq.

67) Pertinet huc v. c. *Origenis* quidam locus ex ipſo illo contr. Celſum opere, L. VI. p. 276. in quo *ὁ Θεὸς γάρ*, inquit, *αὐτοῖς ταῦτα*, (quae de Deo dixerunt) *καὶ ὅσα καλῶς λέλεκται, ἐφανέρωσε;* ad quem locum vid. quae in nota ei ſubiecta ſcripſit *Moshemius* in verſ. huius libri german. p. 593. qui recte monet, hanc reuelationem de ea eſſe intelligendam, quam hominibus per diuinum illum λόγον contigiſſe ſtatuebant, de qua re inprimis luculentus eſt *Iuſtin. Mart.* locus, *Apol.* II. §. 10. p. 78. edit. Thalem. in quo, *ὅσα γάρ*, inquit, *καλῶς ἀεὶ ἐφθέγξαντο καὶ εὗρον οἱ φιλοσοφήσαντες ἢ νομοθετήσαντες, κατὰ λόγȣ μέρος ἐνρέσεως καὶ θεωρίας ἐξὶ πονηθέντα αὐτοῖς.* Hunc autem *λόγον θεῦ* cum in Chriſto poſtea conſediſſe defenderent Chriſtiani, factum hinc eſt, vt non dubitarent, omnes eos, qui ex praeſcripto eius vixiſſent, Chriſtianis accenſere, in quam rem non minus notabilis eſt eiusdem *Iuſtini Mart.* locus, *Apol.* I. §. 61. p. 43. qui ſic habet: *τὸν χρισὸν πρωτότοκον τȣ̃ Θεȣ̃ εἶναι ἐδιδάχθημεν, καὶ προεμηνύσαμεν λόγον ὄντα, ἒ πᾶν γένος ἀνθρώπων μετέσχε. καὶ οἱ μετὰ λόγȣ βιώσαντες χρίςιανοί εἰσι, κἂν ἄθεοι ἐνομίσθησαν· οἷον ἐν Ἕλλησι μὲν Σωκράτης καὶ Ἡράκλειτος, καὶ οἱ ὅμοιοι αὐτοῖς.* Plura huius generis loca collecta ſunt in *Io. Chriſtoph Dommerich* Pr. *de ΛΟΓΩΙ Patrum Philoſophiae fonte*, Helmſt. 1760. 4.

68) Docent hoc *Iuſtin Mart.* in *Dial. c. Tryph.* p. 218. edit. Colon. *Clem. Alexandr. Stromat.* L. I. p. 288. edit. Colon. et *Lactant. Inſtit. div.* L. VII. c. 7. §. 3.

esse arbitror, quo inducti, Christianorum religionem erroris accusandam esse censuerunt. Horum autem, quae inter vtrosque erant controuersa, cum primarium ac vnicum fere illud fuerit, quod Christiani plurium Deorum cultum improbarent, hi vero vtique eos colendos adorandosque esse defenderent, in eo quidem philosophos hos a se impetrare non potuisse, vt cum Christianis facerent, non est profecto, quod magnopere miremur, cum ipsis haec Deorum, quos colebant, causa multis iisque validissimis argumentis praeclare munita esse videretur. Fouebant enim, vt supra iam dixi, hanc de Diis illis opinionem, esse eos summi omnium Dei ministros et quasi legatos, quibus ille orbis terrarum gubernationem ita demandauerit, vt quisque eorum certam quandam gentem et regionem nactus sit, cui solus praeesse, cuiusque commodis prospicere, et quouis modo consulere debeat, vnde iis θεοὶ μεριποὶ vel μέριτοι [69]) itemque ἐθνάρχαι et πολιάρχοι [70]) dicuntur. De qua quidem ipsorum sententia cum innumera fere eorum testimonia exstent, nunc aliquot saltem ex iis, quae inprimis perspicua sunt, attulisse sufficiat. Primum esto *Iamblichi*, vel quisquis alius libri *de mysteriis*, qui sub eius nomine hodie circumfertur, auctor est [71]), testimonium, his quidem verbis conceptum [72]): καθ' ἕκαστον τε ἔθνος

69) Quae appellatio in *Iuliani* v. c. fragmentis occurrit apud *Cyrill.* L. IV. p. 115 et p 148. itemque apud *Porphyrium* in libr. *de abstinent. ab esu animal.* L. I. § 57. p. 99. edit. *Iac. de Rhoer*, qui in nota ad h. l. recte monuit, θεοὺς μεριποὺς eos esse qui peculiari alicui parti praesint, nimirum certae cuidam genti aut regioni.

70) Haec etiam nomina vel apud vnum v. c. *Iulianum* saepissime occurrunt, cuius rei haec ipsa, quae post attuli, Cyrilli loca exemplo esse possunt.

71) De qua re videndus est *Meiners* in dissertat. Vol. IV. Commentatt. societ. reg. scient. Goetting. p. 505 sq. inserta, qua librum hunc non esse a Iamblicho profectum multis argumentis euincere studuit.

72) Sect. V. c. 25. p. 140. ad quem locum conferri etiam me-

τῆς ἐπὶ γῆς διακεκλήρωταί τις ὑπ' αὐτῷ (τῷ θεῷ) κοινὸς προστάτης· καὶ καθ' ἕκαστον ἱερὸν ὁ ἴδιος. Ab hoc doctore ſuo eandem haud dubie ſententiam accepit *Iulianus*, qui his eam verbis profitetur [73]): οἱ ἡμέτεροι φασὶ τὸν δημιουργὸν ἁπάντων μὲν εἶναι κοινὸν πατέρα καὶ βασιλέα, νενεμῆσθαι δὲ τὰ λοιπὰ τῶν ἐθνῶν ὑπ' αὐτῷ ἐθνάρχαις καὶ πολιούχοις θεοῖς, ὧν ἕκαστος ἐπιτροπεύει τὴν ἑαυτῷ λῆξιν οἰκείως αὐτῷ; quibus ſimilia habet alio loco [74]), κοινὸν μὲν, inquiens, ἐκεῖνον (τὸν τῷ κόσμῳ δημιουργὸν) ὑπολαμβάνομεν ἁπάντων δεσπότην; ἐθνάρχας δὲ ἄλλους, οἱ τυγχάνουσι μὲν ὑπ' ἐκεῖνον, εἰσὶ δὲ ὥσπερ ὕπαρχοι βασιλέως, ἕκαστος τὴν ἑαυτῷ διαφέροντως ἐπανορθούμενος φροντίδα. Neque dubito in eiusdem rei teſtimonium *Maximi* etiam *Madaurenſis* verba laudare, quae eandem ſententiam, verbis tamen paulo obſcurioribus propoſitam, produnt, etſi haec in longe alienum ſenſum peruerterit *Moshemius*. Habent autem ſic [75]): *Equidem vnum eſſe Deum ſummum ſine initio, ſine prole naturae, ceu patrem magnum atque magnificum, quis tam demens, tam mente captus neget eſſe certiſſimum? Huius nos virtutes, per mundanum opus diffuſas, multis vocabulis invocamus, quoniam nomen eius cuncti proprium videlicet ignoramus. Nam Deus omnibus religionibus commune nomen eſt. Ita fit, vt dum eius quaſi quae-*

---

rentur, quae in notis huic ſcriptori ſubiectis obſeruauit *Thom. Gale* p. 278. qui recte monet, hanc ſententiam ſatis iam antiquam eſſe, et vt ipſe quidem ſtatuit, ab Aegyptiis videri ad Graecos transiiſſe. Quod cum ipſe etiam viderit *Moshemius* in notis ad verſ. germ. operis *Origeniani* contra *Celſ.* p. 533. ſq. neſcio profecto, qui factum fuerit, vt idem tamen in Diſſert. *de turbata per Platonicos eccleſ.* §. 20. contenderet, eam nunc demum ab his philoſophis hoc conſilio fuiſſe excogitatam, vt ea ſtabilienda Chriſtianorum in religionem ſuam tela retunderent.

73) Apud *Cyrill.* L. IV. p. 115.

74) Ibid. p. 148.

75) Apud *Auguſt.* Epiſt. *XVI.* §. 1. Opp. T. II. p. 15.

dam membra carptim variis ſupplicationibus proſequimur, totum colere profecto videamur. In hoc enim loco eas, quas per vniuerſum mundum diffuſas eſſe dicit, *virtutes* non alias eſſe, niſi naturas intelligentes ex Deo ſummo prognatas [76]), perque has hos ipſos Deos minores intelligi, id quidem certiſſimum eſſe arbitror ex iis, quae apud eundem ſcriptorem mox ſequuntur, verbis, eandem ſententiam multo planius declarantibus, iisque ſupra iam (pag. 396.) a me allatis. Quod enim hic colendis ſummi Dei *virtutibus* per vniuerſum mundum quaſi disperſis totum illum Deum coli profitetur, idem ibi diſerte per *Deorum* cultum fieri dicit. Vnde profecto falſus eſt *Moshemius*, qui, cum veram vocabuli *virtutum*, quae h. l. obtinet, ſignificationem neglexiſſet, hunc locum eo conſilio excitauit [77]), vt oſtenderet, horum philoſophorum quosdam ad euitandos Chriſtianorum in religionem gentilium popularem impetus hanc etiam viam iniiſſe, vt omnes Deos inferiores de medio prorſus tollerent, et vnius tantum Dei varias perfectiones et virtutes multis nominibus exprimi, et perſonarum habitu veſtitas a ſacrificantibus coli praeciperent; quam ſententiam ab huius ſcriptoris mente longe alieniſſimam eſſe, ex iis, quae dixi, quemlibet iam

---

76) De eiusmodi enim naturis intelligentibus vocabulum *virtutum* ſaepiſſime dici, neminem latebit, qui vel vnum aliquem latinorum Patrum perlegerit, in quorum ſcriptis angeli quidem centies virtutum nomine appellantur, atque de iisdem graecum etiam *δυνάμεων* vocabulum dici, vel ex *Suiceri Theſauro* T. I. p. 969. quisque, cui adire eum lubuerit, cognoſcere poterit. Fuiſſe vero hoc vocabulum de his etiam gentilium Diis vſurpatum, perſpicue docet *Euſebii* locus, *Praep. euangel.* Lib. IV. ſub init. in quo gentiles hoc Chriſtianis vitio vertere dicuntur, eos *τὰ μέγιστα ἀσεβεῖν, τὰς ἔτως ἐμφανεῖς καὶ ἐνεργετικὰς δυνάμεις ἐν ἑδενὶ λόγῳ τιθεμένυς.* Eſſe autem hanc vocem in hoc etiam loco ſic explicandam, vt *virtutes* ſummi Dei dicantur naturae eſſe ab ipſo prognatae, inde adparet, quod poſt §. 4. eiusdem loci Deus diſerte dicitur Deorum *pater*, vnde iidem in hoc ipſo etiam loco dicuntur eius quaedam quaſi membra.

77) §. 20. Diſſert. modo laudatae.

perſpecturum eſſe arbitror. Hanc vero de Diis inferioribus, a Deo ſummo mundi gubernationi praefectis, ſententiam cum non temere noſtri defendere videri vellent, eandem argumentis etiam ab iis ſubinde confirmatam fuiſſe legimus, quibus de illius veritate vtique ipſis perſuaſum fuiſſe crediderim. Primarium eorum illud eſt, quod, cum indignum ſummo Deo putauerint, mundum ipſum gubernare, eum neceſſario miniſtrorum quorundam ope ea in re vti debuiſſe defendunt, quo quidem argumento *Iulianus* inprimis aliquoties vſus fuiſſe reperitur [78]). Tum eiusmodi Diis minoribus ideo etiam opus eſſe iudicabant, vt creationis naturarum mortalium ratio reddi poſſet. Etenim Deum ſummum nil niſi immortale gignere poſſe ſtatuebant, mortalia autem omnia a Diis illis minoribus creata eſſe docebant; cuius quidem opinionis apud *Celſum* aeque ac *Iulianum* ſatis aperta veſtigia occurrunt [79]). Atque vel ex ipſa adeo rerum experientia et *a poſteriori*, vt ſcholae loquuntur, doceri poſſe ſibi perſuaſerat *Iulianus*, eſſe eiusmodi ſingularum ciuitatum ac gentium praeſides, ſi nimirum inſigne illud ſingularum gentium discrimen in moribus earum animique indole conſpicuum ſpectetur, quo fiat, vt aliae aliis virtutibus aut vitiis praeditae conſpiciantur, cuius quidem discriminis nullam reddi poſſe dicit idoneam rationem, niſi ea ab his earum praeſidibus, ingenii morumque ratione et ipſis inter ſe admodum diuerſis, repetatur [80]). His igitur aliisque pluribus de cauſis cum Deos eiusmodi inferiores neceſſario ſtatuendos eſſe ſibi

---

78) Vid. v. c. quae habet apud *Cyrill. L. IV.* p. 148. vbi dicit, ſe melius Iudaeis de mundi huius opifice ſentire, cum putet, eum communem eſſe vniuerſorum Dominum, neque in eorum Deorum numerum ipſum referat, qui ſingulas terras adminiſtrent, quosque ille ſubiectos ſibi habeat.

79) De illo videndus *Origen.* L. IV. p. 199. de hoc autem *Cyrill.* L. II. p. 65.

80) Locum vid. apud *Cyrill.* L. IV. p. 116.

perſuaſiſſent, facile adparet, huius opinionis vtique conſequens fuiſſe, vt grati iam animi eſſe ſtatuerent, hos Deos diuino cultu proſequi, a quibus omnis generis bona proficiſcerentur, ſibique ab ira ipſorum metuerent, ſi hunc eorum cultum neglexiſſent, hincque factum eſt, vt Chriſtianos ſaepe hac ipſa de cauſa ingratiſſimi animi accuſarent, quod ab hoc cultu abhorrerent. At vero hi tantum aberant, vt eiusmodi ſententiam, quae Deum ſummum deſidem quaſi faceret, eumque mundi a ſe conditi nullam plane curam habere vellet, amplecterentur, vt eam potius ipſo admodum indignam iudicarent [81]), eundemque Deum, qui mundum condidiſſet, eum etiam regere ac gubernare acriter defenderent, etſi caeteroquin non dubitabant, angelos ipſi quaſi ſocios quosdam et miniſtros ea in re iungere, hisque ipſis in hoc negotio adminiſtrando ſingularum gentium ac ciuitatum quaſi praefecturas quasdam decernere [82]). Et quamquam ipſi quidem his Dei in gubernando mundo adminiſtris quoddam etiam cultus genus habere non prorſus detrectabant [83]), eum tamen, qui gentilium Diis habebatur, tantopere improbabant, vt hac ipſa de cauſa, quod haec numina hunc cultum poſtulaſſent ſibique vindicaſſent, malos daemones eos eſſe ſtatuerent [84]). In hanc autem ſententiam cum gentiles concedere non poſſent, (quod nemo profecto mirabitur, qui quam dura et iniqua ea fuerit, cogitet), nonne neceſſe erat, vt ſuam cauſam hac

---

81) In quam rem videri poteſt v. c *Cyrill.* adv. *Iulian.* L. IV. p. 116. ſſ.

82) Quam ſententiam e. c. defendit *Clem. Alexandr. Stromat.* L. VI. p. 693. edit. Colon. *κατά τε γάρ*, inquiens, *τὰ ἔθνη καὶ πόλεις νενέμηνται τῶν ἀγγέλων αἱ προσασίαι· τάχα δὲ καὶ τῶν ἐπὶ μέρεσ, ὧν ἐνίοις ἀποτετάχαται τινες.*

83) A quo certe *Origenes* non omnino ſe alienum profeſſus eſt *contra Celſ.* L. VIII. p. 386. ad quem locum vid. quae ſcripſit *Moshemius* p. 822. verſ. germ.

84) Cf. v. c. *Origen. contr. Celſ.* L. VII. p. 355. et 378. L. VIII. p. 386. itemque *Cyrill. aduerſ. Iulian.* L. IV. p. 121.

in re vtique meliorem iudicarent, quam quidem Christianorum? Eundem vero in modum in iis etiam, quae christianae religioni propria erant, rectiorem se sententiam sequi opinabantur, cum multa in iis reperisse sibi viderentur, quae non possent non a vero aliena et absona haberi. Etsi enim minime equidem negauerim, in iis, quae Christianis in scriptis suis obiiciunt, talia nonnunquam occurrere, quae a calumnia parum aut nihil propemodum absint, quaeque vix videantur ex animi sententia dixisse, iniquus tamen admodum fuerit, qui omnia in hanc classem referre velit, nec concedat, eos pleraque iure a se taxari credidisse. Sunt enim in iis alia quidem eiusmodi, vt recte fuissent ab iis reprehensa, si vel sic, vt ipsi ea proposuerunt, a Christianis tradita, vel ab omnibus saltem Christianis defensa fuissent; alia vero falso quidem et praeter rationem ab iis carpuntur, sed habent tamen vtique aliquid, quod iustae dubitationi obnoxium esse videatur, fueruntque omni tempore multis eorum etiam, quos bene alias in religionem nostram animatos esse constaret, offensioni; cuius vtriusque generis quaedam age exempla deinceps videamus. Ad prius quidem maxime pertinent dogmata quaedam, quorum sensum male illi perceperant; quale est illud de fide Christo eiusque religioni habenda, quod cum vel perperam illi intellexissent, vel quidam etiam Christianorum incautius de eo fuissent locuti, (id quod etiamnum a non paucis subinde fieri, optimi quique dolent,) ita peruerterunt, vt sanae rationis vsum a Christianis penitus sperni, et coecam ab iis fidem postulari quererentur [85]). Simili modo Christianorum etiam doctrinam de mortuorum corporibus ab inferis excitandis *Celsum* quidem ideo irrisisse *Origenes* tradit [86]), quod eam non satis fuerit assecutus, sed ita acceperit, ac si anima-

85) Quod fecit v. c. *Celsus* apud *Origen.* L. I. p. 8.
86) Lib. VII. p. 353.

rum quaedam ex aliis in alia corpora transmigratio ea doceretur. Neque melius profecto ea etiam percepiſſe reperiuntur, quae de baptismi vi Chriſtiani docuerant, cum quaeuis peccata illo auferri, mentesque hominum ab omni impietatis labe purgari, ipſos defendere contendunt[87]). Praeter haec referendum huc et illud videtur, quod ſententias haereticis quibusdam inter Chriſtianos tantum proprias vniuerſis Chriſtianis vitio verterunt, de quo ſaepe ſcriptores chriſtiani queruntur, vt vel loca a *Kortholto*[88]) hanc in rem collecta quemque docere poſſunt. Multo plura tamen ſunt, quae ex altero, quod poſui, criminum in religionem chriſtianam coniectorum genere occurrunt, et partim religionem chriſtianam vniuerſam, partim ſingula eius placita, partim etiam ſacram cum V. tum N. T. hiſtoriam et vtriusque vel conſenſum vel diſſenſum ſpectant, ac omnia ſunt eiusmodi, vt iuſtam quidem religionis noſtrae repudiandae cauſam non praebeant, neque tamen legitimae dubitationis ſpecie prorſus ſint deſtituta, quaedam etiam, ſalva ipſa religionis veritate, omnino iis concedi poſſint. Ac in vniuerſa quidem religione chriſtiana id primum eos male habuiſſe legimus, quod vt ipſi omni tempore a multis fuit exprobratum, ita ab aliis etiam multo cum ſtudio, licet non eodem ſemper cum ſucceſſu, ab ea defenſum, eam nimirum, ſi quidem vera demum et omnium perfectiſſima ſit religio, iam a mundi inde incunabulis videri hominibus fuiſſe patefaciendam, et ad vniuerſos orbis terrarum incolas perferendam, nec credibile eſſe, Deum benigniſſimum, hominumque a ſe creatorum amantiſſimum ipſos religionis tam ſalutaris notitia per tantum temporis ſpatium fuiſſe priuaturum; quo quidem argu-

---

87) Cuius rei exemplum praebet *Iulian.* apud *Cyrill.* L. VII. p. 245.

88) l. l. L. I. c. VI. p. 97. ſſ.

mento praeter *Celſum* [89]) et *Iulianum*, [90]) *Porphyrius* etiam, auctore quidem *Hieronymo* [91]), aliique [92]) vſi ſunt. Tum vero, in eo etiam haeſiſſe reperiuntur, quod non videbant, quo modo potuerit V. T. doctrinae ratio, quam ipſi tamen Chriſtiani non minus ac ſuam a Deo profectam dicerent, aboleri, inque locum eius alia ſubſtitui; vnde *Porphyrius* quidem hoc etiam inter alia iis exprobraſſe dicitur, quod ſacrificia V. T. repudiaſſent, quae ab ipſo tamen Deo fuerint inſtituta [93]), eundemque in modum etiam *Iulianus* hoc eos nomine taxat, quod legem V. T. ſublatam dicant, quae et in multis V. T. locis aeterna futura praedicetur, et ab ipſo etiam Chriſto etiamnum ſeruanda pronuncietur [94]). E ſingulis vero religionis noſtrae decretis, quae cum ſpecie quadam impugnaſſe dici poſſunt, duo inprimis hic commemoranda videntur, quorum alterum quidem illud eſt, quod de diuina Chriſti natura et cultu ipſi debito exponit, in quo probando crucis potiſſimum ſupplicium obſtaculo illis fuiſſe conſtat [95]), alterum vero illud, quod aeternas ſceleratorum poſt mortem poenas fore docet, cui *Porphyrius* illud oppoſuit, quod, ſi hoc admitteretur, nulla futura eſſet ſupplicii aeterni ad

---

89) Vid. *Origen.* L. IV. p. 165.

90) Vid. *Cyrill.* L. III. p. 106.

91) In *libr. ad Cteſiph.* ſic ſcribente: *Et ad extremum quod ſolet nobis obiicere contubernalis veſter Porphyrius, qua ratione clemens et miſericors Deus ab Adamo vsque ad Moyſem, et a Moyſe vsque ad Chriſti aduentum paſſus ſit vniuerſos perire ignorantia legis et mandatorum Dei*, etc.

92) Sic eadem quaeſtio *Auguſtino* etiam ex eiusdem Porphyrii libris fuit propoſita, qui fuſe ad eam reſpondet in epiſtola illa, quae *ſex quaeſtiones contra paganos expoſitas* continet, eſtque inter Epiſtolas eius 102. Opp. T. II. p. 207.

93) Quod ex eadem illa *Auguſtini* epiſtola conſtat.

94) Vid. quae hac de re occurrunt apud *Cyrill.* L. IX. p. 319. et L. X. p. 351.

95) De quo videnda, quae leguntur apud *Kortholtum* l. l. L. II. c. VII. p. 343. s. et *Huldricum* l. l. p. 266.

peccatum ratio [96]). Omnium vero frequentiſſime in ſingulis hiſtoriae ſacrae cum V. tum N. T. partibus locisue ſugillandis et carpendis verſata eſt mala eorum ſedulitas, in quo ſtudii genere prae caeteris inprimis elaborauit *Porphyrius*, cuius, quos contra Chriſtianos edidit, quindecim libri, omnes eo ſpectaſſe dicuntur, vt ſcriptura ſ. auctoritatem labefactarent, eamque a Deo profectam eſſe non poſſe hoc argumento lectoribus perſuaderent, quod tot ſententiae a vero alienae ſibique inuicem repugnantes in ea occurrant [97]). Etſi vero et huius generis dubitationes quaedam admodum leues fuerunt, et inani de cauſa ab iis arreptae, in plerisque tamen difficultates, quas excitarunt, vanas aut fictas non fuiſſe, vel illud argumento eſſe poterit, quod non pauci etiam Chriſtianorum interpretum in iisdem haeſerint, deque iis, vel ſingulorum locorum meliori interpretatione proponenda, vel plurium inter ſe ἐναντιοφανείᾳ alio modo componenda, e medio tollendis varie laborauerint; quo ex V. quidem T. libris ea v. c. pertinent, quae aduerſus hiſtoriam de mundi creatione [98]), de ſerpente, qui primis hominibus fraudem fecit [99]), de turri Babelica et orta apud eam linguarum varietate [100]), itemque aduerſus loca ea, in quibus Deus iracundior et ſeuerior nobis fiſtitur [1]), monuerunt, ex N. autem T. ea potiſſimum, quae in hiſtoria euangelica ipſos offenderunt, ex

---

96) In cuius rei teſtimonium rurſus laudanda eſt commemorata modo *Auguſtini* epiſtola, quaeſt. 4.

97) Cf. *Holſtenii* comment. de vita et ſcriptis Porphyrii, c. XI. p. 274. ſſ. Vol. IV. Biblioth. graec. Fabric. in qua veterum, quae de argumento horum librorum exponunt, teſtimonia multo cum ſtudio ſunt collecta.

98) *Celſ.* apud *Origen.* L. VI. p. 317. ſſ. et *Iulian.* apud *Cyrill.* L. II. p. 49.

99) *Iulian.* apud *Cyrill.* L. III. p. 86. ſſ.

100) *Iulian.* apud eundem L. IV. p. 134.

1) De his etiam videndus idem *Iulian.* apud eundem Lib. V. p. 160.

quo genere ſunt v. c. difficultates, quae in genealogia Ieſu a Matthaeo et Luca diuerſum in modum expoſita [2]), itemque aliis quibusdam hiſtoriae Ieſu partibus [3]) deprehenduntur. Neque magis ob eas etiam dubitationes, quas vel aduerſus integros V. T. libros [4]), vel vaticinia de Chriſto prodita [5]), vel V. ac N. T. decreta quaedam inter ſe, vt ipſis quidem videbatur, pugnantia [6]), moverunt, quenquam eos magnopere culpaturum putem, qui, quae noſtrae aetatis in hoc genere ſtudia ſint, non ignoret.

Iam ſi his, quas hactenus enumerauimus, cauſis, opinionum etiam, quas cum lacte quaſi materno ſuximus, amorem, omnibus illum hominibus communem, item-

---

2) Et hac eundem *Iulianum* offenſum fuiſſe legimus apud *Cyrill.* L. VIII. p. 253.

3) Quales e. c. ſunt eae, quas in hiſtoria de reditu Chriſti in vitam ſibi reperiſſe viſus eſt *Celſus* apud *Origen.* L. II. p. 97. ſq.

4) Quod in *Danielis* nominatim vaticiniis fecit *Porphyrius*, quem integro XII. et XIII. libro ſui aduerſus Chriſtianos ſcripti id egiſſe conſtat, vt hunc Danielis librum non ab ipſo Daniele, ſed fraudatore quodam profectum eſſe oſtenderet, qui Antiochi Epiphanis temporibus vixiſſet, adeoque in ea quidem libri parte, quae vsque ad tempora huius Antiochi pertineret, non futura praenuntiaſſet, ſed ea quae vere eueniſſent, falſo ſibi ſumta vaticinantis perſona, narraſſet, in reliquis autem ea, quae ipſe opinatus ſit, mentitus fuiſſet, quod etſi non poſſit non audacius dictum iudicari, in tanta tamen libri huius obſcuritate et difficultate, in qua penitus tollenda omnes adhuc interpretes fruſtra deſudarunt, non videtur huic homini magno admodum vitio vertendum, cum, vt eos iam taceam, qui de ſingularum huius libri partium integritate dubitarunt, in quorum numero praeter alios inprimis eſt Auctor hiſtoriae dogmatis de regno millenario (*Kritiſche Geſchichte des Chiliasmus*, Francf. 1781. 83. 4. Voll. 8.) Tom. I. p. 239. ſſ. vel nuper aliquis extiterit, qui eandem plane cum noſtro ſententiam profiteretur; ignotum dico auctorem libri ſic inſcripti: *Freymüthige Verſuche über verſchiedene in Theologie und bibliſche Kritik einſchlagende Materien*, (Berolin. 1783) p. 5. ſq.

5) Aduerſus quae ſaepius disputaſſe reperiuntur *Celſus* v. c. et *Iulianus*, vt de illo quidem ex *Origen.* L. II. p. 78. et L. VII. p. 332. ſq. de hoc autem ex *Cyrill.* L. VIII. p. 253. conſtat.

6) Cuius generis quaedam commemorat *Celſus* apud *Origen.* L. VII. p. 343.

que auctoritatis, quae parentum, doctorum, aliorumque virorum ſapientiae laude florentium iudicio tribuitur, inſignem in hominum animos vim addiderimus, ſatis iam opinor intellectum iri, qui factum fuerit, vt non potuerit his viris de religionis noſtrae veritate perſuaderi, etſi eos hoſtili aliquo in eam odio incenſos fuiſſe non dicamus. At enimuero ex eadem hac cauſarum huius rei enumeratione et hoc a nobis intelligi poterit, vnde, quae de natura et origine huius religionis iudicia tulerunt, fuerint profecta, et quodnam iis videatur pretium ſtatuendum. Cum enim his, quae vidimus iam, argumentis inducti, peſſimam Chriſtianorum cauſam eſſe iudicarent, adparet iam, cur non potuerint ſibi perſuadere, talem religionem diuinam originem habere, adeoque hanc in eam cadere, aperte negauerint[7]). Qui enim potuerint in ea religione diuini quicquam agnoſcere, quae in Deos, quorum cura et prouidentia omnia regi ſtatuebant, tam impia iis et iniqua eſſe videbatur, vt hi ipſi iram ſuam, fide illi habita concitatam, grauiſſimis calamitatibus terrae immittendis declarandam cenſuerint, quaeque ex ipſorum opinione tot ſententias vero contrarias interque ſe pugnantes defendebat? Attamen ad hoc ipſum de ea iudicium ferendum non parum etiam illud contulit, quod argumenta, quibus Chriſtiani ſuae religionis diuinitatem demonſtratum ibant et confirmatum, non poterant non ipſis ex philoſophiae ſuae decretis parum firma nec ad hanc rem declarandam ſatis valentia videri. Erant autem haec, vt ex *Origene* nobis conſtat[8]), ex vaticiniis potiſſimum in V. T. de Chriſto proditis, itemque miraculis ab ipſo eiusque discipulis effe-

---

7) Quod quidem diſertis verbis profitetur v. c. *Iulianus* ſtatim in exordio ſcripti ſui: apud *Cyrill.* L. II. p. 39. vbi eam dicit πλάσμα ἀνθρώπων, ἔχεσαν ἀδὲν θεῖον.

8) *Contr. Celſ.* L. I. p. 5. vbi hanc ἀπόδειξιν πνεύματος καὶ δυνάμεως, quam dicit, propriam eſſe doctrinae chriſtianae demonſtrationem defendit.

ctis, desumta. Iam vero cum hi viri secundum philosophiae suae formulam statuerent, quemlibet hominem probum et sapientiae studiosum posse sibi facultatem futura praedicendi et miracula efficiendi per eam, quam Theurgiam et Magiam [9]) appellabant, artem, comparare, iure sibi videbantur negare, eum, quem miranda quaedam fecisse constet, hanc ob causam pro Deo esse habendum, quod de Iesu Christiani defenderent, sed hoc vnum inde effici concedebant, Deorum amicum talem virum fuisse, ideoque exempla etiam eorum commemorabant, quos eadem vel maiora etiam, quam Iesum, summaque omnium admiratione dignissima fecisse, nec tamen pro Deo vel ipsos haberi voluisse, vel ab aliis habitos fuisse contendebant [10]). Neque ipsi etiam doctores

---

9) De qua praeter ea, quae de illa scripserunt *Moshemius* in annotatt. ad vers. germ. librorum *Origen.* aduers. *Cels.* p. 25. sq. itemque *Meiners* in libello supra (not. 6.) laudato, p. 84. s. legenda inprimis est *Henr. Iac. Ledermülleri* Diss. *de Theurgia et virtutibus theurgicis.* Altorf. 1763. 4.

10) In quibus Apollonii potissimum Tyanensis et Apuleii aliorumque exemplum ab iis laudatum fuisse, multis veterum scriptorum testimoniis comprobauit *Kortholtus* l. l. L. III. c. IV. p. 478. Et Apollonii quidem exemplo primum omnium Hieroclem, Bithynienſem illum sub Diocletiano praesidem, vsum fuisse, diserte docet *Eusebius* statim sub init. libri, quem huic ipsi eius conatui opposuit, p. 429. edit. Olear. Neque tamen aliud eum, quam quod dixi, Iesum nimirum ob miracula ab ipso effecta non esse Deum dicendum, hoc exemplo demonstratum voluisse, cum *Lactantius* tradidit, (Instit. div. L. V. c. 3. §. 15.) tum docent etiam ipsa eius verba ab *Euseb.* l. l. c. II. p. 430. nobis seruata, quae mirabilium huius viri factorum enarrationi subiunxit: *τινὸς ἕν ἕνεκα τούτων ἐμνήσθην; ἵνα ἐξῇ συγκρίνειν τὴν ἡμετέραν ἀκριβῆ καὶ βεβαίαν ἐφ' ἑκάστῳ κρίσιν καὶ τὴν τῶν χρισιανῶν καφότητα. εἴπερ ἡμεῖς μὲν τὸν τοιαῦτα πεποιηκότα ἐ θεὸν, ἀλλὰ θεοῖς κεχαρισμένον ἄνδρα ἡγούμεθα· οἱ δὲ δι' ὀλίγας τερατείας τινὰς τὸν Ἰησοῦν θεὸν ἀναγορεύουσι.* E quo, vt et hoc obiter addam, quod ipsum etiam cum argumento libelli mei est coniunctum, luculenter, opinor, intelligitur, quam longe a veritatis specie sit remotum, quod *Moshemius*, in Differt. laudat. §. 25. hoc ipso Hieroclis instituto adductus, suspicatus est, vitam huius Apollonii a Philostrato scriptam, ipsis Platonicis nostris auctoribus et suasoribus hoc consilio ab eo compositam videri, vt Apollonium hunc Christo nulla in re inferiorem fuisse doceretur; quam coniecturam praeter *Meiners*

chriſtiani negabant, haec duo argumenta ſola ad hanc rem demonſtrandam non ſufficere, ſed vel vtrumque argumentum iungi volebant, quae eſt *Lactantii*[11]) ſententia, vel vt *Origenes* ſuaſit[12]), mores etiam et doctrinam eius qui alterutra facultate polleret, examinandam eſſe dicebant, vt adpareret, vtrum hanc vim vel a bono vel a malo ſpiritu accepiſſet. His igitur de cauſis cum non poſſent philoſophi noſtri ob miracula a

---

(vid. l. l. p. 17.) ſibi etiam improbari dudum profeſſus eſt *Leſſius* in libro praeſtantiſſimo: *Wahrheit der chriſtlichen Religion*, p. 312. edit. 4tae. Adparet enim Hieroclem caeterosque Platonicos ab ipſo Philoſtrato in iudicio de Apollonio illo ferendo non parum diſſenſiſſe. Etenim Hierocles quidem, vt vidimus, diſerte negauit, ipſum Deum aliquem dicendum eſſe, videturque eum, vt ex *Lactant.* l. l. vere admodum ſimile fit, pro mago habuiſſe. Id ipſum vero in vniuerſo opere ſuo confutatum iuit Philoſtratus, habuitque, vt ipſe dicit L. I. c. 2. p. 4. id potius conſilium ſibi propoſitum, vt eum δαιμόνιον καὶ θεῖον fuiſſe oſtenderet, adeoque parum abfuiſſe videtur, quin pro Deo ipſum haberet, quod non modo acute vidit *Olearius* in not. ad l. l. itemque ad *Euſeb.* contr. Hierocl. c. 2. not. 8. fed ipſe etiam *Euſebius* intellexerit neceſſe eſt, cum per omnem librum ſuum id ſibi demonſtrandum ſumſerit, in Apollonio naturam humana maiorem neutiquam fuiſſe, eumque in iis, quae mirabiliter fecerit, a malis daemonibus fuiſſe adiutum; de quo cf. c. VII. ab init. p. 435. c. XI. ſub fin. p. 439. c XII. p. 440. et c. XXXV. p. 456. Neque tamen ipſum etiam Philoſtratum, etſi Apollonio ſuo diuinam quandam auctoritatem conciliare ſtuduerit, id conſilium ſecutum eſſe, vt Ieſu eum ſimilem faceret, huiusque auctoritatem hoc modo infringeret, neminem opinor obſtinate defenſurum eſſe, qui illud modo cogitet, non primum eum, quae de ipſo narret, effinxiſſe, ſed ea omnia dudum iam hominum ſermone de ipſo fuiſſe celebrata, vt recte obſeruauit *Meinersius* l. l. p. 18. agnouitque ipſe etiam, de quo minime id expectandum videbatur, *Moshemius* in verſ. germ. libr. Orig. contr. Celſ. P. 477. — Eodem, quo Hierocles, conſilio etiam ante ipſum *Celſus* iam Ariſtei Proconneſii, Abaris Hyperboraei, Clazomenii aliorumque exemplo vſus fuerat, vt doceret, eos ne propter facta quidem vel maxime mirabilia in Deorum numero habitos fuiſſe, quod in ſingulis eorum exemplis afferendis conſtanter eum monuiſſe, ipſa eius verba teſtantur, quae apud *Origen.* L. III. p. 125. et 129. leguntur.

11) *Inſtit. div.* L. V. c. 3. §. 18 — 21. aliisque pluribus locis.

12) *Adv. Celſ.* L. III. p. 124. ſq. ad quem locum vid. quae monuit *Moshemius* in verſ. germ. p. 291.

Iesu effecta Dei legatique diuini honorem ipsi concedere, neque tamen ob philosophiae suae decreta ab iis pro veris agnoscendis abhorrerent, Magum eum fuisse dicebant [13]), hancque artem in Aegypto ipsum didicisse affirmabant [14]). Cum vero duplex Magiae genus esse statuerent, honestum alterum et bonum, alterum autem malum ac turpe, quod posterius γοητείαν appellarunt, alii quidem hoc posterius Magiae genus ipsi tribuebant, eumqne, quod Deum se mentitus esset, fraudatoris nomine accusabant, inter quos Celsus inprimis fuisse reperitur [15]); alii vero probo sensu Magum ipsum dixisse, eumque in Theurgorum, qui dicebantur, numero habuisse videntur [16]). Omnino enim in iudicio de ipso eiusque vita et factis ferendo mire inter se dissensisse reperiuntur, cum alii quidem omnis generis crimina in ipsum coniecerint [17]), alii vero benignius de ipso statuentes, virum

---

13) Quod qui fecerint, videndi sunt apud *Kortholt.* l. l. L. III. c. 3. et 4. et *Huldricum* l. l. p. 435. ff. Cum hac eorum asseueratione cohaeret et illud, quod Deos cum magico ritu coluisse dixerunt, vt docet *August.* locus infra (not. 19.) laudandus. Constat enim in Magia sacrificiis aliisque cultus generibus locum fuisse.

14) Qua criminatione *Cels.* apud *Origen.* L. I. p. 30. vsus est.

15) Qui eum non modo ipse aliquoties diserte γόητον dicit, (cf. *Origen.* L. I. p. 7. et 55.) sed ad miracula eius impugnanda hoc etiam vtitur, (ibid L. II. p. 89.) vt Iesum ipsum fassum esse dicat, miracula, qualia ipse fecisset, nihil diuini habere, sed impostorum et sceleratorum hominum opera esse, cum denunciauerit suis, exituros post se multos maleficos homines et praestigiatores (κακὸς καὶ γόητες) qui similia suis facta sint edituri.

16) In quorum numerum referendos certe eos arbitror, qui, vbi miraculis eum inclytum fuisse dicunt, addunt simul, probum et sapientem ipsum fuisse, vt fit v. c. in illo Apollinis Milesii de Iesu oraculo, de quo *Lactant. Instit. diu.* Lib. IV. c. 13. §. 11. refert.

17) Qualia sunt, turpem eum vitam egisse, quod *Cels.* apud *Origen.* L. VII. p. 369. dicit, item illud, quod Hierocles in scripto, suo, *Lactantio* quidem teste, (*Instit. div.* L. V. c. 3. §. 4.) in ipsum commentus est, eum a Iudaeis fugatum, collecta nongentorum hominum manu, latrocinia fecisse.

probum et ſapientem eum fuiſſe pronuntiauerint [18]), et licet alium, quam hominem eum fuiſſe non concederent [19]), poſt mortem tamen ob probitatem ſuam immortalem factum eſſe [20]) defenderint. Neque vero priores illi ſatis habebant diuinam eius religioni originem abiudicaſſe, ſed iam id etiam ſuarum partium eſſe ducebant, vt, vnde et quo modo ea orta eſſet, docerent. Itaque cum in ea partim decreta quaedam cum iudaica religione vere ipſi communia deprehenderent, partim multa etiam in ea tradi ſibi perſuaſiſſent, quae ſui etiam poëtae et philoſophi docuiſſent, ex vtraque religione mixtam et conflatam eam eſſe dictitabant, ita quidem, vt ex iudaica minorum Deorum contemtum *) defen-

---

18) Ita quidem oraculorum quorundam, vt videtur, auctoritate adductum, Porphyrium illum, quem Hieronymus rabidiſſimum plerumque canem dicere ſolet, de illo iudicaſſe, locus eius apud *Auguſt. de ciuit. Dei* L. XIX. c. 23. §. 2. p. 429. Opp. T. VII. ſeruatus, teſtatur, in quo, *propterea ergo*, inquit, *Diis exoſi*, (Chriſtiani) *quia quibus fato non fuit noſſe Deum, nec dona a Diis accipere, his fataliter dedit iſte*, (Chriſtus) *errore implicari. Ipſe vero pius, et in coelum, ſicut pii, conceſſit. Itaque hunc quidem non blasphemabis, miſereberis autem hominum dementiam.* Cum quo conſentit alius eius locus, qui et hoc, quod dixi, confirmat, oraculorum auctoritate permotum eum ita ſtatuiſſe, quemque idem *Auguſtin.* habet l. l. p. 428. *Praeter opinionem profecto quibusdam videatur eſſe, quod dicturi ſumus. Chriſtum enim Dii piiſſimum pronuntiauerunt, et immortalem factum et cum bona praedicatione eius meminerunt.* cf. etiam *Auguſt.* Lib. I. *de conſenſ. Euang.* c. VI. p. 5. Opp. T. III. P. II.

19) Quod *Auguſt.* locus *de conſenſ. Euang.* L. I. c. 34. Opp. T. III. P. II. p. 18. docet, in quo de hoc philoſophorum genere ſic ſcribit: *Ita enim volunt et ipſum* (Chriſtum) *credi neſcio quid aliud ſcripſiſſe, quod diligunt, nihilque ſenſiſſe contra Deos ſuos, ſed eos potius magico ritu coluiſſe, et diſcipulos eius non ſolum de illo fuiſſe mentitos, dicendo illum Deum, per quem facta ſunt omnia*, quum nihil aliud, quam homo fuerit, quamuis excellentiſſimae ſapientiae, *verum etiam de Diis eorum non hoc docuiſſe, quod ab illo didiciſſent.*

20) De quo Porphyrii loco videnda not. 18. modo laudata.

*) De hoc vid. *Iulian.* apud *Cyrill.* L. II. p. 43. et L. VII. p. 238. qui quam priori loco commemorat ἀθεότητα, ea qualis ſit, poſteriori loco ipſe docet, cum ibi hoc ſynonymum eius ponat, τὸ βλασφημεῖν τιμωμένους Θεοὺς.

ſores ipſius ſumſiſſe, quod ſuam autem attineret, non modo ſacrae hiſtoriae partes quasdam, ſed plura etiam fidei dogmata ex ſuorum poëtarum ac philoſophorum ſententiis, per inſcitiam tamen peſſime illis deprauatis et inepte vſurpatis, eos effinxiſſe [21]), itemque in externa etiam vitae ratione, e. c. ciborum promiſcuo vſu [22]), ſe imitatos eſſe criminarentur. Quod autem vitae a Ieſu in his terris actae hiſtoriam attinet, eius nonnullas quidem partes, v. c. narrationes de miraculis eius, itemque dicta, quae ipſi ab Euangeliſtis tribuuntur, et alia huius generis haud difficulter probabant, ea vero, quae diuini quiddam in eo prodere videri poterant diſcipulos eius, quos peſſimos omnino homines fuiſſe dicebant **), ex ingenio omnia finxiſſe pronuntiabant [23]). Neque enim poterant haec pro veris habere, cum ſemel ſibi perſuaſiſſent, ipſius religionem nullo modo poſſe diuinam iudicari; atque ex hac ipſorum peruerſa perſuaſione adparet iam, omnia, quae eos de ipſa tuliſſe vidimus, iudicia, fuiſſe profecta, nec in his etiam opus eſſe, vt reddendae eorum rationis cauſa ad inſigne aliquod eorum in religionem hanc odium effingendum confugiamus. Simul vero hinc illud etiam intelligitur, tantum abeſſe, vt horum virorum de ſanctiſſima religione noſtra iudiciis et criminationibus ipſa eius veritas vllo modo labefactetur aut infringatur, vt ea potius non parum iis ſtabiliatur et confirmetur. Quicquid enim de illa praedicarunt, eorum nihil quicquam ex idoneo aliquo hiſtorico

---

21) Cuius rei ſat multa teſtimonia collegit *Kortholt.* l. l. Lib. I. c. 2. p. 15. ſſ. Puto autem vel me non monente intellectum iri, eos eodem hoc iure dixiſſe, quo ſupra (not. 66.) vidimus, doctorum etiam chriſtianorum quosdam defendiſſe, Pythagoram, Platonem aliosque philoſophos graecos ab Hebraeis ſua petiiſſe.

22) Quod iis obiicit *Iulian.* apud *Cyrill.* L. VII. p. 238.

**) Vid. v. c. *Celſ.* apud *Origen.* L. I. p. 49.

23) Ex quo genere ſunt e. c. quae Ieſus de ſuis ipſius fatis praedixiſſe traditur, quae Celſus quidem aeque ac reditum ipſius in vitam, ficta eſſe dicit, apud *Origen.* L. II. p. 67. et p. 96. ſſ.

testimonio compertum ipsos habuisse, non est quod dubitemus, cum nullius vnquam iniecerint mentionem, quod tamen in re mere historica vtique curare debuissent, sed omnia, quae contra eam in medium protulerunt, non nisi ipsa eorum iudicia fuerunt, ex vanissimis illis, quas abunde iam, vt puto, explicaui, causis orta. Verum nolo hac de re plura nunc addere, cum otium hic dudum mihi a *Buddeo* factum videam, qui peculiari olim libello ex consilio et erudite de hoc argumento exposuit [24]).

Quanquam vero non puto, ex his eorum iudiciis et criminationibus insigne aliquod et hostile eorum adversus Christianorum religionem odium elucere, non nego tamen, eos, cum semel finistre de ea statuere coepissent, subinde iniquiores in eam factos esse, et, vt fit, quoddam adeo odium in ipsam concepisse. Id enim, vt omittam iam quae Celsi v. c. Iudaeus de ortu et natiuitate Iesu praeter omnem profecto rationem et vel veri adeo speciem calumniatus est [25]), eo etiam haud obscure prodiderunt, quod talia nonnunquam exprobrarunt Christianis, quibus, si vel maxime vera fuissent, nemo vir sapiens facile offendatur, aut a doctrina quadam amplectenda abduci se patiatur, qualia sunt: nullum fuisse inter primos Christi sectatores virum illustrem, Christianosque ipsos inter se plurimum dissentire, inque eos, quos haereticos dicant, tanto odio ferri, vt vel

24) In Differt. nimirum *de veritate christianae religionis Philosophorum gentilium obtrectationibus confirmata*, quae primum prodiit Ien. 1711 4. postque recusa est in *Syntagm. differtt. eius theol.* p. 451. ff Conferri etiam potest *Krebsii* Pr. *de argumentis pro veritate et praestantia religionis christianae e Iuliani reliquiis.* Lipf. 1770 4. et ipsum post in *Opusc. eius academ. et scholast.* (Lipf. 1778. 8.) repetitum p. 325. ff.

25) Eum nimirum, vt est apud *Origen.* L. I. p. 22. ff. a muliere quadam paupercula, quae manuum suarum opera victum sibi peperisset, et a marito ob adulterium cum milite quodam Panthera commissum ignominiose fuerit eiecta, clandestino partu editum fuisse, de qua calumnia digna sunt lectu, quae monuit *Moshemius* ad vers. germ. libr. *Origen.* p. 79. ff.

trucidare eos non dubitent [26]), et quae plura ſunt huius generis. At enimuero vel hoc etiam eorum odium non putem ex alia, quam hac cauſa ortum eſſe, quod ſemel coeperant hanc religionem ob eas, quas dixi, rationes auerſari. Eſt enim hoc, vt conſtat, plerisque hominum in more poſitum, vt, quod falſum reiiciendumque iudicauerint, id mox etiam deteſtari et odio adeo quodam proſequi incipiant. Quanquam vero minime equidem negauerim, et alias ſubinde cauſas acceſſiſſe, quibus odium hoc magis fuerit inflammatum atque incenſum, quod in Iuliano certe imperatore vtique erit admittendum [27]), non poſſum tamen a me impetrare, vt eas etiam iis annumerem, a quibus alii vniuerſum hoc odium tanquam a primario, e quo fluxerit, fonte deriuarunt. Quod enim *Moshemius* quidem arbitratus eſt, odium illud *Ammonii Saccae*, primi huius ſectae conditoris, a religione chriſtiana ad ſacra gentilium tranſitu enatum primum, et ab hoc ad ipſius dein ſucceſſores fuiſſe propagatum [28]), id etſi nolim equidem eo impugnare, quod alii, Euſebio auctore, defendere ſuſtinuerunt, omnem hanc huius viri a religione chriſtiana defectionem dubiam adhuc eſſe, fidemque potius *Euſebio* videri habendam, qui ipſum ad vitae vsque finem in re-

---

26) Quod vtrumque *Iulian.* carpit apud *Cyrill.* L. VI. p. 206. De poſteriore vid. etiam *Celſ.* apud *Origen.* L. V. p. 273.

27) Non opus eſſe arbitor, vt de huius etiam nominatim viri in religionem chriſtianam animo eiusque cauſis multa adhuc diſputem, cum ab aliis iam ſatis probabiliter ea de re fuerit expoſitum, e quibus praeter alios duo inprimis ſcriptores videndi ſunt, qui aliquoties iam commemorato Argenſii libro ſe oppoſuerunt, quorum alter eſt *G. Fr. Meierus*, qui librum ſic inſcriptum edidit: *Beurtheilung der Betrachtungen des Herrn Marquis von Argens über den Kaiſer Iulian.* Hal. 1764. 8. alter autem *Guil Crichton*, cuius hic liber extat: *Betrachtungen über des Kaiſer Julians Abfall von der chriſtlichen Religion und Vertheidigung des Heidenthums.* Hal. 1765. 8. cum quibus ſcriptis conferenda ſunt, quae ad librum Meierianum vir quidam doctus monuit in Biblioth. german. vniuerſ. Vol. I. P. II. p. 142. ſſ.

28) Vid. inprimis quae ſcripſit hac de re §. VIII. Diſſert. laudat.

ligione chriſtiana perſtitiſſe trradat [29]), cum vtique concedendum *Moshemio* [30]) exiſtimem, Euſebium duos hic videri Ammonios inter ſe permiſcuiſſe [31]), recte tamen *Meinerſium* [32]) monuiſſe arbitror, nullum vnquam veterum ſcriptorum tradidiſſe, eum ob talem aliquam cauſam a religione chriſtiana defeciſſe [33]), quae ipſum hoſtili quodam in eam odio incendere debuiſſet, adeoque vero multo ſimilius eſſe iudico, eum iisdem, quibus alii, opinionibus praeiudicatis occoecatum, cauſam gentilium potiorem, quam Chriſtianorum, iudicaſſe; quod ipſum etiam Porphyrius innuere videtur, qui illum ad ſacra publice probata tum rediiſſe dicit, cum primum per

---

29) Hiſt. Eccleſ. L. VI. c. 19. in quo ſimul etiam Porphyrii locum huc pertinentem, ſupra iam (not. 38.) a me exhibitum, recitat.

30) Cui praeter eos, quos ipſe commemorat, acceſſit nuper etiam *Schroeckhius* in Hiſtor. Eccl. Vol. II. p. 290. quemadmodum iis, qui Euſebio potius, quam Porphyrio fidem hac in re habendam eſſe ſtatuunt, et ipſis a Moshemio laudatis, addendus iam eſt auctor gallici libri, cuius ſaepius iam mentionem inieci: *Hiſtoire critique de l'Eclectiſme*, T. I. p. 8. ſſ. Ipſe tamen *Moshemius* hanc ſententiam poſt rurſus deſeruit, et in *Comment. de rebus Chriſtian. ante Conſtant. M.* p. 281. ſſ. in eam potius ſententiam inclinat, vt Ammonium qua externam quidem profeſſionem religioni chriſtianae conſtanter adhaeſiſſe, re tamen ipſa ab ea alieniſſimum fuiſſe defendat.

31) Non enim video, quomodo is, qui primus eclecticae huius, quam dicunt, philoſophiae auctor extitit, Chriſtianus eſſe potuerit, vt taceam, nec reliqua, quae de hoc Ammonio perhibet Porphyrius, in Ammonium Chriſtianum, Harmoniae euangelicae conditorem, conuenire, nec adparere, quo iure in his mendacii ab Euſebio fuerit accuſatus, adeoque multo credibilius videri, hunc potius erroris eſſe arguendum, idque tanto magis, cum ſupra iam *Origenis* (not. 25.) et *Lactantii* (not. 26.) exemplo fuerit demonſtratum quam parum ſcriptores chriſtiani in talibus diligentes fuerint et ſtudioſi, quamque multa leuiſſimis ſaepe coniecturis dederint.

32) l. l. p. 12. ſ.

33) *Moshemius* quidem §. VIII. Differt. laud. gloriae ſtudium ipſum putat incitaſſe, vt chriſtiana ſacra deſereret, cum voluerit ipſe potius magiſter ſalutari, quam aliis ſubeſſe et obtemperare, nec improbabile etiam iudicat, blanditiis et promiſſis philoſophorum, qui in eo acre et ſubtile ingenium ineſſe viderint, conſtantiam ipſius fuiſſe labefactatam; verum cuius auctoritate fretus haec ſcripſerit, equidem non dixerim.

aetatem ſapere et philoſophiae limen attingere ipſi licuerit [34]). Neque magis probabilis irae ac inimicitiarum, quae his philoſophis cum Chriſtianis interceſſerunt, cauſa ea mihi eſſe videtur, quam *Buddeus* [35]) et alii in eo ſibi reperiſſe viſi ſunt, quod metuerint philoſophi hi, ne, Chriſtianorum religione latius indies propagata, ſua ipſorum auctoritas ſenſim ſenſimque vileſceret, tandemque penitus periret. Qui enim id potuerint metuere, cum ſumma eos non modo apud ſuos, ſed ipſos adeo Chriſtianos auctoritate floruiſſe conſtet? Vt enim alia honoris a Chriſtianis ipſis habiti exempla nunc praetermittam, nonne vel haec duo admodum luculenta ſunt eius rei documenta, quod *Syneſium* quidem, qui ab ineunte aetate huic philoſophiae deditus fuerat, ciues Ptolemaidis ob probitatem ipſius epiſcopum ſibi petierunt, etſi ipſe huic eorum conatui obſiſteret, iisque hoc opponeret, quod nonnullis doctrinae chriſtianae ſcitis nulla ratione poſſet accedere [36]); quodque ipſos adeo Chriſtianos de religionis ſuae decretis inter ſe concertantes philoſophos noſtros harum controverſiarum arbitros nonnunquam delegiſſe legimus [37]).

His igitur ita diſputatis vtique iam mihi concedendum eſſe exiſtimen, inimicitiarum, quas philoſophi noſtri cum Chriſtianis habuerunt, cauſas in ipſorum potius opinionibus quibusdam praeiudicatis variisque erroribus vndecunque ſuſceptis, quam animo eorum quaerendas eſſe, imitandumque nobis in iudicio huius rei ferendo *Lactantium*, qui, etſi in illo de Hierocle loco,

---

34) Vid. ipſa eius verba ſupra (not. 38.) a nobis excitata.

35) In *Iſagog. ad Theol. vniuerſ.* L. II. c. VII. p. 1010.

36) Quod *Evagr.* H. E. L. I. c. 15. et *Photius* cod. 26. memoriae prodiderunt.

37) De qua re peculiaris extat Diſſert. *Io. Chriſtoph. Friderici de philoſophis gentilibus controuerſiarum fidei in veteri Chriſti eccleſia arbitris*, Lipſ. 1723. 4.

cuius ſupra mentionem inieci, admodum in eum fuerat inuectus, et ſubdolum eum lupum dixerat, tamen ſub finem loci mauult inſcitiam hominis, quam malitiam accuſare [38]). Si autem ita res habet, iam ex hac etiam disquiſitione planum fieri arbitror, non probabile eſſe, quod *Moshemius* ſtatuebat, hos philoſophos, hoſtili in religionem chriſtianam odio incenſos, omnem philoſophiam ſuam ita informaſſe, vt illi potiſſimum oppoſita eſſet, ad eamque labefactandam poſſet transferri, ſed adparet potius, hanc ipſam philoſophiam, cuius decreta illi ex alio, de quo hic dicendi locus non eſt, fonte hauſerant, in cauſa fuiſſe, vt Chriſtianorum religio non poſſet non ſuſpecta iis et inuiſa fieri [39]). Ita vero ſimul etiam intelligitur; primum illud malorum genus, quod per hos philoſophos eccleſiae chriſtianae allatum dicit, in impedimentis illud, doctrinae chriſtianae propagationi ab hac philoſophorum ſecta obiectis, poſitum, et in *externorum* malorum numerum ab eo relatum, ſi modo non in opinione viri magis, quam re ipſa fuerit ſitum, ab iis tamen non fuiſſe praeuiſum, et conſulto illi creatum. Similiter vero et alterum malorum genus, quod *internorum* nomine appellauit, quodque ex inconſiderata et imprudenti huius philoſophiae cum ſanctiſſimis Chriſti

---

38) *Verum eſto*, inquiens, (L. V. c. 3. §. 24.) *inſcitia hoc, non malitia feceris: quam tandem nobis attuliſti veritatem?*

39) Quod bene vidit ſaepius laudatus gallicus ſcriptor ea de re ſic iudicans, Vol. I. p. 100. *On trouve dans nos Apologiſtes, que les Païens étoient ſurpris et indignés des progrès du Chriſtianisme. Mais que les Philoſophes en fuſſent allarmés, on ne l'y trouve pas; encore moins que pour arrêter ce progrès, ils aient ſongé à former une nouvelle Philoſophie compoſée de ce qu'il y avoit de mieux dans toutes les ſectes. Celle, qui a été refuté par Origene, ne ſongea à rien de ſemblable. Quand la methode de philoſopher des Eclectiques eut pris une forme fixe, il étoit naturel, que les Philoſophes ſ'en ſerviſſent pour défendre la Religion, dont ils étoient entêtés; et c'eſt auſſi ce qui ne manqua pas d'arriver. Mais ce qu'on ajoute de plus, ſont de pures imaginations, abſolument deſtituées de preuve.*

praeceptis et dogmatibus copulatione et coniunctione enatum fuiſſe dicit, prorſus fictitium eſſe arbitror, cum non incommodis argumentis doceri poſſe exiſtimem, omnia, quae ad hanc antiquorum eccleſiae doctorum, quae dicitur, philoſophiam referuntur, quaeque multi cum ſuperiori, tum noſtra etiam aetate, alii quidem bonum ac probum conſilium ſecuti, alii vero iniquiori animo ducti, non leui ipſis vitio verterunt, non fuiſſe ex huius Platonicae philoſophiae ſtudio profecta, ſed haec multo eſſe antiquiora, et aliunde deriuanda. Verum haec longiorem tractationem poſtulant, quam huius libelli, qui vel ſic iam iuſtum talis ſcriptiunculae modum exceſſit, anguſtiae permittunt, ſuntque adeo alii tempori ſeruanda. Itaque hic iam pedem ſiſto, impenſe equidem laetaturus, ſi hoc qualicunque libello veritatis ſaltem, quae aduerſus hoſtes etiam iuſtitiam vult ſeruatam, amorem aliquem idoneis iudicibus probatum dedero, quem vt equidem in omnibus ſtudiis meis ſemper propoſitum mihi habui, ita eundem aliis etiam commendare et adhuc ſtudui et porro etiam, quantum potero, ſtudebo.

DE DOCTORIBUS VETERIS ECCLESIAE CULPA CORRUPTAE PER PLATONICAS SENTENTIAS THEOLOGIAE LIBERANDIS COMMENTATIONES XXII.

PROOEMIUM.

Diſſoluendum eſt tandem aliquando nomen, iam ante

Nota editoris. Has XXII commentationes b. auctor annis 1793 vsque ad 1816, per quos decies decanatu theologico functus eſt, deinceps edidit. Ac prima quidem publice ipſi defendenda fuit, cum d. 3. Octobr. 1793 locum in Theologorum Ordine capeſſeret, qui ei poſt *Mori*, praeceptoris dilectiſſimi, mortem conceſſus fuerat. Adiunxerat ſibi in ea diſputatione ſocium *Godofr. Sigism. Iaspidem*, nunc ſacrorum Puichauiae prope Lipſiam miniſtrum, cuius *Verſio latina epiſtolarum* N. T., duobus voluminibus 1793 et 1797 Lipſiae edita, hoc autem ipſo anno nouis curis aucta denuo ibidem proditura, inter theologos meritiſſima laude celebratur. Secunda commentatione orationem noui muneris auſpicandi cauſa habendam, tertia vero, ſummos in theologia honores, *Chriſtiano Sam. Weiſsio*, Diac. ad aedem Nicolait. Lipſienſem, anno 1796 tribuendos, indixit. Reliquae omnes in annuis Academiae ſolennitatibus propoſitae fuerunt. Ceterum haud ingratum lectoribus ſe feciſſe editor ſperauit, quod omnem diſſertationis paulo prolixioris ſeriem capitibus et ſectionibus, ſecundum quas (etſi in ipſis libellis typis non expreſſas), argumenti tractatio diſpoſita eſt, notandis potius, quam ſingularum commentationum ſolis numeris praefigendis diſtinxit. Hoc enim modo faciliori negotio minorique cum moleſtia, quaenam in quouis diſſertationis loco argumenti pars expoſita ſit, lector reperiet.

plures annos contractum [1]), docendumque, et illud doctrinae Chriſtianae per Platonicos recentiores aut Platonica ſaltem placita illatum malorum genus, quod *internorum* nomine Moshemio [2]) adpellare placuit, quodque in inconſiderata et imprudenti Platonicae philoſophiae cum ſanctiſſimis Chriſti dogmatibus copulatione atque coniunctione ille poſuit, non fuiſſe ab illa philoſophia profectum, ſed ſi quid mali fuerit, id totum aliunde potius eſſe repetendum. Neque enim futuros exiſtimem, qui hac me opera ſuperſedere poſſe ſtatuant. Cum enim ſententia illa de corrupta olim per Platonica dogmata Theologia chriſtiana non modo a plerisque fere nunc Theologis, religioni caeteroquin optime cupientibus, defendatur, proque certiſſima atque exploratiſſima habeatur, ſed vel nuperrime etiam denuo fuerit in calumniam dogmatis de Trinitate translata; profecto non alienum a noſtri temporis rationibus aut ſuperuacaneum cenſeri poterit, ſententiam tam vnanimi virorum doctorum conſenſu probatam, nouo examini ſubiicere; ne, ſi vero contraria fuerit deprehenſa, vel error iſte latius ſpargatur, vel calumniandi dogmatis illius materia vlterius praebeatur. Quod dum facere nunc adgredior, id potiſſimum velim lectores ſibi perſuadeant, me neutiquam tam vana de me opinione inflatum, vt me vnum caeteris acutius vidiſſe exiſtimem, aut rixandi aliiſque contradicendi pruritu abreptum, vel controuerſias olim agitatas reuocandi ſtudio ductum, ſed ſolo veritatis, quam mihi quidem cognouiſſe viſus fuerim, amore captum, hoc quicquid eſt laboris ſuſcepiſſe; omninoque in hac vniuerſa cauſa tuenda non dogmaticum mihi, ſed

---

1) In Progr. *de cauſſis alieni Platonicorum recentiorum a religione chriſtiana animi*, (Lipſ. 1785.) [pag. 438.]

2) Cf. Eius *Differt. de turbata per recentiores Platonicos eccleſia*, quae partim legitur in *Diſſertatt.* eius *ad hiſt. eccleſ. pertinentibus*, Vol. I. p. 90. ſſ. partim ſubiecta etiam eſt Tom. II. verſionis latinae *Syſtematis intellectual. Cudworthiani.*

hiſtoricum modo conſilium propoſitum eſſe exiſtiment, quod in hoc vno verſetur, vt, quae vera fuerit doctorum veteris eccleſiae de illis Theologiae capitibus, de quibus quaeritur hic, ſententia, et vnde ea fluxerit, deſiniatur.

Iam vero vt planius adhuc adpareat, quid ſit, de quo diſputetur, primum omnium hiſtoria huius controverſiae a prima inde origine, paucis tamen, videtur repetenda, tumque id, de quo quaeritur, paulo accuratius conſtituendum.

Nimirum primis quidem conſtitutae religionis eccleſiaeque chriſtianae temporibus iis, qui haeretici ab orthodoxae eccleſiae doctoribus audiebant, legimus exprobratum fuiſſe, eos per gentilem philoſophiam, nominatimque Platonicam, ad pravos ſe errores abripi paſſos eſſe, hincque Philoſophi iſti *haereticorum Patriarchae* ab iis reperiuntur dictitati fuiſſe. Teſtis in hanc rem notiſſimus eſt Tertullianus, qui Valentinianorum quidem aliorumque Gnoſticorum errores diſerte a gentilis, nominatimque Platonicae, philoſophiae ſtudio repetit, in *libr. de praeſcript. adv. haeret.* [3]) haec ſcribens: *Ipſae denique haereſes a philoſophia ſubornantur. Inde aeones et formae neſcio quae, et trinitas hominis apud Valentinum; Platonicus fuerat. Inde Marcionis Deus melior de tranquillitate; a Stoicis venerat: et vti anima interire dicatur, ab Epicuraeis obſeruatur. Et vbi materia cum Deo aequatur, Zenonis diſciplina eſt. Et vbi aliquid de igneo Deo allegatur, Heraclitus intervenit. Eaedem materiae apud haereticos et philoſophos volutantur, iidem retractatus implicantur: etc.* ideoque alio eiusdem libri loco [4]) haec interrogat: *vbi Va-*

---

3) *Cap. VII.* ad quem locum alia etiam in philoſophiam gentilem parum honorifice a noſtris dicta collegit Pamelius.

4) *Cap. XXX.* Hanc tamen Tertulliani ſententiam de Gnoſticorum haereſi ex philoſophia Platonica orta, quam et recentiores quidam viri docti probarunt, vero parum eſſe conſentaneam, oſten-

lentinus, *Platonicae* (philoſophiae) *ſectator?* Quod autem in his locis de vna Gnoſticorum haereſi defendit, id de aliis etiam haereticorum ſectis intellectum eum voluiſſe, illud argumento eſt, quod alibi omnes haereſes ex philoſophia proficiſci contendit [5]), quodque Platonem *omnium* dicit *haereticorum condimentarium* [6]), et philoſophos omnino *haereticorum patriarchas* adpellat [7]), quam ſententiam eius Hieronymus etiam aſſenſu ſuo comprobauit, dum *epiſt.* XLIII. *ad Cteſiph.* [8]) haec habet: *pulchre quidam noſtrorum ait: philoſophi patriarchae haereticorum, eccleſiae puritatem peruerſa maculauere doctrina.* Neque tamen ſolus Tertullianus hanc philoſophiae Platonicae maculam inuſſit, vt eam haereſium matrem diceret, ſed idem crimen Irenaeus [9])

---

dere ſtuduerunt *Chr. Kortholtus* in *Diſſ. de philoſophia orientali primis poſt C. N. ſaeculis eccleſiam chriſtianam turbante*, *Lipſ.* 1733. 4. et *Iac. Bruckerus* in *Hiſtor. Philoſ. critic.* T. II. p. 643. et T. III. p. 294. ſſ.

5) *Adv. Marc. l. V. c.* 19. T. I. p. 464. edit. Seml. *At cum monet*, (Apoſtolus) *cauendum a ſubtiloquentia et philoſophia, vt inani ſeductione, quae fit ſecundum elementa mundi: — longum eſt quidem et alterius operis oſtendere, hac ſententia omnes haereſes damnari, quod omnes ex ſubtiloquentiae viribus et philoſophiae regulis conſtent.*

6) *Libr. de anima* c. XXIII.

7) In *libr. adv. Hermog.* c. VIII. In hoc autem Tertulliani dictum duo extant peculiares libelli, in ſenſum eius et veritatem inquirentes, alter quidem *Ern. Sal. Cypriani Diatribe academ. qua expenditur illud Tertulliani: haereticorum patriarchae philoſophi*, Helmſt. 1699. alter vero *Ad. Rechenbergii Diſſ. An haereticorum patriarchae philoſophi? ex illo Tertulliani adv. Hermog c. VIII. ad illuſtr. S. Pauli Coloſſ. II. 8. monitum.* Lipſ. 1705.

8) *T. IV. Opp. Part. II. p.* 474. edit. Martian.

9) *L. II. adv. haereſ.* c. XIV. *Quod autem dicunt* (Valentiniani) *imagines eſſe, haec eorum, quae ſunt manifeſtiſſime Democriti et Platonis ſententiam edifferunt. — Hoc autem quod ex ſubiecta materia dicunt fabricatorem feciſſe mundum, et Anaxagoras et Empedocles et Plato primi ante nos dixerunt.*

etiam, Origenes [10]), Gregorius Nazianzenus [11]), et alii in eam contulerunt [12]). Quam vero doctores orthodoxi in haereticos abusus philosophiae gentilis, inprimisque Platonicae, culpam coniecerunt, eam post ipsi apud alios sustinuerunt. Etenim de *Clemente* quidem *Alexandrino* Eusebius [13]) iam questus est, eum dogmata christiana cum philosophorum placitis miscuisse. Multo vero apertius *Origenes* deinde ab Hieronymo [14]), Methodio [15]), Marcello Ancyrano [16]), Iustinia-

---

10) *Hom. VII. in Ios. To. II. Opp. p.* 414. edit. de la Rue. *Hoc fecit infelix Valentinus et Basilides, hoc fecit et Marcion, haereticus. Furati sunt isti linguas aureas de Hiericho et Philosophorum nobis non rectas in Ecclesias introducere conati sunt sectas, et polluere omnem Ecclesiam Domini.*

11) *Orat. XXVI.* p. 458. edit. Colon. *Ὁ δὲ ὀλίγος ἐστὶ τὴν διάνοιαν, καὶ πένης τὴν γλῶτταν, καὶ ἐκ οἴδε λόγων φροφὰς ῥήσεις τε σοφῶν, καὶ αἰνίγματα, καὶ τὰς Πυῤῥώνος ἐνστάσεις, ἢ ἐφέξεις, ἢ ἀντιθέσεις, καὶ τῶν Χρυσίππε συλλογισμῶν τὰς διαλύσεις, ἢ τῶν Ἀριστοτέλεος τεχνῶν τὴν κακοτεχνίαν, ἢ τῆς Πλάτωνος εὐγλωττίας τὰ γοητεύματα, οἱ κακῶς εἰς τὴν ἐκκλησίαν ἡμῶν εἰσέφησαν, ὥσπερ Αἰγυπτιακαὶ τινες μάστιγες.*

12) Conf. Balti *Defense des Peres, accusez de Platonisme* pag. 223. ff. et *Bruckeri Histor. crit. philos.* T. III. p. 287.

13) *Hist. Eccles. l. VI. c.* 13. *Ἅπασι καταμίγνυσι καὶ τὰ φιλοσόφων δόγματα.*

14) *In epist. XXXVIII. ad Pammachium, adv. Ioa. Hieros.* p. 316. ff. edit. Martian *Non est istius temporis, contra dogma gentilium, et ex parte Platonicum, scribere.* (Loquitur autem de Origenis erroribus.) Et p. 317: *Pertrahuntur in medium vestra mysteria et de gentilium fabulis dogma contextum Christianis auribus publicatur. Hoc quod vos miramini, olim in Platone contempsimus.* Item in *epist. XLI. ad Pammachium et Oceanum* p. 343. *Quod autem periuriorum atque mendacii inter se orgiis foedarentur: sextus Stromateon* (Origenis) *liber, (in quo ex Platonis sententia nostrum dogma componit.) planissime docet.*

15) Apud Photium *Cod. CCXXXIV.* p. m. 907. *Ὠριγένης τὴν ψυχὴν μόνην ἔλεγεν ἄνθρωπον ὡς ὁ Πλάτων.*

16) Ut adparet ex Euseb. *l. I. adv.* hunc *Marcell.* p. 23. edit. Paris. *Καίτοι, εἰ δεῖ τ᾽ἀληθὲς περὶ Ὠριγένεος εἰπεῖν, τὸ προσήκει λέγειν, ὅτι ἄρτι τῶν κατὰ φιλοσοφίαν ἀποσὰς μαθημάτων, καὶ τοῖς θείοις ὁμιλῆσαι προελόμενος λόγοις, πρὸ τῆς ἀκριβὲς τῶν γραφῶν καταλήψεως, διὰ τὸ πολὺ καὶ φιλότιμον τῆς ἕξωθεν παιδεύσεως, θᾶττον τε δέοντος ἀρξάμενος ὑπογράφειν,*

no [17]), aliisque nimii philoſophiae Platonicae amoris, perverſique eius in tradendis atque illuſtrandis religionis chriſtianae decretis vſus fuit accuſatus [18]). Haec tamen accuſatio tum quidem in his tantum viris ſubſtitit. Verum recentioribus temporibus, quae peculiaris olim fuerat quorumdam reprehenſio, ad omnes propemodum doctores Ante-Nicaenos eſt translata, ita quidem, vt quae philoſophiae Platonicae propria fuerint, ea nimio ipſius amore capti, vel ipſi Theologiae chriſtianae praeter rationem dicerentur intuliſſe, vel incommode ſaltem ei accommodaſſe. Neque enim vna fuit eademque omnium, qui huius vitii eos incuſarunt, opinio, neque idem, quo id fecerunt, conſilium. Vel enim alieno a doctrinae chriſtianae formula publice ſuſcepta animo compulſi, inprimisque dogmati de Trinitate infenſi, vel probo aut minus ſaltem iniquo conſilio ducti, atque eorum, quae ipſis a primis illis eccleſiae doctoribus minus recte defenſa aut parum commode dicta viderentur, offenſione vnice moti, id ſtatuerunt, Theologiam illius aetatis a doctoribus iſtis variis in locis fuiſſe per Platonicas ſententias corruptam. Inter illos praeter *Danie-*

ὑπὸ τῶν τῆς φιλοσοφίας παρῆχθη λόγων, καὶ τινὰ δι' αὐτὲς ἐ καλῶς γέγραφε. δῆλον δὲ ἔςι γὰρ τῶν τȣ̃ Πλάτωνος μεμνημένος δογμάτων, καὶ τῆς τῶν ἀρχῶν παρ' αὐτῷ διαφορᾶς, περὶ ἀρχῶν γέγραφε βιβλίον. καὶ ταύτην τῷ συγγράμματι τὴν ἐπιγραφὴν ἔθετο. δεῖγμα δὲ τȣ̃το μέγιςον τό, μηδὲ ἄλλοθέν ποθεν τὴν ἀρχὴν τῶν λέξεων αὐτὸν ἢ τὴν ἐπιγραφὴν τȣ̃ βιβλίȣ ποιήσασθαι, ἀλλ' ἀπὸ τῶν τῷ Πλάτωνι ῥησθέντων ῥημάτων. Γέγραφε γὰρ ἀρχόμενος ὅτως. οἱ πεπιςευκότες καὶ πεπιςευμένοι. τȣ̃το τὸ ῥητὸν ὅτως εἰρημένον, εὕροις ἂν ἐν τῷ Γοργίᾳ Πλάτωνος.

17) In *Tractat. adv. Origenis errores* (*pag.* 491. *To. IX. collect. Concil. Manſian.*) *Τί γὰρ ἕτερον παρὰ τὰ τῷ Πλάτωνι εἰρημένα τῷ τὴν Ἑλληνικὴν μανίαν πλατύναντι Ὠριγένης ἐξέπετο.*

18) De accuſatione ipſa cfr. Pagn. Gaudentii *dogmatum Origenis cum philoſophia Platonis comparatio*, quae adiecta eſt *Salebris* eius *Tertullianeis: Florent.* 1639. 4. itemque *Chr. Guil. Franc. Walchii Hiſtorie der Ketzereyen.* Vol. VII. pag. 700. ſſ.

tem Zwickerum [19]) et *Gilbertum Clerkium* [20]), inprimis eminuit *Souverainius* [21]), ecclesiae Reformatae quondam verbi diuini minister. Horum autem tantus iam est numerus, vt vix amplius iniri possit; quare illos modo nunc commemorabo, qui non obiter tantum eam rem attigerunt, sed consulto de ea exposuerunt *). Pertinent autem huc praeter *Io. Baptist. Crispum*, quem laudat Bruckerus [22]), *Dionysius Petavius* [23]), *Petr. Dan. Huetius* [24]); *Io. Clericus* [25]), *Chr. Fr. Bucherus* [26]), *Ehreg. Dan. Colbergius* [27]), *Imm. Ern. Hahnius* [28]), *Io. Laur. Moshe-*

---

19) In *Irenico Irenicorum (Amst.* 1660.) pag. 14. ff.

20) In praefat. *Ante-Nicenismi*, quem cum duplici tractatu eiusdem argumenti edidit an. 1695. 8.

21) Qui peculiarem ea de re librum edidit sic inscriptum: *Le Platonisme devoilé, ou Essai touchant le verbe Platonicien, divisé en deux parties, à Cologne*, 1700. 8. cuius versio germanica, a *Loefflero*, qui eandem cum auctore sententiam tuetur, curata, nuperrime secunda iam vice prodiit, aucta dissertatione de origine dogmatis de Trinitate: *Versuch über den Platonismus der Kirchenväter — aus dem Franz. übersetzt und mit Vorrede und Anmerkung. begleitet von Ios. Frid. Christ. Löffler, Züllich.* 1792. mai. 8.

*) Pleniorem eorum catalogum exhibuerunt Buddeus in *Introd. in hist. Theol. l. II. c.* 3. *pag.* 497. ff. *Pfaffius* in *Introd. in hist. litter. theol. P. I. p.* 305. ff. et *Io. Ge. Walchius* in *Bibliotheca Patristica*, p. 335. ff.

22) In *histor. critic. philos. T. III. p.* 343.

23) *Dogmat. theol. T. II. l. I. c.* 3. ff.

24) *Origenian. l. II. p.* 27. ff.

25) Qui hanc sententiam in pluribus scriptis professus est, v. c. *Bibliotheque vniuers. T. X. pag.* 181. *Biblioth. choisie, T. XII. p.* 213. *Art. critic. P. II. S. II. c.* 11. *p. m.* 379. *Epist. critic. IV. p.* 108. ff. *VII. p.* 187. ff.

26) In *Mensibus pietisticis*, (*Viteb.* 1705. 8.) maxime mense VI. p. 141. ff.

27) In *Hermetisch-Platonischem Christenthum*, (Lips. 1710. 8.) inprimis Part. I. c. I. §. 6. p. 26. ff.

28) In *Diss. de Platonismo Theologiae veterum ecclesiae doctorum, nominatim Iustini Martyr. et Clementis Alex. corruptore.* Viteb. 1733. 4.

mius [29]), *Iac. Bruckerus* [30]), *Io. Andr. Cramerus* [31]), et *Io. Geo. Arn. Oelrichſius* [32]).

Hi autem omnes, quanquam in eo inuicem conſentiunt, quod ex Platonis philoſophia in Theologiam chriſtianam nonnulla fluxiſſe ſtatuunt, iidem tamen in definiendo illo, quem dicunt, doctorum veteris eccleſiae Platoniſmo, magnopere inter ſe diuerſi ſunt. Nunc enim ipſa Platonis dogmata doctores illos in libris ſacris, quos humilibus imaginibus atque ſimilitudinibus ſumma myſteria occultare iudicaſſent, ſibi volunt viſos eſſe reperiſſe, hincque ea in chriſtianam doctrinam intuliſſe [33]); nunc vero dicunt, eos Platonicas tantum notiones ſcripturae notionibus miſcuiſſe, et quae in illa non legerentur, ex ea deduxiſſe conſectariis ex Platone partem ſaltem deriuatis [34]); nunc denique eos in explicandis Chriſtianorum myſteriis phraſibus, methodo, ſimilitudinibus et praeceptis atque opinionibus quibusdam Platonicis vſos fuiſſe, atque Platonicis hypotheſibus et locutionibus ipſa dogmata quaedam chriſtiana attemperaſſe defen-

---

29) In Diſſert. ſupra iam laudata *de turbata per Platonicos recentiores eccleſia.*

30) In *hiſt. crit. philoſ.* T. III. p. 337. ſſ. et T. VI. p. 534. ſſ.

31) In *Continuat. hiſtor. Boſſuet.* T. II. p. 268. ſſ.

32) In Comment. praemio ornata ab ordine Theologorum Goettingenſi *de vera et certa eorum, qui medio ſecundo atque ineunte tertio ſaeculo floruerunt, Patrum de ratione ſ. relatione filii ſ. Verbi cum patre ſententia*, Goett. 1787. 4.

33) Quae Souverainii fuit ſententia, in libro, quem modo commemoraui, ab illo propoſita pag. 73. verſ. germ. itemque p. 354. ſſ. ubi tempus adeo horum errorum in eccleſiam translatorum definire inſtituit, aetatem nimirum Adriani.

34) Hoc quidem modo Clericus illam rem definit *Art. critic. Vol. I. P. II. S. II. c. 2. p. m.* 379. *Veteres*, inquiens, *Chriſtiani, qui per aliquot ſaecula Platonici fuerunt, cum legerent Scripturam, vt ex ea religionis chriſtianae ſyſtema quoddam colligerent; Platonicas ſuas notiones ſcripturae notionibus vbique miſcuerunt, et quod in ſcriptura non legebatur, quodque credi volebant, ex ea deduxerunt conſectariis, non ex vno fonte deriuatis, ſed ex Platone aeque ac Prophetis.*

dunt [35]). Simili vero modo in eo etiam diſſentiunt, vtrum illa Theologiae chriſtianae per Platonicas ſententias corruptio ex veteris academiae genuina Platonis doctrina, an vero recentiorum potius Platonicorum ſ. Eclecticorum philoſophia [36]) ſit repetenda. Illud quidem omnes olim, qui huic ſententiae ſe addixerunt, in animo videntur habuiſſe; hoc autem primus fere defendit *Moshemius* [37]), et quanquam hanc ſententiam vix videri potuiſſet cuiquam perſuaſurus, cum facile adpareret, illam docendi rationem, quae Platonem dicitur redolere, diu iam apud eccleſiaſticos doctores viguiſſe, antequam Eclecticorum ſecta orta eſſet, tamen habuit, qui eum ſequerentur, *Cramerum* [38]), *Bruckerum* [39]), atque ex parte etiam *Oelrichſium* [40]).

---

35) Haec Bruckerus ad Platonismum retulit in *hiſtor. crit. Philoſ.* To. III. p. 348. vbi ſex omnino momenta commemorat, quae Platonismum Patrum ex ipſius quidem opinione conſtituant, ſuntque talia, vt profecto adpareat, veriſſimum eſſe, quod monuit iam *Roeslerus* in *Diſſ.* mox laudanda *de originibus philoſophiae eccleſiaſticae.* p. 20. ſ. eum in notione eius conſtituenda ipſum videri dubium fuiſſe atque ambiguum. Facile tamen adparet, ea, quae ſupra poſui, primaria ipſi viſa fuiſſe; atque in his iisdem hac in re commemorandis ſubſtitit etiam *Schroeckhius*, Vitebergenſis academiae inſigne decus, in *Hiſtor. eccleſiaſt. Vol. III. p.* 305. ſſ. edit. II.

36) De qua Eclectica, quae dicitur, philoſophia conferenda inprimis God. Olearii Diſſertat. verſioni latinae *Stanleii hiſtor. philoſ.* p. 1205. ſſ. adiecta, itemque *Bruckeri hiſtor. crit. philoſ.* T. II. p. 189. ſſ. et T. VI. p. 560. ſſ. cum vtroque tamen iungi etiam meretur liber ignoti ſcriptoris Franco-galli: *Hiſtoire critique de l'Eclectiſme, ou des nouveaux Platoniens.* 1766. 2. Tom. 12. itemque *Roesleri Diſſ. de commentitiis Philoſophiae Ammonianae fraudibus et noxis.* Tubing. 1786. 4.

37) In diſſert. aliquoties iam laudata.

38) L. L.

39) In locc. not. 30. laudat.

40) Is enim cum in Comment. not. 32. laudat. p. 64. ſſ. tum inprimis etiam in libello *de doctrina Platonis de Deo a Chriſtianis et recentioribus Platonicis varie explicata et corrupta,* (Marb. 1788. 8.) hoc ſibi demonſtrandum ſumſit, Chriſtianos, quae Platonicis placitis ſimilia habeant, accepiſſe vel a Iudaeis Alexandrinis, inprimisque Philone, vel e ſcholis Platonicorum recentiorum.

Nimirum a tertii denum ſaec. initiis originem huius ſectae repetendam eſſe exiſtimant, quod diſerte docet Bruckerus Hiſt. ph. T. II. p. 202. haec ſcribens: Veriſimillimum eſſe putamus, ſectam Eclecticam ſub Auguſto nondum fuiſſe enatam, quam non omiſiſſent tot illuſtres ſcriptores memorare, ſi eo tempore iam floruiſſet, nec ante ſeculi ſecundi finem potuiſſe originem cepiſſe, ſed nec iuniorem eſſe, cum eo tempore eclectica etiam philoſophia Alexandriae in Ammonii ſchola ſectae habitum formamque acceperit. Quod autem ipſos doctores attinet, qui huius vitii accuſantur, referunt huc ex Graecis quidem Iuſtinum Martyrem [41]), Athenagoram, Theophilum Antiochenum, Tatianum, Irenaeum, Clementem Alexandrinum [42]), Origenem et Euſebium, ex Latinis autem Minucium Felicem, Tertullianum, Arnobium, Lactantium, Auguſtinum denique. Conſilium autem, quo ducti veteres iſti doctores Platonicas ſententias in religionem dicuntur ſuſcepiſſe, iisque ſuam doctrinam accommodaſſe, hoc fuiſſe tradunt, vt philoſophos etiam aliosque viros doctos ad fidem chriſtianam allicerent [43]). Quamuis autem hoc quidem modo ſententiae huius patroni cauſam ſuam ſatis videri potuiſſent muniuiſſe, eamque ita ornaſſe, vt cuilibet eam perſuaſuros fuiſſe credibile ſit, tamen fuerunt, qui contrarias partes tuerentur, et vel vnum illud de Trinitate dogma aduerſus eorum criminationem defenderent, vel vniuerſam culpam corruptae per Platonicas ſententias Theologiae a doctoribus illis dimouere ſtuderent. Ex illis no-

---

41) Quem primum huius rei auctorem dicit Souverainius l. l. p. 354. et 358. verſ. germ.

42) Cui principem fere inter Chriſtianos illos Platonicos locum tribuunt.

43) Id certe huius rei conſilium aperuit nobis Clericus in *epiſt. critic. VII. p.* 188. et 209. et poſt eum *Loefflerus* in notis ad Souverain. p. 130.

minandi inprimis ſunt *Io. Mayerus* [44]), *Io. Guil. Ianus* [45]), et *Urb. Godofr. Siberus* [46]); inter hos autem nomen ſuum profeſſi ſunt *Petr. Allixius* [47]), *Franc. Baltus* [48]), ſcriptor anonymus Franco-Gallus [49]), et noſtris temporibus *Chr. Frid. Roeslerus* [50]).

Horum vero partibus quanquam et ego accedendum eſſe exiſtimo, meae tamen rationes ab illorum rationibus ita differunt, vt cum plerique eorum, quae in antiquiorum doctorum ſcriptis iuſtam aliquam habere videantur offenſionem, ea tam diu torqueant, inque partes diuerſiſſimas trahant, vsque dum aptiſſime et ad receptae doctrinae formulam accommodatiſſime ſcripta adpareant, ego contra infitias minime eam, eſſe quaedam parum recte ab iis ſcripta aut defenſa, ſed id tamen negem, ea primum ab iis in religionis doctrinam eſſe introducta, et ex Platonica philoſophia deſumta, ſed aliunde potius ad eos delata eſſe contendam. Id autem vt probem, triplici potiſſimum argumentorum genere vti conſtitui. Quoniam nimirum haec omnis res a praecipuo quodam et nimio veterum doctorum in philoſophiam Platonicam amore repeti ſolet, *primum* oſtendam,

---

44) In *Diſſert. de λόγῳ*, Kilon. 1700.

45) In *Diſſert. de Trinitate Platoniſmi vere et falſo ſuſpecta*, Viteb. 1708. 4.

46) In Orat. *de martyribus diuinitatis Chriſti teſtibus*, *Lipſ.* 1714. 4.

47) In libro: *The Judgment of the ancient Jewiſh church againſt the Unitarians*, *Lond.* 1699. germanice verſo *Berol.* 1707. 4. pag. 282. ſſ.

48) Qui edidit librum notiſſimum: *Defenſe des SS. Peres accuſez de Platoniſme*, á Paris, 1711. 4.

49) Auctor nimirum libri not. 36. iam laudati: *Hiſtoire critique de l'Eclectiſme.*

50) In *Diſſ. de originibus Philoſophiae eccleſiaſticae*, (*Tubing.* 1781. 4.) pag. 17. ſſ. quae cum inſerta eſt *Selectis hiſtorico-philoſophico-theologicis*, (*Lipſ.* 1787.) tum germanice etiam verſa extat in eiusdem viri *Biblioth. PP.* Vol. VI. pag. 403.

non fuiſſe eos erga philoſophiam hanc ita animatos, vt eius auctoritate ad has illasue ſententias probandas amplectendasque ſe adduci videantur paſſi fuiſſe; *tum* vero demonſtrabo, eos vnam ſcripturam ſacram veri cognoſcendi ac iudicandi fontem habuiſſe, adeoque a probanda quacunque ſententia aliunde arrepta quam maxime fuiſſe alienos, neque vllum aliud vnquam profeſſos, quam quod illius auctoritate ipſis videretur munitum, hincque eos pro nouo potius et ſingulari philoſophorum genere maluiſſe haberi, quam vllius reliquorum philoſophorum ſcholae addictos cenſeri; *denique* quae ex Platon ca philoſophia in religionis doctrinam ab iis dicuntur transſumta fuiſſe, ea non modo ipſos docebo, aliunde ſe didiciſſe profeſſos eſſe, ſed per ſingula etiam eundo, re vera aliunde fuiſſe profecta, declarabo.

§. I.

Patres Platonicam philoſophiam non ita ſunt admirati, vt ea ad probandam aliquam ſententiam duci ſe paſſi fuerint.

Quod igitur primum attinet, conſtat quidem, nonnullos veterum doctorum ab initio ipſos fuiſſe philoſophiae gentili, nominatimque Platonicae, addictos; verum hi tamen non modo poſt philoſophiae illi omnique religioni gentili hac ipſa de cauſa renunciarunt, quod nihil in ea reperiſſent, quo ipſorum veri cognoſcendi cupiditati ſatisfieret, ſed per omne etiam reliquum tempus animum ab omnibus philoſophorum gentilium ſectis alienum variis modis declararunt. Certe *Iuſtinus* quidem *Martyr*, qui praecipuo philoſophiae amore exarſerat, cum, vt ipſe narrat [51]), alium poſt alium

51) In *dialog. c. Tryph.* p. 103. ff. edit. Bened.

philoſophum gentilem adiiſſet, a nullo autem, ne Platonicae quidem ſcholae doctore excepto, quod quaereret, edoctus eſſet, vidiſſetque inſignem Chriſtianorum in religione ſua profitenda perferendisque malis ac ipſa de cauſa iis immiſſis conſtantiam, magnopere dicit optaſſe, vt et ipſe Chriſtianus fieret, χρισιανὸς, inquiens[52]), εὑρεθῆναι καὶ εὐχήμενος καὶ παμμάχως ἀγωνιζόμενος, ὁμολογῶ· ὄχ ὅτι ἀλλότρια ἔςι τὰ Πλάτωνος διδάγματα τȣ̃ Χριςȣ̃, ἀλλ' ὅτι ȣ̓κ ἔςι πάντη ὅμοια, ὥσπερ ȣ̓δὲ τὰ τῶν ἄλλων, Στωϊκῶν τε καὶ ποιητῶν καὶ συγγραφέων. Quod igitur in gentilibus quidem philoſophis deſiderauit, id apud Chriſtianos ſe reperiſſe laetus agnouit. Simili de cauſa etiam *Tatianus*, qui et ipſe fuit religione gentilis, licet non parum per Graecorum philoſophiam exiſtimationis eſſet adeptus, tamen ei ſe dicit valedixiſſe, religionemque chriſtianam amplexum eſſe[53]). Idem valet de *Athenagora*, *Theophilo Antiocheno*, *Hermia* (auctore nimirum irriſionis gentilium philoſophiae, quem ipſa inſcriptio philoſophum fuiſſe demonſtrat,) et aliis. Neque vero hi viri hanc de gentili philoſophia ſententiam ſuam vnquam mutarunt, ſed ſemper ab omnibus eius ſectis ita abhorruerunt, vt nullam eſſe ſtatuerent, quae verum vnice teneret, ſed omnes potius multis iisque perniciosiſſimis erroribus contaminatas eſſe defenderent; idque ipſum caeteri etiam doctores chriſtiani profeſſi ſunt. Hinc non modo vniuerſos philoſophos gentiles variis de cauſis atque nominibus taxarunt ac reprehenderunt et

---

52) *Apolog. II. §.* 13. p. 82. edit. Thalem.

53) *Orat. adv. Graec. c. II. p.* 6. edit. Worth. τȣ̃τȣ χάριν ἀπεταξάμεθα τῇ παρ' ἡμῖν σοφίᾳ, κἂν εἰ πάνυ σεμνός τις ἐν αὐτῇ et *c. LVI. p.* 123. ταῦτα μὲν ἐν ἑ παρ' ἄλλȣ μαθὼν ἐξεθέμην, πολλὴν ἐπιφοιτήσας γῆν, καὶ τȣ̃το μὲν σοφιςεύσας τὰ ἡμέτερα, τȣ̃το δὲ τέχναις καὶ ἐπινοίαις ἐγκυρήσας πολλαῖς. — — διόπερ χαίρειν εἰπὼν καὶ τῇ Ρωμαίων μεγαλαυχίᾳ καὶ τῇ Ἀθηναίων ψυχρολογίᾳ, δύγμασιν ἀσυναρτήτοις, τῆς καθ' ἡμᾶς βαρβάρȣ φιλοσοφίας ἀντεποιησάμην.

confutarunt, atque philoſophum philoſopho oppoſuerunt, vt, quantopere inter ſe diuerſi eſſent, ſibique contrarii, oſtenderent, hacque ipſa re auctoritatem eorum labefactarent atque infringerent, ſed ſingulas etiam ſectas oppugnarunt, et quam male cuiusque earum placita ſecum conſentirent, quamque multis quaelibet infecta eſſet erroribus, ita declararunt, vt de Platonica id non minus, quam caeteris, defenderent, hocque vnum omnibus perinde reliquum facerent, vt quamlibet veri aliquam particulam tenere concederent [54]). Si autem haec fuit eorum de philoſophis iſtis, cum vniuerſis, tum ſingulis, ſententia, qua tandem veri ſpecie defendi poterit, eos Platonis certe tanto amore captos fuiſſe, vt plura eius placita in ſuam doctrinam transſumere, eamque iis accommodare non dubitarent? Eſtne, quaeſo, credibile, *praecipuo* quem poſſe in eum doctorem amore ferri, quem grauiſſimis erroribus implicatum cenſet, eoque ipso caeteris nihil praeſtare concedit? Vt nihil iam dicam de eo, quod noſtros ſupra vidimus de Platone defendiſſe, eum his ipſis erroribus ſuis peſſimarum haereſium auctorem extitiſſe.

At, inquis, ſi vel maxime non totam philoſophiam Platonicam, qua talem, receperunt, quod nemo ſanus defenderit, multa tamen vera in ea agnouerunt, et admodum honorifice de illa ſtatuerunt, hincque non improbabile eſt, eos multa etiam ſibi ex ea vindicaſſe, ſuaeque doctrinae, vana ὀρθοδοξίας opinione deceptos, intu-

---

54) Non opus eſſe arbitror, vt hoc ſingulis eorum locis commemorandis atque recitandis confirmem, cum ea in re abunde iam ab aliis otium mihi factum eſſe intelligam, inter quos nominatim laudandi ſunt Liv. Galantes in *Chriſtianae Theologiae cum Platonica comparatione*, lib. I. p. 20. ſſ. *Fr. Baltus lib. II. et III.* operis iam laudati, quorum vterque, quae Platoni inprimis a noſtris fuerunt obiecta, enarrat, et *Bruckerus* in *Hiſt. crit. philoſ. T. III. p.* 324 – 331. qui, quid in qualibet ſecta deſideraverint, exponit.

liſſe [55]). Etenim ille ipſe quidem *Iuſtinus Martyr*, qui e Platonis ſchola ad Chriſtianos transiit, quanquam in ea non omnino ſibi ſatisfactum eſſe, vel hoc ipſo transitu ſuo declarauit, tamen nec Platonis dogmata a Chriſto prorſus aliena eſſe profeſſus eſt [56]); *Clemens* vero *Alexandr.* non dubitauit eum non modo veritatis ſtudioſum, ſed diuino adeo velut ſpiritu actum dicere [57]); ſimilesque laudes alii etiam plures ipſi tribuerunt [58]). Audio equidem, neque omni haec veritatis ſpecie deſtitui, ingenue profiteor. At enimuero, ſi in Platonica philoſophia vera quaedam agnouerunt doctores illi, num de caeteris forte Philoſophorum ſectis id minus valere putarunt? Nonne ipſe potius *Iuſtinus*, vbi Platonis doctrinam a Chriſto non alienam eſſe dicit, neque caeterorum philoſophorum ſcriptorumque gentilium ſententias ab eo alieniores eſſe defendit, dum diſerte addit, Platonis placita Chriſti decretis non minus eſſe diſſimilia, quam reliquorum vel Stoicorum, vel poëtarum, vel aliorum ſcriptorum [59])? Atque id ipſum nonne aperte

---

55) Eſt haec ſolennis *Bruckeri* aduerſus *Baltum* exceptio, quam ad nauſeam vsque in Opere eius philoſophico repetitam reperies, cfr. v. c. To. III. p. 331. 334. 397. etc.

56) In loco paulo ante p. 12. laudato.

57) *Φιλαληθέα* et *οἷον θεοφορέμενον Strom.* I. I. §. 8. p. 341. edit. Pott. itemque l. V. §. 12. p. 692.

58) Quas et ipſas in vnum collectas videre poteris in eodem, quod modo commemoraui, Liuii Galantis opere, lib. I. p. 16–20.

59) *Οὐχ ὅτι*, inquiens l. l. *ἀλλότρια ἔϛι τὰ Πλάτωνος διδάγματα τȣ̃ Χριϛȣ̃, ἀλλ' ὅτι ἐκ ἔϛι πάντη ὅμοια, ὥϛπερ ȣδὲ τὰ τῶν ἄλλων. Ϛωϊκῶν τε καὶ ποιητῶν καὶ ϛυγγραφέων.* Negat quidem *Bruckerus hiſtor. crit. philoſ.* T. III. p. 371. haec verba ſic, vt equidem feci, eſſe interpretanda, vt Platonis dogmata negentur Chriſti decretis in omnibus ſimilia eſſe, ſed dicit, illud *ἐκ ἔϛι πάντη ὅμοια* hoc potius ſibi velle, vt Platonis dogmata ſibi ipſis non ſatis dicantur conſtare. Verum hac de re plane non video Iuſtino nunc ſermonem eſſe, ſed id potius docet, Platonis doctrinam non totam quidem a Chriſti decretis alienam eſſe, neque tamen ei prorſus reſpondere. Huius enim rei, vt ipſe *Bruckerus* agnoſcit, in ſqq. rationem aliquam reddit, dum haec addit: *ἕκαϛος γάρ τις ἀπὸ μέρȣς τȣ̃ ϛπερματικȣ̃ θείȣ λόγȣ τὰ ϛυγγενὲς ὁρῶν, καλῶς*

etiam docuerunt *Clemens Alexandrinus*[60]), *Minucius Felix*[61]), *Lactantius*[62]) et *Augustinus*[63])? Numquid ergo praecipui Platoni ea in re concesserunt? Verum sit, concesserint etiam, quo tandem alio respectu id defenderunt, nisi hoc, quod caeteris eum rarius erraſſe, verique plus cognouiſſe ſtatuerent? Sic enim *Auguſtinum* certe praecipuae auctoritatis laudem, Platonicis tributam, intellectam velle, ipſe docet: *iſti*, inquiens[64]), *philoſophi caeteros nobilitate atque auctoritate vicerunt, non ob aliud, niſi quia longo quidem interuallo, verumtamen reliquis propinquiores*

ἐφθέγξατο· οἱ δὲ τἀναντία αὐτοῖς ἐν κυριοτέροις εἰρήκοτες, ἐκ ἐπιστήμην τὴν ἄποπτον, καὶ γνῶσιν τὴν ἀνέλεγκτον φαίνονται ἐσχηκέναι, κ. τ. λ.

60) *Strom. l. I. §. 13. p. 349. Αἱ τῆς φιλοσοφίας τῆς τε βαρβάρε τῆς τε Ἑλληνικῆς αἱρέσεις, ἑκάστη ὅπερ ἔλαχεν, ὡς πᾶσαν αὐχεῖ τὴν ἀλήθειαν· φωτὸς δ' οἶμαι, ἀνατολῆ πάντα φωτίζεται. ξύμπαντες ἐν Ἕλληνές τε καὶ βάρβαροι, ὅσοι τἀληθὲς ὠρέχθησαν, οἱ μὲν ἐκ ὀλίγα, οἱ δὲ μέρος τι εἰπερ ἄρα τὸ τῆς ἀληθείας λόγε, ἔχοντες ἀναδειχθεῖεν. κ. τ. λ.*

61) *Octav. c. XX. p. 116.* ed. Lindn. *Expoſui opiniones omnium ferme philoſophorum, quibus illuſtrior gloria eſt, Deum vnum multis deſignaſſe nominibus: vt quiuis arbitretur, aut nunc Chriſtianos philoſophos eſſe, aut philoſophos fuiſſe iam tunc Chriſtianos.*

62) *Inſtit. div. l. VII. c. 7. p. 895.* edit. Bünem. *Facile eſt docere, paene vniuerſam veritatem per philoſophos et ſectas eſſe diuiſam. Non enim ſic philoſophiam nos euertimus, vt Academici ſolent, quibus ad omnia reſpondere propoſitum eſt, quod eſt potius calumniari et illudere: ſed docemus, nullam ſectam fuiſſe tam deuiam, nec philoſophorum quenquam tam inanem, qui non viderit aliquid ex vero. — Quod ſi exſtitiſſet aliquis, qui veritatem ſparſam per ſingulos per ſectasque diffuſam colligeret in vnum, ac redigeret in corpus, is profecto non diſſentiret a nobis.*

63) *De doctr. chriſt. l. II. c. 40. Opp. T. III. p. 32.* edit. Bened. *Doctrinae omnes gentilium non ſolum ſimulata et ſuperſtitioſa figmenta grauesque ſarcinas ſuperuacanei laboris habent, — ſed etiam liberales diſciplinas vſui veritatis aptiores, et quaedam morum praecepta vtiliſſima continent, deque ipſo vno Deo colendo nonnulla vera inueniuntur apud eos.*

64) *De civ. Dei* l. XI. c. V.

ſunt veritati; itemque alio in loco [65]): *ideo iſtos philoſophos dixi aliis fuiſſe meliores in comparatione peiorum, quia fuerunt philoſophi, qui docerent, homini, cum mortuus fuerit, nullam vitam poſtea remanere. Talibus illi vtique praeponendi ſunt. Et in quo illi erant meliores, quamuis in multis a veritate deuiantes, tamen in quo erant iſtis ſuperiores, veritati fuerant propinquantes.* Quanquam poſt ne ſic quidem ſatis ei fuit ſententiam ſuam definiuiſſe, ſed vel has etiam laudes retractauit [66]), *laus quoque ipſa*, ſcribens, *qua Platonem, vel Platonicos, ſeu Academicos philoſophos tantum extuli, quantum impios homines non oportuit, non immerito mihi displicuit, praeſertim quorum contra errores magnos defendenda eſt chriſtiana doctrina.*

Iam vero id ipſum quoque, quod veri apud Platonem eiusque ſectatores ſibi videbantur reperiſſe, num ipſius forte auctoritate moti verum iudicarunt? Id nemo profecto ſibi perſuaſerit, qui vel illud cogitauerit, quod modo a nobis eſt demonſtratum, eundem, ex ipſorum quidem opinione, multa etiam falſa tradidiſſe. Si enim hoc ſtatuerunt, facile adparet, ex ipſius quidem auctoritate minime ab iis decerni potuiſſe, quid verum falſumque in eius placitis ſit iudicandum, ſed hoc aliunde potius ipſis fuiſſe conſtituendum; de quo poſt dicendi locus erit. Accedit vero et hoc, quod tantum abfuerunt, vt quicquam ei in vero definiendo cumque aliis communicando concederent, vt vel ea etiam, quae vere et recte eum docuiſſe iudicarent, non ex ipſius ingenio profecta, ſed vel e libris Iudaeorum ſacris ablata, vel a diuino λόγῳ, in omnes homines delato, ipſi ſuggeſta fuiſſe ſtatuerent, inque eos, qui ipſum adeo Ieſum eiusque diſcipulos ab illo didiciſſe defenderent, acriter inuehéren-

---

65) *Serm. CCXL. (CXXXIX.) de temp. T. V. Opp. p.* 698. edit. Bened.

66) *Retract. l. I. c. I. §. 4. T. I. Opp. p.* 4.

tur. Fuerant enim, vt ab his dicere incipiam, plures inter philosophos gentiles, qui Iesum eiusque apostolos ex Platonis scriptis profecisse contenderent, quorum ex numero nominatim nobis innotuit *Celsus*, qui ab *Origene* peculiari opere est confutatus, in quo huius criminationis eius pluribus in locis mentionem iniicit, eamque vanitatis simul et mendacii arguit [67]). Praeter hunc autem *Ambrosium* etiam eandem criminationem singulari libro repellere studuisse, auctore *Augustino* [68]), nouimus. Tantum igitur abfuit, vt Iesum et apostolos a Platone quicquam didicisse concederent, vt ipsum potius Platonem, quae bona tradidisset, ab Hebraeis eorumque libris sacris furto abstulisse contenderent. Fuit enim haec admodum vulgaris et constans, quanquam parum certis, vt videtur, argumentis nixa [69]), multorum inter Christianos opinio [70]), vt philosophos gentiles, ma-

67) Operis illius L. VI. p. 279. 280. 283. 286. 288. etc. edit. Spenc.

68) *Epist. XXXI. (XXXIV.) ad Paulin. Opp. T. II. p.* 44. edit. Bened. *Libros beatissimi Papae Ambrosii credo habere sanctitatem tuam, eos autem multum desidero, quos aduersus nonnullos imperitissimos et superbissimos, qui de Platonis libris Dominum profecisse contendunt, diligentissime et copiosissime scripsit.* cfr. etiam *de doctr. christ. c. XXVIII.*

69) Nimirum testimonio scriptorum, qui omnes sint *Alexandri M.* aetate recentiores, quique omnes vel summa leuitate hoc defenderunt, cum omnes eo tempore id narrarint, quo Graeci vix inceperant arctiorem aliquam familiaritatem cum his gentibus contrahere. Verum talia ad augendam dignitatem gentium orientalium protulerunt, et ad minuendam Graecorum auctoritatem. Est vero etiam in se improbabilis opinio, cum non adpareat, quomodo cum his populis versari potuerint philosophi isti, cum linguam eorum non callerent. De qua re praeter alios, qui de huius opinionis veritate dubitarunt, quos vna cum eiusdem defensoribus laudat *Brukkerus* in *hist. crit. philos. T. I. p.* 635. ff. inprimis consulendus est *Meiners* in *der Geschichte des Ursprungs, Fortgangs und Verfalls der Wissenschaften in Griechenl. u. Rom. Vol. I. p.* 375. ff.

70) V. c. *Iustini Mart.*, *Tatiani*, *Clementis Alex.*, *Origenis*, *Eusebii*, *Cyrilli*, *Minucii Fel.*, *Augustini* et aliorum, quorum quae huc pertinent, testimonia, collegerunt *Menagius* ad *Diog. Laërt.* p. 139. ff. *Kortholtus* in *Pagan. obtrect.*

ximeque Platonem, quicquid boni habuiſſent, a Iudaeis per occaſionem itineris in Aegyptum inſtituti putarent accepiſſe, ita quidem, vt, quae his per Moſen et prophetas fuerint patefacta, vel ex ipſis eorum libris ſacris, vel ex colloquiis ſaltem habitoque cum iis commercio [71]) cognouerint, eadem tamen ipſi poſt foede corruperint atque deprauauerint. Quae vero non poterant ex hoc fonte commode deriuari, ea per diuinum λόγον, cuius vniuerſum genus humanum particeps factum eſſe exiſtimabant, ipſis ſuppeditata fuiſſe opinabantur [72]). Ita autem cum ſtatuerent, vt, quae recte docuiſſe putarent Platonem et caeteros philoſophos, vel per Iudaeorum, quos ipſi habebant, libros ſacros ad eos peruenniſſe, vel illius λόγȣ, quem in Chriſto poſt conſediſſe, ſuosque multo plenius et rectius omnia edocuiſſe cenſebant [73]), interuentu iis innotuiſſe exiſtimarent, videturne, quae-

---

p. 27. *Huetius* in *Demonſtr, evang. Propoſ. IV. c. 2. §. 14.* p. m. 91. *Baltus l. l. p.* 153. ſſ. et 377. ſſ. *Io. Lamius de recta Chriſtianorum in eo, quod myſterium diuinae Trinitatis attinet, ſententia,* (Florent. 1733. 4.) *L. II. c. VI. p.* 101. ſſ. *L. III. c. I. p.* 139. *Lenfant Bibl. germaniq. T. II. art. V. p.* 124. ſſ. et *Bruckerus* l. l. et *T. III. p.* 332. ſq. Praeiuit autem noſtris in hac opinione iam Iudaeorum aliquis, *Ariſtobulus,* vt diſerte docet *Euſebius Praepar. evangel. L. XIII. c. XII.*

71) Neque enim hac in re inuicem conſenſerunt, aliis quidem ipſos libros Iudaeorum ſacros a Platone lectos, et Ieremiam adeo prophetam ab ipſo auditum fuiſſe defendentibus, aliis vero de commercio tantum cum Iudaeis in Aegypto habito, cogitantibus, quam poſteriorem ſententiam *Auguſtinus* maxime, repudiata priore, quam ante ipſe fuerat ſecutus, defendit *de ciuit. Dei l. VIII. c.* 11. et *Retract. L. II. c.* 4.

72) Cuius veterum doctorum ſententiae teſtimonia quaedam attuli iam in Pr. *de cauſis alieni Platon. recent. a relig. chriſt. animi, p.* 416. *not.* 67. Plura vero ex libello *Dommerichii* ibi laudato poterunt cognoſci.

73) Quod in hac ipſa re diſerte monet *Iuſtin. Mart. Apol. II.* §. 10. p. 79. Thal. vbi poſtquam gentiles philoſophos ex diuini illius λόγȣ ſuppeditatione ſua hauſiſſe defenderat, ita pergit: ἐπειδὴ δὲ ȣ̓ πάντα τὰ τȣ̃ λόγȣ ἐγνώρισαν, ὅς ἐςι Χριςὸς, ἐναντία ἑαυτοῖς πολλάκις εἶπον; cum quo loco et alius eiusdem *Apolog.* §. 13. p. 82. cfrri poterit.

ſo, credibile, illos ea ſibi in ſuam doctrinam iudicare potuiſſe transſumenda, quae non alio, quam quem ipſi multo lucidiorem habebant, ex fonte fluxiſſe defenderent? Nonne idem potius eos Platonismi ipſorum defenſoribus reſponſuros fuiſſe exiſtimabimus, quod *Iuſtinus* aliquo loco [74]) dicit: Οὐ τὰ αὐτὰ ἡμεῖς ἄλλοις δοξάζομεν, ἀλλ' οἱ πάντες τὰ ἡμέτερα μιμούμενοι λέγουσι.

At enimuero hic rurſus intercedit *Bruckerus*, dicitque in hac ipſa praeiudicata noſtrorum opinione, qua probas et rectas Platonis caeterorumque philoſophorum ſententias vel λείψανα eſſe putauerint reuelatae per λόγον mentibus eorum veritatis, vel theſauros Hebraeis et Chriſtianis, veris iuſtisque reuelationis diuinae poſſeſſoribus, furto ſubductos [75]), cauſam quaerendam eſſe, ob quam has eorum ſententias ſuae doctrinae inferendas iudicauerint. Hinc enim eos ſibi quaſi ius aliquod vult aſſeruiſſe, haec dogmata ſibi vindicandi et ad ſuae religionis confirmationem traducendi, iamque eos ſaepe leviſſima ſimilitudinis ſpecie ita deceptos fuiſſe, vt quae Platonis placita librorum ſacrorum decretis diſſimillima fuerint, iis tamen prorſus reſpondere ſtatuerint. Quod poſterius vt lubenter equidem concedo, ita tamen non poſſum, quin denuo repetam, quod modo admonui, me non videre, cur aliunde ſibi petenda iudicauerint, quae ipſos ſe puriora iam tenere putarent. Atque hac in re recte me iudicaſſe, eos ipſos poſſum teſtes commemorare atque producere. Vbi enim accuſabantur a gentilibus, ſe haec vel illa a Platone aliisue philoſophis petiiſſe, id magnopere impugnabant, et a prophetis potius ea ſe didiciſſe contendebant; cuius rei *Origenes* nobis exem-

---

74) *Apolog. I.* §. 78. p. 57.

75) Quae ſunt ipſa eius verba in *Hiſtor. crit. Philoſ. T. III.* p. 319. cum quo loco conferri etiam poſſunt, quae ibidem habet p. 335. ſſ.

plum praebet, qui ad calumniam quidem *Celſi*, qua quae de beata poſt mortem vita docerent Chriſtiani, e Platone ipſos ſumſiſſe criminabatur, hoc ipſum reſpondet [76]), non ab hoc, ſed a prophetis potius, quos Plato conſuluiſſet, ea ſe accepiſſe. Quo ipſo iam ad alterum argumentum perducor, quo, veteres doctores chriſtianos culpa corruptae per Platonicas ſententias Theologiae liberandos eſſe, planum facere conſtitui.

§. II.

Vnam ſcripturam ſacram veri fontem Patres agnoverunt.

Vnam nimirum ſcripturam ſ. veri cognoſcendi atque iudicandi fontem illi agnoſcebant, hincque a probanda quacunque ſententia aliunde arrepta alieniſſimi erant, et hanc modo doctrinam ſe profiteri declarabant, quae ex librorum ſacrorum fonte hauſta eſſet, eamque ſolam ſapientiae nomine dignam iudicabant. Omnino enim hoc ſibi perſuaſum habebant, non poſſe veri quicquam ab homine cognoſci, niſi id a Deo fuerit edoctus; quam ſententiam non modo diſerte v. c. profitentur *Origenes* [77]) atque *Lactantius* [78]), ſed illud etiam pro-

---

76) *Adv. Celſ. L. VII. p.* 351. ſ. Spenc. *Τὰς δὲ προφητείας, ἀφ᾽ ὧν ϛοχαζόμεθα καὶ τὸν Πλάτωνα εἰληφέναι, οἱ σιγγενῶς τοῖς προφήταις καὶ ἐνθέως βιώσαντες, καὶ πάντα τὸν χρόνον ἀναθέντες τῇ ἐξετάσει τῶν ἱερῶν γραμμάτων, τοῖς ἐπιτηδείοις διὰ βίς καθαρότητα καὶ τὴν περὶ τὰ θεῖα φιλομάθειαν παρεϛήσεσιν. ἡμῖν δὲ προκείμενον ἦν δεῖξαι, ὅτι ἡμεῖς μὲν ἐκ ἀπὸ Ἑλλήνων ἢ Πλάτωνος τὰ περὶ τῆς ἁγίας γῆς εἰλήφαμεν· ἐκεῖνοι δὲ, νεώτεροι γενόμενοι ἐ μόνον τȣ ἀρχαιοτάτȣ Μωϋσέως, ἀλλὰ καὶ τῶν πλείϛων προφητῶν ἤτοι παρακηκόασί τινων αἰνισσαμένων περὶ τῶν τοιȣτων· ἢ καὶ ταῖς ἱεραῖς ἐντυχόντες γραφαῖς, παραποιήσαντες αὐτὰ, τοιαῦτά τινα περὶ τῆς κρείττονος εἰρήκασι γῆς.*

77) *Adv. Celſ. l. VII. p.* 360. Spenc. *Ἡμεῖς δὲ ἀποφαινόμεθα, ὅτι ἐκ αὐτάρκης ἡ ἀνθρωπίνη φύσις, ὅπως ποτ᾽ ἐν ζητῆσαι τὸν θεὸν, καὶ εὑρεῖν αὐτὸν καθαρῶς, μὴ βοηθηθεῖσα ὑπὸ τȣ ζητȣμένȣ.*

78) *Diuin. Inſtit. l. II. c.* 3. §. 23. *Homo per ſe ipſum*

dit, de quo dixi modo, quod omnes veras, quae quidem ſibi viderentur, gentilium philoſophorum ſententias a diuina inſtitutione repetierunt, dum eas vel ex libris Hebraeorum ſacris, vel ex inſiti hominum animis λόγȣ inſtitutione fluxiſſe ſtatuerent [79]). Quae autem nulla niterentur diuina inſtitutione, ſed ab hominibus eſſent inventa atque excogitata, ea hac ipſa de cauſa non poſſe non vana et falſa eſſe pronunciabant [80]). Hinc igitur non alium iam neque limpidiorem veri cognoſcendi fontem patere exiſtimabant, quam vel Moſis et prophetarum ſcripta, vel doctrinam a Ieſu traditam, Apoſtolorumque et Euangeliſtarum ſcriptis comprehenſam, ideoque non modo ipſi ex eo hauriebant, ſed gentiles etiam, vt eum adirent, hortabantur; in quam rem vel aliquot eorum teſtimonia commemoraſſe ſuffecerit [81]). Pertinent autem huc *Theophili* quidem *Antiocheni* haec [82]): διὸ δείκνυται πάντας τȣὺς λοιπȣὺς πεπλανῆσθαι· μό-

---

peruenire ad hanc ſcientiam (veri) *non poteſt, niſi doceatur a Deo.* It. *l. VII. c.* 2. *tot.* et *c.* 7. §. 4. *Verum non niſi eius ſcire eſt, qui ſit doctus a Deo. Neque enim poteſt aliter repudiare, quae falſa ſunt, eligere ac probare, quae vera.*

79) Nam et hanc Deo non minus tribuendam ſtatuerunt, quam quae ex illis libris profecta eſſet; vnde *Origenes adv. Celſ. l. VI. p.* 276. diſerte dicit, Deum philoſophis illis quicquid veri tradidiſſent, reuelaſſe, (ὁ θεὸς γὰρ αὐτοῖς ταῦτα, καὶ ὅσα καλῶς λέλεκται, ἐφανέρωσε.) non alio haud dubie modo id factum cogitans, quam diuini illius, quem dixi, λόγȣ interuentu, vt ad hunc ipſum eius locum pluribus demonſtrauit *Moshemius* in verf. huius libri german. p. 593.

80) Quod diſerte defendit *Clemens Alex. Strom. lib. I. §. VII. p.* 338. Pott. ὅσα δὲ, inquiens, ἀνθρωπίνων λογισμῶν ἀποτεμόμενοι παρεχάραξαν, ταῦτα ȣκ ἂν ποτε θεῖα εἴποιμ' ἄν; itemque *Lactantius diuin. Inſtit. l. VII. c.* 2. §. 11. *Neceſſe eſt, omnes philoſophiae ſectas alienas eſſe a veritate, quia homines erant, qui eas conſtituerunt, nec vllum fundamentum aut firmitatem poſſunt habere, quae nullis diuinarum vocum fulciuntur oraculis.*

81) Plura ſuppeditabit *Chr. Guil. Franc. Walchii* liber: *Kritiſche Unterſuchung vom Gebrauch der heiligen Schrift unter den alten Chriſten in den vier erſten Jahrhund.* p. 168.

82) *L. II. ad Autolyc. c.* 33 et 34. *p.* 373. edit. Boned.

νες δὲ χριςιανὸς τὴν ἀλήθειαν κεχωρηκέναι, οἵτινες ὑπὸ πνεύματος ἁγίȣ διδασκόμεθα, τȣ̃ λαλήσαντος ἐν τοῖς ἁγίοις προφήταις, καὶ τὰ πάντα προκαταγγέλλοντος· καὶ τὸ λοιπὸν ἔςω σοι φιλοφρόνως ἐρευνᾶν τὰ τȣ̃ θεȣ̃, λέγω δὲ τὰ διὰ τῶν προφητῶν ῥηθέντα, ὅπως συγκρίνας τάτε ὑπὸ ἡμῶν λεγόμενα καὶ τὰ ὑπὸ τῶν λοιπῶν, δυνήσει εὑρεῖν τὸ ἀληθές; *Clementis Alex.*[83]) Φωνῇ Κυρίȣ παιδευόμεθα πρὸς τὴν ἐπίγνωσιν τῆς ἀληθείας. ȣ̀ γὰρ ἁπλῶς ἀποφαινομένοις ἀνθρώποις προσέχομεν, οἷς καὶ ἀνταποφαίνεσθαι ἐπ' ἴσης ἔξεςιν. εἰ δ' ȣ̀κ ἀρκεῖ μόνον ἁπλῶς εἰπεῖν τὸ δόξαν, ἀλλὰ πιςώσασθαι δεῖ τὸ λεχθὲν, ȣ̀ τὴν ἐξ ἀνθρώπων ἀναμένομεν μαρτυρίαν, ἀλλὰ τῇ τȣ̃ Κυρίȣ φωνῇ πιςεύομεθα τὸ ζητȣ́μενον· ἡ πασῶν ἀποδείξεων ἐχεγγυωτέρα, μᾶλλον δὲ, ἡ μόνη ἀπόδειξις ἅσα τυγχάνει; itemque *Irenaei*[84]): *Non per alios dispositionem salutis nostrae cognouimus, quam per eos, per quos Euangelium peruenit ad nos, quod quidem tunc praeconauerunt, postea vero per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum et columnam fidei nostrae futurum.* Neque vero veri modo cognoscendi fontem libros illos habebant, sed eius etiam iudicandi vnicam eos normam praebere statuebant, ideoque omnia etiam gentilium philosophorum placita ad eam ita exigebant, vt quid verum falsumque in iis esset iudicandum, ex sola cum doctrina in illis libris tradita vel conuenientia vel repugnantia effici atque intelligi posse sibi persuaderent[85]). Atque hoc quidem veri cognoscendi atque iudicandi fonte ita acquiescebant, vt vltra scientiam inde haustam sapere velle minime auderent, in quam rem inprimis notabilis est *Tertullia-*

---

83) *Strom. l. VII.* §. 16. p. 891. Pott.

84) *Adv. haeres. l. III. c. I. p.* 173. edit. Mass.

85) Ex hac enim vna re eos de gentilium philosophorum placitis iudicasse, omnia profecto scripta eorum, in quibus de eorum vel veritate vel falsitate disputant, declarant.

ni locus [86]), vbi *viderint*, inquit, *qui Stoicum et Platonicum et dialecticum Christianismum protulerunt. Nobis curiositate opus non est post Christum Iesum, nec inquisitione post Euangelium. Cum credimus, nihil desideramus vltra credere. Hoc enim prius credimus, non esse, quod vltra credere debemus.* Ex hoc igitur vno idoneo veri cognoscendi fonte cum suam doctrinam fluxisse statuerent, profecto non mirum est, tantam eos auctoritatem illi tribuisse, vt solam sapientiae nomine dignam iudicarent, gentilium autem philosophiae id nominis plane denegarent, eamque suae doctrinae longe postponendam esse defenderent; de qua re cum plura eorum loca testentur, facile intelligitur, vnum tantum alterumue eorum a me nunc in medium posse proferri. Sic *Iustinus Mart.* [87]) v. c. non dubitat, Christianorum dogmata omni humana sapientia praestantiora declarare; *Clemens* vero *Alexandr.* ἡ μὲν inquit [88]), βάρβαρος φιλοσοφία, ἣν μεθέπομεν ἡμεῖς, τελεία τῷ ὄντι καὶ ἀληθὴς; similiter *Lactantius* [89]). *Ego vero ne studiosos quidem sapientiae philosophos esse concesserim, quia illo studio ad sapientiam non peruenitur. Nam si facultas inueniendae veritatis huic studio subiaceret, et si esset id studium tanquam iter ad sapientiam, aliquando esset inuenta. Quum vero tot temporibus, tot ingeniis in eius inquisitione contritis non sit comprehensa: adparet, nullam esse ibi sapientiam. Non ergo sapientiae student, qui philosophantur: sed ipsi studere se putant, quia illud, quod quaerunt, vbi aut quale sit, nesciunt;* et alio loco [90]):

---

86) *De praescript. haeret. c. VII. p.* 10. *T. II.* Opp. edit. Seml.

87) *Apol. II.* §. 10. *p.* 78. Thal. μεγαλειότερα μὲν ἐν πάσης ἀνθρωπείᾳ διδασκαλίας φαίνεται τὰ ἡμέτερα.

88) *Strom. l. II.* §. 2. *p.* 430.

89) *Diuin. Instit. l. III. c.* 2. §. 7.

90) *Ibid. lib. III. c.* 16. §. 10.

philosophiam tollimus, quia humanae cogitationis inventio est; sophiam defendimus, quia diuina traditio est, eamque ab omnibus suspici oportere testamur. Hoc igitur loco doctrinam diuinam humanae philosophiae ita opponit *Lactantius*, vt eam κατ' ἐξοχὴν sophiam dicat; alii tamen nostrorum doctorum hanc eandem doctrinam suam philosophiae etiam nomine adpellare non dubitarunt, quorum loca videri possunt apud *Kortholtum* [91]), *Suicerum* [92]), *Salmasium* [93]), atque *Bruckerum* [94]), quorum posterior recte etiam admonuit, in hac, quam dicunt illi, philosophia minime cogitandam esse naturalem aliquam rerum diuinarum humanarumque cognitionem, ex rationis principiis illam deductam, sed ipsam potius doctrinam diuinitus patefactam ea significari. Id enim praeter laudata iam loca illud etiam confirmat, quod *Clemens Alex.* de huius philosophiae christianae natura pluribus disputans tradit, eiusque praecipuum esse dicit obiectum, his quidem verbis vsus [95]): τὴν ὑπόθεσιν δὲ τὴν κατὰ ἑκάστην αἵρεσιν ἀγωγὴν φαμεν, ἀλλ' ὅπερ ἄντως ἐστὶ φιλοσοφία, ὀρθῶς σοφίαν τεχνικὴν τὴν ἐμπειρίαν παρέχουσαν τῶν περὶ τὸν βίον· τὴν δὲ σοφίαν, ἐμπεδον γνῶσιν, θείων τε καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων κατάληψιν τινὰ βεβαίαν οὖσαν καὶ ἀμετάπτωτον, συνειληφυῖαν τά τε ὄντα, καὶ τὰ παρωχηκότα· καὶ τὰ μέλλοντα· ἣν ἐδιδάξατο ἡμᾶς διά τε τῆς παρουσίας, διὰ τε τῶν προφητῶν ὁ Κύριος· καὶ ἔστιν ἀμετάπτωτος ὑπὸ λόγου παραδοθεῖσα· — ταύτης δὴ τῆς σοφίας ἐπιθυμεῖ ἡ φιλοσοφία, τῆς ψυχῆς, καὶ τῆς ὀρθότητος τοῦ λόγου, καὶ τῆς τοῦ βίου καθαρότητος, ἀγαπητικῶς καὶ φι-

91) In *Comment. ad Iustin. Martyr. p.* 6.

92) In *Thesaur. eccles. T. II. p.* 1438. ff.

93) Ad *Tertullian. de pall. p.* 66. ff.

94) *Hist. crit. philos. T. III. p.* 245. ff.

95) *Strom. lib. VI. §.* 7. *p.* 767.

λητικῶς διατεθεῖσα πρὸς τὴν σοφίαν, καὶ πάντα πράττουσα ἕνεκα τοῦ τυχεῖν αὐτῆς. Φιλόσοφοι δὲ λέγονται παρ' ἡμῖν μὲν, οἱ σοφίας ἐρῶντες, τῆς πάντων δημιουργοῦ καὶ διδασκάλου, τοῦτέστι γνώσεως τοῦ υἱοῦ Θεοῦ· παρ' Ἕλλησι δὲ, οἱ τῶν περὶ ἀρετῆς λόγων ἀντιλαμβανόμενοι. Hic autem locus ſimul et hoc declarat, non ſuam modo doctrinam philoſophiae nomine noſtros adpellaſſe, ſed ſibi etiam ipſis philoſophorum nomen vindicaſſe; idque pluribus etiam cum eiusdem *Clementis*, tum aliorum ſcriptorum teſtimoniis confirmatur. Nam et alibi idem *Clemens* Chriſtianos dicit φιλοσόφους τοῦ Θεοῦ [96]); *Iuſtinus* autem, vbi ſuam ad Chriſtum conuerſionem deſcribit, ſe philoſophum factum declarat [97]), et *Lactantio* iidem Chriſtiani dicuntur *philoſophi noſtrae ſectae, quam tuemur* [98]). Neque vero nomen tantum philoſophorum vſurparunt, ſed eorum ſaepenumero etiam habitum vel ſeruarunt, vel ſumſerunt. Sic *Iuſtinum* quidem *Martyrem* pallio, quo quippe veſtimenti genere philoſophos olim vſos fuiſſe novimus, indutum fuiſſe, non modo ipſe haud obſcure ſignificat [99]), ſed diſerte etiam tradunt *Euſebius* [100]) atque *Hieronymus* [1]), qui idem etiam teſtatur de

---

96) In eodem *libr. Strom.* §. *XIV. p.* 793.

97) In *Dial. c. Tryph. VIII. p.* 109. ed. Ben. ἐμοῦ δὲ παραχρῆμα πῦρ ἐν τῇ ψυχῇ ἀνήφθη, καὶ ἔρως ἔχει με τῶν προφητῶν καὶ τῶν ἀνδρῶν ἐκείνων, οἵ εἰσι Χριστοῦ φίλοι· διαλογιζόμενός τε πρὸς ἐμαυτὸν τοὺς λόγους αὐτοῦ, ταύτην μόνην εὕρισκον φιλοσοφίαν ἀσφαλῆ τε καὶ σύμφορον. ὅτως δὴ καὶ διὰ ταῦτα φιλόσοφος ἐγώ.

98) *De opific. Dei c. I.* §. 2. *p.* 1115.

99) Dum in prooemio dialogi cum Tryph. narrat, Tryphonem ex habitu ſuo collegiſſe, ſe philoſophum eſſe.

100) *Hiſt. eccleſ. l. IV. c.* 11. vbi μάλιστα, inquit, ἤκμαζεν. ἐπὶ τούνδε Ἰουστῖνος ἐν φιλοσόφῳ σχήματι προσβεύων τὸν θεῖον λόγον.

1) De *vir. illuſtr. c.* 33. apud *Fabric.* in *Biblioth. eccleſ. p.* 91. vbi dicitur ei *Iuſtinus philoſophus, habitu quoque philoſophico incedens.*

Aristide Athenienſi [2]), et de *Heracla* [3]), ſcholae Alexandrinae doctore, quemadmodum de *Athenagora* Philippus Sidetas [4]), et de *Heracla* etiam *Origenes* [5]); de *Gregorio* autem *Thaumaturgo* Gregorius Nyſſenus [6]); vt nihil iam dicam de *Tertulliani* pallio, cuius quippe cauſa ambigua adhuc eſt atque incerta [7]). Vt autem hoc philoſophorum nomen non tantum vſurparent, ſed re etiam ipſa tuerentur, coeperunt iam primum omnium ſuam ipſorum doctrinam philoſophico quodam modo et ordine tractare, aliisque exponere, et contra aduerſariorum calumnias eam defendere. Quod a quibus potiſſimum, quoque modo factum fuerit, non opus eſt, vt denuo nunc exponam, cum in ea re explicanda ſatis iam deſudauerint Duumuiri celeberrimi, *Chriſt. Frid. Roeslerum* dico, qui non modo origines huius philoſophiae eccleſiaſticae patefecit, ſed eius praecipua etiam capita eſt perſecutus [8]), et *Io. Geo. Roſen-*

---

2) *L. L. c.* 20. *p.* 86. *Ariſtides, Athenienſis philoſophus eloquentiſſimus, et ſub priſtino habitu diſcipulus Chriſti.*

3) *L. L. c.* 54 *p.* 127. *Heraclas ſub habitu philoſophi perſeuerabat.*

4) In fragmento ab *Henr. Dodwello* ad calcem *Diſſertationum in Irenaeum* edito, et a *Fabricio* in *Luce ſalutari Euangel. p.* 188 repetito, vbi audit illi ἀνὴρ ἐν αὐτῷ χρώμενος τῷ τρίβωνι. Fateor tamen huius quidem ſcriptoris ſubleſiam eſſe fidem qua de re videnda ſunt quae monuit *Andr Polyc. Leyſerus* in *Diſſ. de Athenagora, Athenienſi, philoſopho chriſtiano*, (Lipſ. 1736.) §. IV.

5) Apud *Euſeb. Hiſt. eccleſ. l. VI c.* 19. vbi ſic de illo: διὸ καὶ πρότερον καινῇ ἐσθῆτι χρώμενος, ἀποδισάμενος καὶ φιλόσοφον ἀναλαβὼν σχῆμα, μέχρι τοῦ δεῦρο τηρεῖ.

6) In vita eius *T. III. Opp. p. m.* 534.

7) Dubitatur nimirum vtrum eo ſumendo Chriſtianismum fuerit profeſſus, an vero ad Montaniſtarum caſtra transgreſſus ſeuerioris tantum vitae rationem a ſe ſuſceptam voluerit ſignificare, qua de re, vt de hac omni pallii Chriſtianorum cauſa praeter *Salmaſium* in *notl. ad Tertull de pall. p.* 68. ſſ. conferendus eſt *Chr. Guil. Franc. Walchii* libellus: *Antiquitates pallii philoſophici veterum Chriſtianorum* (len. 1746. 8.) p. 221.

8) Prius quidem in Diſſert. ſupra iam laudata de *Originibus*

müllerum, Fautorem et Collegam pie colendum, qui et ipſe cum de originibus et cauſis huius rei, tum vero etiam de pretio ei ſtatuendo disputauit [9]). Neque vero in ſua tantum doctrina explicanda atque defendenda laborarunt, ſed gentilium etiam philoſophorum ſcripta adierunt, eorumque placita, vt ſupra iam docui, diligenter examinarunt et inuicem compararunt, quaeque falſa in iis iudicarent, oppugnarunt, quae vero bona iis viderentur, ipſi arripuerunt, inque ſuae cauſae commodum ita conuerterunt, vt iis ad ſua ipſorum dogmata vel defendenda vel illuſtranda atque confirmanda vterentur; de qua eorum agendi ratione omnia eorum ſcripta, inprimis apologetica, luculentiſſime teſtantur.

Atque hanc talem philoſophiam, omnium philoſophorum rectas et ad ſcripturae normam, vt ante vidimus, exactas atque examinatas ſententias complectentem, iis haud dubie in locis in animo habuerunt, in quibus ſummam illi philoſophiae praeſtantiam praedicant, eiusque cognitionem omnibus neceſſariam eſſe demonſtrant, quales laudes apud *Iuſtinum* v. c. *Mart.* leguntur, qui ἔστι γάρ, inquit [10]), τῷ ὄντι φιλοσοφία μέγιστον κτῆμα καὶ τιμιώτατον θεῷ, ᾧτε προσάγει καὶ συνίστησιν ἡμᾶς μόνη· καὶ ὅσοι ὡς ἀληθῶς ἔτοι εἰσιν, οἱ φιλοσοφίᾳ τὸν νοῦν προσεσχηκότες. In hac autem philoſophia eum non de ſingularis cuiusdam ſectae philoſophiae formula, ſed de illa, quam dixi, eclectica philoſophia cogitaſſe, ea docent, quae mox addit: τί ποτε δὲ ἔστι φιλοσοφία καὶ ὃ χάριν κατεπέμφθη εἰς τοὺς ἀνθρώπους, τοὺς πολλοὺς λέληθεν. Οὐ γὰρ ἂν

---

philoſophiae eccleſiaſticae, poſterius autem in tribus Diſſertatt. Tubingae. ao. 1782. et 85. editis, quarum prima quidem exponit *Philoſophiam veteris eccleſiae de Deo* ſecunda eiusdem eccleſiae *philoſophiam de mundo*, et tertia *de ſpiritu*.

9) In libr. *de chriſtianae Theologiae origine*, (Lipſ. 1786. 8.) Cap. II. Sect. I. p. 39. ſſ.

10) *Dial. c. Tryph. §. 2. p. 102.* ed. Bened.

Πλατωνικοὶ ἦσαν, οὐδὲ Στωϊκοὶ οὐδὲ Περιπατητικοί, οὐδὲ Θεωρητικοί, οὐδὲ Πυθαγορικοί, μίας ἐσης ταύτης ἐπιςήμης. Idem vero iudicium ferendum etiam erit de *Clemente Alexandrino.* Is enim vbi cuiuscunque ſexus, aetatis atque conditionis hominibus philoſophiae operam dandam eſſe docet, ſi quidem vera potiri cupiant felicitate [11]), quonam intelligat philoſophiae genus, aliis in locis ſatis perſpicue declarat, in quibus quaenam ei omnino dicatur philoſophia, conſulto exponit; qualis eſt notiſſimus ille locus [12]), vbi Φιλοσοφίαν δὲ, inquit, οὐ τὴν Στωϊκὴν λέγω, οὐδὲ τὴν Πλατωνικὴν, ἢ τὴν Ἐπικούρειον τε καὶ Ἀριςοτελικήν· ἀλλ' ὅσα εἴρηται παρ' ἑκάςῃ τῶν αἱρέσεων τούτων καλῶς, δικαιοσύνην μετὰ εὐσεβοῦς ἐπιςήμης ἐκδιδάσκοντα, τοῦτο σύμπαν τὸ ἐκλεκτικὸν Φιλοσοφίαν φημί: cui ſimillimus eſt alius ex eodem Stromat. opere locus [13]), vbi philoſophiae naturam exponens, haec tradit: εἴη δ' ἂν Φιλοσοφία τὰ παρ' ἑκάςῃ τῶν αἱρέσεων, τῶν κατὰ Φιλοσοφίαν λέγω, ἀδιάφθορα δόγματα μετὰ τοῦ ὁμολογουμένου βίου εἰς μίαν ἀθροισθέντα ἐκλογήν.

Neque vero hanc philoſophiam eclecticam ſummis modo laudibus extulere, ſed eam adeo ipſi profiteri aliosque docere non dubitarunt, quoniam eam cum animos ad ſuſcipiendam doctrinam chriſtianam praeparare, tum

---

11) Quod ſit quarti potiſſimum *Strom.* libri locis pluribus e. c. §. *VIII. p.* 592. Pott. φιλοσοφητέον ἐν καὶ ταῖς γυναιξὶν, ἐμφερῶς τοῖς ἀνδράσι, κἂν βελτίες οἱ ἄρρενες. τὰ πρῶτα ἐν πᾶσι φερόμενοι τυγχάνουσιν, ἐκτὸς εἰ μὴ καταμαλακισθεῖεν. Ἀναγκαῖον ἐν συμπαντι τῷ τῶν ἀνθρώπων γένει παιδεία τε καὶ ἀρετὴ, εἴγε ἐπὶ τὴν εὐδαιμονίαν σπεύδοιεν; itemque *p.* 594. καλῶς ἐν Ἐπίκουρος Μενοικεῖ γράφων· μήτε νέος τις ὢν, μελλέτω φιλοσοφεῖν μήτε γέρων ὑπάρχων κοπιάτω φιλοσοφῶν· ὅτε γὰρ ἄωρος ἐδεὶς ἔειν, ὅτε πάρωρος πρὸς τὸ κατὰ ψυχὴν ὑγιαίνειν· ὁ δὲ λέγων, μὴ πω τοῦ φιλοσοφεῖν ὑπάρχειν ὥραν, ἢ περιληλυθέναι τὴν ὥραν, ὅμοιός ἐςι τῷ λέγοντι πρὸς εὐδαιμονίαν ἢ μήπω παρεῖναι τὴν ὥραν, ἢ μηκέτ' εἶναι τὴν ὥραν. κ. τ. λ.

12) *L. I. c VII. p.* 338. Pot.

13) *L. VI. c. VII. p.* 768.

ad eam etiam defendendam valere exiſtimabant [14]). Id autem, vt nihil iam dicam de *Ammonio Sacca*, cuius quippe non modo perſona, ſed omnis etiam philoſophicae diſciplinae ratio admodum dubia eſt atque incerta [15]), ab *Origene* certe ita factum nouimus, vt ab vnius quidem philioſophi placitis probandis diſciplinae ſuae alumnos ſtudioſe abſtraheret, ſed per omnium potius ſcholas ducens eos, quae apud ſingulos bona et vera deprehendiſſet, iis apponeret, ea praeſertim decerpendo, quae pietati iuuandae atque promouendae prodeſſent, falſa autem diligenter inde ſecerneret. Haec enim de docendi eius methodo diſerte teſtatus eſt vnus diſcipulorum eius, *Gregorius Thaumaturgus*, in oratione panegyrica, quam inſtante poſt multorum

---

14) De quo vtroque ſaepe diſſerit *Clemens* inprimis *Alex.* De priori haec v. c. habet *Strom. l. I. § I. p.* 326. καθάπερ γὰρ οἱ γεωργοὶ προαρδεύσαντες τὴν γῆν, εἶθ' ἕτω τὸ σπέρμα καταβαλλουσιν, ἕτω δὴ καὶ ἡμεῖς τῷ ποτίμῳ τῶν παρ' Ἕλλησι λόγων προαρδεύομεν τὸ γεῶδες αὐτῶν, ὡς παραδέξασθαι τὸ καταβαλλόμενον σπέρμα πνευματικὸν, καὶ τοῦτο εὐμαρῶς ἐκτρέψαι δύνασθαι· itemque *§. V. p.* 331. ἦν μὲν ἐν πρὸ τῆς τοῦ Κυρίου παρουσίας εἰς δικαιοσύνην Ἕλλησιν ἀναγκαία φιλοσοφία· νυνὶ δὲ χρησίμη πρὸς θεοσέβειαν γίνεται· προπαιδεία τις ἕσα τοῖς τὴν πίστιν δι' ἀποδείξεως καρτερουμένοις. De poſteriori autem haec tradit *Strom. l. I. §. XX. p.* 377. αὐτοτελὴς μὲν ἐν καὶ ἀπροσδεὴς ἡ κατὰ τὸν Σωτῆρα διδασκαλία, δύναμις ἕσα καὶ σοφία τοῦ Θεοῦ· προσιοῦσα δὲ φιλοσοφία ἡ Ἑλληνικὴ, ἐ δυνατωτέραν ποιεῖ τὴν ἀλήθειαν, ἀλλ' ἀδύνατον παρέχουσα τὴν κατ' αὐτῆς σοφιστικὴν ἐπιχείρησιν, καὶ διακρουομένη τὰς δολερὰς κατὰ τῆς ἀληθείας ἐπιβουλὰς, φραγμὸς οἰκεῖος εἴρηται καὶ θυγκὸς εἶναι τοῦ ἀμπελῶνος. Conferenda ſunt, quae de his philoſophiae gentilis a noſtris colendae cauſis nuper ſcripſerunt *Io. Frid. Gaabius* in *den Abhandlungen zur Dogmengeſchichte der älteſten griechiſchen Kirche* (Ien. 1790. 8.) *p.* 13. ſſ. et *Dietr. Tiedemannus im Geiſt der ſpekulativ. Philoſoph. Vol. III. p.* 169.

15) De priore conferri poterunt, quae alibi iam admonui in Pr. aliquoties iam laud. *p.* 433. ſ. de poſteriori autem nequam ſubtiliter et accurate nuper diſputauit *Roeslerus* in *Diſſ. de commentitiis philoſophiae Ammonianae fraudibus et noxis* (Tubing. 1786. 4.) p. 13. ſſ. Incertum nimirum eſt, vtrum ad vitae vsque finem in Chriſtianae fidei profeſſione permanſerit an ab ea defecerit; illud quidem *Eusebio*, hoc autem *Porphyrio* defendentibus hincque admodum probabile eſt, duos fuiſſe *Ammonios*, qui inuicem fuerint permixti.

annorum disciplinam in patriam reditu, Caesareae Palaestinae habuit [16]). In hac autem versandi docendique ratione, cum, vt ipse professus est [17]), omnia ad religionis commodum fideique christianae apud discipulos praeparationem referret, facile poterit iudicari, non nisi huius decreta veri falsique in philosophorum illorum sententiis discernendi normam ipsi praebuisse, eumque adeo a probanda quacunque sententia, quam literis sacris religionisque christianae praeceptis non iudicaret consentaneam, haud dubie fuisse alienissimum. Haec eadem vero cum, vt ante vidimus, reliquorum etiam illius aetatis doctorum fuerit sententia, nec illud iudicatu nunc difficile erit, quonam iure Eclecticis illi philosophis fuerint annumerati vel annumerari debeant. Si nimirum Eclectici omnino dicantur ii, qui quaecunque ab aliis recte dicta sunt, nullo sectae discrimine facto, pro veris agnoscunt et ipsi amplectuntur, iure profecto hoc nomine poterunt adpellari [18]); sin autem hoc nomen intelli-

---

16) *Pag.* 215 *s. Opp.* edit. Voss. vbi inter alia haec habet: *πᾶν μὲν ὅτι χρήσιμον φιλοσόφων ἑκάσων καὶ ἀληθὲς ἦν, ἀναλέγων καὶ παρατιθέμενος ἡμῖν, ὅσα δὲ ψευδῆ ἐκκρίνων, τά τε ἄλλα καὶ μάλιστα ὅσα ἰδια πρὸς εὐσέβειαν ἦν ἀνθρώπων· περὶ τέτων μὲν μηδὲν προσέχειν συμβελεύων μηδὲ εἰ πάνσωφός τις ὑπὸ πάντων ἀνθρώπων μαρτυρηθείη, μόνῳ δὲ προσέχειν θεῷ καὶ τοῖς τέτε προφήταις.* Extat in hanc vniuersam orationem peculiaris libellus *Ioach. Sam. Weickhmanni*, quo *Scholam Origenianam sacram ex Gregorio Thaumaturgo informatam excuiit, Viteb.* 1744. 4.

17 In *epist. ad eundem Gregor.* data, quae extat in eius *Philocal.* c. XIII. p. 41. edit. Spenc. *ἀλλ' ἐγὼ τῇ πάσῃ τῆς εὐφυίας δυνάμει σε ἐβελόμην καταχρήσασθαι σε, τελικῶς μὲν εἰς χρισιανισμόν, ποιητικῶς δὲ. διὰ τέτ' ἂν ηὐξάμην παραλαβεῖν σε καὶ φιλοσοφίας Ἑλλήνων τά οἱονεὶ εἰς χρισιανισμὸν δυνάμενα γενέσθαι ἐγκύκλια μαθήματα, ἢ προπαιδεύματα, καὶ τὰ ἀπὸ Γεωμετρίας καὶ Ἀςρονομίας χρήσιμα ἐσόμενα εἰς τὴν τῶν ἱερῶν γραφῶν διήγησιν· ἵν' ὥσπερ φάσι φιλοσόφων παῖδες περὶ Γεωμετρίας, καὶ Μεσικῆς, Γραμματικῆς τε καὶ Ῥητορικῆς, καὶ Ἀςρονομίας, ὡς συνεριθῶν φιλοσοφίᾳ, τεθ' ἡμεῖς εἰπωμεν καὶ περὶ αὐτῆς φιλοσοφίας πρὸς χρισιανισμόν.*

18) Atque sic quidem intellexerunt hoc nomen *Io. Ge. Walchius* in *Biblioth. patrist. p.* 331. et *Roeslerus* in *Diss. de originib. philosoph. eccles. p.* 24.

gatur ſic, vt Neo-Platonicorum, qui dicuntur, philoſophorum ſcholae Eclecticae ſtatuantur addicti fuiſſe, quo ſenſu *Olearius* [19]) olim, *Moshemius* [20]), atque *Bruckerus* [21]) Eclecticos eos adpellandos eſſe defenderunt, non putem id nomen recte iis tribui, cum nunquam iuſtis argumentis doceri poterit, eos vllam aliquam philoſophorum familiam vnice eſſe ſecutos, ſitque omnino, vt a pluribus iam eſt demonſtratum [22]), omnis Eclecticae illius ſcholae cauſa, quanquam ab illis ipſis, quos modo nominaui, viris praecipue illa ſtabilita atque ornata, nihilominus tamen admodum lubrica atque incerta, veroque multo propius videatur, quod *Roeslerus* coniecit [23]), Eclecticos illos ex Chriſtianis potius ortos atque profectos eſſe, quam hos ab illis didiciſſe, ac ſua quaedam ab iis transiumſiſſe. Multo igitur rectius chriſtianos eos philoſophos dixeris, qui quippe non niſi ſententias divinitus ſibi, vt aiebant, patefactas, aliis proponerent, easque cum accurate definirent, iuſtoque ordine enarrarent, tum argumentis etiam ex natura rerum et ratione petitis munirent, philoſophorumque gentilium ſimilibus effatis illuſtrarent atque confirmarent.

---

19) In *Diff.* ſupra laud. *de philoſophia eclectica*, c. IV. p. 1216. Operis *Stanleiani.*

20) In illa ſaepe iam a me commemorata *Diff. de turbata per Platonicos recentiores eccleſia.*

21) *Hiſt. crit. philoſ. T. II. p.* 387. *et T. III. p.* 337. ſſ.

22) Inter quos praeter auctorem libri francogallici ſupra (not. 36.) commemorati pertinent inprimis *Meinersius* in libro ſic inſcripto: *Beytrag zur Geſchichte der Denkart der erſten Jahrhund. nach Chriſti Geburt, in einigen Betrachtungen über die Neu-Platoniſche Philoſophie*, Lipſ. 1782 8 et *Roeslerus* in *Diff. de commentitiis Philoſophiae Ammonianae fraudibus et noxis. Tubing.* 1786. 4.

23) *De originib. philoſ. eccleſ. p.* 22.

§. III.

Nil patres docuerunt, quod non crederent, S. S. auctoritate niti et defendi posse.

Atque hoc ipsum Christianorum philosophorum nomen iis, nec quod ad illa religionis capita attinet, in quibus nominatim dicuntur a Platone in errorem fuisse deducti, denegandum esse, tertia iam coeptae disputationis parte ita demonstrare conabor, vt per singula haec capita eundo ostendam, nihil eos docuisse, nisi quod ipsis libris sacris praeeuntibus a se defendi posse, firmiter sibi habuerint persuasum. Pertinent autem ea, quae Platonicam scholam dicuntur redolere, vel ad doctrinam de Deo absolute spectato, vel de Λόγῳ eius et filio, vel de angelis, vel de homine eiusque inprimis animo, vel de virtutis cultu summoque eius fine, vel denique de futura hominis post mortem conditione.

Cap. I.

De Deo.

Et in doctrina quidem *de Deo absolute spectato* hoc primum culpant et Platonicum esse defendunt, quod *Deum nomine adpellari posse negauerint*, eumque hinc ἀνώνυμον vel ἀνωνόμαστον dixerint [24]). Idem enim volunt Platonem etiam statuisse, cum vniuersi huius patrem et inuenire dixerit difficile esse, et vbi inuenerimus eum, fieri posse negauerit, vt enuncietur, eiusque nos cum nomen, tum scientiam ac definitionem latere defenderit [25]). Verum, vt iam non quaeram, quae Platonis

---

24) Cf. Hahnii *Differt.* supra (not. 28.) iam laud. *p.* 11.

25) Quod Platonis dictum non modo scriptores gentiles, sed christiani etiam plus vna vice commemorant, v. c. Cic. *de nat. Deor. l. I. c.* 12. *Iam de Platonis inconstantia longum est dicere; qui in Timaeo patrem huius mundi nominari neget posse: in legum autem libris, quid sit omnino Deus, anquiri oportere non censeat;* Maximus Tyr. *Diss. XVII. p.* 201. edit.

hac in re ſententia fuerit, hoc vnum modo mihi docuiſſe ſuffeceriſ, eam fuiſſe illorum doctorum hac de re ſententiam, vt ſi propter illam Platonici ſint dicendi, ipſi etiam noſtri Theologi eodem nomine fuerint adpellandi. Nimirum non omnino nomen Deo denegarunt, ſed id modo defenderunt, non eſſe *proprium* ipſi nomen, qualia gentilium fere numina habebant. Id enim luculenter declarant argumenta, quibus hac in cauſa reperiuntur vſi fuiſſe, quibusque vel omnino fieri poſſe negarunt, vt tali nomine adpellietur Deus, vel vt fiat, opus non eſſe contenderunt. Illud enim eo confirmarunt, quod Deus cum ſit ἀγέννητος, adeoque nullum habeat ſe priorem, qui nomen ei indere poſſet [26]) tum vero etiam ἄῤῥητος, hincque nullum poſſit tale eius nomen reperiri, quod non hoc tantum illudue eius attributum aut beneficium exprimat, ſed ipſam eius internam naturam declaret, eamque penitus exhauriat [27]); hoc autem ſic

---

Markl. τέτο (θεῦ) ὄνομα μὲν ὲ λέγει, (Πλάτων) ὲ γὰρ οἶδεν; et e Chriſtianis Clem Alex. *Strom. l. V.* c. XII. p. 692. τὸν πατέρα καὶ ποιητὴν τῶδε τῦ παντὸς εὑρεῖν τε ἔργον, καὶ εὑρόντα εἰς πάντας ἐξειπεῖν ἀδύνατον. Ῥητὸν γὰρ ὅδαμῶς ἐςιν ὡς τ᾽ἄλλα μαθήματα, ὁ φιλαληθὴς λέγει Πλάτων.

26) Hoc quidem argumento Iuſtinum Mart. vſum eſſe deprehendimus, dum *Apol. II. §.* 6. *pag.* 74. ed. Thalem. haec habet: ὄνομα δὲ τῷ πάντων πατρὶ θετὸν, ἀγεννήτῳ ὄντι, ὅκ ἔςιν. ᾧ γὰρ ἄν καὶ ὀνόματι προσαγορεύηται, πρεσβύτερον ἔχοι (vt recte legendum monet Thalemannus) τὸν θέμενον τὸ ὄνομα· τὸ δὲ Πατὴρ, καὶ Θεὸς καὶ Κτίςης, καὶ Κύριος, καὶ Δεσπότης, ὅκ ὀνόματά ἐςιν, ἀλλ᾽ ὅκ τῶν εὐποιΐῶν καὶ τῶν ἔργων προσρήσεις.

27) Et hoc argumento idem Iuſtinus vtitur *Apol. I. §.* 80. *p.* 58. ὄνομα γὰρ, inquiens, τῷ ἀῤῥήτῳ Θεῷ ὐδεὶς ἔχει εἰπεῖν· εἰ δέ τις τολμήσειεν εἶναι λέγειν, μέμηνε τὴν ἄσωτον μανίαν. Tum vero idem etiam habet Clem. Alex. *Strom. l. V. c.* 12. *p.* 695. vbi poſtquam Deum dixerat ἀνωνόμαςον, haec deinde huius ſententiae confirmandae cauſa ſubiicit: κἂν ὀνομάζωμεν αὐτὸ ποτὲ ὲ κυρίως. παλᾶντες ἤτοι ἓν, ἢ τ᾽ ἀγαθὸν, ἢ νᾶν, ἢ αὐτὸ τὸ ὄν, ἢ πατέρα, ἢ Θεὸν, ἢ δημιεργὸν, ἢ Κύριον, ὅχ ὡς ὄνομα αὐτῦ προφερόμενοι λέγομεν, ὑπὸ δὲ ἀπορίας ὀνόμασι καλοῖς προςχρώμεθα, ἵνα ἔχῃ ἡ διάνοια, μὴ περὶ ἄλλα πλανωμένη, ἐπερείδεσθαι τέτοις. ὲ γὰρ τὸ καθ᾽ ἕκαςον μηνυτικὸν τῦ Θεῦ, ἀλλὰ ἀθρόως ἅπαντα ἐνδεικτικὰ τῆς τῦ παντοκράτορος δυνάμεως· τὰ γὰρ λεγόμενα ἢ ὅκ τῶν προσόντων αὐτοῖς ῥητὰ ἐςιν, ἢ ὅκ τῆς πρὸς ἄλληλα σχέσεως· ὐδὲν δὲ τέτων λαβεῖν οἷόν τε περὶ τῦ Θεῦ.

efficere ſtuduerunt, vt cum ſolus ſit, minime opus eſſe oſtenderent, vt ab aliis diſtinguatur[28]), hincque ipſum illud Dei nomen ei quaſi proprium eſſe ſtatuerunt[29]). His vero argumentis ecquis, quaeſo, vel noſtrorum etiam Theologorum calculum adiicere dubitet[30])? aut quis

---

28) In quo quidem defendendo omnes propemodum, qui hanc ſententiam profeſſi ſunt, laborarunt. Praeter Lactantium enim, cuius locus mox laudabitur, hoc argumento vtuntur Iuſtin. Mart. *Cohort. ad Graec.* §. 21. *p.* 21. ed. Bened. *οὐδὲν γὰρ ὄνομα ἐπὶ Θεῦ κυριολογεῖσθαι δυνατόν. τὰ γὰρ ὀνόματα εἰς δήλωσιν καὶ διάγνωσιν τῶν ὑποκειμένων κεῖται πραγμάτων, πολλῶν καὶ διαφόρων ὄντων. Θεῷ δὲ ἔτε ὁ τιθεὶς ὄνομα προϋπῆρχεν, ἔτε αὐτὸς ἑαυτὸν ὀνομάζειν ᾠήθη δεῖν, εἷς καὶ μόνος ὑπάρχων*; et Minuc. Fel. *Octav. c. XVIII.* §. 10. *Nec nomen Deo quaeras. Deus nomen eſt. Illic vocabulis opus eſt, quum per ſingulos propriis appellationum inſignibus, multitudo dirimenda eſt. Deo, qui ſolus eſt, Dei vocabulum totum eſt. Quem ſi patrem dixero, terrenum opineris: ſi regem, carnalem ſuſpiceris: ſi dominum, intelliges vtique mortalem. Aufer additamenta nominum et perſpicies eius claritatem.* Quibus ſimillima ſunt, quae habet Cyprian. *de vanit. Idol. V.* 7. *Nec nomen Dei quaeras. Deus nomen eſt illi. Illic vocabulis opus eſt, vbi propriis adpellationum inſignibus multitudo dirimenda eſt. Deo, qui ſolus eſt, Deus vocabulum totum eſt. Ergo vnus eſt et vbique totus diffuſus eſt.*

29) Scripſi *quaſi proprium.* Minime enim ignorarunt, nec hoc nomen eo quidem, quo omnino nomen ipſi eſſe negabant, ſenſu proprium eius nomen dici poſſe. Alias enim ipſi ſibi repugnaſſent, ſi et eſſe ei, et non eſſe proprium nomen defendiſſent, atque Iuſtinus et Clemens Alex. (in locc. not. 26. 27. laud.) vel hoc ipſum etiam Dei nomen diſerte inter ea nomina referunt, quae non poſſint propria ipſi nomina dici. Voluerunt igitur hoc Dei nomen proprii quaſi nominis loco haberi. Atque hoc quidem modo illorum hac de re ſententia plane conſentit cum Origenis iudicio, qui de hac omni cauſa ita decernit *adv. Celſum l. VI. p.* 320. edit. Spenc. *Καὶ τὸ ,,τὸν ὀνομαζὸς δὲ" διαζολῆς δεῖται· εἰ μὲν γὰρ, ὅτι οὐδὲν τῶν ἐν λέξεσι καὶ σημαινομένοις δύναται παραζῆσαι τὰς ἰδιότητας τῦ Θεῦ, ἀληθές ἐςι τὸ λεγόμενον, εἴγε καὶ πολλαὶ ποιότητες ἐκ εἰσὶν ὀνομαζαί. — Εἰ δὲ τὸ ὀνομαζὸν λαμβάνεις, καθὸ οἷόν τε ἐςιν ὀνόμασι παραζῆσαι τι τῶν περὶ αὐτῦ εἰς τὸ χειραγωγῆσαι τὸν ἀκροατὴν καὶ ποιῆσαι νοῆσαι περὶ Θεῦ, κατὰ τὸ ἐφικτὸν τῇ ἀνθρωπίνῃ φύσει, τινὰ τῶν περὶ αὐτῦ, οὐδὲν ἄτοπον λέγειν αὐτὸν ὀνομαζόν.*

30) Certe non dubitarunt magni olim nominis Theologi, *Ioh. Gerhardus* in *Locis. theol. L. II. c. II §.* 18. *T. III. p.* 12. edit. Cottae, et *Chrſtph. Matth. Pfaffius* in *Inſtit. Theol. dogm. et moral.* P. I. *c.* I. §. 1. p. 111. Quod autem multi olim proprium Deo nomen dixerunt Iehovae nomen, vtpote ab eo ipſo ſibi impoſitum, id et ipſum pro tali non eſſe habendum, ſed vnice referendum ad relationem, quae ei cum populo Iſraëlitico,

tandem, haec argumenta cogitans, ſuo ipſorum iudicio in hanc eos ſententiam adduci potuiſſe, minime credibile iudicet, ſed ab aliis potius eam illos ſuſcepiſſe, neceſſe eſſe exiſtimet? Neque vero ipſi ignorarunt, alios esiam ante ſe ita ſtatuiſſe; verum hos tamen non doctores ſuos ea in re praedicarunt, ſed ſecum potius conſentientes laudarunt; quod luculenter docet Lactantii exemplum, qui eum Hermetem Trismegiſtum Deum ἀνώνυμον dixiſſe narraſſet [31]), quod ob ipſam ſcilicet vnitatem nominis proprietate non egeat, hanc viri huius ſententiam ipſe deinde ſuo iudicio comprobat, haec quidem ei ſubiiciens: *Deo igitur nomen non eſt, quia ſolus eſt: nec opus eſt proprio vocabulo, niſi quum diſcrimen exigit multitudo, vt vnam quamque perſonam ſua nota et adpellatione deſignes.* Itaque ne a Iudaeis quidem dixerim noſtros hanc ſententiam petiiſſe, quanquam Philonem quidem eandem iisdem fere argumentis defendiſſe legimus [32]). Quanto minus igitur a Platone eam

---

tanquam regi ipſius intercedebat, praeclare poſt Cruſium demonſtrauit Morus, in Prol. III. *de religionis notitia cum rebus experientiae obviis et in facto poſitis copulata*, p. 6. ſſ. cui aſſentitur etiam Hempelius, in Diſſ. II. *de vera ſignificatione vocabuli ſemen, etc.* p. 43.

31) *Inſtit. divin. l. I. c. VI. §. 4.*

32) Pertinent huc duo inprimis loci eius, quorum alter legitur in libr. *de nomin. mutat p. 579. Vol. I.* edit. Mangey. vbi ἦν ἕν, inquit, ἀκόλουθον τὸ, μηδ' ὄνομα κύριον ἐπιφημισθῆναι δύνασθαι τῷ ὄντι πρὸς ἀλήθειαν. Οὐκ ὁρᾶς, ὅτι φιλοπευστοῦντι πρὸς ἀλήθειαν τῷ προφήτῃ, τί τοῖς περὶ ὀνόματος αὐτῷ ζητοῦσιν ἀποκριττέον, φησὶν: Ὅτι ἐγὼ εἰμὶ ὁ ὤν· ἕσον τῷ, εἶναι πέφυκα, ἃ λέγεσθαι. Τὸ δὲ μὴ παντάπασιν ἀφαιρῆσαι τὸ ἀνθρώπων γένος προσρήσεως τοῦ ἀρίστου, δίδωμι καταγρῆσθαι, ὡς ἂν ὀνόματι τῷ κυρίῳ, — — ἄτω μέντοι τὸ ὂν ἄρρητόν ἐστι, ὥς δὲ αἱ ὑπηρετούσαι δυνάμεις κύριον ὄνομα ἡμῖν λέγεται; alter autem in libr. *de somn. p. 655. Vol. I.* vbi haec leguntur: καὶ γὰρ ἐν ἑτέροις, σκεψάμενος εἰ ἔστι τι τοῦ ὄντος ὄνομα, σαφῶς ἔγνω ὅτι κύριον μὲν οὐδὲν, ὅδ' ἂν εἴπῃ τις, καταχρώμενος ἐρεῖ· λέγεσθαι γὰρ οὐ πέφυκεν, ἀλλ' ἢ μόνον τὸ ὄν. Μαρτυροῦσι δὲ καὶ τὸ θεσπισθὲν λόγιον τῷ πυνθανομένῳ εἰ ἔστι ὄνομα αὐτῷ, ὅτι ἐγώ εἰμι ὁ ὤν· ἵν' ὦν ἀδύνατον ἀνθρώπῳ καταλαβεῖν μὴ ὄντων περὶ θεοῦ, ἐπιγνῶ τὴν ὕπαρξιν.

dici poterunt accepiſſe! Omnino vero non improbabilis eſt *Roesleri* [33]) coniectura, per gentilium potiſſimum idololatriam, atque eorum defideria, qui ſui etiam Dei nomen noſcere cuperent, iis huius rei defendendae occaſionem fuiſſe ſuppeditatam. Certe mirifice eam adiuuat Iuſtini locus a me modo excitatus [34]). Ibi enim cum hanc ipſam gentilium conſuetudinem culpaſſet, quod ſuum cuique numini nomen tribuerent, ſtatim hoc ſubiicit, vero Deo nullum eiusmodi nomen conuenire aut tribui poſſe.

Cum hac autem doctorum noſtrorum reprehenſione proxime iunctum eſt aliud, quod Iuſtino quidem Martyri vitio vertit *Hahnius* [35]), illud nimirum, quod *Deum ſupra omnem eſſentiam* (ἐπέκεινα πάσης οὐσίας) *eſſe* defenderit [36]). Hanc enim loquendi rationem aperte fluxiſſe ſtatuit ex abſurdiſſima illa Platonis opinione, qua Deum dixerit ipſa eſſentia eſſe ſuperiorem, talem quippe, qui bonum omnibus rebus tribueret, ipſe vero eſſentia non eſſet, ſed eam antiquitate quoque atque virtute antecelleret [37]), ideoque Iuſtinum etiam, hac ſententia ſibi vindicanda, videri defendit, Deum ſe ipſo ſuperiorem dicere voluiſſe [38]). Verum bona verba, quaeſo. Etenim ſi vel maxime conceſſerim, loquendi quidem rationem a Platone eum ſumſiſſe, rem tamen ipſam

---

33) Cf. eius *Lehrbegriff der chriſtlichen Kirche in den drey erſten Jahrhunderten*, pag. 101. et *Diſſ. Philoſophia veteris eccleſiae de Deo*, pag. 31.

34) Not. 26.

35) Diſſ. laud. pag. 14.

36) *Dial. c. Tryph. §. 2. p.* 105. ed. Bened.

37) In quam rem laudat locum e *libr. VI. de republ. p.* 120. *Vol. VII.* edit. Bipont. vbi haec ſunt Platonis verba: οὐκ οὐσίας ὄντος τοῦ ἀγαθοῦ, ἀλλ' ἔτι ἐπέκεινα τῆς οὐσίας πρεσβείᾳ καὶ δυνάμει ὑπερέχοντος.

38) Sic enim argumentatur l. l. *Mira ſane de Deo loquendi ratio. Quid eſt enim eſſentia diuina? Eſt Deus ipſe. Sic Deus ſe ipſo eſt ſuperior.*

ea ſignificatam neutiquam ab eo demum cognouit, ſed aliis procul dubio argumentis de eius veritate ſibi habuit perſuaſum, omniumque minime ea tradenda Theologiam Platonica ſententia dici poterit corrupiſſe. Quonam enim, quaeſo, ſenſu Deum omni eſſentia dixit ſuperiorem? Nullo alio, vt equidem puto, niſi hoc, vt Deum vltra omnem eſſentiam nobis cognitam ſublatum, exque aliorum entium genere ita exemtum eſſe diceret, vt ea longe ſuperet, poſſitque vera ipſius natura verbis quidem neutiquam a nobis definiri. Minime vero hoc ſibi voluit, vt eum omni eſſentia carere defenderet. Hunc enim ſenſum *primum* contextus illius loci aperte poſtulat, et ipſe nobis monſtrat. Docetur enim hoc, Deum nos neutiquam poſſe oculis conſpicere, ſed animo tantum et mente amplecti, cui quippe vni datum hoc ſit, vt cognoſcat eum. Iam vero in deſcriptione huius Dei mente tantum cognoſcendi primum hoc ponitur, eum eſſe ἀ χρῶμα ἔχον, ἀ σχῆμα, ἀ μέγεθος, ἀδὲ ἀδὲν ὧν ὀφθαλμὸς βλέπει, *neque colorem eum habere, neque formam, neque magnitudinem, neque quicquam eorum, quae in oculos incurrant.* Deinde vero ſubiicitur hoc, eum potius eſſe tale quid, quod ſit ἐπέκεινα πάσης ἀσίας, ἔτε ῥητὸν, ἔτε ἀγορευτὸν; in quibus poſtremis verbis quis non explicationem praecedentium: ἐπέκεινα πάσης ἀσίας agnoſcat? Illa autem ſuperiora nomine aperte declarant, eum non poſſe ad eiusmodi entium genus referri, quae vel colore, vel forma, vel magnitudine, vel alia quapiam re externa aeſtimentur? *Tum* vero in ſenſu huius formulae ſic poſſimum conſtituendo mirifice me confirmat hoc, quod et alii ſcriptores eccleſiaſtici rem eandem ſimillimis plane verbis reperiuntur tradidiſſe, cum Deum ὑπεράσιον, vel ἀνάσιον, dicerent, eique ὑπερασιότητα tribuerent; quorum loca in Theſauro Suiceriano [39]) diligenter iam ſunt collecta.

---

39) *Vol. I. p.* 368. et *Vol. II. p.* 1379.

Quid enim aliud iſti, haec de illo praedicantes, in mente habuerint, quam quod dixi modo, equidem profecto non video, cum diſerte ei tribuant θεότητα ὑπερβάσιον καὶ κρυφίαν, deque hac eius ὑπερβασιότητι ἀγνωσίαν praedicent, eumque dicant πάντων ὑπερβασιῶς ἐξῃρημένον. Ex quo fimul et hoc intelligitur, non propriam hanc fuiſſe Iuſtino ſententiam, ſed cum multis etiam aliis eum communem illam habuiſſe. Nam praeter eos, quorum loca Suicerus laudauit, et alii fuerunt, qui eandem ſententiam defenderent, a *Io. Gerhardo* [40]) illi commemorati. Iam vero ſi haec fuit Iuſtini et reliquorum, qui idem cum eo defenderunt, ſententia, concedam quidem, non ſatis commodis eos verbis illam declaraſſe; at ex Platone eam ab iis hauſtam fuiſſe, minime poſſum mihi perſuadere. Nonne enim in quavis fere litterarum ſacrorum pagina id tradi legebant: Deum ſummum eſſe atque perfectiſſimum, nec alium praeter ipſum vllum eſſe, qui hoc nomine dignus ſit cenſendus? Quid vero, quaeſo, ad colligendum inde pronius erat, quam hoc, eſſe eum eiusmodi, vt omnem aliam ſubſtantiam atque naturam ſuperet? Et ſi haec Platonica ſententia ſit dicenda, quidni noſtros etiam Theologos Platonicos eſſe ſtatuamus, quorum multi ſimillimis plane de cauſis Dei aliquam definitionem dari poſſe negarunt [41])? Quonam vero Plato ſenſu Deum eſſentia dixerit ſuperiorem, num illo, quem *Hahnius* ei ſubiicit, an alio quodam, id quaerere iam non inſtituo, cum ad noſtram rem minime pertineat, poſſitque, ſi vel maxime fuerit demonſtratum: alio eum, quam doctores chriſtianos, ſenſu id defendiſſe, ſemper reſponderi id, quod ſaepiſſime iam in hac cauſa vidi reſponſum fuiſſe, eos mentem ipſius male percepiſſe.

---

40) In *Locis theol. Vol III. p.* 69. I. edit. Cottae.

41) In cuius rei fidem vel eundem illum *Gerhardum*, *l. l. p.* 68. ſſ. rurſus excitaſſe ſuffecerit.

Denique et hoc volunt ex Platonica philoſophia fluxiſſe [42]), quod vniuerſam quidem rerum creatarum prouidentiam Deo vindicauerint noſtri, ſed *ſpecialem coeli terraeque ac hominum curam angelis ab eo commiſſam fuiſſe* defenderint, eaque in re rurſus imitati ſint Platonem, qui et ipſe prouidentiam quidem vniuerſalem Enti ſummo, ſpecialem vero Diis reliquis, quos Daemones vocaſſet, attribuerit. Iam vero fuit ſane haec doctorum chriſtianorum vnanimis fere et conſtans opinio, vt, ſumma quidem ac vniuerſa omnium adminiſtratione ſibi ſeruata [43]), ſingularum rerum, cum coeleſtium, tum terreſtrium imprimisque humanarum, curam angelis Deum tradidiſſe ſtatuerent, ita quidem, vt non modo cuilibet genti atque prouinciae et vrbi, ſed ſingulis etiam hominibus ſuos peculiares cuſtodes et angelos tutelares praefecerit [44]), qui gentium quidem atque

---

42) Ita certe hac de re iudicarunt Huetius in *Origenian. p.* 85. *Hahnius l. l. p.* 12. *Bruckerus hiſt. crit. philoſ. T. III. p.* 377. *Gottl. Wernsdorfius* in *Exercit. de commercio angelorum cum filiabus hominum ab Iudaeis et Patribus platonizantibus credito*, (*Viteb.* 1742. 4.) §. 2. *Io. Geo. Pertſchius* in *Philoſophumentis doctorum eccleſiae de geniis, angelis, praecipue de angelis tutelaribus*, (Helmſtad. 1748. 4.) pag 5. et quod miror, etiam *Roeslerus* in *Biblioth. PP. Vol. I. p.* 202. *not.* 24.

43) Huic enim ſummae Dei prouidentiae illam angelorum curam ſingularem ſubeſſe, diſerte teſtatur Athen. *Legat. pro Chriſt.* cap XXII. §. 7. τῆτο γὰρ, inquiens, ἡ τῶν ἀγγέλων ᾤκεσις τῷ Θεῷ ἐπὶ προνοίᾳ γέγονε τοῖς ὑπ' αὐτῆ διακεκοσμημένοις, ἵνα τὴν μὲν παντελικὴν καὶ γενικὴν ὁ Θεὸς τῶν ὅλων πρόνοιαν, τὴν δὲ ἐπὶ μέρεσ, οἱ ἐπ' αὐτοῖς ταχθέντες ἄγγελοι; de quo loco videndo, quae ſcripſit *Roeslerus im Lehrbegriff der chriſtlichen Kirche, p.* 138.

44) Cfr. v. c. Iuſtin. Mart. *Apol. II.* §. 6. *p.* 73. Thal. τὴν μὲν τῶν ἀνθρώπων καὶ τῶν ὑπὸ τὸν ᾠρανὸν πρόνοιαν ἀγγέλοις, ἷς ἐπὶ τέτοις ἔταξε, παρέδωκεν. Athenag. *l. l. c. X.* §. 4. ὃς (ἀγγέλεσ) ὁ ποιητὴς καὶ δημιεργὸς κόσμε Θεὸς διὰ τῆ παρ' αὐτῆ λόγε διένειμε καὶ διέταξε περὶ τε τὰ ςοιχεῖα εἶναι καὶ τὲς ᾠρανὲς, καὶ τὸν κοσμὸν καὶ τὰ ἐν αὐτῷ, καὶ τὴν τέτων εὐταξίαν. Clem. Alex. *Strom. l. VI.* §. 17. *p.* 822. Κατά τε γὰρ τὰ ἔθνη καὶ πόλεις νενέμηνται τῶν ἀγγέλων αἱ προςασίαι· τάχα δὲ καὶ τῶν ἐπὶ μέρεσ, ὧν ἐνίοις ἀποτετάχατάι τινες; et *l. VII.* §. 2. *p.* 832.

regnorum, cuſtodiae ipſorum et praeſidio commiſſorum, ſaluti quonis modo proſpicerent, omnisque generis mala ab iis arcerent, nominatimque precibus etiam faciendis pro iis apud ſe intercederent, inprimis autem hominis, in tutelam ipſis traditi, vel cuiuscunque, vel probi ſaltem ac pii [45]), curam non modo ante partum iam ſuſciperent, ſed inde a natalibus potiſſimum ita ei adeſſent, vt in omnibus, quae ageret, eum adiuvarent, et ab

---

εἰσὶ γὰρ συνδιανενευηκότες προστάξει θείᾳ τε καὶ ἀρχαίᾳ ἄγγελοι κατὰ ἔθνη. Tertull. *adv. Prax* c. 3 p. 1 4. Vol. II. Semk. *Igitur, ſi et monarchia diuina per tot legiones et exercitus angelorum adminiſtratur, ſicut ſcriptum eſt: Milies centies centena milia adſiſtebant ei, et milies centena milia apparebant ei; nec ideo vnius eſſe deſiit, vt deſinat monarchia eſſe, quia per tanta milia virtutum procuratur etc.:* Hieronym. *Comment. in Matth. XVIII. To. IX. Opp. p.* 45 edit Mart. *Magna dignitas animarum, vt vnaquaeque habeat ab ortu natiuitatis in cuſtodiam ſui angelum delegatum.* Auguſtin. in *Soliloq. anim. c. XXVII. T. IV. Opp. p.* 576. *Ambulant* (angeli) *nobiscum in omnibus viis noſtris, intrant et exeunt nobiscum, attente conſiderantes, quam pie quamque honeſte in medio pravae nationis conuerſemur, — adiuvant laborantes, protegunt quieſcentes, hortantur pugnantes, coronant vincentes, congaudent gaudentibus.* Plura loca huc pertinentia (nimium enim foret, omnia velle enarrare), legi poſſunt apud Cotelerium *ad Hermae Paſtor. l. II. mand.* 6. *c.* 2. Huetium in *Origenian. l. II. quaeſt.* 5. *§.* 26 — 34. *p.* 82. ſſ. Suicerum in *Theſ. Eccleſ. T. I. p.* 43 Petavium *dogm. theol. T. III. L. II. c. VII* Spencerum ad *Origen. libr. adv. Celſ. l. VII. p.* 378. Iac. Ode in *Comment. de Angelis, Sect. VIII. c. III. §.* 8. *p.* 782. ſſ. et Pertſchium in Pr. not. 42. laud.

45) Hac enim de re non ſatis inter eos conuenit, aliis quidem vnicuique, vt ex locis modo allatis intelligi potuit, homini ſuum peculiarem angelum aſſignantibus, aliis vero piis tantum et ſanctis id beneficii concedentibus. Neque tamen, qui hanc poſteriorem ſententiam defenderunt, de ea ſatis certi fuiſſe videntur, hincque eam dubitanter modo propoſuerunt. Sic Origenes v. c. interdum fidelibus tantum et ſanctis angeli cuſtodiam tribuit. (cfr. *Homil. XX. in Numer. Homil. XXIII. in Ioſ. et Homil. I. in Ezech.* itemque *περὶ ἀρχ. l. II. c.* 10.) alibi vero neminem angelico praeſidio carere defendit, (in *Matth. Tom. XIII. p.* 310. *Huet.* et *in Luc. Hom. XXXV.*) ſimiliterque Chryſoſtom. *Homil. LX. in Matth. c. XVIII. p. m.* 531 ait: *ἐντεῦθεν δῆλον, ὅτι ἀγγέλους ἔχουσιν οἱ ἅγιοι, ἢ καὶ πάντες· καὶ γὰρ ὁ Ἀπόστολός φησι περὶ τῆς γυναικός, ὅτι ὀφείλει ἐξουσίαν ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς διὰ τοὺς ἀγγέλους· καὶ ὁ Μωσῆς, ἔστησεν ὅρια ἐθνῶν κατ' ἀριθμὸν ἀγγέλων Θεοῦ.*

hoſtium inſidiis ac fraude ſalvum ſeruarent, eiusque vota et preces ad ſe perferrent, atque vel poſt mortem etiam animae illius proſpicerent. At enimvero a Platone eos hanc doctrinam accepiſſe, vehementer dubitauerim, cum multo propior fons poſſit aperiri, e quo illam potuerint haurire, vereque haud dubie hauſerint. Eandem nimirum ſententiam inter Iudaeos iam ante eos nouimus obtinuiſſe. Id enim primum ex verſione τῶν ὁ adparet, quos locum Deut. XXXII, 8. in quo Deus populorum Cananaeorum terminos iuxta numerum Iſraëlitarum conſtituiſſe dicitur, ita reddidiſſe conſtat, vt pro Iſraëlitis angelos commemorarent, proque horum adeo numero terminos populorum a Deo conſtitutos dicerent, his quidem verbis vſi: ἔστησεν ὅρια ἐθνῶν κατὰ ἀριθμὸν ἀγγέλων Θεοῦ. Huius enim vertendi rationis nulla alia profecto idonea afferri poteſt cauſa [46]), niſi haec, vt, quemadmodum in aliis etiam locis nonnunquam fecerunt iſti Interpretes, ita etiam hic ſuam in vertendo opinionem dicantur ſecuti fuiſſe, ſcriptorique ſacro, inuito licet vniuerſi loci contextu, obtruſiſſe. Tum vero eandem ſententiam haud obſcure etiam produnt plura ſcripta apocrypha, a Iudaicis auctoribus profecta, inter quae inprimis nunc commemoranda ſunt, quae ſub Tobiae et Enochi nomine vel olim extiterunt, vel etiamnum extant. In illo enim Raphaëli quidem, qui itineris comitem Tobiae ſe adiunxerat, cap. XII, 12. 15. diſerte hoc tribuitur, piorum eum preces ad Deum perferre, ſimiliterque ex huius etiam, quae ſuperſunt adhuc, fragmentis [47]), luculenter adparet,

46) In quam rem inprimis conferri meretur *Carpzovii* Pr. *Interpretes graeci LXX. quoad angelos errabundi Deut. XXXII*, 8. *Helmſt.* 1785. 4. in quo quippe omnes ſententiae ſuper ea re a viris doctis prolatae diligenter ſunt enarratae vtque vel parum probabiles, vel rei ſaltem enodandae minus ſufficientes abiectae.

47) Collectis illis a *Fabricio* in *Cod. pſeudepigr. V. T. Vol I. p.* 160—199. et ex parte etiam *Grabio* in *Spicileg. PP. T. I. p.* 347. ſſ.

auctorem illius libri et hoc in angelorum partibus posuisse, vt pro hominibus apud Deum intercedant, precesque pro iis faciant. Praeterea vero nescio, annon huc et hoc pertineat, quod Deus apud Syracid. XXIV, 17. ἑκάστῳ ἔθνει dicitur κατασῆσαι ἡγέμενον, sibi autem Israëlitas peculii loco seruasse. Sed mitto haec, cum multo adhuc locupletior huius rei testis in medium possit produci, Philonem dico, qui hanc de angelis singulorum populorum hominumque custodibus sententiam multis in locis profitetur, quorum, cum omnia enarrare spatii angustia prohibear, aliquot saltem excitasse suffecerit. Sic v. c. in *libr. de plant. Noë* [48]) haec habet: Μωϋσῆς δὲ ὀνόματι εὐθυβόλῳ χρώμενος, ἀγγέλȣς προσαγορεύει, πρεσβευομένας καὶ διαγγελλȣσας τά τε παρὰ τȣ ἡγεμόνος τοῖς ὑπηκόοις ἀγαθά, καὶ τῷ βασιλεῖ ὧν εἰσὶν ὑπήκοοι χρεῖοι; itemque in *libr. de somn.* [49]), καὶ γὰρ (οἱ ἄγγελοι) τὰς τȣ πατρὸς ἐπικελεύσεις τοῖς ἐκγόνοις, καὶ τὰς τῶν ἐκγόνων χρείας τῷ πατρὶ διαγγελλȣσι; et in *libr. de migrat. Abrah.* [50]) ὁ δὲ ἑπόμενος θεῷ, κατὰ ἀναγκαῖον συνοδοιπόροις χρῆται τοῖς ἀκολȣθοις αὐτȣ λόγοις, ȣς ὀνομάζειν ἔθος ἀγγέλȣς. His denique accedit et hoc, quod suae nominatim gentis custodem Michaëlem reperiuntur praedicasse Iudaei. Sic enim diserte ille adpellatur in *Targum* Cant. VIII, 9. מיכאל רבהון דישראל. Neque vero hanc de angelis, hominum tutoribus, sententiam inter doctiores modo fuisse receptam, sed in vulgus adeo notam, luculenter, mea quidem opinione, declarat illud iudicium, quod amici Petri, cum in carcerem ab Herode coniectus, noctu ostium eorum pulsasset, Act. XII, 15. de eo dicuntur tulisse, non ipsum, sed angelum eius adesse (ὁ ἄγγελος αὐτȣ ἐστιν.) Quanquam enim non ignoro,

48) *Vol. I. Opp. p.* 332. edit, Mang.

49) *Vol. I. p.* 642.

50) *Vol. I. p.* 463.

ἄγγελον istum de *nuncio*, a Petro ad suos misso, a quibusdam intelligi, hanc tamen explicationem in hoc quidem loco ipsam rei naturam nullo modo admittere, recte mihi videor cum doctissimo quoque interpretum defensurus. Ab his igitur Iudaeis, inter quos pervulgata iam erat de angelis gentium hominumque tutoribus sententia, nostri eam eodem haud dubie modo arripuerunt, quo plura etiam alia, vt infra videbimus et a plerisque fere iam conceditur, in hac eadem de angelis doctrina ab iis transsumserunt; eamque eo lubentius eos sibi ab iis persuaderi passos fuisse credibile est, quo apertius iis ipsorum librorum sacrorum auctoritate videretur confirmari. Praeter laudatum enim Deuteronomii locum, quem non mirum est, in huius causae defensionem eos transtulisse, cum, quod V. quidem T. libros attinet, toti fere ex illa τῶν ὁ versione penderent [51]), in aliis etiam pluribus cum V. tum N. T. locis huius doctrinae argumenta sibi videbantur agnouisse. Ad confirmandam nimirum sententiam de angelis, gentium prouinciarumque praesidibus, praeter Deut. locum laudabant etiam Gen. XI, 5. ff. et Danielis visiones, maxime Cap. VII, 10. ff. et c. X. Doctrinae autem de angelis, singulorum hominum custodibus, argumenta petebant maxime ex Matth. XVIII, 10. Act. XII, 15. et Hebr. I, 14. Horum igitur locorum auctoritate permoti suum etiam huic doctrinae calculum adiiciendum putarunt; neutiquam vero a Platone aut alio philosopho gentili eam edocti amplexi sunt, sed cum eam ab his quoque philosophis defensam vidissent, probarunt quidem vt veram et rectam sententiam, neque tamen alia de causa ipsi eam admiserunt, quam quod in sacris etiam libris eam tradi sibi persuasissent: id quod luculenter

---

51) De qua re videnda, quae obseruauit *Semlerus* in *Historischen Sammlungen über die Beweisstellen der Dogmat. P. II. pag.* 13 — 16.

docet Clement. Alexandr. locus [52]), in quo cum omnino in eo verſetur Clemens, vt philoſophos gentiles ex barbara, quam dicit, h. e. iudaica, philoſophia ſua petiiſſe demonſtret, id de hac etiam angelorum cura a Platone defenſa valere, his quidem verbis vſus aſſerit: τῶν μικρῶν δὲ κατὰ τὴν γραφὴν, καὶ ἐλαχίστων τὸς ἀγγέλος τὸς ὁρῶντας τὸν Θεὸν, πρὸς δὲ, καὶ τὴν εἰς ἡμᾶς δι' ἀγγέλων τῶν ἐφεξῆς ἥκουσαν ἐπισκοπὴν ἐμφαίνων, ὐκ ὀκνεῖ γράφειν· Ἐπειδὴ πάσας τὰς ψυχὰς τὸς βίος ᾑρῆσθαι, ὥσπερ ἔλαχον, ἐν τάξει προεῖναι πρὸς τὴν Λάχεσιν· ἐκείνην δὲ ἑκάστῳ, ὃν εἵλετο δαίμονα, τοῦτον φύλακα συμπέμπειν τῷ βίῳ, καὶ ἀποπληρωτὴν τῶν αἱρεθέντων. Neque vero omnia etiam recte ab iis hac in re doceri concedebant, ſed graviter potius hoc eos nomine reprehendebant, quod hos populorum hominumque ſingulorum cuſtodes non angelos, ſed Deos potius aut daemonas eſſe defenderent, eosque religioſo etiam cultu proſequendos ſtatuerent; ideoque hos ipſos etiam, quoniam hunc cultum admiſiſſent, non bonos, ſed malos potius genios habendos eſſe contendebant, de qua re alibi iam pluribus me conſulto dicere memini [53]).

Cap. II.

DE ΛΟΓΩ I.

(Comment. II.)

Iam vero ad primarium illud de Filio Dei ſive Λόγῳ dogma eſt progrediendum, in quo omnium luculentiſſima Platonicae philoſophiae in theologiam chriſtianam immiſſae veſtigia omnes propemodum huius ſententiae

52) *Strom. L. V. §. XIV. p.* 701.
53) *L. L. p.* 417.

defensores sibi visi sunt reperisse, et a quo omnis illa nimii in Platonicam philosophiam amoris accusatio primum est profecta.

De quo tamen antequam accuratius disputare incipio, denuo lectores monendos esse arbitror me, dum huius corruptelae culpam ab iis defendere studeo, neutiquam id agere, vt recte omnia atque vel ipsi etiam Nicaenae fidei formulae nostraeque ecclesiae publicae doctrinae conuenienter a doctoribus illis in hoc dogmate tradita esse contendam, quod praeter Baltum, in superioribus iam laudatum, et alios quosdam, magno olim studio ostendere conatus est *Geo. Bullus*[1]), Anglus olim Episcopus, et nunc etiam sunt, qui ostendi posse existiment. Quin potius ingenue fateor, eorum de hoc dogmate sententiam minime fuisse ita comparatam, vt vero consentanea decretisque post de eo constitutis atque probatis conueniens possit haberi; nec video, quid hoc libere fateri impediat, cum nostri de hoc dogmate iudicii veritas neutiquam ab horum virorum auctoritate pendeat, sed ex sacrorum scriptorum consensu vnice sit aestimanda. Itaque hoc tantum contendo, eos, quicquid de hoc dogmate vel recte aut perperam tradiderint, non ex Platonica petiisse Philosophia, sed aliunde potius accepisse, nec potuisse eos pro suorum temporum hac de re opinionibus alium, quam quem vere secuti

---

1) In *Defensione fidei Nicaenae de aeterna diuinitate filii Dei ex scriptis SS. Patrum, qui intra tria prima ecclesiae christ. saecula floruerunt*, *Oxon.* 1685. 4. et *Iudicio Eccles. cathol. trium saecul. de necessitate credendi, quod — Iesus Christus sit verus Deus*, *ib.* 1694. 8. quod utrumque scriptum subiectis *Io. Ern Grabii* animaduersionibus, vindiciis vtriusque libri maximam partem continentibus, adiectoque nouo tractatu *de primitiua et Apostolica traditione dogmatis de I. C. diuinitate*, repetitum deinde est in eiusdem viri *Operibus*, curâ *Grabii* editis, *Lond.* 1703. Fol. Conferri potest de his scriptis librisque aduersus ea editis *Io. Geo. Walchius in der Einleit. in die Religionsstreitigkeit. ausser unserer Kirche*, *T. IV. p.* 195. et *C. M. Pfaffius* in *Introd. in histor. theol. liter. Part. I. p.* 309. ſſ.

ſunt, de eo ſtatuendi loquendique modum ſequi. Id autem vt planum faciam, primum omnium ipſa eorum de hoc dogmate ſententia paucis videtur declaranda, idoneisque eorum teſtimoniis confirmanda; tum autem in fontes eius paulo diligentius erit inquirendum. Cum autem de priori a multis iam viris doctis perquam diligenter et accurate fuerit expoſitum [2]), licebit mihi in eo denuo declarando nunc quidem eſſe breuiori, inque excitandis potiſſimum illorum ſcriptorum teſtimoniis paucioribus acquieſcere, plurium autem cognoſcendorum cauſa ad illorum virorum ſcripta lectores amandare.

Continebatur autem doctorum noſtrorum de Λόγῳ eiusque ad patrem relatione ac generatione ſententia momentis fere his: Primum quidem Deum ſolum fuiſſe ſtatuebant, ita tamen, vt eum ab aeterno inde ſecum habuiſſe Λόγον ſuum defenderent, quod his quidem verbis vſi profitentur Theophilus Antioch. [3]) ἐν πρώτοις μόνος ἦν ὁ Θεὸς καὶ ἐν αὐτῷ ὁ Λόγος; et alio in loco [4]): Οὐ γὰρ ἦσαν οἱ προφῆται, ὅτε ὁ κόσμος ἐγίνετο· ἀλλὰ ἡ σοφία ἡ ἐν αὐτῷ ἔσα ἡ τȣ̃ θεȣ̃, καὶ ὁ Λόγος ὁ ἅγιος αὐτȣ̃, ὁ ἀεὶ συμπαρὼν αὐτῷ; Tatianus [5]): ὁ δεσπότης τῶν ὅλων αὐτὸς ὑπάρχων τȣ̃ παντὸς ἡ ὑπόςασις,

---

2) *Petauium* dico *dogm. theol.* L. I. c. 3. *Huetium Origenian.* L. II. quaeſt. II. p. 31. ſſ. *Bruckerum hiſtor. critic. Philoſ.* T. III. p. 367. ſſ. *Semlerum* in *Introduct. Polemic. Baumgart.* praemiſſa, Vol. II. et III. itemque in *hiſtoriſchen Sammlungen über die Beweisſtellen in der Dogmat. Part. II. p.* 1 - 239. *Roeslerum im Lehrbegriff der chriſtl. Kirche*, p. 104 — 122. et in *Biblioth. PP.* pluribus in locis, *Doederleinium* in *Inſtitut. Theol. chriſt. P. I. p.* 354. ſſ. et *Oelrichſium* in *Commentat.* ſupra (not. 32.) iam laudata. Praeter hos autem teſtimonia etiam noſtrorum ſcriptorum, quae huc pertinent, in compendio exhibuit *Burſcherus* in *Eccleſiae chriſtianae poſt Apoſtolos ſcriptorum antiquiſſimorum doctrina publica de Deo trinuno et de Ieſu Chriſti perſona*, Lipſ. 1780. 8.

3) *Ad Autolyc. l. II. §.* 22. *p.* 365. edit. Bened.

4) *Ibid. §.* 10. *p.* 355.

5) *Orat. ad Graec. §.* 7. *p.* 20. edit. Worth.

κατὰ μὲν τὴν μηδέπω γεγεννημένην ποίησιν μόνος ἦν· καθὸ δὲ πᾶσα δυνάμις ὁρατῶν τε καὶ ἀοράτων αὐτὸς ὑπόστασις ἦν, συν αὐτῷ τὰ πάντα. σὺν αὐτῷ γὰρ διὰ λογικῆς δυνάμεως αὐτὸς καὶ ὁ Λόγος, ὃς ἦν ἐν αὐτῷ, ὑπέστησε. Iustinus Martyr [6]): ὁ Λόγος πρὸ τῶν ποιημάτων κεῖ συνὼν καὶ γεννώμενος, ὅτε τὴν ἀρχὴν δι' αὐτοῦ πάντα ἔκτισε καὶ ἐκόσμησε; itemque alibi [7]): ἀλλὰ τοῦτο τὸ τῷ ὄντι ἀπὸ τοῦ πατρὸς προβληθὲν γέννημα, πρὸ πάντων τῶν ποιημάτων συνῆν τῷ πατρὶ, καὶ τούτῳ ὁ πατὴρ προσομιλεῖ; Athenagoras [8]): ἐξ ἀρχῆς γὰρ ὁ Θεὸς, νοῦς αἰδίος ὤν, εἶχεν αὐτὸς ἐν ἑαυτῷ τὸν Λόγον, αἰδίως λογικὸς ὤν; Clemens Alex. [9]): ἄγνοια γαρ οὐχ ἅπτεται τοῦ Θεοῦ, τοῦ πρὸ καταβολῆς κόσμου συμβούλου γενομένου τοῦ πατρὸς. αὕτη γὰρ ἦν σοφία ἣ προσέχαιρεν ὁ παντοκράτωρ Θεὸς. δύναμις γαρ τοῦ Θεοῦ ὁ υἱος, ἅτε πρὸ πάντων τῶν γενομένων ἀρχικώτατος Λόγος τοῦ πατρός καὶ σοφία αὐτοῦ; Irenaeus [10]): *Non enim infectus es o homo, neque ſemper coëxſiſtebas Deo, ſicut proprium eius Verbum;* et alibi [11]): *Semper autem coëxiſtens Filius Patri, olim et ab initio ſemper reuelat Patrem etc.* et denique Tertullianus [12]): *Ante omnia enim Deus ſolus, ipſe ſibi et mundus et locus et omnia. Solus autem, quia nihil extrinſecus praeter illum. Caeterum ne tum quidem ſolus: habebat enim ſecum, quam habebat in ſemetipſo, rationem ſuam ſcilicet.* In hoc autem Λόγῳ aperte omnes cogitarunt *rationem*

---

6) *Apolog. II. §. 6. p. 74.* edit. Thal.

7) *Dial. c. Tryph. §. 62. p. 159.* edit. Bened.

8) *Legat. pro Chriſt. c. X. p. 56.* Lind.

9) *Strom. l. VII. §. 2. p. 832.* Pott.

10) *Adv. haereſ. l. II. c. 25. §. 3. p. 153.* Maſſuet.

11) *Ibid. c. 30. §. 9. p. 163.*

12) *Adv. Prax. c. 2. Vol. II. Opp. p. 197.* Seml.

vel *intellectum* Dei, quod vel ex allatis iam locis ſatis perſpicue intelligi potuiſſe exiſtimem, inprimisque ex eo, quod Tatianus l. l. eum tradit διὰ λογικῆς δυνάμεως in Deo ſubſtitiſſe, quodque Clemens Alex. eum dicit σοφίαν et δύναμεν [13]). Suppetunt tamen et alia argumenta, quae id ipſum non minus luculenter declarant. Huc autem illud inprimis pertinet, quod Theophilus Antioch. eum dicit [14]), τὸν Λόγον, τὸν ὄντα διαπαντὸς ἐνδιάθετον ἐν καρδίᾳ Θεῦ, (vel vt alibi [15]) habet, ἐν τοῖς ἰδίοις σπλάγχνοις) tumque haec de eo addit: πρὸ γάρ τι γίνεσθαι τοῦτον εἶχε σύμβουλον, ἑαυτοῦ νοῦν καὶ φρόνησιν ὄντα, quodque Clemens Alex. eum diſerte adpellat [16]) ἐννόημα τοῦ Θεοῦ. Ita autem cum de Λόγου huius natura ſtatuerent, non potuerunt non aeternum eum dicere, cum facile intelligerent, Deum nunquam poſſe intellectu deſtitutum cogitari [17]),

---

13) Quas adpellationes et alii horum ſcriptorum frequenter vſurparunt, vel ſimiles his ſubſtituerunt, qualis eſt v. c. haec, quod eum dicunt νοῦν πατρὸς, cuius rei argumentum praebet locus Theophili Antioch. mox laudandus, itemque Athenagorae, *legat. pro Chriſt. c. IX. §. 3. p. 55.* vbi νοῦς, inquit, καὶ λόγος τοῦ πατρὸς, ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ.

14) *Ad. Autol. l. II. §. 22. p. 365.*

15) *Ibid. §. 10. p. 355.*

16) *Strom. l. V. p. 654.* Pett. ἡ δὲ ἴδεα, inquiens, ἐννόημα τοῦ Θεοῦ· ὅπερ οἱ βάρβαροι λόγον εἰρήκασι τοῦ Θεοῦ.

17) Hanc certe aeternae ipſius exiſtentiae cauſam diſerte commemorat Athenag. in loco paulo ante laudato. Quas vero *Oelrichſius* in *Comment.* aliquoties iam laud. p. 54. Tatianum, Clementem atque Tertullianum alias aeternae eius exiſtentiae attuliſſe dicit cauſas, eas equidem non poſſum agnoſcere, cum, vt mox videbimus, alio potius pertineant, et quod Tertullianum attinet, eandem is cum Athenagora aeternae ipſius exiſtentiae rationem reddit, dum *adv. Prax. c. 5.* haec tradit: *Rationalis enim Deus, et ratio in ipſo prius: et ita ab ipſo omnia; quae ratio ſenſus ipſius eſt.* Ac ne ipſum quidem Origenem, quem rectiorem de aeterna τοῦ Λόγου exiſtentia ſententiam tenuiſſe cum Bullo ſtatuit *Roeslerus* (*Biblioth. PP. Vol. II. p. 86 not. 6. et p. 102. not. 25.*) loco quodam libri admodum dubiae auctoritatis (cf. *Ziegleri theologiſch. Abhandlung.* p. 123. ſq.) περὶ ἀρχῶν inductus, alio, quam hoc eodem ſenſu eam defendiſſe arbitror. Id enim, vt bene iam obſervarunt *Semlerus* in *Introd. in Polem.*

eademque de causa et hoc iis erat defendendum, Deum hoc Λόγῳ suo in quibuscunque rebus cogitandis atque moliendis vsum esse [18]). Inprimis tamen in eo potissimum illum occupatum fuisse dicebant, vt mundi rerumque post creandarum ideam conciperet, earumque imaginem penitus absolutam effingeret [19]). Id enim primum luculenter docet Clement. Alex. locus [20]), in quo eum aperte describit tanquam vim aliquam rerum creandarum imagines concipientem, haec quippe tradens: πρὸ δὲ τῆς τȣ̃ κόσμȣ καταβολῆς ἡμεῖς· οἱ τῷ δεῖν ἔσεσθαι ἐν αὐτῷ πρότερον γεγεννημένοι τῷ Θεῷ· τȣ̃ Θεȣ̃ Λόγȣ τὰ λογικὰ πλασματα ἡμεῖς, δι' ὃν ἀρχαίζομεν, ὅτι ἐν ἀρχῇ ὁ Λόγος ἦν· ἀλλ' ὅτι μὲν ἦν ὁ Λόγος ἄνωθεν, ἀρχὴ θεία τῶν πάντων ἦν τε καὶ ἔςιν; idemque confirmat etiam Iustin. Mart. qui Deum dicit [21]) mundum condidisse ἐννοηθέντα αὐτὸν διὰ λόγȣ, item-

---

Baumgart. Vol. II. pag. 181. et *Loefflerus* in *Adpend. ad Souverain.* p. 473. ſſ non modo vniuerſa doctrinae eius de *Λόγῳ* ratio poſtulat, ſed haud obſcure etiam declarat locus, quem Athanaſius ſeruauit in libr. *de decret. Synod. Nicaen.* §. 27. (*T. I. Opp. p.* 233. *ed. Bened.*) vbi εἴ ἐςιν, inquit, εἰκὼν τȣ̃ Θεȣ̃ τȣ̃ ἀοράτȣ, ἀόρατος εἰκών. ἐγὼ δὲ τολμήσας προσθείην ἄν, ὅτι καὶ ὁμοιότης τυγχάνων τȣ̃ πατρὸς, ἐκ ἔςιν ὅτε ἐκ ἦν. πότε γὰρ ὁ Θεὸς ὁ κατὰ τὸν Ἰωάννην φῶς λεγόμενος· ὁ Θεὸς γὰρ φῶς ἐςιν· ἀπαύγασμα ἐκ εἶχε τῆς ἰδίας δόξης; ἵνα τολμήσας τις ἀρχὴν δῷ εἶναι υἱȣ̃, πρότερον ἐκ ὄντος; πότε δὲ ἡ τῆς ἀῤῥήτȣ καὶ ἀκατονομάςȣ καὶ ἀφθέγκτȣ ὑποςάσεως τȣ̃ πατρὸς εἰκὼν, ὁ χαρακτὴρ λόγος, ὁ γινώσκων τὸν πατέρα, ἐκ ἦν; κατανοείτω γὰρ ὁ τολμῶν καὶ λέγων, ἦν ποτὲ ὅτε ἐκ ἦν ὁ υἱός· ὅτε ἐρεῖ καὶ τὸ· σοφία ποτε ἐκ ἦν, καὶ λόγος ἐκ ἦν, καὶ ζωὴ ἐκ ἦν.

18) Id enim haud dubie illud est, quod Iustin. Mart. in loco ante laud. in animo habuit, cum diceret, patrem τῷ *Λόγῳ προσομιλῆσαι*, quodque Theophilus Antioch. ſpectauit, cum patrem hunc *Λόγον πρὸ τί γίνεσθαι σύμβολον* habuisse ſcriberet, cogitauitque haud dubie etiam Clemens, dum *Λόγον ἐννόημα τȣ̃ Θεȣ̃* esse asserret.

19) Quod recte monet *Roeslerus* in *Biblioth. PP. Vol. I. p.* 191. *not.* a viris doctis plerumque fuisse neglectum.

20) *Protrept. p.* 6. ed. Pott.

21) *Apol. I. §.* 84. *p.* 61. Thal.

que Athenagoras, dum adpellat [22]) eum λόγον τοῦ πατρὸς ἐν ἰδέᾳ καὶ ἐνεργείᾳ, poſtque haec ſtatim ſubiicit: πρὸς αὐτοῦ γὰρ (iuxta eum, quippe ἴδεαν rerum creandarum) καὶ δι' αὐτοῦ (quippe ἐνεργείᾳ earum creandarum inſtructi) πάντα ἐγένετο; ex quibus, vt equidem arbitror, luculentiſſime adparet, illa ſuperiora ἐν ἰδέᾳ καὶ ἐνεργείᾳ ad res creatas eſſe referenda [23]), vnde ea, meo quidem ſenſu, *Oelrichſius* [24]) aptiſſime reddidit ſic: *filius Dei eſt ratio patris, imagines rerum creandarum concipientis, vtque ſint eae, efficientis.* Idem haud obſcure etiam tradit Tertullianus haec ſcribens [25]): *Nam etſi Deus nondum ſermonem ſuum miſerat: proinde eum cum ipſa et in ipſa ratione intra ſemetipſum habebat, tacite cogitando et diſponendo ſecum, quae per ſermonem mox erat dicturus.* (dum nimirum diceret: fiat lux etc.) *Cum ratione enim ſua cogitans atque diſponens, ſermonem eam efficiebat, quam ſermone tractabat* [26]). Neque aliud, quam hanc ipſam rationis rerum creandarum imagines concipientis notionem, in animo etiam habuiſſe puto Hermam [27]),

---

22) *Legat. pro Chriſt. c. IX. §. 3. p. 53.* Lindn.

23) Quod dubium eſſe video *Lindnero* in nota h. l. ſubiecta, luculenterque, vt bene vidit *Roeslerus* l. l. confirmant etiam ea, quae paulo poſt ſequuntur *cap. X. §. 1.* vbi Λόγος ille poſt ex Deo dicitur prodiiſſe ὡς τῶν ὑλικῶν ξυμπάντων ἀποιὰ φύσεως καὶ γῆς — ἰδέα καὶ ἐνέργεια εἶναι.

24) L. L. p. 24.

25) *Adv. Prax. c. VI.* T. II. p. 197.

26) Atque per hunc rerum creandarum conceptum ex Tertulliani quidem mente primum conditus eſt ſermo, poſt autem, cum ex Deo prodiret, perfecte demum natus eſt; vnde lucem accipit alius eius locus, qui paulo poſt ſequitur *c. VII. p.* 200. quemque *Oelrichſius l. l. p.* 54. perperam ad aeternam τοῦ Λόγου ἐνδιαθέτου exiſtentiam retulit, cum ad primam modo ſermonis vel Λόγου προφορικοῦ conceptionem ſit referendus. Ibi igitur haec habet: *Tunc igitur ipſe ſermo ſpeciem et ornatum ſuum ſumit, ſonum et vocem, cum dicit Deus: Fiat lux. Haec eſt natiuitas perfecta ſermonis, dum ex Deo procedit: conditus ab eo primum ad cogitatum in nomine Sophiae.*

27) In *ſimilit. IX. p.* 115. edit. Cotel.

dum *Filium Dei omni creatura antiquiorem* dicit, *ita vt in consilio Patri suo adfuerit ad condendam creaturam.* Denique idem etiam confirmat Lactantius, haec de filio scribens [28]): *eoque simul et consiliatore vsus est et artifice in excogitandis, ornandis perficiendisque rebus: quoniam is et prouidentia et ratione et potestate perfectus est.* Cum vero iam Deus mundum hunc, rationis suae adiumento conceptum, in lucem adspectumque constituisset proferre, illum ipsum Λόγον s. rationem, rerum creandarum imagines et exemplar continentem, ex se primum [29]), sermonis quidem interventu, tanquam emanationem aliquam [30]), eum dicunt emisisse,

---

28) *Instit. div. l. II. c. 8. p.* 219. Bunem.

29) Hinc dixerunt *Λόγον* istum vel *τὸ προγεννηθὲν* aut *ἀρχὴν τῶν ἁπάντων*, vt est apud Clementem Alex. *Strom. l. VI. p.* 769. Pott. vel *ἀρχὴν τε κόσμου*, vt legitur apud Tatianum *Orat. adv. Graec. §. 7. p.* 21. Worth. vel *πρωτότοκον πάσης κτίσεως*, vt habet Theoph. Antioch. ad *Autolyc. l. II. §* 22. *p.* 365. vel etiam *πρωτότοκον* simpliciter, vt dicitur Iustino Martyri *Apol. I. §.* 31. *p.* 22. et *§.* 83. *p.* 61.

30) Hac enim adpellatione ipsi reperiuntur vsi fuisse. Sic v. c. Origenes in *Comment. in epist. ad Rom. IX*, 5. haec habet: *Vnus autem vterque* (pater et filius) *est Deus, quia non est aliud filio diuinitatis initium, quam Pater; sed ipsius vnius paterni fontis, sicut sapientia dicit, purissima est* emanatio *filius.* Ex eius autem *Commentar. in epist. ad Hebr.* haec affert Pamphilus in Apolog. eius: (*T. V. Opp. Hieron. p.* 236. ed. Martian.) *Quod ideo de rebus corporalibus assumsit, vt vel ex parte aliqua possimus intelligere, quomodo Christus, qui est sapientia, secundum similitudinem eius vaporis, qui de substantia aliqua corporali procedit, sic etiam ipse, vt quidem vapor exoritur de virtute ipsius Dei, sic et sapientia, ex eo procedens ex ipsa Dei substantia generatur. Sic nihilominus et secundum similitudinem corporalis aporrhoeae esse dicitur* aporrhoea *gloriae omnipotentis pura quaedam et sincera. Quae vtraeque similitudines manifestissime ostendunt, communionem substantiae esse filio cum patre.* Aporrhoea *enim ὁμοούσιος videtur, id est, vnius substantiae cum illo corpore, ex quo est vel aporrhoea vel vapor.* Tertullianus autem probolam adpellat, hocque vocabulum, ipso adeo peruerso eius inter Valentinianos vsu non obstante, seruandum esse contendit *adv. Prax. c.* 8. *Hoc,* inquiens, *si qui putauerit, me προβολὴν aliquam introducere, id est prolationem rei alterius ex altera, quod facit Valentinus, alium atque alium aeonem de aeone producens: primo quidem*

quod quidem hunc in modum tradunt Theophilus primum Antiochenus[31]): Ὁπότε δὲ ἠθέλησεν ὁ Θεὸς ποιῆσαι ὅσα ἐβεβουλεύσατο, τοῦτον τὸν Λόγον (quem paulo ante dixerat ἐνδιάθετον ἐν καρδίᾳ Θεοῦ) ἐγέννησε προφορικὸν; et alibi[32]): ἔχων ἐν ὁ Θεὸς τὸν ἑαυτοῦ Λόγον ἐνδιάθετον ἐν τοῖς ἰδίοις σπλάγχνοις, ἐγέννησεν αὐτὸν μετὰ τῆς ἑαυτοῦ σοφίας ἐξερευξάμενος πρὸ τῶν ὅλων; Hippolytus[33]): Θεὸς μόνος ὑπάρχων καὶ μηδὲν ἔχων ἑαυτῷ σύγχρονον, ἐβούλήθη κόσμον κτίσαι — — Τῶν δὲ γινομένων ἀρχηγὸν καὶ σύμβουλον καὶ ἐργάτην ἐγέννα Λόγον, ὃν Λόγον ἔχων ἐν ἑαυτῷ, ἀόρατόν τε ὄντα τῷ κτιζομένῳ κόσμῳ, ὁρατὸν ποιεῖ, πρότερον φωνὴν φθεγγόμενος, καὶ φῶς ἐκ φωτὸς γεννῶν, προῆκεν τῇ κτίσει Κύριον, τὸν ἴδιον υἱὸν, αὐτῷ μόνῳ πρότερον ὁρατὸν ὑπάρχοντα, τῷ δὲ γινομένῳ κόσμῳ ἀόρατον ὄντα, ὁρατὸν ποιεῖ, ὅπως διὰ τοῦ φανῆναι ἰδὼν ὁ κόσμος σωθῆναι δυνηθῇ; Tertullianus[34]): *Nam ut primum Deus voluit ea, quae cum Sophiae ratione et sermone disposuerat intra se, in substantias et species suas edere: ipsum primum protulit sermonem, habentem in se individuas suas rationem et Sophiam, vt per ipsum fierent vniuersa, per quem erant cogitata atque disposita, imo et facta iam, quantum in Dei sensu. Hoc enim eis deerat, vt coram quoque in suis speciebus atque substantiis cognoscerentur et*

---

dicam tibi, non ideo non vtitur et veritas vocabulo isto, et re ac censu eius, quia et haeresis vtitur: imo haeresis potius ex veritate accepit, quod ad mendacium suum struueret. Prolatus est sermo Dei, an non? Hic mecum gradum fige. Si prolatus est, cognosce προβολὴν veritatis; et viderit haeresis, si quid de veritate imitata est. Et paulo post haec habet: *Haec erit probola veritatis, custos vnitatis, qua prolatum dicimus Filium a patre, sed non separatum.* Eodem vero modo Athenagoras etiam Spiritum S. dicit ἀπόῤῥοιαν, *legat. pro Christ.* c. X, 2. et XXII, 3.

31) *Ad Autolyc. l. II.* §. 22. *p.* 365.

32) *Ibid.* §. 10. *p.* 355.

33) *Contr. Noët. X. p.* 13. *Vol. II.* edit. Fabr.

34) *Adv. Prax.* c. 6. *p.* 199. *Vol. II.* Seml.

tenerentur; denique Lactantius[35]): *Deus igitur machinator conſtitutorque rerum, antequam hoc opus mundi adoriretur, ſanctum et incorruptibilem et irreprehenſibilem ſpiritum genuit, quem filium nuncuparet.* Sermonis autem, vt dixi, interuentu eos hunc Λόγον a Deo prolatum iudicaſſe, non modo docet Tertulliani locus, paulo ante a me laudatus, ſed et is, qui ex Theophilo modo fuit commemoratus, in quo eum hac ipſa de cauſa dicebat Λόγον προφορικὸν, vt diſtingueret a Λόγῳ eo, quem ἐνδιάθετον modo dixerat, quibus duabus adpellationibus apud Tertullianum l. l. *rationis* et *ſermonis* vocabula reſpondent. Idem vero luculenter etiam confirmant Cyprianus et Lactantius, quorum ille quidem haec habet[36]): *fili unigenite, qui ex ore altiſſimi procreatus es ante mundi diſpoſitionem, et ex Mariae virginis utero per myſterium genitus;* apud hunc autem haec leguntur[37]): *Sed tamen ſanctae litterae docent, in quibus cautum eſt, illum Dei filium Dei eſſe ſermonem; itemque ceteros angelos Dei ſpiritus eſſe. Nam ſermo eſt ſpiritus cum voce aliquid ſignificante prolatus. Sed tamen, quoniam ſpiritus et ſermo diverſis partibus proferuntur; ſiquidem ſpiritus naribus, ore ſermo procedit; magna inter hunc Dei filium et ceteros angelos differentia eſt. Illi enim ex Deo taciti ſpiritu exierunt; quia non ad doctrinam Dei tradendam, ſed ad miniſterium creabantur. Ille vero quum ſit et ipſe ſpiritus; tamen cum voce ac ſono ex* Dei ore *proceſſit, ſicut verbum. —— Merito igitur ſermo et verbum Dei dicitur, quia Deus procedentem de* ore ſuo vocalem *ſpiritum, quem non vtero, ſed mente conceperat, inexcogitabili quadam maieſtatis ſuae virtute ac potentia in effigiem, quae proprio ſenſu ac ſa-*

35) *Inſtit. div. l. IV. c.* 6. *p.* 440.

36) *Orat. pro martyr. p.* 39. edit. Oxon.

37) *Inſtit. div. lib. IV. c.* 8. *p.* 448. *ſq.*

pientia vigeat, comprehendit. — Quod si quis miratur ex Deo Deum prolatione vocis ac spiritus potuisse generari; si sacras voces prophetarum cognoverit, desinet profecto mirari[38]). Per hanc autem generationem Λό-

---

38) Atque in hac quidem τȣ̃ Λόγȣ emissione, sermonis interventu facta, eius generationem nostri ponunt. Hoc enim nomine diserte eam in locis laud. reperiuntur adpellasse. Vtuntur tamen nonnunquam etiam vocabulo προβάλλειν, (*Iustin. Dial. c. Tryph.* §. 62. *p.* 159.) et ἐξερεύξασθαι (Theoph. Ant. *ad Autol. l. II.* §. 10. *p.* 355.) quemadmodum filii contra processionem significant vocabulo προπηδᾶν, (Tatian. *Orat. ad Graec.* §. 7. *p.* 20.) et προέρχεσθαι. (Athenag. *legat. pro Christ c. X* §. 1. *p.* 59. et Clem. Alex. *Strom. l. V.* §. 3. *p.* 654.) Neque verentur adeo vocabulo ποιεῖν ea in re vti, quod vel ex eo iam intelligi potest, quod locum Prov. VIII, 22. in quo Deus secundum versionem τῶν ί, qua sola vtuntur, sapientiam ante mundi creationem dicitur κτίσαι. omnes fere ad Λόγον Deique filium transferunt: (de quo conferri possunt, quae collegit *Semlerus* in *den historischen Sammlungen über die Beweisstellen in der Dogmat.* Vol. II. pluribus in locc.) vnde haud dubie etiam hoc sumserunt, quod eum πρωτότκτιστον σοφίαν adpellant, quod fit v. c. a Clemente Alex. *Strom. l. V.* §. 14. *p.* 699. Idem tamen et aliis disertis eorum testimoniis confirmatur. Sic v. c. apud Iustin. Mart. *Dial. c. Tryph.* §. 64. *p.* 161. edit. Bened. Trypho haec dicitur Iustino oppoluisse: ἡμεῖς τȣ̃ Θεȣ̃ τȣ̃ καὶ αὐτὸν τȣ̃τον ποιήσαντος λατρευταὶ ὄντες, ȣ δεόμεθα τῆς ὁμολογίας αὐτȣ̃, ἐδὲ τῆς προσκυνήσεως, neque tamen in sqq. monetur, eum propter huius vocabuli vsum a Iustino fuisse reprehensum, sed vnum hoc ei dicitur demonstratum fuisse, hunc Dei filium etiam Iudaeis esse adorandum, si quidem salute potiri cupiant. Clemens vero Alex. *Strom.* l. VI. §. 7. p. 769. haec habet: εἷς τῷ ὄντι ἔστιν ὁ Θεός, ȣ ἀρχὴν τῶν ἁπάντων ἐποίησεν, μηνύων τὸν πρωτόγονον υἱὸν, ὁ Πέτρος γράφει συνεὶς ἀκριβῶς τὸ, Ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν ὁ Θεὸς τὸν ȣ̓ρανὸν καὶ τὴν γῆν. Tatianus autem *Orat. ad Graec.* §. 7. p. 21. edit. Worth. haud veretur, eum ἔργον πρωτότοκον τȣ̃ πατρὸς adpellare, diserteque dicit, eum γεγονέναι, quod tamen de eo neutiquam dicendum esse, aperte contendit Athenag. *legat. pro Christ c.* X. *p.* 56. edit. Lindn. (quem conf.) dum eum dicit πρῶτον γέννημα εἶναι τῷ πατρὶ, ȣ̓χ ὡς γενόμενον. Hinc igitur aperte falsus est *Hegelmaierus*, quod in *Diss. histor. theol. in quaestionem: an et quo sensu Patres Ante-Nicaeni Christum dixerint creaturam*, (*Tubing.* 1781. 4.) §. *XV. p.* 32. omnino negat, nostros filium dixisse a patre creatum; quamquam caeteroquin quemlibet facile intellecturum esse arbitror, eos hac phrasi neutiquam id significare voluisse, tum demum ortum eum esse putandum. Id enim quomodo tandem defendere potuissent ii, qui Λόγον istum ab aeterno inde in et cum patre extitisse statuerent? Imo hoc diserte reperiuntur contendisse, hanc generationem τȣ̃ Λόγȣ non esse sic intelligendam, vt tum demum ortus fuisse existimetur; quod praeter Athenagoras locum mo-

γον. istum peculiarem iam substantiam factam esse acriter contendebant, vehementerque negabant, de vana tantum soni emissione in ea re esse cogitandum. Id primum docet Iustini Mart. locus[39]), quo aduersus eos disputat, qui generationem τȣ̃ Λόγȣ ita intelligendam esse statuebant, vt virtutem Dei ab eo prodiisse, huncque eam, quandocunque vellet, in semetipsum retrahere defenderent, illamque τȣ̃ Λόγȣ δύναμιν non tantum nomen aliquod esse contendit, ἀλλὰ καὶ ἀριθμῷ ἕτερόν τι, et sub finem locum hunc his finit: νοεῖτε, — ὅτι γεγεννῆσθαι ὑπὸ τȣ̃ πατρὸς τȣ̃το τὸ γέννημα πρὸ πάντων ἁπλῶς τῶν κτισμάτων — καὶ τὸ γεννώμενον τȣ̃ γεννῶντος ἀριθμῷ ἕτερόν ἐστι. Eodem pertinent etiam, quae habet Clemens Alexandr.[40]) ὁ γὰρ τȣ̃ πατρὸς, inquiens,

do laudatum alio etiam Irenaei loco confirmatur, *adv. haeres. l. II. c. XIII.* §. 8. *p.* 132 ita scribentis: *decentiora magis* (sc. sentiet,) *quam hi, qui generationem prolatiui hominum verbi transferunt in Dei aeternum verbum; et prolationis initium donantes et genesin, quemadmodum et suo verbo: et in quo distabit Dei verbum, imo magis ipse Deus, cum sit Verbum, a verbo hominum, si eandem habuerit ordinationem et emissionem generationis?* Caeterum propter hanc τȣ̃ Λόγȣ a patre generationem adpellarunt eum υἱὸν Θεȣ̃, siue, vt *Clementi Alex.* (*Protrept. c. X. p.* 78.) etiam dicitur, υἱὸν τȣ̃ νȣ̃, hocque nomen ei κυρίως vel ἰδίως tribuendum esse defenderunt; in quam rem haec modo loca laudasse sufficerit: *Iustin. Mart. Dial. c. Tryph.* §. 100. p. 195. υἱὸν αὐτὸν λέγοντες, νενοήκαμεν ὄντα καὶ πρὸ πάντων ποιημάτων, ἀπὸ τȣ̃ πατρὸς δυνάμει αὐτȣ̃ καὶ βȣλῇ προελθόντα, et in *Apol. II.* §. 6. *p* 74. eidem dicitur ὁ μόνος λεγόμενος κυρίως υἱός; in *Apol.* autem *I.* §. 30. *p.* 21. haec habet: Υἱὸς δὲ Θεȣ̃ ὁ Ἰησȣ̃ς λεγόμενος, εἰ καὶ κοινῶς μόνον ἄνθρωπος, διὰ σοφίαν ἄξιος υἱὸς Θεȣ̃ λέγεσθαι· πατέρα γὰρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε πάντες συγγραφεῖς τὸν Θεὸν καλȣ̃σιν. εἰ δὲ καὶ ἰδίως παρὰ τὴν κοινὴν γένεσιν γεγεννῆσθαι αὐτὸν ἐκ Θεȣ̃ λέγομεν Λόγον Θεȣ̃, ὡς προέφημεν, κοινὸν τȣ̃το ἔχω ὑμῖν etc. *Tertull Apol. c.* 21. *Vol. V. Opp. p.* 55. *Hunc ex Deo prolatum didicimus et prolatione generatum et idcirco filium Dei et Deum dictum.* Ipsam vero hanc generationem eos non ex interna quadam naturae patris necessitate, sed ex eius vnice voluntate atque consilio repetiisse, non solum laudatus modo *Iustini Mart.* locus, sed et alia subinde iam commemorata, vel post adhuc excitanda luculenter declarant. cfr. etiam *Hegelmaier l. l.* §. 13. *p.* 25. sq.

39) *Dial. c. Tryph.* §. 128. *p.* 221.

40) *Strom. l. V.* §. 1. *p.* 646.

τῶν ὅλων Λόγος, ἐχ ἔτος ἔςιν ὁ προφορικὸς, (non vocis emissione unice continetur) σοφία δὲ καὶ χρηςότης φανερωτάτη τȣ̃ Θεȣ̃, δύναμίς τε αὖ παγκρατής καὶ τῷ ὄντι θεία; cum quo loco non male fortitan conferetur similis, qui apud Ignatium[41]) occurrit: εἷς Θεὸς ὁ παντοκράτωρ, ὁ φανερώσας ἑαυτὸν διὰ Ἰησȣ̃ Χριςȣ̃, τȣ̃ υἱȣ̃ αὐτȣ̃, ὅς ἔςιν αὐτȣ̃ Λόγος, ἐ ῥητὸς ἀλλ' ἐσιώδης· ἐ γὰρ ἔςι λαλίας ἐνάρθρȣ φώνημα, ἀλλ' ἐνεργείας θεϊκῆς ἐσία γεννητή, ὅς πάντα κατευηρέςησε τῷ πέμψαντι αὐτόν. Simili modo etiam Origenes[42]) aduersus eos disputat, qui pertinacius vocabulo τȣ̃ λόγȣ inhaereant, οἰόμενοι προφορὰν πατρικὴν οἱονεὶ ἐν συλλαβαῖς κειμένην εἶναι τὸν υἱὸν τȣ̃ Θεȣ̃, καὶ κατὰ τȣ̃το ὑπόςασιν αὐτῷ, εἰ ἀκριβῶς αὐτῶν πυνθανοίμεθα, ἐ διδόασιν, eosque erroris arguit. Omnium autem apertissime hoc declararunt Tertullianus atque Novatianus, quorum ille[43]) adversus Praxeam, quem sermonem dicit nolle substantivum habere, haec disputat: *At ego nihil dico de Deo inane et vacuum prodire potuisse, vt non de inani et vacuo prolatum; nec carere substantia, quod de tanta substantia processit, et tantas substantias fecit. — Quaecunque ergo substantia sermonis fuit: illam dico* personam, *et illi nomen filii vindico;* et alio in loco[44]) haec habet: *Nos etiam sermoni atque rationi, itemque virtuti, per quae omnia molitum Deum ediximus, propriam* substantiam *spiritum inscribimus, cui et sermo insit pronuncianti, et ratio adsit disponenti, et virtus praesit perficienti;* hic autem haec tradit[45]): *ex quo* (Deo) *quando ipse voluit, sermo filius natus est, qui non in*

---

41) *Epist. ad Magnes. mai.* §. 80.

42) *Tom. I. in Iohann. p.* 23. f. Huet.

43) *Adv. Prax. c. VII. p.* 201. f. *Vol. II. Opp.*

44) *In Apologet. c. XXI. p.* 55. *Vol. V.*

45) *In libr. de Trinit. c. XXXI.*

ſono percuſſi aëris, aut tono coactae de viſceribus vocis accipitur, ſed ſubſtantia *prolata a Deo virtutis agnoſcitur, cuius ſacrae et divinae nativitatis arcana nec Apoſtolus didicit, nec propheta comperit, nec angelus ſcivit. — Hic ergo quando pater voluit, proceſſit ex patre, et qui in patre fuit, quia ex patre fuit, cum patre poſtmodum fuit, quia ex patre proceſſit:* ſubſtantia *ſcilicet illa divina, cuius nomen eſt Verbum, per quod facta ſunt omnia, et ſine quo factum eſt nihil*[46]).

---

46) Si autem haec fuit doctorum noſtrorum de generatione τοῦ Λόγου ſententia, vt per eam peculiarem eum ſubſtantiam ex Deo prodiiſſe ſtatuerent, intelligitur iam, non potuiſſe eos de tropica quadam generatione cogitare, quam ab iis defenſam fuiſſe ſtatuit *Loeffler*us in *Adpend. ad Souver. p.* 440. 446. ſſ. inque manifeſtatione virtutum diuinarum per creationem facta ponendam eſſe exiſtimat. Quin potius omnes de natura aliqua intelligente per generationem ex patre prodeunte perinde cogitarunt, quam a *Tertulliano* id factum eſſe, ipſe Vir Venerandus agnoſcit. *l. l. p.* 454. ſſ. Quanquam igitur *Iuſtinus* quidem *Mart. Dial. c. Tryph.* §. 61. *p.* 157. δύναμίν τινα λογικὴν ante mundum conditum a Deo dicit procreatam eſſe, in ea tamen non de vi quadam aut virtute patris, ſed de natura potius intelligente et ſubſtantia erit cogitandum; de qua vocabulum δυνάμεως ſaepiſſime dici, abunde iam demonſtrauit *Suicerus Theſaur. Eccleſ. T. I. p.* 969. Neque minus hinc adparet, *Bullum* etiam de natura huius τοῦ Λόγου generationis, quam ante mundum conditum locum habuiſſe noſtri defendunt, parum recte iudicaſſe, cum eam in *Defenſ. fidei Nicaen. Sect. I. c. VIII.* §. 5. *p.* 164. ſq. et *Sect. II. c. V.* §. 8. *p.* 347. in quadam τοῦ Λόγου ab aeterno a patre nati reuelatione et ad condenda vniuerſa συγκαταβάσει ponendam ſtatuerit, licet ea in re conſentientem ſecum praeter alios nactus etiam fuerit *Petr. Wesselingium Probabil. c. VI. p.* 56. ſq. Adparet enim, noſtros, cum ab huius demum generationis ante mundi creationem factae tempore Λόγον iſtum peculiarem ſubſtantiam, extra Deum exiſtentem, factum eſſe autumauerint, de *aeterna* eius generatione plane non cogitaſſe, quanquam ab aeterno inde in et cum patre eum extitiſſe defenderint, adeoque fictam eſſe, vt bene iam vidit *Bruckerus hiſtor. critic. Philoſ. T. III. p.* 400. hac quidem ex parte *triplicem* illam natiuitatem, quam de filio Dei noſtros ſtatuit praedicaſſe, quarum prima quidem ea fuerit, qua vt Λόγος ex mente patris ab aeterno fuerit natus; altera vero, qua ὁ Λόγος a Deo patre κατ' ἐνέργειαν exierit, ſeque ad condenda vniuerſa demiſerit; tertia denique, qua homo factus fuerit. (cf. Bull. *l. l. p.* 164.) Hanc enim opinionem praeter allata iam argumenta aperte etiam conuellit *Lactantii* locus, *Inſtit. div. l. IV. c. XIII.* §. 3. *p.* 469. in quo non niſi duplicis natiuitatis mentio fit: *Idcirco ei-*

Naturam vero huius τȣ̃ Λόγȣ ſubſtantiae ita illi deſcribebant, vt eum Dei in omnibus ſimilem eſſe dicerent, eiusque exactiſſimam imaginem referre defenderent, hincque dicebatur iis vel εἰκὼν τȣ̃ Θεȣ̃ et φωτὸς ἀρχέτυπον φῶς [47]), vel ἀπαύγασμα φωτὸς ἀϊδίȣ [48]), vel εἰκὼν τῆς ἀγαθότητος τȣ̃ Θεȣ̃ et χαρακτὴρ τῆς ὑποςάσεως τȣ̃ Θεȣ̃ [49]), vel ἀπαύγασμα τῆς μεγαλωσύνης τȣ̃ Θεȣ̃ [50]) vel denique σκῆπτρον τῆς μεγαλωσύνης τȣ̃ Θεȣ̃ [51]); eademque de cauſa etiam πνεῦμα ab iis audiebat vel ſimpliciter, vel addito etiam Θεȣ̃ nomine, quoniam ex Deo ſpiritu natum eum eſſe ſtatuebant, in quam rem cum plura iam doctorum noſtrorum loca laudaverit Grotius ad Marc. II, 8. non opus eſſe arbitror, ut his alia adhuc addantur. Neque vero ſimilem modo Dei Λόγον hunc dicebant, ſed unam adeo eandemque illi cum eo naturam tribuebant, huiusque divinae naturae inter utrumque communionis ſtabiliendae cauſa generationem illam non per abſciſſionem aliquam, (ἀποτομὴν) aut ſeparationem (μερισμὸν) factam eſſe docebant, ſed alio potius modo eam cogitari volebant, et ad veram illius rationem illuſtrandam atque explicandam varias ſimilitudines adhibebant, a rebus externis omnes illas deſumtas, petitasque vel a noſtro ipſorum ſermone, vel a lumine ab altero accenſo, vel a flumine e fonte profluente, vel denique frutice ex arboris radice progerminante; in quam rem haec fere loca

---

iam filium his naſci oportuit, vt et ipſe fieret ἀπάτωρ atque ἀμήτωρ. In prima enim natiuitate ſpiritali ἀμήτωρ fuit, quia ſine officio matris a ſolo Deo patre generatus eſt. In ſecunda vero carnali ἀπάτωρ fuit, quoniam ſine patris officio virginali vtero procreatus eſt etc.

47) *Clem. Alex. Protrept. c. 10. p. 78* Pott.

48) *Origen. adv. Celſ. l. V. p. 239.* edit. Spenc.

49) *Ibid. l. VI. p. 319.*

50) *Clem. Roman. epiſt. I. ad Corinth. §. 36.*

51) *Ibid. §. 16.* de quo loco cfr. *Semler.* in *Introd. in Polem. Baumgart. Vol. II. p. 20.* ff.

merentur laudari: Iustin. Mart.[52]) ἔχει γὰρ πάντα προσονομάζεσθαι — ἐκ τȣ̃ ἀπὸ τȣ̃ πατρὸς θελήσει γεγεννῆσθαι, ὁποῖον[53]) καὶ ἐφ' ἡμῶν γενόμενον ὁρῶμεν· λόγον γάρ τινα προβάλλοντες, λόγον γεννῶμεν, ȣ̃ κατὰ ἀποτομὴν, ὡς ἐλαττωθῆναι τὸν ἐν ἡμῖν λόγον προβαλλόμενοι· καὶ ὁποῖον ἐπὶ πυρὸς ὁρῶμεν ἄλλο γινόμενον, ȣ̃κ ἐλαττȣμένȣ ἐκεῖνȣ ἐξ ȣ̃ ἡ ἄναψις γέγονεν· ἀλλὰ τȣ̃ αὐτȣ̃ μένοντος, καὶ τὸ ἐξ αὐτȣ̃ ἀναφθὲν, καὶ αὐτὸ ὂν φαίνεται, ȣ̃κ ἐλαττῶσαν ἐκεῖνο ἐξ ȣ̃ ἀνήφθη; et alio in loco[54]): εἰπὼν τὴν δύναμιν ταύτην γεγεννῆσθαι ἀπὸ τȣ̃ πατρὸς, δυνάμει καὶ βȣλῇ αὐτȣ̃, ἀλλ' ȣ̃ κατὰ ἀποτομὴν, ὡς ἀπομεριζομένης τῆς τȣ̃ πατρὸς ȣ̃σίας, ὁποῖα τὰ ἄλλα πάντα μεριζόμενα καὶ τεμνόμενα, ȣ̃ τὰ αὐτά ἐστιν ἃ καὶ πρὶν τμηθῆναι· καὶ παραδείγματος χάριν παρειλήφειν τὰ ὡς ἀπὸ πυρὸς ἀναπτόμενα πυρὰ ἕτερα ὁρῶμεν, ȣ̃δὲν ἐλαττȣμένȣ ἐκεῖνȣ, ἐξ ȣ̃ ἀναφθῆναι πολλὰ δύνανται, ἀλλὰ ταὐτȣ̃ μένοντος; Tatian.[55]) ὁ δὲ λόγος ȣ̃ κατὰ κενȣ̃ χωρήσας, ἔργον πρωτότοκον τȣ̃ πνεύματος (vel potius πατρὸς) γίνεται. — γέγονε δὲ κατὰ μερισμὸν[56]), ȣ̃ κατὰ ἀποκοπήν. τὸ γὰρ ἀποτμηθὲν τȣ̃ πρώτȣ κεχώρισται, τὸ δὲ μερισθὲν οἰκονομίας τὴν αἵρεσιν προσλαβὸν ȣ̃κ ἐνδεᾶ τὸν ὅθεν εἴληπται πεποίηκεν. ὥσπερ γὰρ ἀπὸ μιᾶς δαδὸς ἀναπτεται μὲν πυρὰ πολλὰ, τῆς δὲ πρώτης δαδὸς διὰ τὴν ἔξαψιν τῶν πολλῶν δαδῶν ȣ̃κ ἐλαττȣ̃ται τὸ φῶς, ȣ̃τω καὶ ὁ Λόγος προελθὼν ἐκ τῆς τȣ̃ πατρὸς δυνάμεως, ȣ̃κ ἄλογον πεποίηκε τὸν γεγεννηκότα. καὶ γὰρ αὐτὸς ἐγὼ λαλῶ, καὶ

---

52) *Dial. c. Tryph. §.* 61. *p.* 158.

53) Sic nimirum hunc locum conſtituendum eſſe arbitror. Illa enim *ἀλλ' ȣ̃ τοιȣ̃τον*, quae in vulgatis editionibus poſt vocabulum *γεγεννῆσθαι* inſeruntur, recte vidit Oelrichſius *l. l. p.* 12. *not. u.* nunc delenda eſſe.

54) *Ibid. §.* 128. *p.* 222.

55) *Orat. ad Graec. §.* 7. *et* 8. *p.* 21. Worth.

56) De hac pugna cum Iuſtino, quae tamen in verbis magis, quam ipſa re videtur ineſſe, cfr. Oelrichſium *l. l. p.* 56.

ὑμεῖς ἀκέετε, καὶ ἐ δήπȣ διὰ τῆς μεταβάσεως τȣ̃ λόγȣ κενὸς ὁ προσομιλῶν λόγȣ γίνομαι; Tertull. [57]) *Protulit enim Deus ſermonem — ſicut radix fruticem et fons fluvium et ſol radium. Nam et iſtae ſpecies probolae ſunt earum ſubſtantiarum, ex quibus prodeunt: — — nec frutex tamen a radice, nec fluvius a fonte nec radius a ſole diſcernitur, ſicut nec a Deo ſermo;* et alibi [58]): *Et cum radius ex ſole porrigitur, portio ex ſumma, ſed ſol erit in radio, quia ſolis eſt radius, nec ſeparatur ſubſtantia, ſed extenditur. Ita de Spiritu ſpiritus et de Deo Deus, vt lumen de lumine accenſum;* Lactant. [59]) *Quum igitur et pater filium faciat, et filius patrem, vna vtrique mens, vnus ſpiritus, vna ſubſtantia eſt. Sed ille quaſi exuberans fons eſt, hic tanquam defluens ex eo rivus; ille tanquam ſol, hic quaſi radius a ſole porrectus. Qui quoniam ſummo patri et fidelis et carus eſt, non ſeparatur, ſicut nec riuus a fonte, nec radius a ſole, quia et aqua fontis in riuo eſt, et ſolis lumen in radio* [60]). Propter hanc autem naturae diuinae inter vtrumque communionem *vnitatem* etiam de vtroque praedicabant, quod perſpicue adparet ex allatis modo Tertulliani et Lactantii locis, quibus ſi ſpatii anguſtia

57) *Adv. Prax. c. VIII. p.* 204. *Vol. II.*

58) *Apolog. c. XXI. Vol. V. p.* 56.

59) *Inſtit. div. l. IV. c. XXIX. §.* 4. *p.* 558.

60) Alii tamen ab omni huius generationis explicandae ſtudio abſtinendum eſſe monebant, eiusque naturam nobis prorſus ignotam eſſe ſtatuebant, quod inprimis fecit Irenaeus *adv. haer. l. II. c. XLVIII.* ea de re haec habens: *Si quis nobis dixerit, quomodo ergo filius prolatus a patre eſt? dicimus ei, quia prolationem iſtam ſ. generationem ſ. nuncupationem, ſ. adapertionem aut quomodolibet quis nomine vocauerit, generationem eius inenarrabilem exiſtentem nemo nouit, non Valentinus, non Marcion, neque Saturninus, neque Baſilides, neque Angeli, neque Archangeli, neque principes, neque poteſtates, niſi ſolus, qui genauit pater, et qui natus eſt filius;* ſimiliterque etiam Novatianus in loco ſupra (p. 496.) laud. dicebat, *huius generationis arcana nec apoſtolum didiciſſe, nec prophetas comperiſſe, nec angelum ſciuiſſe, nec creaturam cognouiſſe.*

pateretur, plura adhuc cum horum, tum aliorum etiam ſcriptorum loca addi poſſent. In his autem locis cum diſerte naturae unitatem commemorent noſtri, intelligitur iam, non recte ſatis ſcripſiſſe *Semlerum* [61]), ſolam voluntatis inter vtrumque conſenſionem eos praedicaſſe. Hanc ipſam autem voluntatis conſenſionem, cuius vtique ſaepe mentionem iniiciunt, non alio haud dubie ex fonte, quam ex eadem naturae vnitate repetierunt, quod cum Lactantii locus [62]) ſuadet, in quo *quapropter*, inquit, *quum mens et voluntas alterius in altero ſit, vel potius vna in vtroque; merito vnus Deus vterque adpellatur, quia quicquid eſt in patre, ad filium transfluit, et quicquid in filio, a patre deſcendit;* tum vero plane confirmat Tertulliani locus [63]), quo cum in eo ſit, vt locum Io. X, 30. aduerſus Praxeae et aſſeclarum eius peruerſam interpretationem tueatur, haec de eo habet: *Si dixiſſet, quod vnus ſumus, potuiſſet adiuvare ſententiam illorum. Unus enim ſingularis numeri ſignificatio videtur. Adhuc cum duo, maſculini generis. Unum dicit neutrali verbo, quod non pertinet ad ſingularitatem*, (ſc. numeri) *ſed ad unitatem*, (ſc. ſubſtantiae), *ad ſimilitudinem, ad coniunctionem, ad dilectionem patris, qui filium diligit, et obſequium filii, qui voluntati patris obſequitur.* Nonne enim hic mutua illa inter patrem et filium coniunctio cum naturae vtriusque vnitate arctiſſime nectitur? Eſſe enim in illa, quam commemorat, vnitate, qua ſingularitatem neutiquam tolli defendit, illam ipſam, quam dixi, naturae, vel, vt ipſe adpellat, ſubſtantiae vnitatem, inque ſingularitate, numeri ſingularitatem cogitandam, ipſe Tertullianus docet,

---

61) Vid. Eius introduct. in *Polem. Baumgart. Vol. II. p.* 50. *not.* 54. et *p.* 173. *not.* 173.

62) *Inſtit. div. l. IV. c. XXIX. p.* 561.

63) *Adv. Prax. c. XXII. p.* 244.

cum paulo post [64]) dicit: *Qui tres vnum sunt, non vnus: quomodo dictum est:* Ego et pater vnum sumus: *ad substantiae vnitatem, non ad numeri singularitatem;* quem locum miror, in mentem non venisse *Roeslero*, cum in sensu prioris loci constituendo haesitaret [65]). Hanc igitur naturae vnitatem cum aperte admitterent nostri, non mirum profecto, eos Dei adeo nomine istum Λόγον adpellare minime dubitasse: quod vel ex hactenus allatis locis ita iam intellectum fuisse arbitror, vt, quanquam multo adhuc plura iis addi possent, id tamen minime opus esse existimem [66]). Per hunc vero Λόγον, ante mundum conditum a Deo prolatum, eum iam non modo angelos et homines, sed mundum etiam vniversum secundum exemplar a se prius effictum statuebant creasse, perque eundem eum etiamnum sustentari atque gubernari docebant; de qua re inprimis conferri poterit locus Athenagorae, supra (p. 489.) laud. vbi

---

64) *Cap. XXV. p.* 251.

65) *Biblioth. PP. Vol. III. p.* 167. *not.* 173.

66) Neque vero Dei tantum nomine hunc *Λόγον* adpellarunt, sed omnia etiam patris attributa ei competere statuerunt, hincque *σοφίαν*, *δύναμιν*, *χρηστότητα* et omnia alia, quae de Deo solent praedicari, ei tribuerunt. Sic Iustino v. c. Mart. *Dial. c. Tryph.* §. 61. *p.* 158. *dicitur ὁ Θεὸς ἀπὸ τῆ πατρὸς τῶν ὅλων γεννήσεις, καὶ Λόγος, καὶ σοφία, καὶ δύναμις, καὶ δόξα τῆ γεννήσαντος.* Theophilus autem Antioch. loco saepe iam excitato, *ad Autol. l. II.* §. 10. *p.* 355. *ἔτος ἦν*, inquit, *πνεῦμα Θεῆ, καὶ ἀρχὴ καὶ σοφία, καὶ δύναμις ὑψίστῆ* similiterque Clemens Alex. *Strom. l. IV.* §. 25. *p.* 635. *ὁ δὲ υἱὸς, σοφία τε ἐστὶ καὶ ἐπιστήμη, καὶ ἀλήθεια, καὶ ὅσα ἄλλα τούτῳ συγγενῆ*, cum quo conferas etiam locum p. 58. allatum. Denique Tertullian. *adv. Prax. c. XVII. p.* 230. Vol. II. haec habet: *Nomen patris*, Deus omnipotens, dominus virtutum, rex Israëlis, qui est. *Quatenus ita scripturae docent, haec dicimus, et in filium competisse, et in his filium venisse, et in his semper egisse, et sic ea in se hominibus manifestasse.* Omnia, *inquit*, patris mea sunt. *Cur non et nomina? Cum ergo legis* Deum omnipotentem, et altissimum, et Deum virtutum, et regem Israëlis et qui est: *vide, ne per haec filius etiam demonstretur iure suo Deus, qua sermo Dei omnipotentis, quaque omnium accepit potestatem etc.* An vero et quo sensu filium patre dixerint inferiorem aut aequalem, id non est instituti nostri, diligentius nunc excutere.

Λόγος iſte informis materiae ἰδέα καὶ ἐνέργεια fuiſſe dicebatur, h. e: rerum ex informi materia creandarum cum inuentor, tum effector. Tatianus autem de mundi creatione haec habet [67]): καθάπερ ὁ Λόγος ἐν ἀρχῇ γεννηθεὶς, ἀντεγέννησε τὴν καθ' ἡμᾶς ποίησιν, αὐτὸς ἑαυτῷ τὴν ὕλην δημιουργήσας. Angelos vero et homines eundem etiam creaſſe, idem his verbis docet [68]): Λόγος γὰρ ὁ ἐπουράνιος πνεῦμα γεγονὼς ἀπὸ τοῦ πατρὸς, καὶ λόγος ἐκ τῆς λογικῆς δυνάμεως, κατὰ τὴν τοῦ γεννήσαντος αὐτὸν πατρὸς μίμησιν, εἰκόνα τῆς ἀθανασίας τὸν ἄνθρωπον ἐποίησεν· — ὁ μὲν ἂν Λόγος πρὸ τῆς τῶν ἀνδρῶν κατασκευῆς ἀγγέλων δημιουργὸς γίνεται. Clemens vero Alex. de hac re haec tradit [69]): ἧτος ἁπάντων τῶν ἀγαθῶν, θελήματι τοῦ παντοκράτορος πατρὸς, αἴτιος ὁ υἱὸς, καθίσταται πρωτουργὸς κινήσεως. Eundem vero Λόγον mundum etiam guberuare atque conſeruare, idem Clemens docet, dum verbis modo allatis haec praemittit: ἔστι δὲ τὸ ὡς ἀληθῶς ἄρχον τε καὶ ἡγεμονοῦν, ὁ θεῖος Λόγος, καὶ ἡ τούτου πρόνοια, πάντα μὲν ἐφορῶσα, μηδενὸς δὲ τῶν οἰκείων ἑαυτῆς παρορῶσα τὴν ἐπιμέλειαν; quibus ſimilia ſunt, quae Theophilus Antioch. de Λόγῳ habet [70]): οὗτος λέγεται ἀρχὴ, ὅτι ἄρχει καὶ κυριεύει πάντων τῶν δι' αὐτοῦ δεδημιουργημένων, quaeque Athenagoras etiam, de patre loquens [71]) tradit: ὑφ' οὗ γεγέννηται τὸ πᾶν διὰ τοῦ αὐτοῦ Λόγου, καὶ διακεκόσμηται καὶ συγκρατεῖται. Neque vero vel his omnes huius Λόγου partes abſolui ſibi perſuadebant, ſed quaecunque Deus in his terris inſtituerit atque perfecerit, in iis ſemper eum hoc Λόγῳ ſuo miniſtro et ad homines nuntio vſum eſſe ſtatuebant; quod haec eorum loca declarant:

---

67) *Orat. ad Graec.* §. 8. *p.* 22.

68) Ibid. §. 10. p. 25.

69) *Strom. l. VII.* §. 2. *p.* 835.

70) *Ad Autol. l. II.* §. 10. *p.* 355.

71) *Legat. pro Chriſt. c. IX.* §. 1. *p.* 52.

Theoph. Antioch. [72]): Θεὸς ἓν ὢν ὁ Λόγος καὶ ἐκ Θεοῦ πεφυκὼς, ὁπότ' ἂν βούληται ὁ πατὴρ τῶν ὅλων, πέμπει αὐτὸν εἴς τινα τόπον, ὃς παραγινόμενος καὶ ἀκούεται καὶ ὁρᾶται, πεμπόμενος ὑπ' αὐτοῦ, καὶ ἐν τόπῳ εὑρίσκεται; et Tertull. [73]): *Nec putes sola opera mundi per filium facta, sed et quae a Deo exinde gesta sunt etc.* Atque hac ipsa de causa Θεοῦ etiam ἄγγελος et ἀπόστολος iis dicitur, quod diserte docent Iustini Mart. et Origenis loca, quorum ille quidem ita habet [74]): καὶ ἄγγελος δὲ καλεῖται, καὶ ἀπόστολος. αὐτὸς γὰρ ἀπαγγέλλει ὅσα δεῖ γνωσθῆναι, καὶ ἀποστέλλεται μηνύσων ὅσα ἀγγέλλεται; hic autem sic [75]): δύναται δὲ καὶ ὁ Λόγος υἱὸς εἶναι παρὰ τὸ ἀπαγγέλλειν τὰ κρύφια τοῦ πατρὸς ἐκείνου, ἀνάλογον τῷ καλουμένῳ υἱῷ λόγῳ νοῦ τυγχάνοντος. — καὶ καθὸ λόγος ἐστὶ, μεγάλης τυγχάνει βουλῆς ἄγγελος ὤν. Hinc vero iam illud etiam repetendum est, quod hunc Λόγον V. quidem T. temporibus non modo sub variis formis hominibus docuerunt adparuisse [76]), sed prophetis etiam, quae tradi ab iis vellet, sup-

72) *Ad Autol. l. II. §. 22. p.* 365.

73) *Adv. Prax. c. XVI. p.* 226. *Vol. II.*

74) *Apol. I. §.* 82. *p.* 59.

75) *Tom. I. in Ioan. p.* 41. Huët.

76) De quo multa scriptorum veterum testimonia collegit iam Clarkius in: *Schriftlehre von der Dreyeinigkeit. (Francof. et Lipſ.* 1774. 8.) *p.* 169. ſſ. *et* 183. ſſ. quae nolo hic repetere. Hinc igitur omnia, quae Deus in V. T. libris dixisse aut fecisse traditur, vel in quibus videndum se vel audiendum praebuisse dicitur, huic Λόγῳ a nostris tribuuntur; quod loca a Semlero in Vol. II. *der historischen Samml. üb. die Beweisstellen in der Dogmat.* collecta abunde testantur. Causam vero, cur in eiusmodi locis de filio Dei, non autem de patre sit cogitandum, Iustinus quidem Mart. *Dial. c. Tryph. §.* 60. *p.* 157. *et §.* 127. *p.* 220. et Novatianus *de Trinit. c.* 25. hanc afferunt. quod non credibile sit. eum, qui omnia creaverit, relicto coelesti domicilio, in particula aliqua terrae se conspiciendum esse praebiturum, contra vero Theophil. Antioch. ad *Autolyc. l. II. §.* 22. *p.* 365. negat, fieri posse. ut pater universi loco aliquo includatur, et in loco inveniatur, Tertullianus autem *adv. Prax. c.* 14. *p.* 219. *Vol. II.* defendit; Deum *secundum plenitudinem diuinitatis* non posse ab hominibus absque

peditasse [77]). N. autem T. temporibus in Mariam eum dicebant se demisisse, hominemque factum esse; quod his verbis tradunt Iustinus Mart. [78]) · πρότερον διὰ τῆς τȣ̃ πυρὸς μορφῆς καὶ εἰκόνος ἀσωμάτȣ τῷ Μωσεῖ καὶ τοῖς ἑτέροις προφήταις ἐφάνη· νῦν δὲ ἐν χρόνοις τῆς ὑμετέρας ἀρχῆς ὡς προείπομεν, διὰ παρθένȣ ἄνθρωπος γενόμενος, κατὰ τὴν τȣ πατρὸς βȣλήν, κ. τ λ et Clemens Alex. [79]): προελθὼν δὲ ὁ Λόγος, δημιȣργίας αἴτιος, ἔπειτα καὶ ἑαυτὸν γεννᾷ, ὅταν ὁ Λόγος σὰρξ γένηται, ἵνα καὶ θεαθῇ [80]).

---

praesentissimo vitae periculo conspici, filium vero *pro modulo derivationis* omnino posse; *sicut*, addit, *nec solem nobis contemplari licet, quantum ad ipsam substantiam summam, quae est in coelis; radium autem eius toleramus oculis, pro temperatura portionis, quae in terram inde porrigitur.*

77) Id haec loca declarant: Iustin. Mart *Apol. II.* §. 11. *p.* 79. Λόγος γὰρ ἦν καὶ ἐστιν, ὁ ἐν παντὶ ὢν καὶ διὰ τῶν προφητῶν προειπὼν τὰ μέλλοντα γίνεσθαι. Theophil. Antioch. *ad Autol. l. II.* §. 10. *p.* 355. ἔτος ἦν ὢν πνεῦμα Θεȣ̃ — — κατήρχετο εἰς τȣ̀ς προφήτας. Tatian. *contr. Graec.* §. *XI.* p. 27. ἡ δὲ τȣ̃ Λόγȣ δύναμις ἔχȣσα παρ᾽ ἑαυτῇ προγνωστικὸν τὸ μέλλον ἀποβαίνειν, ὃ καθ᾽ εἱμαρμένην, τῇ δὲ τῶν αἱρȣμένων αὐτεξȣσίων γνώμῃ, τῶν μελλόντων πȣ̃λλεγε τὰς ἀποβάσεις· καὶ τῆς μὲν πονηρίας κωλυτὴς ἐγίνετο δι᾽ ἀπαγορεύσεων, τῶν δὲ μενόντων ἀγαθῶν ἐγκωμιαστής. Tertull. *de praesc. adv. haeret. c.* 13. *Vol. II. p.* 17. *Regula est autem fidei — id verbum filius eius adpellatum, in nomine Dei varie visum, patriarchis, in prophetis semper auditum;* et *adv. Marc. l. II. c.* 27. *p.* 115. *Vol. I. Nam et profitemur, Christum semper egisse in Dei patris nomine, ipsum ab initio conversatum, ipsum congressum cum patriarchis et prophetis;* itemque *l. III. c.* 6 *p.* 131. *Nos quidem certi, Christum semper in prophetis locutum, spiritum scilicet creatoris etc.* Ex quibus locis simul et hoc intelligitur, falsum esse, quod Oelrichsius *l. l. p.* 60. tradit. Tatianum et Tertullianum prophetarum inspirationem τῷ Λόγῳ nuspiam adscripsisse.

78) *Apol. I.* §. 83. *p.* 61. cum quo conferri etiam potest alius locus eiusdem *Apol.* §. 86. *p.* 61. vbi dicitur διὰ Λόγȣ Θεȣ̃ σαρκοποιηθεὶς Ἰησȣ̃ς Χριστȣ̀ς.

79) *Strom. l. V.* §. 3. *p.* 654.

80) Cum autem hic Λόγον ipsum se genuisse defendat Clemens, admodum probabile fit, eum πνεῦμα illud ἅγιον, quod Luc. I, 35. super Mariam venturum dicitur, de ipso Λόγῳ intellexisse; idque nec mirum nobis videri poterit, cum et hunc, vt supra (p. 497.) vidimus, saepe dixerint nostri πνεῦμα. Idem vero plane confirmat

Hanc igitur nostrorum de Λόγῳ sententiam ii quidem, aduersus quos nunc disputo, vnice volunt ex Platone eos transsumsisse, qui quippe et ipse ἰδέαν s. παράδειγμα aliquod ἀΐδιον admisisset, ad quod omnes res a Deo dixerit conditas fuisse atque procreatas, quodque Λόγῳ etiam nomine ipsi venerit [81]). Quid vero si osten-

---

Iustin. Mart. locus', *Apol. I.* §. 43. *p.* 32. vbi de loco illo Lucae loquens, diserte dicit: τὸ πνεῦμα ἓν καὶ τὴν δύναμιν τὴν παρὰ τοῦ Θεοῦ οὐδὲν ἄλλο νοῆσαι θέμις, ἢ τὸν Λόγον, ὃς καὶ πρωτότοκος τῷ Θεῷ ἐστι; vnde iam intelligi potest, quomodo intellexerit id, quod in loco modo allato Iesum dicit σαρκοποιηθέντα διὰ Λόγου Θεοῦ. Tum vero huc etiam pertinet Tertulliani locus *adv. Prax. c.* 26. *Vol. II p.* 253. s. in quo multis ostendit, in πνεῦματι illo Λόγον esse cogitandum, *quem enim*, inquiens, *verebatur, vt non aperte pronunciaret*, Deus superueniet et altissimus obumbrabit te: *dicens autem* spiritus Dei, *etsi spiritus Dei, tamen non directo Deum nominans, portionem totius intelligi voluit, quae cessura erat in filii nomen, hic spiritus Dei idem erit sermo. Sic enim Iohanne dicente*, sermo caro factus est: *spiritum quoque intelligimus, in mentione sermonis: ita et hic sermonem quoque agnoscimus, in nomine spiritus. Nam et spiritus substantia est sermonis, et sermo generatio spiritus, et duo vnum sunt. Caeterum alium Iohannes profitebitur carnem factum, alium angelus carnem futurum: si non et spiritus sermo est, et sermo spiritus.* Hinc et alibi de *praescript. haeret. c.* 13. *Vol. II. p.* 17. dicit: *Regula est autem fidei, id verbum — postremo delatum ex spiritu patris Dei et virtute in virginem Mariam, carnem factum in vtero eius, et ex ea natum egisse Iesum Christum.* Haec autem loca Souverainium in hunc induxerunt errorem, vt statueret, (*de Platonism. PP. p.* 329. vers. germ.) doctores nostros Λόγον et Spiritum S. invicem permiscuisse, cum non videret, per Spiritum nullum alium hic intelligi, quam ipsum Λόγον, qualis fuit ante assumtam humanam naturam, non autem Spiritum eum, quem Paracleti nomine postea venturum promisit. Quid vero praeterea de hac τοῦ Λόγου ἐνσαρκώσει docuerint nostri, de eo inprimis consulendi sunt *Ern. Friedr. Wernsdorf.* in *Comment. de Christo Verbigena ad Prudentii Cathem. Hymn. III. et veterum de ἐνσαρκώσει filii Dei doctrinam intelligendam. Viteb.* 1774. 4. et *Plank* in *Obseruat. in primam doctrinae de naturis Christi historiam, Prol. I. II. Goetting.* 1787. 89. 4.

81) Vtrum vero haec Platonis doctrina nostrorum doctorum sententiae vere similis fuerit nec ne, numque is huic et reliquis, quas admittebat, ideis ὑπόστασιν tribuerit, an vero diuina modo attributa in iis agnouerit, de eo etiamnum constat, inter viros doctos in vtramque partem disputari, aliis quidem hanc, aliis illam ei sententiam tribuentibus. Ea vero res non est nunc nostri examinis. Quod si tamen aliquis vtriusque partis argumenta cognoscere cupiat,

di possit, iam ante doctores nostros et ipsa adeo Christi tempora similem sententiam de ratione vel sapientia Dei, mundi condendi atque gubernandi causa ex eo progressa, iamque substantiae forma induta, in religionis doctrinam a Iudaeis susceptam fuisse atque probatam, nonne tum alium nos fontem detexisse opinabimur, e quo haec eadem opinio ad nostros quoque fuerit delata, iisque diuinae adeo auctoritatis specie commendata? Id autem omnino ita fuisse, me nunc planum esse facturum spero. Huius autem assertionis meae primum argumentum repeto ex apocryphis V. T. libris, inprimisque Sapientiae libro et Ecclesiastico. Quae enim in his libris commemoratur Σοφία vel Λόγος Θεοῦ, (haec enim aperte ibi sunt synonyma [82]), ea exactissime profecto respondet τῷ Λόγῳ a doctoribus christianis admisso. Adpellatur enim et haec σύνεσις φρονήσεως ἐξ αἰῶνος, diciturque μετὰ Θεοῦ εἶναι εἰς τὸν αἰῶνα. (Eccles. I, 1.

---

ei inprimis legenda erunt, quae nuperrime pro illa quidem sententia scripta sunt a *G. Ern Schulzio*, Helmstadiensi nunc Philosopho in *Diss. de Ideis Platonis, Viteb.* 1787. et *Plessingio* in *Comment. de ideis Platonis*, inserta *Car. Adolph. Caesaris Memorabil. philosoph. (Denkwürdigkeiten aus der philosophischen Welt,) Vol. III. p.* 110. ss. itemque in Eiusdem *Memnonii (Lips.* 1787.) *Vol. II. p.* 291. ss. et *Tentamine explanandae philosophiae antiquissimae, Versuche zur Aufklärung der Philosophie des ältesten Alterthums. Lips.* 1788. 8.) *Vol. I. Part. III. Sect. I. et II. p.* 81. ss. et *Vol. II. Part. II. p.* 734. ss. pro hac autem a *Tiedemanno im Geist der speculativ. Philosophie, T. II. p.* 89. ss. *Oelrichsio* in *Comment. de doctrina Platonis de Deo a Christianis et recentioribus Platonicis varie explicata et corrupta, Marburg.* 1788. 8. et *Guil. Theoph. Tennemanno* in *Comment. de intellectu diuino ex mente Platonis*, inserta *Pauli Memorabil. Vol. I. (Lips.* 1791.) *p.* 34. ss. Conferri etiam merentur, quae de hac re admonuit *Platnerus* in *Aphorism. philosoph. Vol. I. p.* 201. et 144. edit. recentiss.

82) Vt dudum iam vidit Grotius, agnouitque etiam censor versionis Hassianae Sapientiae Salomoneae, in *Ephemerid. litter. Ienens.* (*Allgem. Litteraturzeit.*) *an.* 85. *sc.* 27. *p.* 118. pluribus autem demonstrauit Io. Lami in libr. *de recta Christianorum de eo, quod mysterium diuinae Trinitatis attinet, sententia, lib. IV. c.* 4. *p.* 198 ss.

4.) Eadem vero etiam ante mundum conditum traditur a Deo creata fuiſſe, (Eccleſ. I, 4. 8. XXIV, 10.) exque ore eius prodiiſſe, (Eccl. XXIV, 3.) hincque audit iam ἀτμὶς τῆς τȣ̃ Θεȣ̃ δυνάμεως et ἀπόῤῥοια τῆς τȣ̃ παντοκράτορος δόξης εἰλικρινής, (Sapient. VII, 25.) itemque ἀπαύγασμα φωτὸς ἀϊδίȣ, ἔσοπτρον ἀκηλίδωτον τῆς τȣ̃ Θεȣ̃ ἐνεργείας, καὶ εἰκὼν τῆς ἀγαθότητος αὐτȣ̃, (ib. v. 26.) diciturque vel ipſa πνεῦμα, addito plerumque Κυρίȣ aut Θεȣ̃ nomine, (Sapient. I, 6. 7. [83]) IX, 17. [84]) XII, 1. [85]) vel ἐν αὐτῇ εἶναι πνεῦμα defenditur, (Sapient. VII, 22.) quod tamen horum quidem librorum auctores vix ab omni materia ſeiunctum cogitauerint, cum et agile dicant, omnique motu celerius, adeoque ſubtile ac purum, vt omnia transeat atque penetret. (Sapient. VII, 22. 24.) Hanc autem Σοφίαν vel Λόγον Deus iam, cum mundum conderet, ex horum quidem ſcriptorum ſententia, adiutricem habuit, conſiliorumque ſuorum conſciam, (Sapient. VIII, 4. IX, 9.) hincque non modo per eam mundum atque homines dicitur creaſſe (Sap. IX, 1. 2.) ſed ipſa etiam adpellatur γενέτις vel τεχνίτις πάντων, (Sap. VII, 12. 21.)

---

83) In hoc enim πνεύματι Κυρίȣ, quod terram hic dicitur replere, idem illud πνεῦμα σοφίας, quod verſ. ſuper. fuerat commemoratum, cogitandum eſſe, omnis contextus loci aperte poſtulat; adeoque, meo quidem ſenſu, neutiquam admitti poteſt Grotii ſententia, qui per πνεῦμα in verſ. ſuper. *illam ipſam animi conſtitutionem*, quam ſapientiam dicimus, intelligit, cum hic v. 7. aperte ei repugnet.

84) In h. etiam l. σοφίαν et πνεῦμα ἅγιον ex lege paralleliſmi membrorum pro Synonymis habenda eſſe, bene docuit *Io. Melch. Faberus* in *Commentt. ſuper libro Sapientiae, Sect. II. p.* 4 ſſ. quanquam in eo caeteroquin falſus eſt, quod πνεῦμα illud de virtute aut animi affectione intelligit. Ipſa enim hominis virtus profecto non de coelo mittitur, ſed ex mente auctoris huius libri per vim demum Spiritus coelitus demiſſi in animo eius efficitur.

85) Nam et hic per πνεῦμα θεȣ̃ ſapientiam ſignificari, ex praedicato, quod ei tribuitur, ἐστὶν ἐν πᾶσι, luculenter intelligitur, cum hoc, vt mox oſtendam, τῇ σοφίᾳ conſtanter tribuatur, vt omnia dicatur replere atque continere.

operumque Dei αἱρετὶς, (ib. VIII, 4.) traditurque, eam vniuersum terrarum orbem replere ac omnia continere (Sapient. I, 7. VII, 24. Eccl. I, 8. XXIV, 4. 6.) Eodem vero Λόγῳ Deum postea etiam tanquam ministro suo vsum fuisse eorundem librorum auctores statuerunt, hincque omnia fere ei tribuunt, quae in V. T. libris à Deo ipso aut angelo eius dicuntur effecta fuisse; cuius rei luculentissimum exemplum praebent libri Sapientiae Cap. X. et XI. in quibus quippe omnia, quae ab Adamo inde vsque ad Mosen euenerunt, ab huius Λόγȣ moderamine repetuntur, similiterque etiam Cap. XVI, 12. dicitur Iudaeos, a serpentibus morsos, sanasse, et Cap. XVIII, 15. Aegyptiorum primogenitos percussisse, omninoque traditur inter Israëlitas habitasse, eosque proprium sibi populum habuisse (Eccles. XXIV, 9.) Neque vero vel nunc etiam hominibus deesse existimatur, sed etiamnum a Deo, cum quo familiariter traditur versari, eiusque θρόνȣ πάρεδρος esse, (Sapient. VIII, 3. IX, 4. 10.) e coelo dicitur demitti, (ib. IX, 10.) inque homines probos descendere, (Eccl. I, 8.) eosque non modo in quibuscunque rebus suscipiendis adiuuare, sed in omnibus etiam, quae scire cupiant, instituere, inque virtutis potissimum viam deducere, (ib. VII, 18 — 21. IX, 10 — 18.) sicque eos Dei amicos et vates reddere. (ib. VII, 27.)

His autem multi iam sic intercedunt, ut negent, in hac Σοφίᾳ aut Λόγῳ ὑφιςάμενον aliquod extra Deum existens horum librorum auctores voluisse cogitari [86]), sed virtutem potius diuinam humanamue, personae ta-

---

86) De quo tamen cogitasse etiam vidi non modo Censorem versionis libri Sapientiae Hassianae l. l. sed Kleukerum etiam in eiusdem libri versione germanica, adiecta illa libro sic inscripto: *Salomonische Denkwürdigkeiten* (*Rigae*, 1785. 8.) *p.* 223. ff. et *Plessingum* in *Versuch, zur Aufklärung der Philosophie des ältesten Alterthums Vol II. Part. II. p.* 541. vt taceam iam *Bruckerum* in *Histor. crit. Philos. T. II. p.* 696.

men forma indutam, ea ſignificari contendant: quam ſententiam praeter Souverainium [87]), eiusque nuperum Interpretem [88]), ſuam etiam fecere *Faberus* [89]) et *Haſſius* [90]). Verum ingenue fateor, de huius ſententiae veritate mihi nondum potuiſſe perſuaderi; a quo quidem illa potiſſimum lege me retineri ſenſi, quam ad iudicandas proſopopoeias aptiſſimam mihi ſcripſiſſe videtur *Pleſſingius* [91]), nullam nimirum aliam virtutem rei alicui per proſopopoeiam tribui poſſe, quam quae ei per ſuam ipſius naturam ineſſe ſit exiſtimanda, neque aliud quicquam hac, orationis forma effici, quam vt quaelibet res ſuam, quae ei ineſt, virtutem ſub perſonae forma dicatur exſerere. Si enim haec lex valeat, non video equidem, quomodo ſapientiae, quae proprie dicitur, tribui poſſit hoc, quod ei tamen tribui oſtendi, eam nimirum omnia replere atque continere ac penetrare [92]), idque adiecta adeo cauſae illius rei mentione, διὰ τὴν καθαρότητα; (Sap. VII, 24.) neque magis intelligo, quomodo ea de illa poſſint praedicari, quae Sapient. VII, 22—24. de illa tamen praedicari legimus, ſi quidem non niſi diuinae ſapientiae vis in ea ſit cogitanda. Saltem hoc, vt puto, ex illo loco adpareret, eam non

---

87) *L. L. p.* 132 ſſ.

88) Cuius vid. *Adpendic. p.* 397.

89) In laud. *Comment. II. ſuper libro Sapientiae*, *Onoldi.* 1776. 4.

90) In verſione german. libri Sapientiae (Ien. 1785.) *p.* 249.

91) *L. L. p.* 523 ſ. cum quo conferri etiam poſſunt, quae de ea re monet Homius in *den Grundſätzen der Kritik*, *Vol. II. p.* 262 ſſ. verſ. germ.

92) Quod enim Haſſius πνεῦμα Κυρίου Sap. I, 7. pro Κύριος dictum exiſtimat, iamque locum ſic vertit: *Gottes Allblick füllt die Welt, der Allumfaſſende weiſs auch die Worte*, id mihi menti ſcriptoris prorſus videtur aduerſari. Verſ. enim 5. et 6. πνεῦμα illud σοφίας vel κυρίου aperte diſtinguit a Deo ipſo, iamque docere vult, vnde Deus notitiam cogitatorum mentis humanae atque dictorum habeat, eamque ipſi huius ſpiritus, omnia replentis atque permeantis, interventu quaſi afferri declarat.

in ſapientia vnice eſſe ponendam, cum et alia praeter hanc de ea praedicentur, v. c. ſanctitas, amor erga homines, beneficentia, potentia, etc. adeoque vniuerſum potius attributorum diuinorum complexum in ea eſſe cogitandum, in quam partem vidi etiam *Haſſium* l. l. inclinaſſe. Verum ne tum quidem omnia, quae in eam conferuntur, ſatis ei conuenirent, quo illud inprimis arbitror pertinere, quod πνεῦμα eſſe dicitur *ſubtile, agile, expeditum, acutum, omnesque ſpiritus intelligentes, puros et ſubtiles permeans, omnique motu celerius.* Quanquam enim non ignoro, *Haſſium* quidem atque *Faberum* in his ad ſapientiam, quae homini ineſt, accommodandis et transferendis multum operae poſuiſſe, vereor tamen, vt ſeuero indici ſatisfecerint; quin potius ex his omnibus haud obſcure intelligi poſſe arbitror, ſcriptorem de natura, non quidem ab omni materia prorſus remota, ſed viva tamen atque intelligente cogitaſſe. Atque in hac ſententia me porro etiam confirmat hoc, quod haec σοφία a Deo dicitur creata fuiſſe, et quidem ἀπ' ἀρχῆς (Eccleſ. XXIV, 10.) vel προτέρα, (ib. I, 4.) idque in eiusmodi contextu, in quo mentio modo facta fuerat τȣ̃ κτιϛȣ̃ ἁπάντων. (Eccleſ. XXIV, 8.) Id enim quomodo in Dei aliquod attributum vel vniuerſum etiam attributorum eius complexum conueniat, rurſus fateor, me non videre. Quae enim Druſius ad Eccleſ. I, 4. huius loquendi formulae explicandae atque illuſtrandae cauſa attulit ſimilia loca ex Cap. X, 20. XI, 20. XXIV, 2. VII, 16. ea facile adparet, ex genere plane alio eſſe. Quod autem Souverainius potiſſimum vrget [93]), vt auctores horum librorum non niſi diuinae ſapientiae virtutem in hac σοφία cogitaſſe oſtendat, eam Eccleſ. XXIV, 23. legem Moſaicam dici, id quam vim habeat, ego quidem plane non aſſequor. Neque enim vel ipſe Souverainius exiſti-

93) *L. L. p.* 138.

mauerit, ipſam legem Moſaicam ſapientiae nomine hic a ſcriptore ſignificari; imo paulo poſt ipſe agnoſcit, deſcribi hic ſapientiam Dei, quatenus ea per legem Moſaicam homines veri cognitione inſtruxerit [94]). Si autem ita nunc ſpectetur, non video equidem, quomodo hinc intelligi poſſit, Dei aliquod attributum in ea neceſſario eſſe cogitandum, cum multo magis in promtu poſitum ſit hoc, vt de natura aliqua intelligente, quae legem illam conſtituerit, cogitetur. Omnino autem hic locus explicandus mihi videtur ex Cap. 1, 5. in quo αἱ ἐντολαὶ αἰώνιοι dicuntur huius Λόγȣ vel ſapientiae diuinae πορεῖαι aut effluvia, eruntque adeo, vt puto, illa, de quibus quaeritur, verba v. 23. ταῦτα πάντα βίβλος διαθήκης Θεȣ̃ ὑψίςȣ ſic intelligenda: haec autem commoda, quae ex conſortio meo vobis ſperanda ſunt, poteſt vobis lex Moſaica praebere, in qua quippe decreta mea perſcripta ſunt.

Praeter hos vero apocryphos libros alios etiam eiusdem iudaicae de natura aliqua intelligente a Deo prognata doctrinae teſtes habemus; quo pertinet v. c. Ariſtobulus, cuius teſtimonium ſeruauit nobis Euſebius *Praep. Evangel. l. VII. c.* 14. [95]) Poſtquam nimirum c. 12. Iudaeorum περὶ δευτέρȣ αἰτίȣ Theologiam ipſe ſuis verbis in hunc modum expoſuerat: μετὰ τὴν ἄναρχον καὶ ἀγέννητον τȣ̃ Θεȣ̃ τῶν ὅλων ȣ̓σίαν, ἄμικτον ȣ̓σαν καὶ ἐπέκεινα πάσης καταλήψεως, δευτέραν ȣ̓σίαν καὶ θείαν δύναμιν ἀρχὴν τῶν γενητῶν ἁπάντων, πρώτην τε ὑποςᾶσαν κἀκ τȣ̃ πρώτȣ αἰτίȣ γεγεννημένην εἰσάγȣσι, Λόγον καὶ σοφίαν καὶ Θεȣ̃ δύναμιν αὐτὴν προσαγο-

94) Eadem pag. haec ſcribens: *Es ſind dieſes offenbar bildliche Ausdrücke, welche unter der Fiction einer* Perſon *oder unter dem Bilde des Weinſtocks die* Weisheit *Gottes vorſtellen, bald wie ſie ſich in der Schöpfung der Welt offenbaret, bald wie ſie in der Haushaltung des Geſetzes die Menſchen mit den Früchten ihrer Erkenntniſs erfüllt.*

95) *Pag.* 324. edit. Viger.

ρεύοντες; hanc deinde veram esse eorum sententiam, praeter loca quaedam librorum sacrorum Philonis etiam et Aristobuli testimoniis confirmat, huiusque haec verba affert l. l. quae eadem alibi [96]) etiam repetit: σαφέστερον δὲ καὶ κάλλιον τῶν ἡμετέρων προγόνων τις εἶπε Σολομῶν, πρὸ οὐρανοῦ καὶ γῆς αὐτὴν (σοφίαν) ὑπάρχειν; κ. τ. λ. Quod autem Philonem attinet, is quidem non modo in eo loco, quem Eusebius seruauit, sed in reliquis etiam, quae nobis eorum superfunt, scriptis hanc sententiam tam aperte profitetur, vt coecum esse oporteat, qui id non agnouerit, sitque adeo hac ipsa de causa dudum iam a viris doctis intellectum interque eos ita certum, vt vix noua demonstratione opus esse existimem. Quoniam tamen consilii ratio postulat, vt ea de re denuo exponam, sitque praeterea hoc adhuc inter Interpretes eius controuersum, vtrum propriam Λόγῳ suo ὑπόστασιν vindicaverit, an vero diuinam modo virtutem in eo agnouerit [97]), breviſſimis saltem ea de re dicam sic, vt quae verior sit sententia, quemlibet sperem sponte esse intellecturum.

---

96) *Ibid. l. XIII. c. 12. p. 667.*

97) Posterius quidem praeter Souverainium *l. l. p. 92. ſſ. coll* p. 99 ſſ. *Adpend.* et Basnagium in *Histoire des Juifs, T. IV. liv. IV. c. 5. §. 9 — 18.* inprimis defendunt Moshemius in *nott. ad Cudworth. c. IV. §. 36. n. 14. p. 640* ſſ. et *Carl Frid. Lohdius* in *Diſſ. de modo, ſummam religionis chriſtianae ante Chriſtum tradendi, eiusque veſtigiis in Philone Iudaeo, (Lipſ. 1774. 4.) p.* 31 ſ. priorem autem sententiam tuentur Bruckerus in *Hiſtor. crit. Philoſ. T. II. p.* 809 ſſ. *Chriſt. Albr. Doederleinius* in *Comm. de Ebionaeis e numero hoſtium diuinitatis Chriſti eximendis, p.* 58 ſſ. *Pleſſingius l. l. p.* 545 ſſ. *Jeruſalemius Opp. poſthum. Vol. I. p.* 617 ſ. et *Tiedemannus* in: *Geiſt der ſpeculativ Philoſoph. Vol. III. p.* 132. quibus accenſendus etiam eſt auctor ignotus in *Beyträgen zur Beförderung des vernünftigen Denkens in der Relig Part. V. p.* 172. ita ſcribens: *Gewiſs Philo muſs eine Subſtanz unter dem Logos verſtehn, oder man kann nicht mehr wiſſen, wenn er von Subſtanzen, und wann von Tugenden oder andern Modificationen und Eigenſchaften rede.*

Philonem igitur aeque ac ſcriptores illos apocryphos primum Σοφίας et Λόγȣ vocabulis tanquam ſynonymis in hac cauſa vti, praeter alia loca, in quibus invicem permutantur, ille inprimis declarat, qui in *lib. I. leg. Allegor.* [98]) legitur, vbi αὕτη, (ſcl. ἀγαθότης) inquit, ἐκπορεύεται ἐκ τȣ̃ Ἑȣ̃ τȣ̃ Θεȣ̃ σοφίας· ἡ δέ ἐςιν ὁ Θεȣ̃ Λόγος. Hinc autem ſua iam ſponte intelligi poterit, Philonem etiam in illo Λόγῳ primum quidem nihil niſi ipſam Dei rationem atque intelligentiam cogitaſſe, quam ille ab aeterno inde ſecum habuit; vnde ἀΐδιος etiam Λόγος ei dicitur [99]). Idem tamen ex eo etiam adparet, quod Deum in hoc Λόγῳ, tanquam domo ſua, dicit habitare [100]), quodque intelligibilem mundum, quem Deum, antequam hunc viſibilem conderet, ſecum dicit concepiſſe [1]), nihil aliud eſſe defendit, quam eius Λόγον, eamque rem exemplo artificis, imaginem vrbis condendae animo ſecum concipientis, illuſtrat [2]). His

98) T. I. *Opp. p.* 56. ed. Mang.

99) *De plantat. Noë T.* 1. *p.* 332. ὁ δὲ μέγας Μωϋσῆς ἑȣ̃δενὶ τȣ̃ν γεγονότων τῆς λογικῆς ψυχῆς τὸ εἶδος ὡμοίωσεν, ἀλλ' εἴπερ αὐτὴν τȣ̃ θεȣ̃ καὶ ἀοράτȣ εἰκόνα, δόκιμον εἶναι νομίσας ἐσιωθεῖσαν καὶ τυπωθεῖσαν σφραγῖδι Θεȣ̃, ἧς ὁ χαρακτήρ ἐςιν ἀΐδιος Λόγος.

100) *De migrat. Abrah. T. I. p.* 437. Καὶ γὰρ τὸν τȣ̃ν ὅλων νȣ̃ν, τὸν Θεȣ̃ν, οἶκον ἔχειν φησὶ τὸν ἑαυτȣ̃ Λόγον; unde lucem accipit alius locus, in quo cum ſimili modo commemoret οἶκον Θεȣ̃, eique proxime iungat τὴν τȣ̃ Θεȣ̃ σοφίαν, haec tanquam per appoſitionem ſibi invicem iuncta erunt accipienda. Legitur autem is in *Allegor. l. I. T. I. p.* 50. ubi de discrimine inter prudentiam particularem et univerſalem differit, deque hac poſteriori haec habet: ἡ δὲ καθόλȣ φρόνησις ἡ οἰκȣ̃σα τὴν Θεȣ̃ σοφίαν καὶ τὸν οἶκον αὐτȣ̃, καλή· ἄφθαρτος γὰρ ἐν ἀφθάρτῳ οἴκῳ διαμένει; in quo loco et hoc notari meretur, illum οἶκον Θεȣ̃ dici ἄφθαρτον.

1) *De opific. mundi T. I. p.* 4. προλαβὼν γὰρ ὁ Θεὸς ἅτε Θεὸς, ὅτι μίμημα καλὸν ἐκ ἄν ποτε γένοιτο καλȣ̃ δίχα παραδείγματος, ἐδέ τι τȣ̃ν αἰσθητȣ̃ν ἀνυπαίτιον, ὃ μὴ πρὸς ἀρχέτυπον καὶ νοητὸν ἰδέαν ἀπεικονίσθη, βεληθεὶς τὸν ὁρατὸν τȣτονὶ κόσμον δημιȣργῆσαι, προεξετύπȣ τὸν νοητὸν, ἵνα χρώμενος ἀσωμάτῳ καὶ θεοειδεςάτῳ παραδείγματι, τὸν σωματικὸν τȣ̃τον ἀπεργάσηται, πρεσβυτέρȣ νεώτερον ἀπεικόνισμα, τοσαῦτα περιέχοντα αἰσθητὰ γένη, ὅσαπερ ἐν ἐκείνῳ νοητά.

2) *L. L. pag. sad.* Καθάπερ ἐν ἡ ἐν τῷ ἀρχιτεκτονικῷ προ-

enim nonne aperte docet, Λόγον Θεοῦ nihil aliud esse, nisi eius rationem, quam semper secum habeat, quaque ipsi in quibuscunque rebus concipiendis atque effingendis sit vtendum? Accedit vero et hoc, quod in loco infra laudando pro voce λόγος diserte substituit τὴν τοῦ Θεοῦ ἐπιστήμην. Hunc autem Λόγον Deum iam, cum mundum a se conceptum condere vellet, primum omnium docet genuisse [3]), et quidem sic, uti videtur, vt loquendo ore eum emitteret [4]); hincque eum dicit ἀρ-

---

διατυπωθεῖσα πόλις, τὴν χώραν ἐκτὸς ἐκ εἶχεν, ἀλλ' ἐνεσφράγιζο τῇ τοῦ τεχνίτου ψυχῇ τὸν αὐτὸν τρόπον, ὃν ὁ ἐκ τῶν ἰδεῶν κόσμος ἄλλον ἂν ἔχοι τόπον, ἢ τὸν θεῖον Λόγον τὸν ταῦτα διακοσμήσαντα. Et paulo post *p.* 5. Εἰ δέ τις ἐθελήσειε γυμνοτέροις χρήσασθαι τοῖς ὀνόμασιν, ἐδὲν ἂν ἕτερον εἴποι τὸν νοητὸν εἶναι κόσμον, ἢ Θεοῦ Λόγον ἤθη κοσμοποιοῦντος. ὅδε γὰρ ἡ νοητὴ πόλις ἕτερόν τι ἐστὶν ἢ ὁ τοῦ ἀρχιτέκτονος λογισμός, ἤδη τὴν αἰσθητὴν πόλιν τῇ νοητῇ κτίζειν διανοούμενος. — Δῆλον δὲ ὅτι καὶ ἡ ἀρχέτυπος σφραγὶς, ὃν φάμεν εἶναι κόσμον νοητὸν, αὐτὸς ἂν εἴη τὸ ἀρχέτυπον παράδειγμα, ἰδέα τῶν ἰδεῶν, ὁ Θεοῦ Λόγος. Unde et hoc pendet, quod deinde sequitur *p.* 7. Ὁ μὲν ἂν ἀσώματος κόσμος ἤδη πέρας εἶχεν, ἱδρυθεὶς ἐν τῷ θείῳ Λόγῳ, ὁ δὲ αἰσθητὸς, πρὸς παράδειγμα τοῦτο ἐτελεισργεῖτο.

3) *De confus. ling. T. I. p.* 414. vbi nomen ἀνατολῆς docet incorporeae Dei imagini bene convenire, hanc eius rei causam subiungens. τοῦτον μὲν γὰρ πρεσβύτατον υἱὸν ὁ τῶν ὄντων ἀνέτειλε πατὴρ, ὃν ἑτέρωθι πρωτόγονον ὠνόμασε; e quo loco simul adparet, hunc Λόγον propter hanc ipsam natiuitatem suam dici etiam υἱὸν Θεοῦ, et quidem πρωτόγονον, quod et aliis pluribus in locis de eo defenditur, a quibus tamen enumerandis ob spatii angustiam nunc video esse abstinendum. Alibi vero *Allegor. l. II. Vol. I. p.* 82. eandem τοῦ Λόγου generationem describens, his verbis vtitur: ἣν (σοφίαν τοῦ Θεοῦ) ἄκραν καὶ πρωτίστην ἔτεμεν ἀπὸ τῶν ἑαυτοῦ δυνάμεων, ἐξ ἧς ποτίζει τὰς φιλοθεοῦς ψυχάς. Quemadmodum vero in his locis Deus τοῦ Λόγου pater dicitur, ita alibi etiam matrem eius commemorat, sapientiam nimirum divinam, *de profug. T. I. p.* 562. haec scribens: διότι, οἶμαι, γονέων ἀφθάρτων καὶ καθαρωτάτων ἔλαχεν, πατρὸς μὲν Θεοῦ, ὃς καὶ τῶν συμπάντων ἐστὶ πατὴρ· μητρὸς δὲ σοφίας, δι' ἧς τὰ ὅλα ἦλθεν εἰς γένεσιν.

4) Id certe suadet locus *libr. de sacrif. Abel. et Cain. T. I. p.* 175. si contuleris eum cum locis iis, in quibus Deus per Λόγον suum mundum dicitur creasse, quorum postea quaedam excitabuntur. Hic enim de hac mundi creatione haec habet: ὁ γὰρ Θεὸς λέγων ἅμα ἐποίει, μηδὲν μεταξὺ ἀμφοῖν τιθείς; et paulo post de Λόγῳ Dei ita loquitur, vt in eo aperte cogitet sermonem, neutiquam vero rationem, haec quippe scribens: καθάπερ ἓν ὁ ἀγεννητὸς φθάνει πᾶσαν γένεσιν, οὕτω καὶ ὁ τοῦ ἀγεννήτου Λόγος παραδεῖ τὸν γενέσεως, καὶ ὀξύτατα ἐπὶ νεφῶν καταφέρεται, διὸ καὶ παῤῥησιά-

χὴν [5]), itemque τὸν πρεσβύτερον τῶν γένεσιν εἰληφότων [6]), vel πρεσβύτατον καὶ γενικώτατον τῶν ὅσα γέγονε [7]); Deum autem τὴν τȣ̃ πρεσβυτάτȣ Λόγȣ πηγὴν [8]) adpellat. Ab hoc igitur tempore Λόγος iste ex mente Philonis a supremo patre separatus et per se coepit subsistere, fuitque iam proxima ei progenies [9]), inter quam et ingenitum patrem nulla alia natura interiaceret, omnibusque diuinae naturae copiis ita instructa,

---

ζεται φάσκων, ἤδη ὄψαι, ἐπεὶ καταλήψεταί σε ὁ Λόγος μȣ· ὡς πάντα ἐφθακότος καὶ κατειληφότος τȣ̃ θείȣ λόγȣ. Εἰ δὲ ὁ λόγος ἔφθακε, πολλῷ μᾶλλον ὁ λέγων αὐτός. Haud dubie igitur Λόγον hunc a Deo genitum ab eo, qui in Dei intellectu prius latuerat, eodem modo iudicauit, differre, quo omnino dicit λόγον quemcunque, qui mente concipiatur, ab eo, qui ore proferatur, diuersum esse, *de migrat. Abrah. T. I. p.* 447. Λόγος δὲ ὁ μὲν πηγῇ ἔοικεν, ὁ δὲ ἀπορῥοῇ· πηγῇ μὲν ὁ ἐν διανοίᾳ, προφορᾷ δὲ ἡ διὰ ςόματος καὶ γλώττης, ἀπορῥοῇ. Neglectum autem huius duplicis, ex sententia Philonis Λόγȣ divini discrimen multis fraudi fuit, vt mentem eius non satis assequi possent, eumque inconstantiae in notione τȣ̃ λόγȣ definienda accusarent, quod accidisse v. c. vidi *Ioh. Fr. Flattio* in *vermischten Versuchen*, (Lipsi. 1785. 8.) *p.* 248 ff. et b. Oelrichsio in Comment. saepissime iam laud. *p.* 65 f. itemque altero libello *de doctrina Platonis etc. Sect. III.* §. 3. *p* 105. Neque minus neglecta huius rei obseruatio induxit etiam hos, qui Philonem non nisi attributum aliquod divinum in Λόγῳ suo cogitasse contenderent, vt, cum de quibusdam locis id valere intelligerent, in omnes hoc transferri posse iudicarent. Vnus tamen est, quem hoc duplicis Λόγȣ Philoniani discrimen recte intellexisse cognovi, Steph. Nyeus, cuius verba ex libro de S. Trinitate, aduersus Allixium scripto, Artemonii fide recitat *Carpzouius* in *Philonian. Exercitatt. in epist. ad Hebr. praemiss. l. VII. c. VI. p. CXXXV.* haec: *In et cum Philone distinguí debet inter Logon, Deo creatori essentialem, et a Deo creatore personaliter non distinctum, atque inter Logon, personam ab eo distinctam creatamque:* quae tamen non satis accurate scripta iudicat *Carpzovius*, ipse quidem alius generis duplicem Λόγον Philonianum constituens, quem me tamen non reperisse, ingenue fateor.

5) *De confus. linguar. Vol. I. p.* 427.

6) *De migrat. Abrah. T. I. p.* 437.

7) *Allegor. l. III. T. I. p.* 121.

8) *De eo, quod deter. potiori insidiat. T. I. p.* 207.

9) Vnde illud pendet, quod habet *Allegor. l. II. Vol. I. p.* 82. τὸ τε γενικώτατόν ἐςιν ὁ Θεὸς, καὶ δεύτερος ὁ Θεȣ̃ Λόγος.

vt exactiſſimam Dei imaginem referret [10]). Quoniam vero eum ideo potiſſimum a Deo genitum fuiſſe ſtatuit, vt mundus per eum conderetur, porro iam docet, omnium ei rerum creandarum ideas atque imagines a Deo inditas fuiſſe, hoc quidem conſilio, vt normae atque exempli loco eas haberet, inque ſingulis efformandis accuratiſſime exprimeret, idque eum ſumma cum fide atque diligentia perfeciſſe defendit. Prius quidem in hunc modum deſcribit, vt Deum dicat cum hac ſapientia ſua quaſi (ἐχ ὡς ἄνθρωπον) congreſſum fuiſſe, eamque ſemine ſuo foecundaſſe: τὸν γῆν, (ſunt verba eius [11]), τόδε τὸ πᾶν ἐργασάμενον δημιουργὸν ὁμῦ καὶ πατέρα εἶναι τῦ γεγονότος εὐθὺς ἐν δίκῃ φήσομεν· μητέρα δὲ τὴν τῦ πεποιηκότος ἐπιςήμην, ᾗ συνὼν ὁ Θεὸς, ἐχ ὡς ἄνθρωπος, ἔσπειρε γένεσιν. Ἡ δὲ παραδεξαμένη τὸ τῦ Θεῦ σπέρμα, τελεσφόροις ὠδῖσι τὸν μόνον καὶ ἀγαπητὸν αἰσθητὸν υἱὸν ἀπέκυσε τόνδε τὸν κόσμον [12]).

---

10) Hinc ſaepiſſime dicitur εἰκὼν τῦ Θεῦ, v. c. *de Monarch. l. II. T. II. p.* 225. Λόγος δὲ ἐςιν εἰκὼν Θεῦ, δι' ὃ σύμπας ὁ κόσμος ἐδημιουργεῖτο, it. ὁ κατ' εἰκόνα ἄνθρωπος, *d. confuſ. ling. T. I.* p. 427. quam adpellationem bene aduerſus Mangeyum tuitus eſt *Carpzonius* l. l. p. CXXIII. Neque alia haud dubie de cauſa eodem in loco eum dixit ὄνομα θεῦ; imo ob hanc ipſam cum Deo ſimilitudinem Deum adeo eum adpellari concedit, neque tamen aliter, quam per abuſum inque imperfectiorum gratiam id fieri contendit; quod duo potiſſimum loca declarant, quorum alter legitur in libr. *de ſomn. Vol. I. p.* 655. Τί ἂν χρὴ λέγειν; ὁ μὲν ἀληθείᾳ θεὸς εἷς ἐςιν· οἱ δ' ἐν καταχρήσει λεγόμενοι πλείους. Διὸ καὶ ὁ ἱερὸς λόγος ἐν τῷ παρόντι τὸν μὲν ἀληθείᾳ, διὰ τῦ ἄρθρε μεμήνυκεν, εἰπών, Ἐγώ εἰμι ὁ Θεὸς, τὸν δ' ἐν καταχρήσει χωρὶς ἄρθρε· φάσκων, ὁ ὀφθεὶς σοι ἐν τόπῳ, ἐ τῦ θεῦ, ἀλλ' αὐτὸ μόνον, θεῦ. Καλεῖ δὲ θεὸν τὸν πρεσβύτατον αὐτῦ νυνὶ Λόγον, ἐ δεισιδαιμονῶν περὶ τὴν θέσιν τῶν ὀνομάτων, ἀλλ' ἐν τέλος προεθεμένος πραγματολογῆσαι; alter autem *Allegor. l. III. Vol. I. p.* 128. Οὗτος γὰρ (ὁ Λόγος) ἡμῶν τῶν ἀτελῶν ἂν εἴη Θεὸς, τῶν δὲ σοφῶν καὶ τελείων, ὁ πρώτος.

11) *De ebriet. T. I. p.* 361.

12) Hinc intelligi iam poterit alius locus in libr. *de eo, quod deter. potior. inſid. T. I. p.* 201. vbi haec habet: πατέρα τὸν γεννήσαντα κόσμον, μητέρα δὲ τὴν σοφίαν, δι' ἧς ἀπετελέσθη τὸ πᾶν, τιμῆς ἀξιῶσης. Quam enim hic σοφίαν dicit, eam ſtatim ἐπιςήμην adpellat, deque hoc vtroque mundi parente aperte vt de

In hac vero ἐπιςήμῃ τȣ̃ Θεȣ̃ cogitasse eum Λόγον a Deo genitum, ab eoque diuersum, sequentia luculenter declarant. Pergit enim sic: Εἰσάγεται γȣ̃ν παρὰ τινὶ τῶν ἐκ τȣ̃ θείȣ χωρȣ̃ ἡ σοφία περὶ αὐτῆς λέγȣσα τὸν τρόπον τȣ̃τον, (Prov. VIII, 22.) Ὁ θεὸς ἐκτήσατό με πρωτίςην τῶν ἑαυτȣ̃ ἔργων, καὶ πρὸ τȣ̃ αἰῶνος ἐθεμελίωσέ με. ἦν γὰρ ἀναγκαῖον τῆς μητρὸς καὶ τιθηνῆς τῶν ὅλων πάνθ' ὅσα εἰς γένεσιν ἦλθε, εἶναι νεώτερα. Posterius autem his v. c. verbis tradit [13]): Καὶ ὁ γεννηθεὶς (sc. πρωτόγονος υἱὸς θεȣ̃) μέντοι μιμȣ́μενος τας τȣ̃ πατρὸς ὁδȣ́ς, πρὸς παραδείγματα ἀρχέτυπα ἐκείνȣ βλέπων, ἐμόρφȣ εἴδη. Ex his vero sponte iam iudicari poterit, quid sibi velit in locis iis, in quibus Deum hoc Λόγῳ suo tanquam instrumento in condendo mundo vsum fuisse tradit, qualia sunt v. c. haec: Σκιὰ θεȣ̃ ὁ Λόγος αὐτȣ̃ ἐςιν, ᾧ καθάπερ ὀργάνῳ προσχρησάμενος, ἐκοσμοποίει [14]); et: ὅτε ἐκοσμοπλάȣει, (ὁ Θεὸς) χρησάμενος ὀργάνῳ τȣ́τῳ (τῷ Λόγῳ) πρὸς τὴν ἀνυπαίτιον τῶν ἀποτελȣμένων σύςασιν [15]). Inprimis autem hic notandus est locus [16]), in quo, postquam prius monuerat, in creatione cuiuscunque rei quatuor omnino spectari, τὸ ὑφ' ȣ̃, τὸ ἐξ ȣ̃, τὸ δι' ȣ̃, et τὸ δι' ὃ, h. e. vt ipse explicat, causam, materiam, instrumentum et finem, id ad mundi deinde creationem transfert in hunc modum: εὑρήσεις αἴτιον μὲν αὐτȣ̃ τόν Θεὸν, ὑφ' ȣ̃ γέγονεν· ὕλην δὲ, τὰ τέσ-

diuersis loquitur, dum ita pergit: δεῖται γὰρ ἑȣ̃ενός, ἔτε ὁ πλήρης Θεὸς, ἔτε ἡ ἄκρα καὶ παντελὴς ἐπιςήμη· ὥςε τὸν θεραπευτικὸν τȣ́των μὴ τȣ̃ θεραπευομένȣ ἀνενδεεῖς ὄντας, ἀλλ' ἑαυτὸν μάλιςα ὠφελεῖν; in quo loco ἡ ἐπιςήμη nullo profecto modo de attributo Dei accipi potest. Significauit autem hunc Λόγον propterea haud dubie σοφίας et ἐπιςήμης nomine, quoniam eum, vt ante est demonstratum, diuinae σοφίας progeniem iudicauit.

13) *De confus. linguar. T. I. p.* 414.

14) *Allegor. l. III. T. I. p.* 106.

15) *De migr. Abrah. T. I. p.* 437.

16) *De cherub. T. I. p.* 162.

σαρα στοιχεῖα, ἐξ ὧν συνεκράθη· ὄργανον δὲ Λόγον θεῦ, δι᾽ ὅ κατεσκευάσθη· τὴν δὲ κατασκευῆς αἰτίαν, τὴν ἀγαθότητα τῦ δημιουργῦ. Neque tamen mundum tantum creasse statuit Λόγον istum, sed omnes etiam naturas intelligentes [17]), nominatimque etiam hominem,

---

17) Has enim omnes complexum esse dicit τὸν κόσμον νοητὸν, vel Θεῦ Λόγον, quod inprimis docet locus *de confus. ling. T. I. p.* 431. vbi Εἰς ὤν, inquit, ὁ θεὸς ἀμυθήτους περὶ αὐτὸν ἔχει δυνάμεις ἀρωγὰς καὶ σωτηρίας τῦ γενομένε πάσας — Δι᾽ αὐ τέτων τῶν δυνάμεων ὁ ἀσώματος καὶ νοητὸς ἐπάγη κόσμος, τὸ τε φαινομένε τῦδε ἀρχέτυπον, ἰδέαις ἀόρατοις συναθεὶς, ὥσπερ ἕτος σώμασιν ὁρατοῖς; quibus simillima sunt, quae in *libr. de somn. T. I. p.* 630. tradit, vbi facta τῦ θείε Λόγε mentione haec de eo addit: ὃν ἐκπεπλήρωκεν ὅλον δι᾽ ὅλων ἀσωμάτοις δυνάμεσιν αὐτὸς ὁ Θεὸς, eademque *p.* 640. denuo repetit, τὸν θεῖον τόπον, (qui, vt ex seqq. adparet, idem ei est, quam ὁ θεῖος Λόγος,) πλήρην esse scribens ἀσωμάτων Λόγων. Iam vero cum harum δυνάμεων ἀσωμάτων in priori loco ὁπαδῶς esse dicat angelos in aëre versantes, ἔτι δὲ, inquiens, καὶ κατὰ τὸν ἀέρα ψυχῶν ἀσωμάτων ἱερώτατος χορὸς, ὁπαδὸς τῶν ἐρανίων· ἀγγέλους γὰρ τὰς ψυχὰς ταύτας εἰωθε καλεῖν ὁ θεσπιῳδὸς λόγος: necesse est, vt eas post ex Λόγῳ isto statuerit prodisse, ita quidem, vt et ipsae peculiaria iam fierent ὑφιστάμενα; idque et alia eius loca haud obscure declarant. Hinc autem sponte iam adparere arbitror, quomodo iudicandi sint loci ii, in quibus hae δυνάμεις aperte describuntur tanquam personae et naturae per se subsistentes, quorum nonnulli in seqq. laudabuntur. Harum autem δυνάμεων cum Deum innumeras (ἀμυθήτους) habere, in priori loco diserte profiteatur Philo, aperti profecto erroris convincitur Moshemius, qui locis quibusdam, in quibus quarundam modo harum δυνάμεων mentio fit, deceptus, nostrum quatuor omnino rerum principia vel naturas divinas statuisse defendit in *nott. ad Cudworth. T. I. p.* 644 ff. in quem eundem errorem Bruckerus etiam ab eo se abripi passus est, *Histor. crit. Philos. T. II. p.* 808 ff. Neque enim, vt recte obseruauit *Oelrichsius* in *Comment. de doctrina Platonis etc. Sect. III.* §. 3. *p.* 110. in commemorandis his virtutibus diuinis constans est noster, sed pro argumenti, quod tractat, diuersitate, modo plures, modo pauciores, modo has, modo illas, commemorat; atque in illo ipso loco, in quo luculentissima triplicis, praeter Deum, naturae divinae vestigia sibi reperisse visus est *Moshemius*, *de profug. T. I. p.* 560. (locus ipse post laudabitur not. 30.) non tres, sed sex potius diuinae δυνάμεις commemorantur, a quibus tamen, quae primo loco ponitur, ὁ θεῖος Λόγος, ita discernitur, vt reliquis omnibus superior atque excelsior esse, easque ex Dei quidem voluntate regere ac gubernare dicatur. Quod autem dicit, tres posteriores, *propitiam, imperatoriam* et *prohibitoriam*, non eodem cum reliquis loco haberi, sed a Deo potius separari, id rursus repugnat loco a me modo allato. Ibi enim illis δυνάμεσι θεῦ ἀρωγοῖς καὶ σωτηρίοις

et quidem ſic, vt ad ſuam ipſius imaginem cum hunc, tum illas [18]) etiam efformaret; quare eum omnium praeter Deum rerum perinde dicit exemplar eſſe, ac Deus ipſius ſit exemplar, ὥσπερ γὰρ, inquiens [19]), ὁ Θεὸς παράδειγμα τῆς εἰκόνος, ἣν σκιὰν νυνὶ κέκληκεν, ὅτως ἡ εἰκὼν ἀλλῶν γίνεται παράδειγμα, ὡς καὶ ἐναρχόμενος τῆς νομοθεσίας ἐδήλωσεν, εἰπὼν, Καὶ ἐποίησεν ὁ Θεὸς τὸν ἄνθρωπον κατ' εἰκόνα θεῦ, ὡς τῆς μὲν εἰκόνος κατὰ τὸν θεὸν ἀπεικονισθείσης, τῦ δὲ ἀνθρώπυ κατὰ τὴν εἰκόνα, λαβῦσαν δύναμιν παραδείγματος [20]). Quod vero ad Λόγυ modo, neque Dei ipſius imaginem creata

---

diſerte etiam annumerantur οἱ κολαστήριοι, hac addita ratione: ἔστι δὲ καὶ κόλασις ἐκ ἐπιζήμιον, ἁμαρτημάτων ἔσα κώλυσις καὶ ἐπανόρθωσις. Simili modo alibi etiam Abrahamo in viſione illa trium virorum ſummum Deum, duabus δυνάμεσι ſtipatum, ſe conſpiciendum praebuiſſe tradit, has autem nunc ἀρχὴν et ἀγαθότητα, (*de ſacrif. Abel. et Cain. Vol. I. p.* 173.) nunc vero τὴν ποιητικὴν et βασιλικὴν δύναμιν (*de Abrah. T. II. p.* 19.) fuiſſe dicit; alio vero in loco (*de nomin. mutat. T. I. p.* 581.) eidem Abrahamo vnam modo βασιλικὴν δύναμιν viſam fuiſſe defendit. Relinquitur ergo potius id, quod nobis ſatis iam videmur declaraſſe, Philonem ſummo quidem Deo vnum modo Λόγον ipſi proximum iunxiſſe, huic autem innumeras deinde alias naturas intelligentes ſubieciſſe, quarum quamlibet divinae naturae quaſi particulam quandam, illius Λόγυ interventu, accepiſſe ſtatuerit.

18) Hinc λόγοι illi, (quo vocabulo noſter omnino videtur naturas intelligentes voluiſſe ſignificare,) in *libr. de ſomn. T. I. p.* 638. dicuntur εἰκόνες τῶν ἀρχετύπων καὶ ἀσωμάτων ἀκτίνων τῆς λογικῆς πηγῆς (ſ. vt recte legendum potius ſuadet Mangeyus αὐγῆς) τῦ τελεσφόρυ θεῦ. In illo autem ſplendore Dei rationali noſtrum nihil aliud, quam Λόγον diuinum cogitaſſe, nemini, qui reliquam illius loci partem cognoverit, vel tantillum dubium fore arbitror.

19) *Allegor. l. III. T. I. p.* 106.

20) Vnde lucem accipit alius locus in *libr. quis rerum div. haer. T. I. p.* 505. vbi hominis animum tertiam Dei effigiem dicit, ὥστε, inquiens, τὸν καθ' ἕκαστον ἡμῶν νῦν, ὃς δὴ κυρίως καὶ πρὸς ἀλήθειαν ἄνθρωπός ἐστι, τρίτον εἶναι τύπον ἀπὸ τῦ πεποιηκότος· τὸν δὲ μέσον, παράδειγμα μὲν τύτυ, ἀπεικόνισμα δὲ ἐκείνυ; quem locum recte monet Mangeyus in *not.* luculento eſſe argumento, Philonem in Λόγῳ ſuo non minus ὑφιστάμενον aliquod cogitaſſe, quam in Deo, cuius illum imaginem eſſe dicat, et mente humana, cuius eum exemplar praedicet.

ſint reliqua, eius rei hanc cauſam fuiſſe defendit [21]), quod nihil mortale ad ſummi rerumque vniuerſarum parentis imaginem fieri potuerit, nec fas etiam fuerit, quicquam, quod ortum habuiſſet, ſummo Deo ſimile reddi. Idem vero Λόγος, qui mundum condidit, eum, ex mente noſtri, etiamnum ita conſeruat, vt omnia contineat atque conſtringat; neque vero conſeruat tantum, ſed gubernat etiam, ei quippe regendo a Deo ipſo praefectus. De priore haec eius loca teſtantur: Λόγος δὲ [22]) ὁ ἀΐδιος Θεῦ τῦ αἰωνίυ τὸ ὀχυρώτατον καὶ βεβαιότατον ἔρεισμα τῶν ὅλων ἐςίν. Οὗτος ἀπὸ τῶν μέσων ἐπὶ τὰ πέρατα, καὶ ἀπὸ τῶν ἄκρων ἐπὶ τὰ μέσα ταθεὶς, δολιχεύει τὸν τῆς φύσεως δρόμον ἀήττητον, συνάγων τὰ μέρη πάντα καὶ σφίγγων, δεσμὸν γὰρ αὐτὸν ἄῤῥηκτον τῦ παντὸς ὁ γεννήσας ἐποίει πατήρ [23]); et alibi [24]): Ὅ τε γὰρ τῦ Ὄντος Λόγος, δεσμὸς ὢν τῶν ἁπάντων, ὡς εἴρηται, καὶ συνέχει τὰ μέρη πάντα, καὶ σφίγγει, καὶ κωλύει αὐτὰ διαλύεσθαι καὶ διαρτᾶσθαι. Poſterius autem confirmatur loco *libr. de agricult.* [25]) in quo Deus, inquit, totum hunc mundum tanquam paſtor et rex regit, προςησάμενος τὸν ὀρθὸν αὐτῦ Λόγον, πρωτόγονον υἱόν, ὃς τὴν ἐπιμέλειαν τῆς ἱερᾶς ταύτης ἀγέλης, οἷά τις μεγάλυ

---

21) In fragm. apud Euſeb. *Praep. Evang. l. VII. c.* 13. (*in edit. Opp. Mang. T. II. p.* 625.) θνητὸν γὰρ ὐδὲν ἀπεικονισθῆναι πρὸς τὸν ἀνωτάτω καὶ πατέρα τῶν ὅλων ἐδύνατο, ἀλλὰ πρὸς τὸν δεύτερον Θεόν, ὃς ἐςιν ἐκείνυ Λόγος. Ἔδει γὰρ τὸν λογικὸν ἐν ἀνθρώπυ ψυχῇ τύπον ὑπὸ θείυ Λόγυ χαραχθῆναι· ἐπειδὴ ὁ πρὸ τῦ Λόγυ Θεὸς κρείσσων ἐςιν ἢ πᾶσα λογικὴ φύσις. τῷ δὲ ὑπὲρ τὸν Λόγον, ἐν τῇ βελτίςῃ καὶ τινι ἐξαιρέτῳ καθεςῶτι ἰδέᾳ, ὐδὲν θέμις ἦν γενητὸν ἐξομοιῦσθαι.

22) Ita enim nunc, auctore Euſebio *Praep. Euangel. l. VII. c.* 13. legendum, quanquam editi libri eius loco exhibeant potius νόμος.

23) *De plantat. Noë. T. I. p.* 331.

24) *De profug. Vol. I. p.* 562. Cfrri etiam poteſt locus *libr. quis rerum diuin. haer. T. I. p.* 499.

25) *T. I. p.* 308.

βασιλέως ὕπαρχος, διαδέξεται; itemque alio [26]), vbi τίς ἂν, inquit, εἴη πλὴν ὁ Λόγος, ὁ πρεσβύτερος τῶν γένεσιν εἰληφότων, ἃ καθάπερ οἴακος ἐνειλημμένος ὁ τῶν ὅλων κυβερνήτης πηδαλιοχεῖ τὰ σύμπαντα. Omnino vero Deum, quicquid fieri velit, per hunc Λόγον efficere, eoque ad homines nominatim nuntio atque interprete vti [27]) ſtatuit, ideoque omnia etiam, quae in V. T. libris cum hominibus egiſſe dicitur Deus, huic Λόγῳ tribuit [28]), cumque et alios putaret eſſe miniſtros atque nuntios, quibus Deus in hominum commodum vteretur [29]), quos, vt ſupra vidimus, ἀγγέλους adpellat, quibusque Λόγον iſtum ſtatuit praeeſſe [30]), eum hinc ἀρ-

---

26) *De migrat. Abrah. T. I. p.* 437.

27) *Quis rer. divin. haer. T. I. p.* 501. Ὁ δ' αὐτὸς (Λόγος) ἱκέτης μὲν ἐστι τοῦ θνητοῦ κηραίνοντος ἀεὶ, πρὸς τὸ ἄφθαρτον πρεσβευτὴς δὲ τοῦ ἡγεμόνος πρὸς τὸ ὑπήκοον.

28) Quod magna teſtimoniorum noſtri ſcriptoris copia docuerunt *Petr. Allixius* in *The Judgment of the Jewiſh church againſt the Unitarians. c. XIII. p.* 103 ſſ. verſ. germ. et *c. XX. p.* 249 ſſ. *Geo. Bullus* in *Defenſ. fidei Nicaenae, Sect. I. c. I.* §. 16. *p.* 23 ſſ. et *Chr. Alb. Doederleinius l. l. p.* 81.

29) De qua re videnda ſunt, quae ſupra iam (p. 481.) attuli noſtri loca.

30) Id inprimis docet locus notabilis, in *libr. de prof. Vol. I. p.* 560. occurrens, vbi de cauſis diſputans, cur ſex, non vero plures aut pauciores ciuitates refugii a Moſe fuerint conſtitutae, haec tradit: Μήποτ' ἐν ᾗ μὲν πρεσβυτάτῃ καὶ ὀχυρωτάτῃ καὶ ἀρίστῃ μητρόπολις, ἐκ αὐτὸ μόνον πόλις, ὁ θεῖός ἐστι Λόγος, ἐφ' ὃν πρῶτον καταφεύγειν ὠφελιμώτατον· Αἱ δ' ἄλλαι πέντε, ὡς ἂν ἀποικίαι, δυνάμεις εἰσὶ τοῦ λέγοντος, quod vocabulum *Doederleinius l. l. p.* 66. meo quidem ſenſu, aptiſſime vertit: *qui verbum iſtud protulit,*) ὧν ἄρχει ἡ ποιητικὴ, καθ' ἣν ὁ ποιῶν λόγῳ τὸν κόσμον ἐδημιούργησε· δευτέρα δ' ἡ βασιλικὴ καθ' ἣν ὁ πεποιηκὼς ἄρχει τοῦ γενομένου· τρίτη δ' ἡ ἵλεως, δι' ἧς ὁ τεχνίτης οἰκτείρει καὶ ἐλεεῖ τὸ ἴδιον ἔργον· τετάρτη δ' ἡ νομοθετικὴ μοῖρα, δι' ἧς ἃ μὴ χρὴ γίνεσθαι ἀπαγορεύει, κ. τ. λ. Tum paulo poſt p. 561. abſoluta hac de ſex refugii ciuitatibus allegoria, monet, quinque poſteriores δυνάμεις ſuas quamque figuras in ſanctuario habuiſſe, de Λόγῳ autem haec deinde addit: Ὁ δὲ ὑπεράνω τούτων Λόγος θεῖος εἰς οὐρανὴν ἐκ ἦλθεν ἰδέαν, (h. e. non habuit in iſto apparatu figuram aliquam aut typum,) ἅτε μηδενὶ τῶν κατ' αἴσθησιν ἐμφερὴς ὤν, ἀλλ' αὐτὸς εἰκὼν ὑπάρχων Θεοῦ, τῶν νοητῶν ἁπαξαπάντων ὁ πρεσβύτατος, ὁ ἐγγυτάτω, μηδενὸς ὄντος μεθορίου διαστήματος, τοῦ

χάγγελον [31]) dicit, eiusque muneris esse ait, vt probos quidem adiuvet, malos autem coërceat atque puniat [32]), omninoque mediatorem Deum inter atque homines agat [33]).

Ne quis vero dicat, fuisse hoc dogma Alexandrinis modo et inter Graecos degentibus Iudaeis proprium, ostendendum iam erit, Palaestinenses etiam id commune cum iis habuisse; idque ex chaldaicis potissimum librorum V. T. paraphrasibus declarare constitui, quae, si vel maxime sint aetatis recentioris [34]), recte tamen ad antiquiorum etiam Iudaeorum sententias cognoscendas poterunt adhiberi [35]), cum suarum opinionum semper

---

μόνε ὁ ἔξιν ἀψευδῶς ἀφιδρυμένος. Λέγεται γὰρ, Λαλήσω σοι ἄνωθεν τῆ ἱλαστηρίε, ἀνὰ μέσον τῶν θυοῖν χερεβίν· ὥσθ' ἡνίοχον μὲν εἶναι τῶν δυνάμεων τὸν Λόγον, ἔποχον δὲ τὸν λαλέντα, ἐπικελευόμενον τῷ ἡνιόχῳ τὰ πρὸς ὀρθὴν τῆ παντὸς ἡνιόχησιν. Addi vero huic etiam potest alius locus *de somn. Vol. I. p.* 656. vbi Λόγον illum dicit τὸν ἡγεμόνα πασῶν τῶν δυνάμεων.

31) Quod nomen in multis ei locis tribuit, e quibus vel vnum hic commemorasse sufficerit e *libr. quis rer. diu. haer. T. I. p.* 501. τῷ δὲ ἀρχαγγέλῳ καὶ πρεσβυτάτῳ Λόγῳ δωρεὰν ἐξαίρετον ἔδωκεν ὁ τὰ ὅλα γεννήσας πατὴρ, ἵνα μεθόριος ᾖς τὸ γενόμενον διακρίνῃ τῆ πεποιηκότος.

32) *De somn. T. I. p.* 633. Ὁ γὰρ τῆ Θεῆ Λόγος, ὅταν ἐπὶ τὸ γεῶδες ἡμῶν σῶμα ἀφίκηται, τοῖς μὲν ἀρετῆς συγγενέσι καὶ πρὸς ἀρετὴν ἀποκλίνουσιν ἀρήγει καὶ βοηθεῖ, ὡς καταφυγὴν καὶ σωτηρίαν αὐτοῖς πορίζειν παντελῆ, τοῖς δὲ ἀντιπάλοις ὄλεθρον καὶ φθορὰν ἀνίατον ἐπιπέμπει.

33) *Quis rer. diuin. haer. T. I. p.* 501. vbi, postquam eum esse dixerat ἱκέτην τῆ θνητῆ κηραίνοντος ἀεὶ πρὸς τὸ ἄφθαρτον, πρεσβευτὴν δὲ τῆ ἡγεμόνος πρὸς τὸ ὑπήκοον, sic deinde pergit: Ἀγάλλεται δὲ ἐπὶ τῇ δωρεᾷ, καὶ σεμνυνόμενος αὐτὴν ἐκδιεγεῖται φάσκων, Κἀγὼ εἰστήκειν ἀνὰ μέσον Κυρίε καὶ ὑμῶν, ἔτε ἀγέννητος ὡς ὁ Θεος ὤν, ἔτε γεννητὸς ὡς ὑμεῖς, ἀλλὰ μέσος τῶν ἄκρων, ἀμφοτέροις ὁμηρεύων· παρὰ μὲν τῷ φυτεύσαντι, πρὸς πίστιν τὰ μὴ σύμπαν ἀφανίσαι ποτὲ καὶ ἀποσῆναι τὸ γένος, ἀκοσμίαν ἀντὶ κόσμε ἑλόμενον· παρὰ δὲ τῷ φύντι, πρὸς εὐελπιστίαν τῆ μήποτε τὸν ὅλεων θεὸν περιϊδεῖν τὸ ἴδιον ἔργον. Hinc dicitur etiam ἀρχιερεὺς *de somn. T. I. p.* 653.

34) De qua re consulendus inprimis est *Eichhornius* in classico libro: *Einleitung ins alte Testament, Vol. I. p.* 399 *ed. II.* [p. 430 ed. III.]

35) Hinc ipse etiam *Eichhornius l. l. p.* 409. statuit, tra-

tenaciſſimos fuiſſe conſtet Iudaeos. In his autem neminem fugit, ſaepiſſime commemorari מימרא דיי, ſ. Verbum Dei, in cuius formulae ſenſu definiendo profecto non fuiſſent viri docti in tam diuerſas ſententias abituri [36]), ſi ad ipſas auctorum harum paraphraſium opiniones, aliunde iam cognitas, eam reuocare, quam ex ſuo arbitrio, aut pro ſua quisque opinione praeiudicata interpretari maluiſſent. Id enim ſi feciſſent, facile, puto, fuiſſent intellecturi, eos nihil aliud hac adpellatione voluiſſe ſignificare, quam eandem illam, quam Iudaeos hactenus docui admiſiſſe, diuinam ὑπόϛασιν, quam a Deo genitam, eique proximam atque ſimillimam iudicarunt, quamque non modo mundum ſtatuerunt creaſſe, ſed Dei etiam in omnibus, quae his in terris et inter homines agat, quaſi vicariam eſſe [37]). Haec enim, vſu huius formulae vel leuiter obſeruando, ſingula poterunt

---

ditiones quasdam iudaicas, ad quas librorum N. T. ſcriptores ſubinde reſpiciant, inde cognoſci poſſe atque illuſtrari. Omnino autem, quae in ſcriptis Iudaeorum ad ſextum ſaltem vsque ſaeculum poſt C. N. exaratis occurrant opiniones, eas omnes Chriſti certe aetate antiquiores eſſe iudicandas, bene docuit Corodi in libro absque nominis mentione a ſe edito: *Kritiſche Geſchichte des Chiliasmus, Vol.* 1. *p.* 15 ſſ.

36) Quas qui cognoſcere cupit, ei inprimis adeundi ſunt *Io. Chriſt. Wolfius* in *Biblioth. hebr. P. II. l. VI. c. III. §.* 4. *p.* 1185 ſſ. *Sal. Deylingius* in *Obſeruatt. SS. P. I. Obſ. XLIX.* §. 6. *p.* 247. *Io. Gottl. Carpzouius* in *Critic. ſacr. V. T. P. II. c. I. §.* 6. *p.* 479 ſſ. et *Iuſt. Mart. Glaeſcnerus* in *Diſſ. de Trinitate in ſcriptis Cabbaliſtarum et Rabbinorum non chriſtiana, ſed mere Platonica,* (*Helmſt.* 1741. 4.) *c. II.* §. 4. *p.* 30. quibus iungenda etiam ſunt *Frid. Imm. Schwarzii Meletem. II. Ieſus Targumicus* inſcripta, et edita Torgav. 1758. atque Lipſ. 1759. 4.

37) Huic agnoſcendo proximi quidem fuerunt ii, qui iſto מימרא דיי ſecundam diuinitatis perſonam ſignificari ſtatuerunt, ſed in eo tamen aberrarunt, quod quam nunc dicimus ſecundam diuinitatis perſonam Deique filium, eandem Iudaeos etiam illo nomine ſignificaſſe ſibi perſuaſerunt, a quo ne Mangeyus quidem ſatis ſibi videtur caviſſe, qui in *Praefat. ad Philon.* recte caeteroquin iſtud Paraphraſtarum מימרא דיי cum Philonis *Λόγῳ* et librorum apocryphorum *Σοφίᾳ* comparauit.

inde doceri atque confirmari. Primum nimirum notandum eſt hoc, quod hac formula in locis ſaepenumero iis vſi ſunt, in quibus in hebraico textu commemoratur mens et animus Dei, vel is dicitur ſecum aliquid deliberaſſe, aut dixiſſe. Hinc enim admodum credibile fit, hos quoque Paraphraſtas in illo, quod dicunt Verbum Dei, primo quidem cauſam vel fontem Verbi, h. e. rationem Dei aut eius vniuerſum potius animum cogitaſſe. Talis locus occurrit v. c. Gen. VI, 6. vbi quod in hebr. textu dicitur וינחם יהוה, *et poenituit Deum*, ab Onkeloſo vertitur ſic: ורתב יי במימריה, *et poenituit Deum in Verbo ſuo*, et verſ. ſeq. hebraico כי נחמתי, haec apud eum reſpondent; ארי־תביתת במימרי *quia poenitet me in Verbo meo;* ſimiliterque Gen. VIII, 21. hebraica: ויאמר יהוה אל־לבו, ab Interprete illo ita exprimuntur: ואמר יי במימריה, *et dixit Deus in Verbo ſuo.* Idem vero מימרא interpretes illos pro ὑποϛάσει etiam a Deo genita habuiſſe, perſpicue docet locus, qui in Targum Hieroſolymitano Gen. III, 22. occurrit, in quo quippe מימרא illud diſerte dicitur vnigenitus Dei filius. Traduntur enim ibi haec: ואמר מימרא דיי אלהים הא אדם דברית יתיה יחידי בגו עלמי היך מה דאנא יחידי בשמי מרומא *et dixit Verbum Domini Dei, ecce homo, quem creaui, vnigenitus eſt in mundo meo, ſicut ego vnigenitus ſum in coelis excelſis.* Ex eodem vero loco ſimul et hoc adparet, iſti Verbo Dei non modo creationem hominis tribui, ſed id in coelo etiam dici quaſi reſidere, quod vtrumque aliis etiam pluribus locis confirmatur. Neque enim hominis tantum ſed vniuerſi etiam mundi creatio ſaepiſſime ei vel ibi etiam tribuitur, vbi in hebraico textu creationis nulla plane mentio fit. Sic v. c. Deut. XXXIII, 27. Onkeloſus haec habet: מדור אלהא דמלקדמין במימריה אתעביד עלמא *habitaculum Dei, qui in principio per Verbum ſuum condidit mundum;* ſimiliterque Ieſ. XLV, 12. vbi in hebraico textu eſt: אנכי עשיתי ארץ, Ionathan in

paraphrasi sua haec ponit: אנא במימרי עבדית ארעא, *ego in Verbo meo feci terram*, cui similillima sunt, quae idem habet Isa. XLVIII, 13. vbi in hebraico textu manus Dei terram dicitur creasse, (אף־ידי יסדה ארץ) apud nostrum autem haec leguntur: במימרי שכללית ארעא, *per Verbum meum fundaui terram.* Ubi vero de hominis nominatim creatione sermo est, ibi a nostris quoque aeque ac a Philone ad huius Verbi diuini imaginem dicitur creatus fuisse, quod docet locus Paraphrastae Hierosolymitani Gen. I, 27. in quo, cum in hebraico textu homo ad imaginem Dei creatus fuisse dicatur, ille contra sic habet: ברא מימרא דיי ית אדם ברמוריה, *creauit Verbum Dei hominem in imagine sua.* Quod autem in coelis dicitur versari, id bene conuenit ei, quod apud Ionathanem Deut. IV, 7. traditur, id super solio excelso atque eleuato sedere, precesque hominum exaudire, quodque apud eundem Exod. XVII, 16. per thronum maiestatis suae dicitur iurare. Neque tamen huic throno coelesti ita quasi alligatum putarunt istud Verbum, vt nunquam inde discederet, sed omnia potius in his terris cum olim effecisse, tum nunc etiam efficere statuerunt, quae Deus fieri voluisset vel adhuc vellet, eiusque quasi visibilem in his terris imaginem atque vicarium esse iudicarunt. Hinc enim in omnibus V. T. locis, in quibus de Deo vel decernente aliquid, vel loquente, vel agente atque instituente, vel denique praesente sermo est, aut vbi commemoratur manus eius, vel facies, vel oculus aurisve, semper huius מימרא דיי mentio fit sic, vt vel cum ipso Dei nomine permutetur, vel in locum manus, faciei, oculi aut auris substituatur; in quo facile est, consuetam horum Paraphrastarum in vertendis libris sacris versandi rationem, qua suas de rebus, quae narrantur, sententias atque opiniones in ipsam scriptorum sacrorum narrationem inferre solent, agnoscere. Id autem innumeris propemodum locis a me posset confirmari, si spatii an-

guſtia pateretur, nec id ab aliis iam abunde demonſtratum noſſem [38]). Eodem vero etiam pertinet illud, quod idem מימרא diſerte etiam dicitur מלאכא דיי *angelus Dei*, et שכינתא דיי, *maieſtas Dei*, cuius rei luculentiſſimum argumentum praebet locus Ionathanis Iud. VI, 11. ſſ. in quo haec aperte ſunt Synonyma illius מימרא. Nam qui v. 11. vocatur מלאכא דיי v. 12. et 16. dicitur מימרא et v. 13. שכינתא דיי, vbi in hebraico textu nomen יהוה eius loco ponitur. Nominatim vero populi Iudaici rex et princeps eſſe praedicatur Verbum iſtud, quod docet locus Onkeloſi Deut. I, 32. 33. vbi haec habet: ליתיכון מהימנין במימרא דיי אלהכון דמדבר קדמכון באורחא *non credidiſtis Verbo Domini, Dei veſtri, quod ductor fuit coram vobis in via.* In eandem rem notandus etiam eſt locus Paraphraſtae Hieroſolymitani ad Deut. XXVI, 17. 18. in quo haec leguntur: ית מימרא דיי אמליכתון עליכון יומא דין למהוי לכון לאלהא: ומימרא דיי אמלך עליכון לשמיה לעם הביביא היך סגולה *Verbum Domini regem conſtituiſtis ſuper vos hodie, vt ſit vobis in Deum: Verbum etiam Domini conſtituit ſe in regem ſuper vobis nomine ſuo, vt ſitis ipſi populus dilectus, veluti peculium.* Qui locus aperte ſimul declarat, diuerſam a Deo ὑπόϛασιν noſtros in illo מימרא דיי cogitaſſe, cum hic diſerte dicatur Dei nomine rex ſuper Iſraëlitas fuiſſe conſtitutus. Idem vero etiam docent Onkeloſi atque Ionathanis verba ad Gen. XX, 3. vbi quod in hebraico textu dicitur: ויבא אלהים אל־אבימלך, ab iſtis Interpretibus ita vertitur: ואתא מימר מן־קדם יי לות־אבימלך, *et venit*

---

38) Pertinent huc ea inprimis, quae hanc in rem collegerunt *Raym. Martini* in *Pugione fidei P. III. diſt. III. c. I. §. 4. 6. 7. p.* 630 ſſ. *Petr. Allixius, l. l. p.* 147—201. et *p.* 297 ſſ. *Geo. Bullus* in *Defenſ. fidei Nicaen. Sect. I. c. I. §.* 19. *p.* 26 ſ. *Herm. Witſius* in *Miſcellan. Sacr. T. II. Exerc. III. §.* 2. *p.* 70. et *Schwarzius* in *Melet. I. de Ieſu targumico, §.* 7. *p.* 10.

Verbum a Deo ad Abimelechum. Si enim Verbum istud a Deo ipso, vt multi volunt, diuersum non esset iudicandum, aperte hic diceretur, venisse Deum a Deo. Neque minus perspicuum eius rei argumentum praebet alius, isque inprimis notabilis locus, quem ex Targum Hierosolym. ad Exod. XII, 42. laudauit iam *Doederleinius* [39]), quemque nec hic piget latine saltem versum adponere, cum et alia, quae de hoc מימרא asserui, eo confirmentur. Habet autem sic: *Quatuor noctes scriptae sunt in libro memoriarum. Nox prior, quando adparuit* Verbum Domini *super mundo ad creandum ipsum, cum esset mundus vacuus atque inanis, et tenebrae expansae super facies abyssi, et* Verbum Domini *lucebat et illustrabat. — Nox secunda, quando adparuit* Verbum Domini *Abrahamo inter sectiones. — Nox tertia, quando adparuit* Verbum Domini *contra Aegyptios in media nocte: dextra eius interficebat primogenitos Aegyptiorum* [40]), *et dextra eius liberabat primogenitos Israëlitarum. — Nox quarta, cum adimplebitur finis mundi, vt dissoluatur, funes impietatis vastabuntur, et iuga ferrea rumpentur: Moses exibit e medio deserti, Rex autem Messias e media Roma: hic praeibit in nube, alter etiam praeibit in nube, et* Verbum Domini *dux erit inter ambos et ipsi incendent simul.*

Cum hac autem Paraphrastarum chaldaeorum in voce מימרא דיי vsurpanda consuetudine forsitan etiam

---

39) In *Commentar. de Ebionaeis etc. §. 23. p. 116.*

40) Idem ergo hic isti מימרא tribuitur, quod auctorem libri Sapientiae supra (p. 508.) vidimus *Λόγῳ* suo tribuisse. Ita nimirum ille huius *Λόγου* ad perdendos Iudaeorum primogenitos de coelo descensum describit Cap. XVIII, 15. 16. *Ὁ παντοδύναμος σοῦ Λόγος ἀπ᾽ οὐρανῶν ἐκ θρόνων βασιλείων ἀπότομος πολεμιστὴς εἰς μέσον τῆς ὀλεθρίας ἤλατο γῆς· ξίφος ὀξὺ τὴν ἀνυπόκριτον ἐπιταγήν σου φέρων, καὶ στὰς ἐπλήρωσε τὰ πάντα θανάτου· καὶ οὐρανὸν μὲν ἥπτετο, βεβήκει δὲ ἐπὶ γῆς.*

illud poterit comparari, quod in verſione Pentateuchi Samaritana, quam cum Onkeloſi quidem paraphraſi multum omnino ſimilitudinis habere iudicat *Eichhornius* [41]), nomini Dei plerumque angeli, vel angelorum eius nomen ſubſtituitur, ſi quidem verum eſt, quod Bruckerus defendit [42]), in angelis illis auctorem huius verſionis non virtutem aliquam aut vim Dei, vt *Relandus* [43]), *Buddeus* [44]) *et Basnagius* [45]) ſtatuerunt, ſed *emanationes* potius Dei *ſubſtantiales, certaque ratione et eſſentiae definitione modificatas* cogitaſſe. Verum hac de re iudicium eſto penes viros, harum literarum me peritiores. Fuiſſe tamen doctrinam de naturis diuinis emanando a Deo profectis inter Samaritanos non omnino incognitam, ex Simonis certe magi hiſtoria videtur intelligi poſſe. Cum enim hunc, narrante Luca Act. VIII, 10. ſectatores eius τὴν μεγάλην τȣ̃ Θεȣ̃ δύναμιν dicuntur praedicaſſe, hoc ipſo haud obſcure mihi videntur declaraſſe, ſe et alias admittere Θεȣ̃ δυνάμεις, quarum, quae in hoc viro reſederit, ſummam et praecipuam iudicarent [46]): cui et illud conuenit, quod ipſe Simon vxorem ſuam, Helenam, Iuſtino Martyre teſte [47]), τὴν ὑπ' αὐτȣ̃ ἔννοιαν πρώτην γενομένην dixiſſe traditur. In hac enim ἐννοίᾳ Iuſtinum certe Martyrem naturam aliquam intelligentem, ex altero profectam,

---

41) In *Introduct. in libr. V. T. Vol. I. p.* 533 ſſ. *ed. 2dae.*

42) In *hiſtor. critic. philoſ. T. II. p.* 666.

43) In *Diſſertt. miſcell. P. II. p.* 29 ſ.

44) *Hiſtor. eccleſ. V. T. p.* 1046.

45) *Hiſtoire des Juifs, L. II. c.* 2. *p.* 26.

46) De natura enim per ſe ſubſiſtente eos in voce δυνάμεων cogitaſſe, recte, meo quidem ſenſu, ſtatuit *Bruckerus l. l. p.* 670. cui aſſentire etiam videtur *Walchius in hiſtor. haereſ. et controv. de relig. T. I. l. I. c. I. Sect. III. §.* 10. *p.* 155 ſ.

47) *Apol. I. §.* 34. *p.* 24.

cogitaſſe, id mihi ſuadere videtur, quod alio in loco [48]) de Minerva dicit, Iouis filiam eiusque πρώτην ἔννοιαν gentiles eam venditaſſe, hoc consilio, vt Chriſtianorum de Λόγῳ Dei doctrinam ſimilitudine quadam effingerent. Praeterea vero poſſem fortaſſe et hoc commemorare, quod *Pleſſingius* [49]) iam defendere conatus eſt, in illo etiam nobiliſſimo Prov. VIII, 22. loco eiusdem de natura aliqua intelligente ante mundum conditum a Deo prognata, hunc que deinde creante atque gubernante opinionis veſtigia latere, cum et hic Sapientia ante mundi initia apud Deum fuiſſe (v. 22.) dicatur, ab eoque genita adpelletur (v. 23.) mundique ei creatio tribuatur (v. 30.). Sed vereor, ne paucis conſentientibus id defendam, cum inter omnes fere interpretes de eo nunc videatur conuenire, diuinae ſapientiae attributum per proſopopoeiae figuram hic deſcribi; et in tantum iam praeter opinionem huius ſcripti moles excreuit, vt non liceat huius coniecturae meae cauſas latius explicare. Sufficit vero iam hoc, primos certe eccleſiae chriſtianae doctores, vt vel ex locis ſupra a me excitatis potuit intelligi, hunc Salomonis locum ad ſuam de Λόγῳ doctrinam vnanimi fere conſenſu transtuliſſe, in eoque non minus, quam in aliis V. T. locis, perperam tamen plerumque intellectis, huius doctrinae ſuae argumenta ſibi viſos eſſe reperiſſe. Ad haec autem librorum ſacrorum praeſidia ſuae doctrinae paranda per eosdem haud dubie ſunt adducti, quos vniuerſae huius doctrinae primos habuere doctores. Hos autem ecquis tandem poſt ea, quae hactenus a me ſunt demonſtrata, alios fuiſſe exiſtimet, quam Iudaeos?

---

48) *Eiusd. Apol.* §. 81. *p.* 61. vbi haec eius verba ſunt: *Καὶ τὴν Ἀθηνᾶν δὲ ὁμοίως πονηρευόμενοι, θυγατέρα τοῦ Διὸς ἔφασαν ἐκ ἀπὸ μίξεως, ἀλλ' ἐπειδὴ ἐννοηθέντα τὸν Θεὸν διὰ Λόγου τὸν κόσμον ποιῆσαι ἔγνωσαν, ὡς τὴν πρώτην ἔννοιαν ἔφασαν τὴν Ἀθηνᾶν.*

49) In *Verſuch zur Aufklär. des älteſt. Alterth. Vol. II. Part. II. lib. V. P. II. S. II. §. 12. p. 521 ſſ.*

Ab his enim cum primos conſtet Chriſtianos omnes profectos eſſe, hique alios deinde ſuae religionis dogmata edocuerint, quid mirum, ſi per hos illorum etiam propria dogmata in religionem chriſtianam transierint, cumque huius ſententiis permixta fuerint? Hinc igitur factum eſſe arbitror, vt, cum doctores noſtri, quorum cauſam defendere ſuſcepimus, Ioannem Evangeliſtam vocabulum Λόγȣ de Chriſto viderent vſurpaſſe, eumque pleraque fere, quae Iudaei de ſuo Λόγῳ praedicare ſoliti fuerant, in hunc quoque transtuliſſe deprehenderent, ea omnia ad horum opiniones accommodate intelligerent, iamque eadem in V. etiam T. locis, ex quibus illi ſuae doctrinae argumenta petere conſueverant, tradi ſtatuerent, hincque omnem illam doctrinam ipſa librorum ſacrorum auctoritate confirmari firmiter ſibi perſuaderent.

Si autem haec fuit dogmatis a noſtris defenſi origo, ſponte iam intelligitur, id neutiquam fuiſſe a Platonicis philoſophis transſumtum, primumque ab iis in religionis doctrinam translatum, quamquam caeteroquin minime poſſit negari, horum etiam philoſophorum de illo doctrinae capite ſtatuendi atque praecipiendi rationem multum ipſis cum ſuis ſcitis ſimilitudinis habere viſam eſſe, quod temere profecto negauit *Baltus* [50]), recteque contra aſſeruit *Cudworthus* [51]), et nuper etiam *Oelrichſius* [52]). Ad Iudaeos vero num ex Platonica ſchola dogma hoc traductum fuerit, an vero aliunde ad eos peruenerit, altioris indaginis quaeſtio eſt, cui vero ſoluendae nunc quidem non magis, quam reliquis, quae ex eadem illa philoſophia in chriſtianam Theologiam

---

50) *Defenſe des SS. Peres, accuſés de Platoniſme, l. IV. c. XII. p.* 517 ſſ.

51) In *Syſtem. intellect. P. I. c. IV. §.* 36. *p.* 730 ſſ.

52) In *Comment. de doctrina Platonis de Deo etc. S. II. §.* 3. *p.* 61 ſſ. *et §.* 10. p. 96 ſſ.

dicuntur transiſſe, excutiendis, operam poſſum impendere, alio tamen tempore cum haec perſecuturus, tum de illa etiam re conſulto forſitan atque vberius expoſituru*).

Cap. III.

DE ANGELIS.

Sect. I. de angelis eorumque natura vniuerſe.

(Comment. III.)

Continuandum nunc eſt coeptum ante hos tres annos doctores veteris eccleſiae culpa corruptae per Platonicas ſententias Theologiae liberandi inſtitutum, cum id viris doctis harumque rerum peritis non diſplicuiſſe intellexerim. Id tamen antequam facere adgredior, non inutile fuerit, lectores de conſilio, in tractando hoc argumento mihi propoſito, denuo admonere, quoniam, quanquam ipſa iam inſcriptione libellorum de eo diuulgatorum id ſatis aperte mihi videbar declaraſſe, tamen quosdam vidi id non omnino eſſe aſſecutos. Nimirum hoc vnum tantum docere mihi nunc propoſitum fuit, quae doctores illi vulgo accuſentur ex Platonica philoſophia petiiſſe, inque doctrinam religionis chriſtianae non ſine magno eius detrimento parum caute intuliſſe, ea non fuiſſe

*) *Nota editoris.* Patrum de *Λόγῳ* doctrinam, nominatimque ipſorum de ea ratione, quae *λόγον* inter et *πνεῦμα* obtineat, ſententiam, huius disputationis p. 504. not. 80. obiter tantum commemoratam, b. auctor multo adcuratius examinauit, allatisque ex illorum ſcriptis locis quamplurimis luculenter docuit, antiquiſſimos, ante concilium Nicaenum etiam, patres de vero et magno inter *τὸν λόγον* et *τὸ πνεῦμα* diſcrimine diſerte locutos eſſe, atque adeo errare, qui *τοῦ πνεύματος* et *τοῦ λόγου* nomine illos ad ſignificandam vnam eandemque naturam vſos fuiſſe ſtatuant, in *Flattii* Promtuario theologiae dogmat. et mor. deſtinato (Magazin für chriſtl. Dogm. u. Moral.) Faſc. 4. p. 34. ſſ.

primum ab illis in eam translata, ſed maximam potius partem a Iudaeis, tanquam dogmata in ipſis eorum libris ſacris tradita, ad eos transmiſſa, hincque, aperto licet plerumque errore, bona tamen fide, pro parte religionis diuinitus reuelatae ab iis habita et, vt talia, aliis etiam propoſita. An vero Iudaei dogmata illa, quae in litem hic veniunt, ex Platonica philoſophia vel ipſi hauſerint, vel ex ea ſaltem hauſta aliunde acceperint, id nunc quidem neque negare, neque adfirmare animus mihi fuit. Erit tamen, abſoluta omni diſputatione, quid mihi de hac etiam re vero proximum videatur, plura dicendi locus. Quanquam enim mecum primum conſtitueram, ſuperiori commentationi quae in examinando doctorum illorum de Λόγῳ dogmate verſabatur, breuem aliquam diſputatiunculam de fonte huius dogmatis ſubiicere; mutaui tamen hoc conſilium, conſultius fore arbitratus, ſi perorata demum vniuerſa cauſa, in fontem omnium illarum opinionum, quae cum Platonica philoſophia ſimilitudinis aliquid habere viſae ſunt, et a Iudaeis iam ante religionis chriſtianae origines ſuſceptae fuerunt ac probatae, diligentius atque vberius inquirerem. Quare, miſſis iam his, in ſingulis potius ſententiis, quae doctores noſtri a Platone dicuntur petiiſſe, cumque chriſtianae religionis dogmatibus inepte permiſcuiſſe, examinandis pergere nunc conſtitui.

Sequitur autem in ſerie harum ſententiarum Comment. I. p. 471. enarrata caput de angelis, qui vulgo dicuntur, in quo, quae in Platonicarum ſententiarum cenſum relata ſunt, vel ad vniuerſam ſpirituum illorum naturam, vel ad bonos malosue nominatim pertinent. Quod nimirum vniuerſam eorum naturam attinet, hoc dixerunt ex Platonica philoſophia fluxiſſe [1]), quod genios

---

1) Ita certe ſtatuerunt *Buddeus* in *Theol. dogm. p. m.* 439. *Gottl. Wernsdorfius* in *Exercit. hiſtorico-critica de commercio angelorum cum filiabus hominum ab Iudaeis et Patri-*

illos non ſimplicis naturae ſpiritus, vt nunc quidem ſtatuitur, et nullo corpore indutos, ſed corpore vtique praeditos eſſe, plerorumque fere inter doctores illos fuerit ſententia. Atque haec ſane adeo fuit inter eos pervulgata, vt non tam plerorumque, quam vnanimis omnium propemodum vsque ad mediae fere aetatis tempora ſententia dicenda videatur [2]). Vt tamen qualis ea fuerit, accuratius adhuc conſtet, ea primum ipſa paulo vberius erit explicanda.

Sediſſe igitur doctoribus noſtris hanc ſententiam, genios illos, qui angeli plerumque vocantur, non eſſe corpore plane deſtitutos, exinde iam intelligi poterit, quod omnino iudicarunt, vnius Dei naturae id proprium eſſe, vt materiae plane expers ſit, omnique adeo corpore careat. Certe Origenes hanc ſententiam plus vno loco [3]) profeſſus eſt; in eademque etiam fuit Ioannes Damaſcenus, ita ſcribens [4]): πᾶν γὰρ συγκρινόμενον

---

bus platonizantibus credito, (Viteb. 1742. 4.) §. 1. *p.* 2 ſſ. itemque *Bruckerus* in *Hiſtor. critic. philoſ. To. III. p.* 409. vbi Irenaeum ſaltem hanc ob cauſam Platonicarum hypotheſium incaute admiſſarum culpae arguit, atque Iac. Ode, qui in *Comment. de Angelis, Sect. III. C.* 1. §. 9. *p.* 315. et §. 11. *p.* 319. de Origene et Auguſtino ſimili modo iudicat.

2) Id ipſum ſibi etiam perſuaſum habuiſſe vidi *Huetium* in *Nott. ad Comment. Origen. p.* 85. vbi *corporeos eſſe*, inquit, *angelos patribus antiquis ipſique adeo toti fere antiquitati perſuaſum fuit*, itemque *Moshemium* in *Nott. ad Cudworthi Syſtema intell. T. II. p.* 1099.

3) V. c. in *libr. I. περ. ἀρχ. c.* 6. *Solius Dei, id eſt Patris, Filii et Spiritus S. naturae id proprium eſt, vt ſine materiali ſubſtantia et absque vlla corporeae adiectionis ſocietate intelligatur ſubſiſtere;* itemque *l. II. c.* 2. vbi haec habet: *Si vero impoſſibile eſt hoc vllo modo affirmari, id eſt, quod viuere praeter corpus poſſit vlla alia natura, praeter Patrem et Filium et Spiritum S. neceſſitas conſequentiae ac rationis coarctat intelligi, principaliter quidem creatas eſſe rationabiles naturas, materialem vero ſubſtantiam opinione quidem et intellectu ſolum ſeparari ab eis, et pro ipſis vel poſt ipſas effectam videri, ſed nunquam ſine ipſa eas vel vixiſſe, vel viuere. Solius namque Trinitatis incorporea vita exiſtere recte putabitur.* Similia his leguntur etiam *lib. IV. c.* 2.

4) *De orth. fide lib. II. c.* 3.

πρὸς θεὸν, τὸν μόνον ἀσύγκριτον, παχύ τε καὶ ὑλικὸν εὑρίσκεται μόνον γὰρ ὄντως ἄυλον τὸ θεῖον ἐστὶ καὶ ἀσώματον. Enimuero non ex hac tantum eorum ſententia coniicere licet, eos angelos quoque aeque, ac omnes reliquas res creatas corpore praeditos iudicaſſe, cum id ipſum aperte etiam declarauerint. Neque tamen tale corpus tribui iis voluerunt, quale noſtrum eſt, ſed multo potius ſubtilius, idque aethereum aut igneum. Huius enim opinionis per integra fere octo priora ſaecula diſerta et admodum perſpicua proſtant, cum graecae, tum latinae eccleſiae, doctorum teſtimonia, a multis iam illa collecta [5]). Quare nos ex tanto eorum numero paucis modo commemorandis defungemur. Tatianus igitur in *Orat. contr. Graec.* [6]) haec habet: Δαίμονες δὲ πάντες σαρκίον μὲν ἐκέκτηνται, πνευματικὴ δὲ ἐστὶν αὐτοῖς ἡ σύμπηξις ὡς πυρὸς, ὡς ἀέρος· μόνοις δὲ τοῖς πνεύματι Θεῷ φρεφεμένοις εὐσύνοπτα καὶ τὰ τῶν δαιμόνων ἐστὶ σώματα, τοῖς λοιποῖς δὲ ἐδαμῶ, λέγω δὲ τοῖς ψυχικοῖς. Origenes autem in *Commentar. in Matth.* [7]) de futura eorum, qui e mortuis reſurrexerint, cum angelis ſimilitudine ita iudicat: ἐγὼ δὲ οἶμαι διὰ τούτων δηλοῦσθαι, ὅτι ἐ μόνον κατὰ τὸ μὴ γαμεῖν, καὶ τὸ μὴ γαμεῖσθαι, ὡς οἱ ἐν τῷ ἐρανῷ ἄγγελοι γίνονται οἱ καταξιόμενοι τῆς ἐκ νεκρῶν ἀναςάσεως, ἀλλὰ καὶ κατὰ τὰ μετασχηματιζόμενα αὐτῶν τὰ σώματα τῆς

5) Nominatim *Suicero* in *Theſaur. eccleſ. T. I. p.* 36 ſ. *Huetio* in *Origenian. p.* 71. et *Nott. ad Origen. p.* 85. *Petavio de dogm. theol. T. III. de Angel. lib. I. c.* 2. *p.* 3 ſſ. *Io. Chriſt. Loerſio* in *Diſſ. de angelorum corporibus et natura*, (Duisb. 1719. 4.) §. *IX. p.* 437 ſſ. et, qui eum refutauit, *Steph. Vito* in *Schediaſm. Biblioth. Brem. Theol. Phil. claſſ. VI. Part. III.* inſerto §. 16. 17. *p.* 455 — 464. *Iac. Odio* in *Comment. de angelis, Sect. III. c.* 1. §. 9. *p.* 314 *ſſ.* et *Roeslero* in *Philoſophia veteris eccleſiae de Spiritu* (Tubing. 1783. 4.) *p.* 10 ſſ. itemque *Io. Rud. Wetſtenio ad Origen. Exhort. ad martyr. p.* 138 ſ.

6) §. 25. *p.* 59. *edit. Worth.*

7) *T. I. p.* 488. *edit. Huet.*

ταπεινώσεως γίνεσθαι τοιαῦτα, ὁποῖα ἐστι τὰ τῶν ἀγγέλων σώματα, αἰθέρια καὶ αὐτοειδὲς φῶς. Similia vero alibi etiam de eorundem angelorum corporibus tradit [8]). Neque alia sunt, quae apud Basilium de eadem re leguntur, in hunc e. c. modum de angelis exponentem [9]): ἡ μὲν ἐσία αὐτῶν αἔριον πνεῦμα, εἰ τύχοι, ἢ πῦρ ἄϋλον, κατὰ τὸ γεγραμμένον· (Ps. CIII, 4.) ὁ ποιῶν τὰς ἀγγέλας αὐτῶ πνεύματα καὶ τὰς λειτουργὰς αὐτῶ πῦρ φλέγον. διὸ καὶ ἐν τόπῳ εἰσὶ, καὶ ὁρατοὶ γίνονται, ἐν τῷ εἴδει τῶν οἰκείων αὐτῶν σωμάτων τοῖς ἀξίοις ἐμφανιζόμενοι. Verum abstineo iam plura graecorum Patrum testimonia excitare, cum ex Concilii Nicaeni II. Actis haud obscure adpareat, hanc vniuersae ecclesiae graecae hac de re sententiam fuisse. Certe in Ioannis Thessalonicensis Dialogo, qui Act. V. publice lectus et probatus fuit, haec occurrunt [10]): νοερὰς μὲν αὐτὰς (nimir. angelos), ἡ καθολικὴ ἐκκλησία γινώσκει, ἃ μὴν ἀσωμάτας πάντη καὶ ἀοράτας, λεπτοσωμάτας δὲ καὶ ἀεροείδεις, ἢ πυροείδεις κατὰ τὸ γεγραμμένον· ὁ ποιῶν τὰς ἀγγέλας αὐτῶ πνεύματα καὶ τὰς λειτουργὰς αὐτῶ πῦρ φλέγον. Eandem vero sententiam etiam post Concilii illius tempora adhuc obtinuisse non minus disertis Theodori Studitae et Andreae Cretensis, scriptorum Saec. IX. non ignobilium, testimoniis, si quidem opus nunc esset, doceri posset [11]).

---

8) *V. c. lib. II. περ. ἀρχ. c. 2.* vbi ita scribit: *Vt ergo superius diximus, materialis substantia huius mundi habens naturam, quae ex omnibus ad omnia transformatur, cum ad inferiores quosque trahitur, in crassiorem corporis statum solidioremque formatur, ita vt visibiles istas mundi species variasque distinguat: cum vero perfectioribus ministrat et beatioribus in fulgore coelestium corporum micat, et spiritalis corporis indumentis vel angelos Dei, vel filios resurrectionis exornat.*

9) *De Spir. S. c.* 16.

10) *Harduin. Concil. T. IV. p.* 294.

11) Si cui ea inspicere volupe fuerit, cognosci poterunt ex Odii *Commentar. de Angel. l. I. p.* 316.

Eadem vero apud latinos etiam Patres deprehenditur. Etenim Tertullianus quidem non dubitat angelis corpus aliquod tribuere, quanquam id ſui tantum, vt diſerte addit, generis ſit [12]). Simili modo Auguſtinus etiam pluribus in locis de angelorum corporibus loquitur, vt cum v. c. haec aliquo loco [13]) ſcribit: *angelica corpora, qualia nos habituros ſperamus, lucidiſſima et aetherea eſſe, credendum eſt.* Alio vero loco [14]) docet, daemones ſ. genios malos, antequam peccaſſent, coeleſtia quidem corpora geſſiſſe, ſed poſtea poenae loco aëria eos accepiſſe; quod ipſum praeter Origenem [15]), Minucius etiam Felix [16]) defendit. Vt vero his in locis ſuam de corporibus angelorum perſuaſionem aperte profeſſi ſunt doctores noſtri, ita eandem non minus perſpicue et hoc prodit, quod bonis quidem angelis Manna illud, quo Iſraelitae in deſerto olim alebantur, ſeducti nobili Pſ. LXXVIII, 27. dicto, cibi loco fuiſſe ſtatuerunt [17]),

---

12) *De carne Chriſti c.* 6. vbi haec ſunt verba eius: *Conſtat angelos carnem non propriam geſtaſſe, vtputa natura ſubſtantiae ſpiritalis, et ſi corporis alicuius, ſui tamen generis.* Conferri etiam poterit *l. II. contr. Marc. c.* 8. *et lib. III. c.* 9.

13) *Libr. de diu. quaeſt. LXXXVII. quaeſt. XLVII.* Similia occurrunt in *Enarrat. in Pſ. LXXXV. §.* 17. et *in Pſ. CXXV. §.* 3. itemque *de Geneſi ad litter. lib. II. c.* 17. et *l. IV. c.* 5. *locisque pluribus.*

14) De *Geneſi ad litter. lib. III. c.* 10. vbi haec habet: *Si transgreſſores illi, antequam transgrederentur, coeleſtia corpora gerebant, neque hoc mirum eſt, ſi conuerſa ſunt ex poena in aëriam qualitatem, vt iam poſſint ab igne, i. e. ab elemento naturae ſuperioris aliquid pati.*

15) De quo videndus inprimis *Huetius* in *Origen. lib. II. quaeſt. V. §.* 7. *p.* 71.

16) Profecto enim non alio, niſi huc ſpectat, quod in *Octau. c.* 26. de ſpiritibus malis dicit, *eos onuſtos et immerſos vitiis, ſimplicitatem ſubſtantiae ſuae perdidiſſe.* Eadem vero ſententia apud Rupertum quoque, Abbatem Tuitienſem, Saec. XII. ſcriptorem, *lib. I. de victor. verbi Dei c.* 26 et 28. adhuc deprehenditur.

17) Cuius rei teſtes v. c. ſunt Iuſtinus Mart. in *Dial. c. Tryph. §.* 57. *p.* 154. *edit. Bened.* vbi haec habet de angelis: *καὶ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, δῆλον ἐστὶν ἡμῖν, τρεφόμενοι κἂν μὴ ὁμοίαν τροφὴν*

malos vero, qui gentiles ad hanc, ex ipſorum opinione, erroris vanitatem ſeduxerant, vt diuinum ſibi cultum exhiberent, ſacrificiorum, quae ipſis offerantur, vaporibus et nidore veſci atque delectari docuerunt [18]). Neutrum enim non niſi in naturam corpore praeditam cadere poſſe, vel me non monente intelligitur.

Cum his vero teſtimoniis, quae, vt equidem arbitror, ſatis perſpicue declarant, corpora quidem ſubtiliora atque tenuiora angelis ex communi fere doctorum veteris eccleſiae ſententia omnino fuiſſe tributa, facile tamen pugnare videantur tot alia vel eorundem, vel eiusdem ſaltem aetatis ſcriptorum loca, in quibus non minus diſerte traditur, angelos corpore eſſe deſtitutos et ἀσωμάτους. Vt enim iam non commemorem Ignatii, quippe dubiae fidei ſcriptoris, locum in hanc rem laudatum [19]), extant certe Euſebii, Athanaſii, Gregorii Nazianzeni, Chryſoſtomi, Theodoreti, Io. Damaſceni aliorumque teſtimonia in hanc rem admodum perſpicua [20]), quibus perducti plures, contrariam potius inter doctores illos ſententiam obtinuiſſe, defenderunt [21]).

ἥπερ οἱ ἄνθρωποι χρώμεθα, τρέφονται· περὶ γὰρ τῆς τροφῆς τοῦ μάννα ἣν ἐτράφησαν οἱ πατέρες ὑμῶν ἐν τῇ ἐρήμῳ ἡ γραφὴ οὕτω λέγει, ὅτι ἄρτον ἀγγέλων ἔφαγον; itemque Clemens Alex. *Paedag. lib. I. c.* 6. *p.* 122. *Pott.* ita ſcribens: *οἷον τὸ μάννα ἐρανόθεν ἀπεῤῥέετο τοῖς παλαιοῖς Ἑβραίοις, ἢ τῶν ἀγγέλων ἐπουράνιος τροφή;* denique etiam Tertullianus *adu. Iudaeos*, *c.* 3. *Opp. To. II. p.* 280. edit. Seml. et *de carn. Chr. c.* 6. *Opp. T. III. p.* 358. vbi haec ſunt verba eius: *legimus manna eſui populo fuiſſe: Panem, inquit, angelorum edit homo.*

18) Quod plura docent Iuſtini Mart. Athenagorae, Tatiani, Origenis, Tertulliani et aliorum loca, quae omnia collegit iam *Petau l. l. de Angel. l. III. c.* 1. *§.* 2 ſſ. *p.* 84 ſſ.

19) Ex *Epiſt. ad Trall.* §. 9. vbi angelos ἀσωμάτους φύσεις adpellat.

20) Quae ſtudioſe collegit *Petauius l. l. l. I. c.* 3. *p.* 7 ſſ. et poſt hunc *Steph. Vitus l. l.* atque *Iac. Ode l. l. §.* 12. *p.* 319.

21) Quorum ex numero vnum modo *Suicerum* in *Theſaur. Eccl. l. l.* nunc commemoraſſe ſufficiat.

Verum ſalua profecto res eſt. Primum enim vel exinde, quod iidem interdum ſcriptores, diuerſis in locis, et eſſe angelos corporibus praeditos et non eſſe profeſſi ſunt, ſatis iam adparere arbitror, vtrumque ex eorum quidem ſententia bene inuicem conſiſtere potuiſſe, quoniam alioquin ipſi apertiſſime ſibi contradixiſſe cenſendi forent. Sic Origenes v. c. quem in locis ſupra excitatis angelis plus vna vice corpora vidimus tribuiſſe, tamen aliis in locis eos corporeae naturae eſſe diſerte negat [22]). Hinc profecto neceſſe eſt, vt vtrumque eum diuerſo ſenſu dixiſſe iudicemus, niſi ſecum ipſum eum pugnaſſe ſtatuere velimus. Hoc autem eum ex vſitata tum dicendi ratione vtique facere potuiſſe, facile poterit demonſtrari. Etenim dudum obſeruatum eſt a viris doctis [23]), vocabulum ἀσώματον ſaepenumero ſenſu populari de eo vſurpari, quod corpore craſſiori eſt deſtitutum, adeoque non poteſt manibus prehendi atque teneri. Neque temere hoc eos monuiſſe, ipſa Origenis auctoritate poteſt confirmari. Etenim in prooemio libri περὶ ἀρχῶν dictum aliquod ex libro: *Doctrina Petri*, inſcripto, affert, quo Chriſtus diſcipulis ſuis dixiſſe traditur, ſe non eſſe δαιμόνιον ἀσώματον, iamque de ſenſu huius vocabuli haec addit: *Non idem ſenſus ex iſto ſermone ἀσωμάτε indicatur, qui Graecis vel gentilibus auctoribus oſtenditur, quum de incorporea natura a philoſophis diſputatur. In hoc enim libello incorporeum*

22) E. c. *contr. Celſ. l. VI. c.* 8. vbi ἡμεῖς, inquit, ἀσώματον ὐσίαν ὐκ ἴσμεν ἐκπυρουμένην, ὐδ' εἰς πῦρ ἀναλυμένην τὴν ἀνθρώπου ψυχὴν, ἢ τὴν ἀγγέλων, ἢ θρόνων, ἢ κυριοτήτων, ἢ ἐξουσιῶν ὑπόστασιν; et *l. IV. περ. ἀρχ. c.* 2. vbi haec habet: *Sed et rurſum per Chriſtum creata dixit omnia viſibilia et inuiſibilia, per quod declaratur eſſe etiam in creaturis quasdam inuiſibiles ſecundum proprietatem ſuam ſubſtantias. Sed hae quamuis ipſae non ſint corporeae, vtuntur tamen corporibus, licet ipſae ſint corporea ſubſtantia meliores.* Plura loca collegit *Huetius* in *Origen. lib. II. quaeſt. V. §.* 4. *p.* 69.

23) Nominatim *Huetio l. l. p.* 70. *§.* 5. et in *Nott. ad Orig. Comment. p.* 85. inprimis vero *Moshemio* ad *Cudworth. T. II. p.* 1019. 1092. et 1100.

daemonium dixit pro eo, quod ipſe ille, quicunque eſt, habitus vel circumſcriptio daemonici corporis non eſt ſimilis huic noſtro craſſiori, vel viſibili corpori: ſed ſecundum ſenſum eius, qui compoſuit illam ſcripturam, intelligendum eſt, quod dixit, non eſſe tale corpus, quale habent daemones, quod eſt naturaliter ſubtile et velut aura tenue et propter hoc vel imputatur a multis, vel dicitur incorporeum, ſed habere ſe corpus ſolidum et palpabile. In conſuetudine vero hominum omne, quod tale non fuerit, incorporeum ſimplicioribus vel imperitioribus nominatur: velut ſi quis aërem iſtum, quo fruimur, incorporeum dicat, quandoquidem non eſt tale corpus, vt comprehendi ac teneri poſſit, vrgentique reſiſtere [24]). Eodem igitur ſenſu doctores noſtri vocabulo ἀσωμάτȣ et tum vſi fuiſſe cenſendi erunt, cum ad angelos transferunt, adeoque id vnum eo ſignificare voluiſſe putandi ſunt, eos non eſſe craſſiori corpore praeditos, quale noſtrum ſit. Hoc autem eos iure defendere potuiſſe, ſua profecto ſponte adparet, cum ſubtiliſſimum modo, vt paulo ante docui, corpus iis tribuerint. Atque hoc quidem modo antiquioribus iam temporibus de ſenſu huius vocabuli angelis a nonnullis tributi conſtituendo iudicatum eſſe intelligimus. Ioannes enim Theſſalonicenſis in dialogo illo, quem ſupra iam in Concilio Nicaeno II. publice dixi praelectum fuiſſe, diſerte haec profeſſus eſt: εἰ δὲ πȣ̃ εὕροις ἀσωμάτȣς καλȣμένȣς τȣ̀ς ἀγγέλȣς ἢ δαίμονας, ἢ ψυχάς, ὡς μὴ ὄντας ἐκ ȣυμμίξεως τῶν ὑλικῶν τεσσάρων ȣοιχείων, καὶ τοιαῦτα σώματα παχέα καὶ ἀντίτυπα, οἷα ἡμεῖς περικείμεθα, ȣ̓τως

24) His ſimilia plane ſunt, quae *Pſellus* in *Dial. de operat. daemon. p.* 33. habet: καὶ τοῖς ἡμετέροις, inquiens, καὶ τοῖς θύραθεν εἰωθὸς ἐστὶ τὰ παχύτερα τῶν σωμάτων σώματα λέγειν, ὁ δὲ λεπτομερὸν ἐστὶ καὶ τὴν ὄψιν διαφυγάνον καὶ τὴν ἁφὴν, ἀσώματον ȣ̓ μόνον ȣ̓ κατ᾽ ἡμᾶς ἀλλὰ καὶ πολλοὶ τῶν ἐκτὸς ἀξιȣ̃σι λέγειν.

αὐτὸς προσηγόρευσαν. Neque profecto vana eſt viri illius explicatio, cum ipſi illi ſcriptores, qui ſpiritibus illis corpus vel tribuunt, vel denegant, ſaepenumero diſerte admoneant, eos hominum quidem ratione habita, corpore deſtitutos dicendos eſſe, ſi autem Dei ratio habeatur, corpus iis vtique eſſe tribuendum. Sic apud Caeſarium quidem haec leguntur [25]): ἀσώματοι μὲν οἱ ἄγγελοι καθ' ἡμᾶς· σῶμα δὲ καθ' ἑαυτὸς, ὡς ἄνεμος, ἢ πῦρ, ἢ καπνὸς, ἢ ἀήρ· σώματα γὰρ ὑπάρχουσι λεπτὰ, καὶ ἄϋλα, ἔξω τῆς ἡμετέρας παχύτητος σώματα γὰρ ἐπουράνια καὶ σώματα ἐπίγεια, φησὶν ὁ ἱερὸς ἀπόστολος. Ioannem vero Damaſcenum, poſtquam ἄγγελον ὀσίαν ἀσώματον eſſe monuerat [26]), haec ſtatim videmus ſubieciſſe: ἀσώματος δὲ λέγεται καὶ ἄϋλος, ὅσον πρὸς ἡμᾶς. Neque alia ſunt, quae apud Theodorum Studit. [27]), Claudianum Mamertum [28]), Gregorium M. [29]) et alios leguntur. Hinc ergo ex eo, quod ἀσωμάτους quidam dixere angelos, nullo profecto modo cogi poterit, eos omni illos natura corporea deſtitutos iudicaſſe, idque praeter argumenta iam allata Macarii etiam loco quodam [30]) confirmatur, quo homines per Dei gratiam conuerſos angelis ἀσωμάτοις ſimiles olim futuros eſſe declarat, et tamen ſimul corpus, licet leuiſſimum atque tenuiſſimum modo, iis tribuit, his quippe verbis vſus: ἄλλοτε γίνονται, ὥσπερ ἄγγελοι ἀσώματοι,

25) *Dial. I. Interr.* 48.

26) *De orth. fide l. II. c.* 3.

27) In *Antirrhet. III. adu. Iconomach. c.* 47. vbi haec ſunt verba eius: τῇ παραβολῇ τοῦ παχυμεροῦς σώματος ἡ τῶν ἀγγέλων φύσις ἀσώματος· τῇ δὲ συγκρίσει τῆς θεότητος ἐκ ἀσώματος, οὐδὲ ἀπερίγραπτος.

28) *De ſtatu anim. lib. III. c.* 7. *Satis, vt arbitror, patet, beatos angelos vtriusque ſubſtantiae et incorporeos eſſe in ea parte ſub qua viſibilis Deus eſt, et in ea itidem parte corporeos, qua hominibus ſunt viſibiles; quia nec Deus ab angelo per corpus, nec angelus ab homine ſine corpore videri poteſt.*

29) *Moral. l. II. c.* 2. vbi angelos cenſet *comparatione corporum noſtrorum ſpiritus eſſe. ſed comparatione illius ſummi et incircumſcripti ſpiritus corpora eſſe dicenda.*

30) *Homil. XVIII. p.* 282. *edit. Prit.*

ἐν τοσαύτῃ κουφότητι καὶ ἐλαφρότητι ὄντες μετὰ τὸ σώματος. Neque vero maiori iure idem inde effici poterit, quod πνεύματα, itemque νόες et νοητοὶ aut νοεροὶ interdum adpellantur, cum nec his vocabulis pro meris eos ſpiritibus declarari, facile poſſet doceri, niſi otium mihi ea in re abunde iam feciſſet Moshemius [31]), qui veriſſime profecto iudicauit, nullum poſſe ex quatuor prioribus ſaeculis ſcriptorem produci, qui angelos meros ſpiritus eſſe aperte docuerit.

Iam vero nouam vidi hic quaeſtionem a viris doctis motam fuiſſe, vtrum nimirum ſpiritus illos mera corpora aetherea eſſe iudicauerint doctores noſtri, an vero eos pro naturis potius corpore et animo praeditis habuerint? Hac autem de re vt Saec. V. iam temporibus Fauſtum Regenſem inter et Claudianum Mamertum controuerſiam fuiſſe nouimus [32]), illo quidem priorem, hoc autem poſteriorem ſententiam defendente, ita recentioribus etiam temporibus in hac quaeſtione definienda in diuerſas viri docti ſententias abiere. Huetius quidem neutiquam ſtatuit, angelos ex Origenis ſententia mere corporeos eſſe, vt falſo eum accuſauit *Cudworthus* [33]), iure hac in re a Moshemio reprehenſus [34]), ſed omnino potius faſſus eſt, eum animam quoque praeter corpus iis adhuc tri-

31) In *Nott. ad Cudworth. T. II. p.* 1099. ſſ.

32) Diſceptata eſt haec controuerſia peculiaribus ſcriptis vtrimque editis. Fauſtus quidem libellum *de creaturis*, *quod in iis nihil ſit incorporeum*, edidit, in quo ſtatim ab initio haec de Patrum ſententia tradit: *Nonnulli eruditiſſimi Patrum alia aſſeruerunt eſſe inviſibilia, alia vero incorporea. Quicquid creatum eſt, materiam videri et factori ſuo comprehenſibile et corporeum eſſe definiunt. Nam et animarum et angelorum naturam aſſerunt eſſe corpoream pro eo, quod initio circumſcribantur et ſpatio.* Huic autem ſcripto Claudianus Mamertus tres libros *de ſtatu animae* oppoſuit, in quibus *lib. III. c.* 7. de angelis haec nominatim habet, quae paulo ante not. 28. commemorauimus. Vtriusque ſcripti ſumma cognoſci poterit ex *Crameri Continuat. Operis Boſſuet. T. V. Vol. II. p.* 276 ſſ. et *Roesleri Biblioth. PP. Vol. X. pag.* 312 ſſ. et *p.* 335 ſſ.

33) In *Syſtem. intell. T. II. c. V. S. III. §.* 34. *p.* 1084.

34) *L. L. p.* 1085. *not.* 4.

buiſſe, at hanc tamen ſententiam caeteris eius placitis parum conſentaneam eſſe; quanquam et hoc, vt non minus recte obſeruauit Moshemius, perperam iudicavit [35]). Simili modo *Cudworthus* etiam ipſe [36]), et *Bruckerus* [37]), cumque his alii etiam plures, Origenem non minus, quam caeteros doctores veteres vtrumque, cum animam, tum corpus, in angelis agnouiſſe defenderunt. Moshemius vero Origenem quidem et Auguſtinum incertos hac in re atque dubios fuiſſe ſtatuit [38]), Tertullianum autem angelos totos ſibi perſuaſit [39]) corporeos iudicaſſe, idque ipſum alibi [40]) maximam quoque dixit reliquorum doctorum veterum partem ſtatuiſſe, ſimilique modo *Roeslerus* etiam parum ſe abeſſe nuper profeſſus eſt [41]), quin *veteres pro ſubſtantiis materialibus angelos omnes habuiſſe* exiſtimet. Verum de huius iudicii veritate mihi quidem nondum potuit perſuaderi, imo contrarium potius defenderim, eos vtique naturam aliquam ſubſtantia corporea, vt Origenis verbis vtar [42]), meliorem et a corpore, quo eam circumdatam iudicabant, diuerſam in angelis admiſiſſe, licet lubenter conceſſerim, et hanc eos non ab omni prorſus materia remotam iudicaſſe, cum nihil plane, quod creatum ſit, ea ſimplicitate gaudere ſtatuerint, quae vni Deo conueniat [43]). Origenis certe hanc

---

35) In *Origen. l. II. qu. 5. §. 6. p. 70.*

36) L. L.

37) In *Hiſtor. crit. Philoſ. T. III. p. 447.*

38) In *Nott. ad Cudworth. T. II. p.* 1085. *not.* 4. *et p.* 1089. *not.* 3.

39) *Ibid. p.* 1088. *not. I. N. III.*

40) *Ib. p.* 1091. *not.* 6.

41) In *Philoſophia veteris eccleſiae de ſpiritu. p.* 18.

42) In loco *libr. IV. περ. ἀρχ. c.* 2. ſupra not. 20. iam laudato.

43) Hinc Origenes quidem in loco illo, cuius modo mentio-

ſententiam fuiſſe, nemo poterit dubitare, qui, vt alia eius rei teſtimonia nunc omittam, vel vnum illum locum cogitauerit, quo Bruckerum iam ad illam ei vindicandam l. l. vſum eſſe deprehendi, quique ita habet [44]): *Semper erunt rationabiles creaturae, quae indigent indumento corporeo; ſemper ergo erit natura corporea, cuius indumentis vti neceſſe eſt rationabiles creaturas. Niſi quis putet, ſe poſſe oſtendere, quod natura rationabilis absque vllo corpore vitam degere poſſit. Sed quam difficile id ſit et quam prope impoſſibile intellectui noſtro, in ſuperioribus oſtendimus.* Nonne enim hic rationabilem creaturam a corporeo eius indumento aperte diſtinguit? Quod vero Huetius dubium hic mouet, neceſſe eſſe monens, vt, ſi haec eius ſententia fuiſſet, tenue corpus ab alio longe tenuiſſimo et ſimpliciſſimo animatum eſſe, ſtatuerit, id profecto perquam exigui momenti eſſe arbitror. Quidni enim ita ſtatuerit, cum id ipſum in homine etiam admiſerit non tantum Origenes, ſed alii etiam, qui, vt infra pluribus docebitur, nec hominis animum ab omni plane materiae ſocietate ſeiunctum iudicarunt, adeoque et hic corpus tenue craſſiori cinctum atque circumdatum eſſe ſtatuerunt? Eandem vero, quae Origenis fuit, reliquorum etiam doctorum de natura angelorum ſententiam fuiſſe, ex locis ipſorum in ſuperioribus allatis ſatis perſpicue intelligi poſſe arbitror, hincque non auſim equidem, quod licere ſibi iudicauit *Roeslerus* [45]), Fulgentii Ruſpenſis, Saec. VI. ſcriptoris, teſtimonium reiicere, falſitatiſue arguere, qui doctorum hac de re ſententiam his

---

nem inieci, verbis not. 20. allatis haec ſtatim ſubiicit: *Illa vero ſubſtantia Trinitatis neque corpus, neque in corpore eſſe credenda eſt, ſed in toto incorporea.*

44) *Lib. II. περ. ἀρχ. c. 2.*

45) In Diſſert. aliquoties iam laudata *de Philoſophia veter. eccleſ. de Spiritu. p.* 19.

verbis exponit [46 a]): *Plane ex duplici angelos esse substantia adserunt magni et docti viri, id est, ex Spiritu incorporeo, quo a Dei contemplatione nunquam recedunt, et ex corpore, per quod ex tempore hominibus adparent, adprobantes hoc ex illo loco Psalmi, vbi dicit: qui facit angelos suos spiritus et ministros suos ignem vrentem.*

Hanc igitur doctorum nostrorum sententiam, quam mihi nunc satis videor illustrasse, ex Platonica voluunt eos Philosophia petiisse. Nam Platonem quoque, aiunt, daemones statuisse, qui medii sint inter Deum et homines, corporibusque, non quidem crassis, sed subtilioribus tamen, praediti [46 b]). Verum si et hic ostendi poterit, eandem de aethereis angelorum corporibus sententiam Iudaeis quoque fuisse probatam, non putem equidem iure me reprehendi posse, si ab his potius, tanquam doctrinam ipsa librorum suorum sacrorum auctoritate confirmatam, nostros eam accepisse defendero [47]). Iam vero eandem Iudaeos quoque tenuisse, si quidem eius rei testis requiratur scriptor nostris doctoribus antiquior, non facile poterit praeter Philonem alius commemorari, cum, quanquam, quae praeterea de angelis statuerint Iudaei, sat multorum scriptorum testimoniis constet, huius ta-

---

46 a) In libr. *de Trinit. c.* 8.

46 b) Cuius sententiae eius ipsi quoque doctores nostri mentionem subinde iniiciunt. Sic Minucius Felix v. c. in *Octau. c.* 26. §. 11. de ea haec habet: *Et in Symposio etiam suo naturam daemonum exprimere connititur: vult enim esse substantiam inter mortalem immortalemque, id est, inter corpus et spiritum mediam, terreni ponderis et coelestis leuitatis admixtione concretam.* Similia de eo etiam narrat Augustinus *lib. VIII. de ciuit. Dei, c.* 14. Loca Platonis ipsa commemorauit praeter alios *Tennemann* in *System der Platonisch. Philosophie. Vol. III. p.* 163.

47) Quod ipsum defendit iam *Buddeus* in *Diss. de haeres. Valent.* subiecta *Historiae philos. Ebraeor. p. m.* 704. cuius tamen sententiam refutare studuit *Gottl. Wernsdorfius* in *Commentat. supr. laud. p.* 4.

men rei nullus disertam iniecerit. Philo autem, licet spiritus istos et ipse multis in locis ἀσωμάτους esse defendat [48]), id tamen non nisi sic videtur intellectum voluisse, quod non sint tali corpore praediti, quale est hominum corpus. Neque enim ab omni plane materia illos eum alienos iudicasse, inde forsitan non immerito colligi poterit, quod aërem iis constanter tanquam domicilium adsignat, eosque in eo dicit volitare [49]), ita tamen, vt sensibus hominum minime pateant [50]). Atque hunc quidem ab iis habitari, tam certo sibi persuasum habuit, vt hinc adeo doceri posse existimaret, esse tales spiritus, quales angeli dicuntur, quod non probabile sit, aërem, qui omnibus animantibus vitam impertiat, ipsum esse animantibus destitutum [51]). Quae cum ita sint, quis tandem sibi persuadeat, naturas certo loco adstrictas, omni plane materia destitutas eum iudicasse? Accedit vero et hoc, quod angelos istos imagines ex mundi intelligibilis ideis expressas esse statuit [52]), adeoque ad mundum

---

48 De *sacrif. Abel. et Cain. T. I. p.* 164. *edit. Mang.* vbi ἄγγελοι γάρ, inquit, στρατός εἰσι θεῦ, ἀσώματοι καὶ εὐδαίμονες ψυχαί. It. *de confus. ling. T. I. p.* 431. vbi haec sunt verba eius: ἔστι καὶ κατὰ τὸν ἀέρα ψυχῶν ἀσωμάτων ἱερότατος χορὸς, ὁπαδὸς τῶν οὐρανίων· ἀγγέλους γὰρ τὰς ψυχὰς ταύτας εἴωθε καλεῖν ὁ θεσπιωδὸς λόγος.

49) Sic v. c. in loco super. not. ex *libr. de confus. lingu.* iam laudato de illis ψυχαῖς ἀσωμάτοις haec haber p. 432. αἱ κατὰ τε ἀέρα καὶ οὐρανὸν περιπολοῦσι. Aliis vero in locis eos in summo nominatim aëre dicit versari: v. c. *de plant. Noë p* 331. *T. I.* ἀνωτάτω δ' εἶναι πρὸς αὐτῷ τῷ αἰθέρι τὰς καθαρωτάτας, ἃς οἱ μὲν παρ' Ἕλλησι φιλοσοφήσαντες ὥρας καλοῦσι· Μωϋσῆς δὲ ἐνόματι εὐθυβόλῳ χρώμενος, ἀγγέλους προσαγορεύει; haecque eadem leguntur etiam in libr. *de mundo. T. II. p.* 604.

50) *De plant. Noë, p.* 331. Διττὰ δ' ἔν τε γῇ καὶ ἀέρι γένη ὁ ποιῶν ἐποίει· ἀέρι μὲν τὰ πτηνὰ αἰσθητά καὶ δυνάμεις ἄλλας αἰσθήσει εὐδάμῃ εὐδαμοῦς καταλαμβανομένας. Quibus simillima sunt, quae leguntur in libr. *de mundo*, l. l.

51) In quam rem vid. quae disputat in libr. *de gigant. T. I. p.* 263. et de *somn. p.* 641. vbi inter alia haec dicit: ἐ γὰρ μόνον ἐκ πάντων ἔρημος ἔτος, ἀλλ' οἷα πόλις εὐανδρεῖ, πολίτας ἀφθάρτους καὶ ἀθανάτους ἔχων, ψυχὰς ἰσαρίθμους ἄστροις.

52) Ita eos certe adpellat in libr. *de somn. T. I. p.* 638. vbi

visibilem pertinere iudicauit, hunc autem omnino σώμασιν ὁρατοῖς constare professus est [53]). Quod ne quis existimet de angelis propterea non posse valere, quoniam hos alibi dicat sensu a nobis esse non percipiendos, tenendum erit, eum vocabulum ὁρατὸς saepe etiam de rebus animo tantum, cui acutissimum visum tribuit, cognoscendis [54]) adhibere. Quae si recte sunt disputata, facile adparet, nec Philonem alio sensu spiritus illos ἀσωμάτους dixisse, quam quo supra vidimus doctores christianos idem de iis praedicasse, adeoque eandem cum his Iudaeos quoque sententiam hac de re fouisse. Verum hic tamen aliquis obiiciat, hanc forsitan Philonis tantum propriam fuisse sententiam, neque ex his eius testimoniis recte concludi posse, eandem reliquis etiam ipsius popularibus fuisse probatam. At enimuero et hoc fuisse, inde equidem putem intelligi posse, quod eadem sententia apud Talmudistas quoque et Cabbalistas multosque etiam seriorum doctorum iudaicorum deprehenditur, qui quippe omnes angelis corpora subtilissima, ex igne fere atque aëre constantia, tribuerunt [55]). Praeterea vero nescio, annon eandem sententiam illud etiam prodat, quod Paraphrastes Chaldaeus verba Ps. LXVIII, 18. רכב אלהים

---

postquam primum mentionem iniecerat τῶν ἀρχετύπων καὶ ἀσωμάτων ἀκτίνων τῆς λογικῆς πηγῆς τοῦ τελεσφόρου θεοῦ, iis deinde subiicit τὰς ἐκείνων εἰκόνας, ἀθανάτους λόγους, ἃς καλεῖν ἔθος ἀγγέλους.

53) Vt adparet ex libr. *de confus. ling.* T. I. p. 431. vbi δι' αὐ τούτων, inquit, τῶν δυνάμεων ὁ ἀσώματος καὶ νοητὸς ἐπάγη κόσμος, τὸ τοῦ φαινομένου τόδε ἀρχέτυπον, ἰδέαις ἀοράτοις συναθεὶς, ὥσπερ ἅτος σώμασιν ὁρατοῖς.

54) De qua re conferendus inprimis est locus *de migr. Abrah.* T. I. p. 443 ff.

55) Quorum testimonia collegit *Buddeus* in *Histor. philos. Hebraeor.* p. m. 418. et *Iac. Ode* in *Commentar. de Angel. S. III.* c. 1. §. 5. 6. p. 312. Praeterea vero conferri etiam poterunt, quae de opinionibus Iudaeorum de vniuersa spirituum natura scripsit *Beausobre* in *Histoire de Manicheisme*, T. I. l. III. c. 10. p. 587 ff.

ארתיכין דאלהא תרין רבבן רבתים ita interpretatus eſt: דנור דליק, *currus Dei duae myriades* ignis ardentis. Neque vana etiam eſſe videtur Spenceri coniectura, qua huius ipſius opinionis veſtigia in nomine etiam *Vriel*, angelorum alicui a Iudaeis tributo, ſibi reperiſſe viſus eſt [56]). Vt taceam iam illud, quod de malorum geniorum peccato iidem Iudaei diu iam ante Chriſti tempora, vt in ſequentibus docebitur, ſtatuerunt, eos nimirum cum filiabus hominum concubuiſſe, prolemque ex iis genuiſſe. Hac enim de re profecto vix videtur iis perſuaderi potuiſſe, niſi eos corpore aliquo circumdatos fuiſſe exiſtimauerint. Haec autem ſi in vnum omnia colligantur, profecto non videtur dubitari poſſe, inter Iudaeos iam hanc de corporibus angelorum ſententiam obtinuiſſe; omninoque frequentiſſimae illae de angelis, hominibus conſpicuis factis, narrationes, quae in V. T. libris occurrunt, facile etiam videntur eos ad hanc perſuaſionem potuiſſe deducere [57]). Si autem Iudaeis iam, cum ante, tum poſt Chriſti tempora, probata fuit haec ſententia, quae ſubtiliora angelis corpora adſignat, quidni ab his potius, quam a Platone eam ſententiam ſuſceperint Chriſtianorum doctores? praeſertim cum omnino conſtet, eos plura etiam alia in hoc de angelis loco ab iisdem eſſe mutuatos, cumque ea praeterea ipſa quoque librorum ſacrorum auctoritate iis videretur confirmari. Nam et in his eos huius ſententiae veſtigia ſibi viſos eſſe reperiſſe, ex locis eorum in ſuperioribus allatis a lectoribus ſponte iam obſeruatum fuiſſe arbitror, in quorum quippe pluribus

---

56) *De legibus Hebr. l. III. disp. VII.* c. 3. *S.* 3. *§.* 5. Statuit nimirum, id nomen idem ſignificare, ac *ignem*, vel *lumen Dei fortis*. Alias tamen Rabbinorum huius nominis explicationes vid. in *Buxtorfii Lex. chald. et talmud.* p. 46.

57) Praeſertim ſi ea expendantur, quae hanc in rem ſcripſit ignotus libri, qui nuperrime prodiit, auctor: *Theologie des A. T. oder Abriſs der religiöſen Begriffe der alten Hebräer. §.* 85. *p.* 177. [Fuit is *Gottfr. Laur. Bauer*, Theol. Altdorf. prodiitque hic liber Lipſ. 1796.]

diſerte ad locum Pſ. CIII, 4. comprobandae igneae atque aëreae angelorum naturae cauſa prouocant [58]). Et quanquam in illis angelorum adparitionibus, quae in V. T. libris narrantur, non quidem propriis eos corporibus ſe videndos praebuiſſe defendunt, tamen nec de aſſumto aliquo corpore loquuntur, ſed vel formam aliquam hominum oculis obuiam iis circumdatam fuiſſe tradunt [59]), vel ipſum adeo μετασχηματισμὸν commemorant [60]).

Cap. III.

Sect. II. de angelis bonis eorumque cultu.

(Comment. IV.)

Expoſitis ſuperius iis, quae de vniuerſa illorum ſpirituum, qui angelorum nomine vulgo veniunt, natura tradidiſſe dicuntur veteris eccleſiae doctores Platonicam ſcholam redolentia, iam ad ea nobis eſt progrediendum, quae in ipſorum de bonis nominatim angelis doctrinam ex eadem ſchola volunt fluxiſſe. Huc autem illud potiſſimum referunt, quod mundanarum, interque has inprimis humanarum, rerum curam a Deo iis commiſſam

---

58) Plurium ſcriptorum, qui hoc loco nituntur, teſtimonia collegit *Huetius* in *Origen. l. l. §. 9. p.* 72. Praeter hunc vero locum aliis quoque Scripturae locis quibusdam noſtros ad hanc ſententiam recipiendam adductos fuiſſe, docet *Cudworthus l. l. T. II. p.* 1093 ſſ.

59) In hunc modum rem deſcribit v. c. *Theodoretus* in *Cap. I. Zachar.* vbi ὁρῶνται, inquit, αὐτῶν ἐκ αἱ φύσεις· ἀσώματοι γὰρ αὗται· ἀλλὰ κατὰ χρείαν ἑκάστην ἐκτυποῖ τέτων τὴν θεωρίαν ὁ τέτων καὶ τῶν ἁπάντων δεσπότης. — Οὐ πολύμορφοι ἀλλ' ἀσώματοι αἱ νοηταὶ φύσεις, πρὸς δὲ τὸ χρήσιμον ὁ τέτων δεσπότης σχηματίζει τὰς θεωρίας.

60) Cuius rei teſtis eſt *Io. Damaſcenus*, qui *de orthod. fid. lib. II. c.* 3. *p.* 70. haec habet: μετασχηματίζονται οἱ ἄγγελοι πρὸς ὅπερ ἂν ὁ δεσπότης κελεύσοι Θεός· καὶ ὅτω τοῖς ἀνθρώποις ἐπιφαίνονται καὶ τὰ θεῖα αὐτοῖς ἀποκαλύπτεσι μυστήρια.

fuiſſe defenderint. De hoc vero eorum dogmate cum ad initium omnis noſtrae diſputationis iam abunde nobis videamur expoſuiſſe [1]), non eſt profecto, quod de illo denuo diſputemus: ſed ſubiicienda tamen iis quaedam adhuc videntur, quae, vt cum hoc ipſo eorum dogmate arctiſſime nexa eſſe dicuntur, ita nec a praeſenti cauſa noſtra ſunt aliena. Nimirum et hoc dicunt [2]) ex Platonicae philoſophiae placitis deſumtum fuiſſe, quod, ob hanc ipſam coeli terraeque curam angelis permiſſam, religioſo eos cultu proſequendos et adorandos eſſe ſtatuerint non modo haereticarum partium inter primos Chriſtianos antefignani quidam ac ſectatores, ſed ipſorum etiam orthodoxae eccleſiae doctorum nonnulli. Verum haec accuſatio, quod hos quidem, quorum poſtremo loco mentionem fecimus, attinet, ſi non prorſus falſa planeque iniuſta, certe admotum ambigua eſt iudicanda [3]); id quod ſingulorum, contra quos eam inſtituerunt, inductione planum ſumus facturi, ita tamen, vt paucis tantum ea de re differamus, cum neque conſilii noſtri ratio ampliorem huius rei demonſtrationem ferat, neque alios etiam in hoc argumento vberius tractando iam deſudaſſe ignoremus [4]).

---

1) Comment. I. p. 478 ff.

2) Quorum in numero, praeter alios plures, ex recentioribus eſſe etiam vidimus Ioh. Bened. Carpzouium in *Varia hiſtoria Angelicorum ex Epiphanio et aliorum veterum monumentis eruta*, (Helmſt. 1772. 4.) *p.* 22.

3) Inter haereticos vero vtique fuiſſe, qui religioſo angelos cultu exciperent, ſi vel maxime de Simonianis, in quos haec culpa conjecta eſt, parum certi nobis conſtet, atque Angelicorum etiam, de quibus *Carpzouius l. l.* expoſuit, cauſa dubia ſit atque incerta, docet ſaltem Canon XXXV. Concilii Laodiceni, in quo, vt ex ipſis eius verbis poſt laudandis intelligi poteſt, diſerte damnantur ii, qui eiusmodi cultui operam eſſent daturi. Hic enim canon profecto non fuiſſet conſtitutus, niſi fuiſſent tum, in quibus talis cultus deprehenderetur.

4) Quo inprimis pertinent *Io. Forbeſius a Corſe* in *Inſtruct. hiſtorico-theolog. lib. VII. c.* 5. *p.* 331. (Amſtel. 1645.

Sunt vero tres potiſſimum, quos huius erroris diſerte ab iis defenſi [5]) a nonnullis vidimus accuſatos fuiſſe, Iuſtinus nimirum Martyr, Origenes et Ambroſius. Hos vero, ſi hic error vere ab iis fuiſſet defenſus, vtique mirandum foret, a communi vniuerſae ſuae aetatis eccleſiae ſententia receſſiſſe. Fuit enim conſtans ſane eccleſiae antiquioris doctrina, neminem praeter vnum Deum religioſo cultu eſſe proſequendum, talemque cultum angelis nominatim eſſe abiudicandum; id quod, vt taceamus iam ipſius Origenis et Ambroſii, quos contrariae ſententiae diximus accuſari, teſtimonia poſt commemoranda, multis vtriusque eccleſiae doctorum, Athenago-

---

Fol.) *Io. Dallaeus aduerſus Latinorum de cultus religioſi obiecto traditionem. c. 8. p.* 36 ſſ. *Iac. Basnagius* in *Hiſtoire de l'égliſe. T. II. L. XVIII. c.* 11 *pag.* 1101. ſſ. et *Io. Rud. Kieslingius* in *Exercitat. theologico-hiſtoricis, quibus — Trombellii diſſertationes duae — de cultu ſanctorum modeſte diluuntur*, (Lipſ. 1742 — 46. 3. Voll. 4.) *T. I. P. I. p.* 352 et *P. II. p.* 74 ſſ. et *p.* 84 ſſ. De Origene vero nominatim inter ſe diſceptarunt Matth. Bochartus et Pet. Dan. Huetius, quorum ſcripta, in hanc rem edita, collecta ſunt in *Diſſertations ſur diverſes matières de Religion et de Philologie, recueillies par l'Abbé Tilladet*, Par. 1712. 2 Vls. 8.

5) Omittimus enim hos, quos vel perperam plane et absque vlla probabilitatis ſpecie huius erroris accularunt, vel e quorum ſcriptis concludendo tantum docere ſtuduerunt, cultum angelorum iis probatum, aut certe non improbatum fuiſſe. Inter illos pertinet inprimis Athenagoras, quem, praeeunte *Lud. Ell. Du Pin* in *Bibl. eccl. T. I. p.* 65., *Barbeyracius* in *Praef.* quam verſioni gallicae operis *Puffendorffiani de iure naturae et gent.* praemiſit, angelorum dixit cultum defendiſſe, omni tamen idoneo argumento deſtitutus, imo contrario potius e loco mox laudando adparente; quare hanc ab eo culpam facile amouerunt *Rem. Ceillier* in *Apolog. de la morale des Peres, c.* 1. *p.* 1 ſq. et *Basnagius l. l. p.* 1105. ſuumque errorem poſt ipſe agnouit Barbeyracius in vberiori opere *de la Morale des Pères, c.* 4. *p.* 25 ſ. Ex horum autem numero Irenaei potiſſimum et Auguſtini effata quaedam laudarunt, e quibus angelos a veteri eccleſia cultos fuiſſe, aperta conſecutione dixerunt intelligi poſſe. Verum et hoc quam parum recte defenderint, pluribus iam demonſtrauit *Kieslingius l. l. T. I. P. II. p.* 102. et *p.* 106 ſſ.

rae [6]), Irenaei [7]), Athanasii [8]), Epiphanii [9]), Theodoreti [10]), Arnobii [11]), Lactantii [12]), Hieronymi [13]), Augustini [14]), aliorumque locis [15]) constat. Et nisi haec

---

6) *Legat. pro Christ. cap. XIII.* §. 10. εἴτε δυνάμεις τοῦ Θεοῦ τὰ μέρη τοῦ κόσμου νοεῖ τις, ὁ τὰς δυνάμεις προσιόντες θεραπεύομεν, ἀλλὰ τὸν ποιητὴν αὐτῶν καὶ δεσπότην.

7) *Adu. Haeres. lib. II. c.* 32. *p.* 166. ed. Massuet. *Nec invocationibus angelicis facit aliquid,* (ecclesia) *nec reliqua praua curiositate, sed munde et pure et manifeste orationes dirigens ad Dominum, qui omnia fecit, et nomen Domini nostri Iesu Christi inuocans, virtutes ad vtilitates hominum, sed non ad seditionem perficit.*

8) *Orat. II. contr. Arian. Oper. T. I. p.* 491. *ed. Bened.* Θεοῦ ἐστι μόνου τὸ προσκυνεῖσθαι. Καὶ τοῦτο ἴσασι καὶ αὐτοὶ οἱ ἄγγελοι· ὅτι κἂν ἄλλων ταῖς δόξαις ὑπερέχωσιν, ἀλλὰ κτίσματα παντες εἰσὶ, καὶ ὄκ εἰσὶ τῶν προσκυνουμένων, ἀλλὰ τῶν προσκυνούντων τὸν δεσπότην.

9) *Haer. LXXIX.* §. 5. εἰ γὰρ ἀγγέλους προσκυνεῖσθαι ὁ θέλει, πόσῳ μᾶλλον τὴν ἀπὸ Ἄννης γεγεννημένην; et paulo post §. 7. de cultu religioso haec monet: ὅτε ἄγγελοι χωροῦσι δοξολογίαν τοιαύτην.

10) *De curat. Graec. affect. Disp. III. p.* 785. *T. IV. Opp. edit. Schulz.* vbi de angelis haec habet: ὁ μὴν θεὸς τούτους ὀνομάζομεν, οὐδὲ θεῖον αὐτοῖς ἀπονέμομεν σέβας, οὐδὲ μερίζομεν εἰς τὸν ὄντα θεὸν καὶ τούτους τὴν θεῖαν προσκύνησιν; ἀλλὰ τιμιωτέρους μὲν ἀνθρώπων, ὁμοδούλους δὲ εἶναι φαμέν.

11) *Adu. Gent. l. III. p.* 100. vbi ad quaestionem gentilium, cur Christiani Deos secum colere detrectent, haec respondet: *Ad cultum diuinitatis obeundum satis est nobis Deus primus: Deus, inquam, primus, Pater rerum et Dominus, constitutor moderatorque cunctorum: in hoc omne, quod colendum est, colimus, quod adorari conuenit, adoramus, quod obsequium venerationis exposcit, venerationibus promeremur.*

12) *Instit. diu. l. II. c.* 16. §. 8. 9. *Nec est in angelis quidquam, nisi parendi necessitas. Itaque nullum sibi honorem tribui volunt, quorum omnis honor in Deo est.* Similia leguntur etiam *l. I. c.* 7. §. 5.

13) In *epist. ad Ripar. T. III. Opp. p.* 54. ed. Eras. *Nos autem non dico martyrum reliquias, sed ne solem quidem et lunam non angelos, non archangelos, non Cherubim, non Seraphim et omne nomen, quod nominatur et in praesenti seculo et in futuro colimus, et adoramus, ne seruiamus creaturae potius, quam creatori.*

14) *Lib. de vera relig. c.* 55. *T. I. Opp. p.* 588. edit. Antwerp. vbi haec de angelis habet: *Quare honoramus eos charitate non seruitute, nec eis templa construimus. Nolunt enim se ho-*

eorum loca docerent, vel hinc etiam intelligi poſſet, quod, vt ſuo loco pluribus docebitur, in gentilium Diis hac ipſa de cauſa, quod adorationis ſibi cultum vindicaſſent, malos angelos agnoſcendos eſſe ſtatuerunt, quodque Ieſum, tanquam Dei Filium, pro Deo habendum eſſe, inde ſaepenumero probarunt, quod adoratio ei tribuatur, adorandus autem nemo ſit, niſi Deus [16]). Quae vero, teſtantibus his locis, communis fuit omnium illorum doctorum ſententia, ea poſt medium circiter quartum ſaec. publicae adeo doctrinae auctoritatem nacta eſt, cum in Concilio Laodiceno peculiari Canone fuiſſet conſtitutum, ne quis angelorum inuocandorum cauſa conuenticula frequentaret [17]). Quibus omnibus cum profecto parum credibile reddatur, illos, quorum

---

norari a nobis, quia nos ipſos, cum boni ſumus, templa ſummi Dei eſſe noverunt. In *Collat.* vero c. *Maxim. c.* 11. *T. VIII. Opp. p.* 467. *Nonne*, inquit, *ſi templum alicui ſancto angelo excellentiſſimo de lignis et lapidibus faceremus, anathematizaremur a veritate Chriſti et ab eccleſia Dei, quoniam creaturae exhiberemus eam ſeruitutem, quae uni tantum debetur Deo.* Simillima his occurrunt etiam in aliis huius viri locis, v. c. *de ciuit. Dei l. VIII. c.* 25. *T. VII. Opp. p.* 164. *et l. X. c.* 7. *p.* 186. *c.* 16. *p.* 192. *Confeſſ. l. X. c.* 42. *T. I. p.* 145 *ſq.* itemque in *Enarr. Pſalm. XCVI. T. IV. p.* 787.

15) Quorum magnam adhuc copiam collegerunt *Forbeſius, l. l. l. VII. c.* 4. *p.* 323 ſſ. *Dallaeus de cultus religioſi obiecto, l. l. c.* 2 — 6. itemque *l. III. c.* 36. *Basnagius l. l. L. XVIII. c.* 11. *p.* 1101 ſſ. et *L. XIX. c.* 3. *p.* 1134 ſſ. et denique *Iac. Ode* in *Comment. de angelis. Sect. IX. c.* 6. *p.* 956 ſſ.

16) In quam rem vel illa loca inſpexiſſe ſuffecerit, quae a *Forbeſio l. l. p.* 327 ſſ. ſunt commemorata.

17) Sunt nimirum haec Canonis verba: *ὅτι ἐ δεῖ χριστιανὸς ἐγκαταλείπειν τὴν ἐκκλησίαν τῦ Θεῦ καὶ ἀπιέναι καὶ ἀγγέλυς ὀνομάζειν καὶ συνάξεις ποιεῖν· ἅπερ ἀπηγορεύεται. Εἴ τις ἂν ἐυρεθῇ ταύτῃ τῇ κεκρυμμένῃ εἰδωλολατρείᾳ σχολάζων, ἔστω ἀνάθεμα· ὅτι ἐγκατέλιπε τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησῦν Χριστὸν, τὸν υἱὸν τῦ Θεῦ, καὶ εἰδωλολατρείᾳ προσῆλθεν.* Quod vero in his verbis Pontificii quidam, auctoribus Dionyſio Exiguo et Iſidoro Mercatore, pro *angelos* reſcribendum potius eſſe monent *angulos*, id temere plane et praeter omnem teſtium fide dignorum auctoritatem defenditur, vt recte monuit *Fuchſius* in *Biblioth. Concil. Vol II. p.* 330 ſ. pluribus vero demonſtrauit *Carpzouius l. l. p.* 26 ſſ.

nomina ante posuimus, triumuiros communi ecclesiae sententiae tam aperte repugnasse, tanto magis operae pretium esse videtur, in singulorum loca eam in rem laudata accuratius inquirere.

Iam Iustinum quidem Martyrem in notissimo prioris Apologiae loco[18]), angelos religioso a Christianis cultu excipi, aperte docuisse, non tantum Romanae ecclesiae doctores, in suae ipsorum sententiae patrocinium, defenderunt[19]), sed vel nostrae etiam ecclesiae Theologi quidam profiteri nulli dubitarunt[20]). Verum quicquid etiam de sensu huius loci statuatur, hoc certe audacter licebit affirmare, non posse hunc ei sensum subiici, vt angelos etiam eodem, quo Deum eiusque Filium

---

18) §. 6. vbi haec sunt verba eius: *Καὶ ὁμολογοῦμεν τῶν τοιούτων νομιζομένων θεῶν ἄθεοι εἶναι, ἀλλ' οὐχὶ τοῦ ἀληθεστάτου καὶ πατρὸς δικαιοσύνης καὶ σωφροσύνης, καὶ τῶν ἄλλων ἀρετῶν, ἀνεπιμίκτου τε κακίας Θεοῦ. ἀλλ' ἐκεῖνόν τε, καὶ τὸν παρ' αὐτοῦ υἱὸν ἐλθόντα, καὶ διδάξαντα ἡμᾶς ταῦτα καὶ τὸν τῶν ἄλλων ἑπομένων καὶ ἐξομοιουμένων ἀγαθῶν ἀγγέλων στρατὸν, πνεῦμα τε τὸ προφητικὸν σεβόμεθα, καὶ προσκυνοῦμεν λόγῳ καὶ ἀληθείᾳ τιμῶντες.* De h. l. in vniuersum cf. *Hathuani* Animadu. theol. crit. in Museo Helvet. T. II. p. 603 sq.

19) E quibus conferendus inprimis est editor Operum eius Benedictinus, qui *Proleg. Part. II. c.* 4, *p.* 21 ff. pluribus super h. l. commentatus est.

20) Quo pertinent nominatim *Semlerus* in *Introd. Polemicae Baumgart.* praemissa. *Vol. II.* §. 55. *p.* 45 ff. *Starkius* in *Freymüth. Betracht. über das Christenth. Diss. VIII. p.* 212. *Io. Ad. Goezius* in *Commentat.* editioni Apolog. II. et libr. de monarchia, (*Iustinus des Märtyrers zweite Apologie und Beweis der Alleinherrschaft Gottes, griechisch und teutsch mit erläuternden Anmerkungen, nebst einem Anhange über das Leben, die Schriften und Lehren dieses Kirchenvaters, von Joh. Adam Göz.* Nürnb. u. Altd. 1796. 8.) subiuncta, *p.* 200 ff. et denique *Geo. Fr. Seilerus* in libro: *Ueber die Gottheit Christi, p.* 283. vbi tamen dubitanter adhuc ea de re loquitur, confidentius contra de eadem iudicans in Progr. nuperrime edito, *de N. T. locis quibusdam, erroneae doctrinae de angelorum vi et dignitate, Christi dignitatem superante, oppositis, p.* 21. vbi Iustinum doctrinae christianae elementis vix imbutum haec scripsisse, exque doctoris iudaici institutione hausisse statuit. His nuperrime se adiunxit *Martini* in *Versuch einer pragmatischen Geschichte des Dogm. von der Gottheit Christi. T. I. p.* 50. *n.* 65.

ac Spiritum S. modo, a Chriſtianis coli atque adorari, in illo tradi exiſtimetur. Id enim primum hoc non patitur, quod angeli illi, de quibus ſermo hic eſt, diſerte adpellantur ἑπόμενοι, ſc. υἱῷ, miniſtrantes filio, vel, ipſum colentes. Ecquis enim ſibi perſuadeat, Iuſtinum eos, qui ipſi dicantur Filium Dei colere, eodem, quo hunc, cultu proſequendos ſtatuiſſe? Imo hoc vocabulo addendo hoc potius adparet eum ſignificare voluiſſe, angelos quoque Dei Filium non minus colere ac venerari [21]), quam Chriſtiani eum vna cum Patre et Spiritu S. colant atque adorent, ſimilique modo additum etiam vocabulum ἄλλων huc ſpectare videtur, vt angeli iſti tanquam *alii*, praeter Chriſtianos, Filii miniſtri ac cultores deſcribantur [22]). Deinde vero iſtam loci illius interpretationem reſpuit etiam alius eique ſimillimus eiusdem apologiae locus [23]), in quo rurſus ii, qui a Chriſtianis colantur, enumerantur, neque vllus alius commemoratur, niſi Deus, omnium rerum creator, eiusque Filius ac Spiritus S. et praeterea adhuc diſerte additur, Filium quidem ſecundo, Spiritum autem tertio ab iis loco haberi. Huic enim loco, quicquid etiam contrariae ſententiae defenſores aduerſum moneant, facile adparet, noſtrum aperte fore contradicturum, ſi angeli non modo tanquam quartum cultus Chriſtianorum religioſi obie-

---

21) Vt enim de religioſo potiſſimum cultu vocabulum ἕπεσθαι nunc interpretemur, ſuadet parallelus noſtri ſcriptoris locus, qui paulo poſt §. 8. occurrit; in quo quippe vocabulum hoc aperte dicitur de cultu, qui Deo ab hominibus praeſtatur.

22) Hinc ergo non eſt, quod hoc vocabulum ad Filium cum Semlero *l. l.* referamus, huncque et ipſum angelum, quanquam reliquis longe ſuperiorem, hoc vocabulo ponendo a Iuſtino adpellari exiſtimemus eoque ipſo praecipuum ſimul argumentum corruit, quo ſuam iſte h. l. interpretationem ſtabilire conatus eſt.

23) §. 16. vbi haec ſunt verba eius huc inprimis pertinentia: *ἄθεοι μὲν ἐν οἷς ἐκ ἐσμὲν τὸν δημιουργὸν τοῦδε τοῦ παντὸς σεβόμενοι — — τὸν διδάσκαλον τε τούτων γενόμενον ἡμῖν, καὶ εἰς τοῦτο γεννηθέντα Ἰησοῦν Χριστὸν, — — υἱὸν αὐτοῦ τοῦ ὄντως Θεοῦ μαθόντες, καὶ ἐν δευτέρᾳ χώρᾳ ἔχοντες, πνεῦμα τε προφητικὸν ἐν τρίτῃ τάξει, ὅτι μετὰ λόγου τιμῶμεν, ἀποδείξομεν.*

etum in eo fiſterentur, ſed ipſi adeo Spiritui S. praeponerentur*). Quae cum ita ſint, vix licet dubitare, locum hunc vel aliter, quam quidem iſti volunt, eſſe explicandum, vel ſi forſitan non poſſit commoda explicatione expediri, ipſam eius lectionem fore mutandam. Iam quod interpretationem loci attinet, variae quidem eius in alium ſenſum explicandi rationes ſunt propoſitae, quarum tamen, vt ingenue fateamur, nulla ſe nobis adhuc probauit. Omnes quidem in eo conueniunt, vt verba: καὶ τὸν τῶν ἄλλων ἑπομένων καὶ ἐξομοιωμένων ἀγαθῶν ἀγγέλων ςρατὸν minime cum ſequenti σεβόμεθα conſtruenda, ſed ad praecedens potius comma: καὶ διδάξαντα ἡμᾶς ταῦτα referenda eſſe ſtatuatur. Si vero quaeritur iam, cum quonam nominatim illius commatis verbo iungenda ſint, in duas potiſſimum viri docti ſententias abeunt, aliis quippe cum pronomine ἡμᾶς, aliis vero cum ταῦτα ea nectentibus. Qui priorem rationem ſequuntur, hos facile adparet hanc ſententiam verbis his ſubiicere, vt Filius Dei cum nos homines, tum angelos etiam docuiſſe, deque natura Dei inſtituiſſe dicatur. Haec vero ſententia quanquam, ſi vel maxime locorum N. T. a Grabio atque Thalemanno, huius explicationis defenſoribus[24]), ex Eph. III, 10. et 1 Petr. I., 12. ad eam illuſtrandam, parum commode, vt nobis quidem videtur, laudatorum, nullam rationem

---

*) De loco quodam in Dial. c. Tryph. qui cum hoc utroque videtur pugnare vid. Gableri Diar. theol. nouiſſ. I, 479.

24) Praeter hos vero eandem huius loci interpretationem non modo Langus in verſione ſua expreſſit, ſed eandem probarunt etiam *Forbeſius l. l. p.* 323. *Dallaeus de relig. cultus obiecto l. I. c.* 8. *p.* 38. *Basnagius l. l. T. II. p.* 1104. *Iac. Ode* in *Comment de Angelis, Sect. IX. c.* 6. *p.* 969. et e noſtrae aetatis Viris doctis *Wern. Car. Lud. Zieglerus* in *Theol. Abhandl. Vol. I. p.* 95. itemque recentiſſimus de hoc argumento ſcriptor, quem Iac. Bryant eſſe ferunt, cuius extant: *Obſervations on a controverted Paſſage in Iuſtin. Martyr.* Lond. 1793. 4. aliique plures.

habueris, ſimili ſaltem Irenaei loco[25]) poterit vindicari; nemo tamen facile dixerit, quo conſilio ea nunc a Iuſtino fuiſſet propoſita. Multo minus tamen probari poterit altera loci huius explicandi ratio[26]), ex qua hoc a Iuſtino tradi defenditur, Filium Dei nos non tantum de vno Deo colendo, ſed de bonis etiam angelis ſibi miniſtrantibus edocuiſſe. Nam et hanc vti argutiorem et cum verbis ſcriptoris vix conciliandam, ita a loci etiam contextu non minus, quam illam, alienam eſſe, facile videtur intelligi poſſe. Quem vero Seilerus horum verborum ſenſum eſt ſuſpicatus[27]), vt cum Chriſtiani, tum ipſi etiam angeli Deum eiusque Filium ac Spiritum S. dicantur adorare, eum ipſa eorum ſtructura minime admittit, imo plane potius reſpuit*). Quare multo profecto potior iudicanda erit illorum ſententia[28]), qui lectionis

25 *Adu. haer. l. II. c.* 30. *p.* 163. vbi haec leguntur: *Semper autem coexiſtens Filius Patri olim et ab initio ſemper revelat Patrem, et Angelis, et Archangelis et Poteſtatibus et Virtutibus, et omnibus, quibus vult reuelare Deus.*

26) Quam propoſuit v. c. *Geo. Bullus* in *defenſione fidei Nicaenae. Sect. II. c.* 4. §. 8. *p.* 117 ſſ. ſecutusque etiam eſt *Roeslerus* in *Biblioth. Patr. Vol. I. p.* 106. cumque eo nonnulli etiam alii.

27) In libro ſupr. laud. *Ueber die Gottheit Chriſti p.* 283. vbi, *Es iſt auch noch*, inquit, *die Frage, ob der Verſtand dieſer Stelle nicht der ſey: Wir Chriſten und die Engel, die ihm ähnlich (folglich gut) ſind, beten den Vater, den Sohn, und den Geiſt an.*

*) Neque magis probari poterit illa huius loci explicandi ratio, quam propoſuit auctor libri ſic inſcripti: *Verſuch einiger Beyträge zur hiſtoriſchen Auslegung der alt-teſtamentiſchen Bibel.* 1r *Bd.* (*Leipz.* 1794. 8.) *p.* 417 sq.

28) Quanquam enim haec coniectura nobis ignorantibus adhuc, eam ab vllo alio propoſitam fuiſſe, in mentem venerat, vidimus tamen poſt, eam a pluribus iam in medium fuiſſe allatam, iisque probatam. Primus autem, quantum nouimus, eam propoſuit *Grunerus* in *Inſtitut. Theol. dogm. p.* 97. hunc vero ſequuti deinde ſunt *Doederleinius* in *Inſtit. Theolog. chriſt.* §. 114. *Obſeru. I Vol. I. p.* 389. *Hegelmaierus* in *Prüfung der freymüthigen Betracht. über das Chriſtenth. Part. I. p.* 278. et nuperrime *Guil. Münſcher* in *Handb. der chriſtl. Dogmengeſch. T. I. p.* 395. cf. *Münteri Handb. der chriſtl. Dogm. Vol. II. P. I. p.* 7. *n.* 1.

emendatione loco huic ſuccurrendum, proque vocabulo στρατὸν legendum potius ſtatuerunt στρατηγὸν, iamque hunc ſenſum ei ineſſe defenderunt, vt angelorum ſibi quidem ſimilium, ſed eorundem ſibi etiam miniſtrantium, adorationisque cultum exhibentium, dux atque princeps dicatur Dei Filius. Ita autem eum ex mente quidem ſcriptorum illius aetatis vtique adpellari potuiſſe, cum res ipſa docet, tum diſertis quoque eorum teſtimoniis poteſt confirmari. Cum enim, vt in ſuperioribus docuimus[29]), non modo homines, ſed ipſos etiam angelos ab hoc Dei Filio creatos fuiſſe ſtatuerint, quidni eum recte ac commode ipſorum ducem et principem dicere potuerint? Vere autem eos hoc feciſſe, docet v. c. locus Dialogi cum Tryphone[30]), in quo diſerte dicitur, eum ipſum ſe adpellaſſe ἀρχιστρατηγὸν, et quidem, vt paulo poſt[31]) additur, δυνάμεως Κυρίȣ, h. e. vt nobis videtur, omnium entium[33]) a Deo profectorum, adeoque etiam angelorum, caput et principem, ſimiliterque Origenes etiam eum adpellat[31]) τὸν ἐπὶ πάντων ἀγγέλων.

Hunc ipſum vero Origenem quod attinet, is quidem propter duo potiſſimum ſcriptorum ſuorum loca dicitur cultum angelorum, ſi non probaſſe, certe non magnopere abhorruiſſe, quorum alter quidem in libris contra Celſum legitur[34]), vbi Celſo, qui, ſi Deus eius-

---

29) *Commentat. II. p.* 502.

30) §. 61. *p.* 157. *ed. Bened.* vbi ποτὲ δὲ, inquit, ἀρχιστρατηγὸν ἑαυτὸν λέγει, ἐν ἀνθρώπȣ μορφῇ φανέντα τῷ τȣ̃ Ναυῆ Ἰησȣ̃.

31) *Pag.* 160.

32) De ente enim vocabulum δυνάμεως graecis quidem Patrr. vt bene iam admonuit *Langius* in *Ausführlich. Geſch. der Dogmen der chriſtl. Kirche. Vol. I. p.* 107. ſaepe dicitur; nominatim vero de angelis inprimis vſurpatur, in quam rem cfri etiam poteſt *Suicerus* in *Theſ. eccleſ. T. I. p.* 969.

33) *Contr. Celſ. l. V. p.* 233. *ed. Spenc.*

34) *L. VIII. p.* 386.

que Filius a Chriſtianis colatur, etiam miniſtros eius ab iis colendos eſſe monuerat, haec reſpondet: εἰ μὲν ἓν ἐνόει τὰς ἀληθῶς ὑπηρέτας τοῦ Θεοῦ, μετὰ τὸν μονογενῆ τοῦ Θεοῦ, τὸν Γαβριὴλ, καὶ τὸν Μιχαὴλ, καὶ τὰς λοιπὰς ἀγγέλους, ἀρχαγγέλους, καὶ τούτους ἔλεγε δεῖν θεραπεύεσθαι, ἴσως ἂν τὸ περὶ τοῦ θεραπεύειν αὐτοῦ σημαινόμενον ἐκκαθήραντες, καὶ τῶν τοῦ θεραπεύοντος πράξεων, εἴπομεν ἂν εἰς τὸν τόπον, ὡς περὶ τηλικούτων διαλεγόμενοι, ἅπερ ἐχωρεῦμεν περὶ αὐτῶν νοῆσαι. Hic igitur monent, Originem vtique videri aliquod θεραπείας genus angelis relinquere. At enimuero, ſi quid video, hic locus neutiquam tam perſpicuus eſt, vt ex eo de vera Origenis ſententia liquido poſſit iudicari. Ipſe enim fatetur, ſi quae debeat in angelos θεραπεία conferri, cum notionem huius vocabuli purgandam eſſe, tum ipſas etiam θεραπείας actiones accuratius conſtituendas. Quomodo vero vtrumque putauerit perficiendum, id ex hoc quidem loco neutiquam poterit definiri, ſed ex alio eiusdem libri loco[35]) vtique videtur intelligi poſſe. Ibi enim haec habet de angelis: εὐφημοῦμεν αὐτοὺς καὶ μακαρίζομεν, ἐνχειρισθέντας ὑπὸ τοῦ Θεοῦ τὰ χρήσιμα τῷ γένει ἡμῶν. Ὃν μὴν τὴν ὀφειλομένην πρὸς Θεὸν τιμὴν τοῦτοις ἀπονέμομεν. Hic ergo largitur quidem, aliquam angelis venerationem concedi, in εὐφημίᾳ et μακαρισμῷ illam poſitam; at religioſum cultum, ad quem vota potiſſimum, preces et gratiarum actionem refert, diſerte negat iis exhibendum eſſe[36]), ſed ſoli

35) *Ibid. p.* 416.

36) Simili modo alibi etiam diſcrimen aliquod inter honorem ac venerationem itemque cultum et adorationem conſtituit; quod fit v. c. *contr. Celſ. l. I. p.* 10. vbi Chriſtum dicit docere, τὸν ἐπὶ πᾶσι θεὸν μόνον δεῖν σέβειν, τὰ δὲ λοιπὰ, ἤτοι ὡς μὴ ὄντα, ἢ ὡς ὄντα μὲν, καὶ τιμῆς ἄξια, οὐ μὲν καὶ προσκυνήσεως καὶ σεβασμοῦ παρορᾶν. Neque vero alii etiam ſcriptores eccleſ. hoc diſcrimen ignorant, ſed et ipſi id agnoſcunt, nominatimque ad angelos transferunt: vnde apud Euſeb. v. c. in *Praep. Euangel. l. VII. c.* 15. *p.* 327. haec leguntur: θείας μὲν δυνάμεις ὑπηρετικὰς τοῦ

Deo dicit conuenire; hocque posterius in aliis etiam huius libri locis defendit[37]), hincque certo certius licet iudicare, eum de religioso quidem angelorum cultu in superiori loco nullo modo voluisse cogitari[38]); nisi eum

---

παμβασιλέως Θεῦ καὶ λειτουργικὰς εἰδότες, καὶ κατὰ τὸ προσῆκον τιμῶντες, μόνον δε Θεὸν ὁμολογοῦντες καὶ μόνον ἐκεῖνον σέβοντες, ὃν καὶ αὐτὸς οὐρανὸς καὶ τὰ κατ' οὐρανὸν ἅπαντα, τά τε ἐπέκεινα οὐρανοῦ σέβειν καὶ ὑμνεῖν καὶ θεολογεῖν ἐδιδάχθη; similiterque etiam in *Demonstr. Euang. l. III. c. 3. p.* 107. haec habet de angelis: *ἃς (δυνάμεις) δὴ γνωρίζειν καὶ τιμᾶν κατὰ τὸ μέτρον τῆς ἀξίας ἐδιδάχθημεν, μόνῳ τῷ παμβασιλεῖ Θεῷ τὴν σεβασμιὸν τιμὴν ἀπονέμοντες.* Simillima his sunt, quae Epiphan. *Haer. LXXIX. §.* 6. ponit: *ἡ Μαρία ἐν τιμῇ ὁ Κύριος προσκυνείσθω*; et paulo post §. 7. *ἐν τιμῇ ἔχω Μαρία, ὁ δὲ πατὴρ καὶ υἱὸς καὶ ἅγιον πνεῦμα προσκυνείσθω· τὴν Μαρίαν οὐδεὶς προσκυνείτω.* Eodem modo etiam Augustinus in loco supr. *not.* 14. laud de angelis dicit: *honoramus eos caritate, non seruitute;* et *contr. Faust. l. XX. c.* 15. *p.* 247. *T. VIII. Opp.* haec habet: *At illo cultu, quae graece* λατρεία *dicitur, latine vno verbo dici non potest, cum sit quaedam proprie diuinitati debita seruitus, nec colimus, nec colendum docemus, nisi vnum Deum. Cum autem ad hunc cultum pertineat oblatio sacrificii, vnde idololatria dicitur eorum, qui hoc etiam idolis exhibent; nullo modo tale aliquid offerimus aut offerendum praecipimus vel cuiquam angelo: et quisquis in hunc errorem delabitur, corripitur per sanam doctrinam, siue vt corrigatur, siue vt caueatur. Etiam ipsi nim sancti, vel homines, vel angeli exhiberi sibi nolunt, quod vni Deo deberi norunt.*

37) Quo inprimis pertinet locus *libr. V. p.* 233. in quo haec sunt verba eius: *ἀγγέλους εὑρίσκομεν διὰ τὸ θεῖοι εἶναι καὶ θεοὺς ἐν ταῖς ἱεραῖς ποτὲ ὀνομαζομένους γραφαῖς· ἀλλ' οὐκ ὥστε προσκυνεῖσθαι ἡμῖν τοὺς διακονοῦντας καὶ φέροντας ἡμῖν τὰ τοῦ Θεοῦ, σέβειν καὶ προσκυνεῖν ἀντὶ τοῦ Θεοῦ. Πᾶσαν μὲν γὰρ δέησιν καὶ προσευχὴν καὶ ἔντευξιν καὶ εὐχαριστίαν ἀναπεμπτέον τῷ ἐπὶ πᾶσι Θεῷ διὰ τοῦ ἐπὶ πάντων ἀγγέλων ἀρχιερέως, ἐμψύχου Λόγου καὶ Θεοῦ.* Et paulo post haec habet: *ἀγγέλους καλέσαι μὴ ἀναλαβόντας τὴν ὑπὲρ ἄνθρωπους περὶ αὐτῶν ἐπιστήμην, οὐκ εὔλογον. — Αὕτη ἡ ἐπιστήμη — οὐκ ἐάσει ἄλλῳ θαρρεῖν εὔχεσθαι, ἢ τῷ πρὸς πάντα διαρκεῖ ἐπὶ πᾶσι Θεῷ, διὰ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ.* Hinc paulo post *p.* 236. diserte etiam negat, angelos a Christianis coli, *ἡμᾶς*, inquiens, *ἐπίσης μὴ προσκυνοῦντας ἀγγέλους καὶ ἥλιον, καὶ σελήνην, καὶ ἄστρα.* Cfrenda sunt, quae in haec Origenis loca commentatus est *Basnagius l. l. T. II. p.* 1106 sq.

38) Eodem prorsus modo hac de re etiam iudicauit *Schroeckhius* in *Christl. Kircheng. Vol. IX. p.* 213. Qui vero plura de h. l. desiderat, ei legenda inprimis sunt, quae de eo scripsit *Dallaeus l. l. l. III. c.* 38. *p.* 571 ff.

ſecum ipſum velimus pugnaſſe. Aliud vero iudicium de altero eius loco[39]) ferendum erit, in quo poſtquam dixerat, angelos de coelo deſcendere, vt pios ac probos cuſtodiant, haec deinde addit: *Veni angele, ſuſcipe ſermone conuerſum ab errore priſtino, a doctrina daemoniorum, ab iniquitate in altum loquente, et ſuſcipiens eum quaſi medicus bonus conſoue atque inſtitue, paruulus eſt, hodie naſcitur ſenex repuerascens, et suſcipe tribuens ei baptismum ſecundae regenerationis et advoca tibi alios ſocios miniſterii tui, vt cuncti pariter eos, qui aliquando decepti ſunt, erudiatis ad fidem.* Hic enim locus nobis quidem cum iis, quae in locis modo allatis ipſe Origenes defendit, tam aperte videtur pugnare, vt vix nobis perſuadere poſſimus, eum ab eodem viro profectum fuiſſe. In illis enim diſerte negat, vllas preces ad angelos eſſe mittendas, ſed ſoli Deo deferendas; hic vero aperte angeli alicuius auxilium implorat, adeoque precibus eum excipit. Quanquam vero dici forſitan poſſit, hanc non tam eſſe inuocationem, quam rhetoricam potius ad angelum apoſtrophen, qua excuſatione multos vidimus vſos eſſe[40]); ipſe tamen Origenes hoc non facile admiſerit. Etenim alibi[41]) diſerte negat, licere homini, angelos alloqui, niſi ei, qui Spiritu S. fuerit inſtructus, quod profecto non credibile eſt, eum in ſe ſtatuiſſe conuenire; omninoque iſtud au-

---

39) *Homil. I. in Ezech. T. III. Opp. p.* 358. edit. de la Rue.

40) Inter quos miror ipſum etiam Dallaeum fuiſſe, teſte quidem opere eius ſaepius iam laudato *de cultus religioſi obiecto, l. I. c.* 8. *p.* 48. cum non videam, qui factum fuerit, vt non animadverteret, eiusmodi apoſtrophen cum loco Origenis mox laudando, quem tamen ipſe in eodem libro excitauit, minime poſſe conciliari.

41) *Homil. XXIII. in Luc.* vbi poſtquam varia allocutionum propheticarum, angelos ſpectantium, exempla commemorauerat, *inuenies*, inquit, *in plurimis locis et maxime in Pſalmis et ad Angelos ſermonem fieri, data homini poteſtate, ei tamen, qui Spiritum S. habet, vt et Angelos alloquatur.*

xilium, quod ab angelis in homines proficiſci iudicauit, per Chriſtum potius a Deo nobis ſtatuit expetendum eſſe[42]). Quae cum ita ſint, ecquis tandem ſibi perſuadeat, haec ab eodem Origene ſcribi potuiſſe? Neque vero, dum locum hunc ei abiudicamus, aliis etiam argumentis deſtituimur. Vt enim taceamus, in ſingulis quidem omnino perquam dubiam eſſe illorum huius viri ſcriptorum, quae latine tantum extant, auctoritatem, de qua re alios iam conſtat viros doctos vberius diſputaſſe[43]); plura adhuc praeter ea, quae modo commemorauimus, in promtu ſunt argumenta, e quibus hunc quoque nominatim locum pro ſpurio videri habendum eſſe, haud obſcure intelligi poſſe arbitramur, quaeque, quanquam et ipſa ab aliis[44]) iam in medium ſunt allata, paucis tamen et hic erunt attingenda. Pertinet autem huc primum illa difficultas, quae e nexu huius loci cum ſuperioribus oritur. In antecedentibus nimirum dixerat ſcriptor de angelis in auxilium hominum de coelo deſcendentibus, nominatimque iis, qui ſub tempus natiuitatis Chriſti in terram deuenerant[45]); iamque repente

---

42) Quod adparet e loco librorum *contr. Celſ. l. VIII. p.* 430. vbi haec leguntur: *πόσῳ βέλτιον τὸ ἑαυτὸν ἐμπιεσεῖσαι τῷ ἐπὶ πᾶσι Θεῷ διὰ τὸ τὴν τοιαύτην ἡμῖν διδασκαλίαν ὑποθεμένου Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ ἀπ᾽ ἐκείνου αἰτεῖν πᾶσαν βοήθειαν καὶ φρουρὰν τὴν ἀπὸ τῶν ἁγίων ἀγγέλων καὶ δικαίων, ἵν᾽ ἡμᾶς ῥύσωνται ἀπὸ τῶν περιγείων δαιμόνων.*

43) Inter quos inprimis pertinet Dallaeus cum in eodem illo, quem ſaepius iam laudauimus, opere *de cultus religioſi obiecto, l. I. c.* 8. *p.* 49 tum in illo etiam libro, quem *de ſcriptis, quae ſub Dionyſii Areopagitae et Ignatii Antiocheni nominibus circumferuntur*, edidit, *lib. II. c.* 40 *p.* 474.

44) Nominatim Matth. Bocharto in libr *de l'invoc. des SS. trait.* 2. *ch.* 2. *p.* 128 itemque *Dallaeo de cultus relig. obi. l. l.* et *Basnagio* in *Hiſt. de l'Egliſe l. l. p.* 1109

45) Praecedunt nimirum haec: *Obſequuntur ſaluti tuae angeli, conceſſi ſunt ad miniſterium Filii Dei et dicunt inter ſe: ſi ille deſcendit, et deſcendit in corpus, ſi mortali indutus eſt carne et ſuſtinuit crucem et pro hominibus mortuus eſt, quid nos quieſcimus? quid parcimus nobis? Eia omnes angeli deſcendamus e coelo. Ideo et multitudo militiae coeleſtis erat*

ſequitur ſermo ille ad angelum conuerſus: *Veni angele* etc. quae quis tandem eſt, qui nullo ea nexu inuicem cohaerere non intelligat? Huic vero difficultati accedit deinde ipſius etiam loci obſcuritas. Neque enim facile quis dixerit, in cuiusnam auxilium angelus nunc advocetur, cum ſponte in oculos incurrat, nullo modo de ipſo Origene poſſe cogitari, quanquam de eo vtique cogitandum eſſe, quisque lectorum haud dubie fuerit ſuſpicatus, cum alium, ad quem haec ſint referenda, tota homilia nuspiam exhibeat, et ne vel digito quidem monſtret. At enimuero aperte ſermo eſt de tali homine, qui ſenex iam a gentilismo ad chriſtianam religionem fuit conuerſus, Origenem vero inter omnes conſtat, hanc religionem iam a puero inde didiciſſe, a Leonida quippe patre in ea inſtitutum. Neque vero facilius definiri poterit, quaenam ſit illa ſecunda regeneratio, cui tropico, vt adparet, ſenſu baptismus aliquis tribuitur, et cuiusnam nominatim angeli in tanta eorum multitudine auxilium hic implorari iudicandum ſit.

Simile fere iudicium vltimo denique loco ferendum etiam erit de Ambroſio. Nimirum et hunc volunt angelorum cultum commendaſſe, cum diſerte aliquo loco[46]) dixerit, *obſecrandos eſſe angelos, qui nobis ad praeſidium dati ſint.* Verum et hic locus non modo aliorum eiusdem aetatis ſcriptorum ſuffragio adeo deſtituitur, vt multi iam faſſi ſint[47]), ſolum hoc et vni-

---

laudantium et glorificantium Deum, quando natus eſt Chriſtus, Omnia angelis plena ſunt. Veni angele etc.

46) *Libr. de viduis. p.* 183. *T. I. Opp. edit. Baſil.*

47) Quod fecit v. c. *Basnagius l. l. p.* 1146. vbi, *C'eſt un temoin*, inquit, *unique, qui depoſe pour ce culte dans l' eſpace de quatre cens ans. — La ſeule conſequence qu'on peut tirer de ce temoignage de St. Ambroiſe eſt qu' à la fin du quatrième ſiecle il ſe trouvoit quelquun, qui commençoit à croire, qu'on pouvoit prier ſon Ange gardien, quoique cette invocation des Anges eût été condamnée trente ans auparavant par un Concile, et que St. Auguſtin l'eut regardée comme une he-*

cum esse testimonium, in angelorum cultus commendationem ex illa quidem aetate exstans, sed et aliis eiusdem viri locis aperte repugnat, in quibus diserte docet, solum Deum adorandum esse[48]), neque opus nobis esse quibusdam quasi intercessoribus, quibus eum precibus nostris adeamus[49]). Quare nos quidem hic profecto cum Forbesio fecerimus, qui respectu ad hunc ipsum Ambrosii locum habito, scite obseruat[50]), doctrinam

---

tesie. Neque aliter hac de re iudicauit *Schroeckhius* in *Christl. Kircheng. Vol. IX. p.* 216.

48) Quo inprimis pertinet locus *l. III. de Spir. S. c.* 12. vbi, *qua ratione*, inquit, *ad incarnationis Dominicae sacramentum spectare videatur, quod ait propheta*, adorate scabellum pedum eius, *consideremus. Neque enim corporalis Deus, aut non immensus, vt tanquam fulcrum pedibus eius scabellum subiectum putemus. Neque adorandum quicquam praeter Deum legimus, quia scriptum est*, Dominum Deum adorabis et ipsi soli seruies. *Quomodo ergo aduersus legem propheta praeciperet, sub lege nutritus et eruditus in lege? Non mediocris igitur quaestio, et ideo diligentius consideremus, quid sit scabellum. Legimus enim alibi:* Coelum mihi thronus, terra autem scabellum pedum meorum *Sed nec terra adoranda nobis, quia creatura est Dei. Videamus tamen, ne terram illam dicat adorandam propheta, quam Dominus Iesus in carnis assumtione suscepit. Itaque per scabellum terra intelligatur, per terram autem caro Christi, quam hodie quoque in mysteriis adoramus, et quam Apostoli in Domino Iesu adorarunt. -- Ac ne quis hoc deriuet ad Mariam virginem. Maria erat templum Dei, non Deus templi. Et ideo ille solus adorandus, qui operabatur in templo.*

49) De qua re haec habet in *Comment. in epist. ad Roman. c. I. T. V. Opp. p.* 174. *Solent tamen pudorem passi neglecti Dei misera vti excusatione, dicentes. per istos posse ire ad Deum, sicut per comites peruenitur ad Regem. Age, numquid tam demens est aliquis, aut salutis suae immemor, vt honorificentiam Regis vindicet comiti, cum de hac re si qui etiam tractare fuerint inuenti, iure vt rei damnentur maiestatis. Et isti se non putant reos, qui honorem nominis Dei deferunt creaturae, et relicto Domino conseruos adorant, quasi sit aliquid plus, quod seruetur Deo. Nam et ideo ad Regem per tribunos aut comites itur; quia homo vtique est Rex, et nescit quibus debeat rempublicam credere. Ad Deum autem, quem vtique nihil latet (omnium enim merita nouit) promerendum suffragatore non opus est, sed mente deuota. Vbicunque enim talis loquutus fuerit ei, respondebit illi.*

50) In *Instruct. historico-theol. l. VII. c.* 5. *§.* 13. *p.* 332.

ſcriptoris alicuius ex iis tantum locis conſtituendam eſſe, in quibus quaeſtionem aliquam ex profeſſo tractet, et ſententiam ſuam ſcripturarum teſtimoniis aliisque rationibus confirmet, atque oppoſitam opinionem diſerte confutet, neutiquam vero ex iis, in quibus aliud modo agat, neque de quaeſtione illa ex profeſſo diſſerere inſtituat, hincque vel locum iſtum Ambroſii ad normam eorum explicandum eſſe dicit, in quibus ſuam hac de re ſententiam vberius atque conſulto expoſuerit, vel fatendum eſſe monet, haec aut temere, nec opinanti, Ambroſio excidiſſe, aut non eſſe ab eo ſcripta, ſed ab aliis corrupta ac deprauata. Atque in hanc poſteriorem ſententiam eo minus equidem dubitauerim pronunciare, quo apertius ipſe ſibi, ſi locus iſte ſatis ſanus eſſet iudicandus, vel ad litteram interpretandus, contradixiſſet Ambroſius, paulo poſt talia quippe ponens, quae illic dictis plane contraria eſſent. Etenim cum ibi monuiſſet, vt ſi quae vidua, peccatorum vinculis impedita, non poſſit ipſa ſe ad Deum precibus adplicare, angelos et martyres interceſſores adhiberet [51]); hic contra haec ponit [52]): *Ne timeas, quia magnus eſt Dominus, et fortaſſe ad aegram non dignatur venire. — Et tu igitur, quae variis mundi aeſtuas cupiditatibus, — roga Chriſtum, adhibe medicum. — Solus enim mentis et animi pot-*

---

51) Vniuerſus nimirum loci contextus hic eſt: *Videtis enim, quod magno peccato obnoxia, minus idonea ſit, quae pro ſe precetur, certe quae pro ſe impetret. Adhibeat igitur ad medicum alios precatores. Aegri enim, niſi ad eos aliorum precibus medicus fuerit inuitatus, pro ſe rogare non poſſunt. Infirma eſt caro, mens aegra eſt, et peccatorum vinculis impedita, ad medici illius ſedem debile non poteſt explicare veſtigium. Obſecrandi ſunt Angeli, qui nobis ad praeſidium dati ſunt: martyres obſecrandi, quorum videmur nobis quoddam corporis pignore patrocinium vindicare. Poſſunt pro peccatis rogare noſtris, qui proprio ſanguine etiamſi quae habuerunt peccata lauerunt. — Non erubeſcamus eos interceſſores noſtrae infirmitatis adhibere, quia et ipſi infirmitatem corporis, etiam cum vincerent, cognouerunt.*

52) *Ibid. p.* 184.

eſt ſeruare munditiam, qui ei ſacerdoti ſe nouit offerre, quem pro peccatis noſtris accepimus aduocatum. — Et tu igitur, quaecunque indecore alicuius rei cupiditate langueſcis, obſecra Dominum, fidem defer, nec vllam timeas moram: vbi adeſt oratio, adeſt verbum: fugatur cupiditas, libido diſcedit. Ne confeſſionis verearis offenſam.

Ex his igitur profecto ſatis perſpicue adparet, in hos quidem, quos ab initio diximus, veteris eccleſiae doctores culpam probati vel defenſi angelorum cultus iniuſte fuiſſe coniectam, aut eam ſaltem non poſſe certis omnique dubitatione maioribus argumentis defendi. Etiamſi vero vel maxime poſſet certioribus argumentis doceri, eos ab iſto cultu non omnino abhorruiſſe, tamen dubium foret, vtrum haec eorum ſententia ex Platonica ab iis philoſophia deſumta, an ex Iudaiſmo potius ad eos delata dicenda ſit. Certe ex hoc non minus, quam illa ad eos peruenire potuiſſet. Etenim inter Iudaeos quoque fuiſſe nonnullos, qui angelorum cultui fauerent, cum ex nobili illo epiſt. ad Coloſſ. II, 18. loco, tum ex aliis etiam huius rei indiciis quibusdam haud obſcure videmur nobis intellexiſſe; id quod facile poſſemus pluribus declarare, ſi conſilii noſtri ratio, huiusque libelli breuitas paterentur. Sufficit vero nunc hoc, orthodoxae quidem veteris eccleſiae doctores temere fuiſſe corruptelae per Platonicas ſententias diſciplinae theologicae illatae hoc nomine accuſatos, quod ab angelorum cultu probando parum abfuiſſent, cum ab hoc errore eos omnes potius abhorruiſſe, ex iis, quae iam a nobis dicta ſunt, abunde poſſit intelligi. Vnde vero haereticorum ſectae, quae hunc cultum dicuntur defendiſſe, eum arripuerint, non attinet nunc quaerere, nec videtur etiam perſpicue ſatis poſſe definiri, cum omnino de his parum aut nihil fere certi nobis conſtet.

Cap. III.

Sect. III. de angelis malis, eorumque cum mulieribus humanis consuetudine.

(Comment. V.)

Progressuri iam ad scriptorum veteris ecclesiae de malis angelis doctrinam, ad eiusmodi eorum sententiam deferimur, in cuius origine explicanda, quanquam, si quo alio in capite, in hoc certe iudaica eius origo luculentissime poterit doceri, rursus tamen ad Platonicam philosophiam confugiendum esse statuerunt. Dicimus autem perquam decantatum illud et ineptum sane eorum commentum de consuetudine, quam angelos quosdam cum hominum mulieribus habuisse opinati sunt; de quo cum iam pro consilii nostri ratione nonnihil sit disputandum, primum omnium quidnam hac de re docuerint, et quam varia id ratione proposuerint, et a quibusnam id potissimum fuerit defensum, paulo pluribus videtur declarandum.

Iam vero in eo quidem omnes, quotquot faciunt huius rei mentionem, consentiunt, vt dicant angelorum haud paucos, qui adhuc e bonorum numero fuissent, e coelo delapsos foeminarumque humanarum pulchritudine captos, cum iis concubuisse, liberosque ex iis procreasse, qui, cum mixtae cuiusdam naturae fuissent, humanae nimirum atque angelicae, gigantes euaserint, propterque hoc facinus eos a Deo punitos exque coelo depulsos fuisse, pristinamque maiestatem et sanctitatem perdidisse, gigantes autem illos, qui omnibus se sceleribus polluissent, aquarum eluuione terris immissa deletos fuisse. Ita enim rem ab omnibus fere quatuor priorum saeculorum scriptoribus, cum graecis, tum latinis, nominatim Pseudo-Clemente Romano [1]), Iustino

1) *Homil. VIII. in Cotelerii PP. Apost. T. I. p.* 676. *s. edit.* Cler.

Mart. [2]), Athenagora [3]), Heracleonte [4]), Irenaeo [5]), Clemente Alexandr. [6]), Methodio [7]), Eusebio [8]), Stephano Gobar. [9]), Tertulliano [10]), Cypriano [11]), Commodiano [12]), Lactantio [13]), Hilario [14]) et Seuero Sulpicio [15]) narratam videas. In singulis tamen huius rei momentis definiendis eosdem scriptores aliquo modo discrepantes interque se dissentientes deprehendes, quanquam haec non est magna admodum diuersitas. Differunt nimirum primum in eo, quod plerique quidem angelos istos bonos ante et probos fuisse mulierumque humanarum pulchritudine captos et allectos e coelo dixerunt descendisse, vt earum amplexibus fruerentur, tumque propter hoc ipsum scelus non iterum in illud admissos fuisse [16]), Ire-

---

2) *Apolog. II. §.* 6. *p.* 73. edit. Thal. itemque *Apol. I. §.* 5. *p.* 5.

3) *Legat. pro Christ. c. XXII. §.* 11—15.

4) In *fragmentis Comment. in Ioan. a Massueto ad calcem Operum Irenaei collect. T. II. p.* 374.

5) *Adv. haer. l. IV. c.* 16. *p.* 246. et *c.* 36. *§.* 4. *p.* 279. edit. Massuet.

6) *Paedag. l. III. c.* 2. *To. I. Opp. p.* 260. edit. Pott. et *Strom. l. III. p.* 538. itemque *l. V. p.* 650.

7) Apud Epiphan. *haer. LXIV. n.* 21. *p.* 544. edit. Petav. et apud Phot. *Bibl. cod. CCXXXIV. p.* 908.

8) *Praepar. euangel. l. V. c.* 4. *p.* 111.

9) Apud Phot. *cod. CCXXXII. n.* 26. *p.* 897.

10) *De virgin. veland. c.* 7. *Opp. T. III. p.* 15. edit. Seml. *de habit. muliebr. c.* 2. *ibid. p.* 36. *de cult. foem. c.* 10. *ib. p.* 65. *de idolol. c.* 9. *To. IV. p.* 156. *adv. Marc. l. V. c.* 18. *To. I. p.* 461. et *Apolog. c.* 22. *To. V. p.* 62.

11) *De vanit. idol. p.* 13. *Opp.* edit. Brem. et *de habitu virgin. p.* 99.

12) *Instruct. III. p.* 200 edit. Davis. Minucio Fel. subiectae.

13) *Instit. diu. l. II. c.* 14. *Opp. T. I. p.* 263. ed. Bünem.

14) *Comment. in Psalm. CXXXII*, 2.

15) *Sacr. Hist l. I. c.* 3.

16) Ita enim ex scriptoribus modo laudatis rem diserte describunt e. c. Athenag. l. l. vbi haec de angelis narrat: *οἱ μὲν γὰρ ἄλλοι αὐθαίρετοι δὴ, οἷοι γεγόνασιν ὑπὸ τοῦ θεοῦ, ἔμειναν ἐφ' οἷς αὐτοὺς*

naeus vero eos, qui cum mulieribus hominum rem habuiſſent, diſerte adpellat transgreſſores [17]), eosque in terram in iudicium dicit decidiſſe [18]), ſtatuiſſeque adeo videtur, ante iam facinus aliquod ab iis admiſſum fuiſſe, cuius cauſa e coelo fuerint depulſi, iamque eos in terram deiectos hoc nouo ſe ſcelere polluiſſe [19]). Contra vero Clementinorum auctor rem ſic narrat, vt angelos iſtos, qui coelum inhabitaſſent, a deo dicat poſtulaſſe, vt permitteret iis humanam naturam adſumere, eoque impetrato humanis etiam cupiditibus tactos fuiſſe, iamque in foeminarum concubitum lapſos eſſe, eoque ipſo facultatem in primam naturae ſuae puritatem redeundi

---

ἐποίησεν καὶ διέταξεν ὁ Θεός· οἱ δὲ ἐνύβρισαν, καὶ τῇ τῆς ἐσίας ὑποσάσει, καὶ τῇ ἀρχῇ; — ἐκεῖνοι μὲν εἰς ἐπιθυμίαν πεσόντες παρθένων καὶ ἥττες σαρκός, εὑρεθέντες — ἔτοι τοίνυν οἱ ἐκπεσόντες τῶν ἐρανῶν. περὶ τὸν ἀέρα ἔχοντες, καὶ τὴν γῆν, ἐκέτι εἰς τὰ ὑπεραράνια ὑπερκύψαι δυνάμενοι: itemque Clemens Alex. *Strom. l. III. p.* 538. vbi haec habet: ἤδη δὲ καὶ ἄγγελοί τινες, ἀκρατεῖς γενόμενοι, ἐπιθυμίᾳ ἁλόντες, ἐρανόθεν δεῦρο καταπεπτώκασιν; et *Paedag. l. III. c.* 2. *p.* 260. vbi δεῖγμα σοι, inquit, τῶτων οἱ ἄγγελοι τῦ θεῦ τὸ κάλλος καταλελοιπότες διὰ κάλλος μαραινόμενον, καὶ τοσῦτον ἐξ ἐρανῶν ἀποπεσόντες χαμαί: Tertull. *de hab. muliebr. c.* 2. *Opp. T. III. p.* 36. *Nam et illi, qui ea* (ornamenta) *conſtituerunt, damnati in poenam mortis deputantur, illi ſcilicet Angeli, qui ad filias hominum de coelo ruerunt, vt haec quoque ignominia foeminae accedat:* et Sulpic. denique Seu. *hiſt. Sacr. l. l.* ita ſcribens: *Qua tempeſtate cum iam humanum genus abundaret, Angeli, quibus coelum ſedes erat, ſpecioſarum forma virginum capti, illicitas cupiditates appetierunt: ac naturae ſuae originisque degeneres, relictis ſuperioribus, quorum incolae erant, matrimoniis ſe mortalibus miſcuerunt.*

17) *Adv. haereſ. l. IV. c.* 36. *p.* 279. *Temporibus Noe diluuium inducens,* (Verbum) *vti exſtingueret peſſimum genus eorum, qui tunc erant, hominum, qui iam fructificare Deo non poterant, cum angeli* transgreſſores *commixti fuiſſent eis.*

18) *Ibid. l. IV. c.* 16. *p.* 246. *Enoch — quum eſſet homo, legatione ad angelos fungebatur, et translatus eſt, et conſervatur vsque nunc teſtis iudicii Dei: quoniam angeli quidem transgreſſi deciderunt in terram* in iudicium.

19) Quod ipſum acute iam animaduertit *Io. Geo. Roſenmüllerus de fatis interpretationis ſacrarum litterarum in eccleſia chriſtiana, Part. XIV. p.* 11. *not.* 23.

penitus amiſiſſe [20]). Commodianus autem eos a Deo potius ad terram viſitandam in eam dicit demiſſos, hicque foeminarum forma captos, ſpretis mandatis a Deo ſibi iniunctis, illarum ſe connubio inquinaſſe [21]). Quibus ſimillima ſunt, quae Lactantius narrat, qui quippe et ipſe angelos iſtos in tutelam cultumque generis humani in terram a Deo dicit demiſſos fuiſſe, neque tamen ipſorum culpa et praua libidine in mulierum humanarum amorem eos vult abreptos, ſed a diabolo potius ipſa cum iis conſuetudine ad vitia tradit pellectos fuiſſe, et mulierum congreſſibus inquinatos [22]). Tum porro in eo etiam leuis quaedam diuerſitas deprehenditur, quod cum plerique quidem horum ſcriptorum ſimpliciter mulieres humanas commemorent, vbi de iſto angelorum cum iis congreſſu loquuntur, Athenagoras [23]) contra

---

20) Sunt nimirum verba eius l. l. haec: *Τῶν γὰρ τὸν οὐρανὸν ἐνοικούντων πνευμάτων οἱ τὴν κατωτάτω χώραν κατοικοῦντες ἄγγελοι — αἰτεῦνται εἰς τὸν ἀνθρώπων ἐλθεῖν βίον. — Ἐπειδὴ ὄντος τὰ πάντα ἄνθρωποι ἐγίνοντο, καὶ τὴν ἐπιθυμίαν ἔσχον τὴν ἀνθρωπίνην. ὑπὸ ταύτης κρατούμενοι, εἰς γυναικῶν μίξιν ὤλισθον.*

21) Narrat nimirum *l. l.* rem his verbis:

Cum Deus omnipotens exornaret mundi naturam,
Viſitari voluit terram ab Angelis iſtam,
Legitima cuius ſpreuerunt illi dimiſſi:
Tanta fuit forma foeminarum, quae flecteret illos,
Vt coinquinati non poſſent coelo redire.

22) Ipſa eius verba l. l. haec ſunt: *Quum numerus hominum coepiſſet increſcere, providens Deus, ne fraudibus ſuis diabolus, cui ab initio terrae dederat poteſtatem, vel corrumperet, vel disperderet homines, quod in exordio rerum fecerat; miſit angelos ad tutelam cultumque generis humani: quibus praecepit ante omnia, ne terrae contagione maculati, ſubſtantiae coeleſtis amitterent dignitatem. — Itaque illos, cum hominibus commorantes, dominator ille terrae fallaciſſimus conſuetudine ipſa paulatim ad vitia pellexit, et mulierum congreſſibus inquinauit. Tum in coelum ob peccata, quibus ſe immerſerant, non recepti, ceciderunt in terram. Sic eos diabolus ex angelis Dei ſuos fecit ſatellites ac miniſtros.*

23) Dicit enim l. l. diſerte *εἰς ἐπιθυμίαν παρθένων* angelos iſtos delapſos fuiſſe.

et Sulpicius Seu.[24]) virginum potius mentionem faciunt, et Tertullianus[25]) pluribus adeo docere ac demonstrare sustinet, virgines vtique fuisse. Ad ipsum vero hoc angelorum cum mulieribus connubium explicandum, quemadmodum facile adparet, eos non potuisse non corpora iis tribuere; ita hoc ipsum, praeter Pseudo-Clementem[26]) diserte adhuc monuit Stephanus Gob. qui membra adeo virilia iis adsignare nullus dubitauit[27]). Alii tamen, teste quidem Procopio Gazaeo[28]), rem ita potius explicarunt, vt virorum, quos angeli isti obsedissent, interuentu flagitium istud ab iis peractum esse defenderent. Tum in mercede etiam, qua angelos istos

---

24) Qui et ipse in loc. *not.* 16. iam recitato speciosarum *virginum* forma dicit captos fuisse.

25) *De veland. virg. c.* 7. vbi postquam locum Gen. VI, 2. his verbis recitauerat: *Et factum est, cum coepissent homines plures fieri super terram, et filiae natae sunt eis. Conspicati autem filii Dei filias hominum, quod pulchrae essent, acceperunt sibi vxores ex omnibus, quas elegerunt*, haec deinde addit: *Hic enim nomen mulierum Graecum vxores sapit: quia de nuptiis mentio est. Cum ergo filias hominum dicit, manifeste virgines portendit, quae adhuc apud parentes deputarentur. Nam nuptae maritorum nuncupantur, cum potuerit dixisse vxores hominum aeque, non adulteros nominans angelos, sed maritos, dum innuptas sumunt filias hominum, quas iuntas supra dixit.* Neque tamen hac de re penitus nostro persuasum fuisse, ex iis adparet, quae paulo post addit: *Sed etsi contaminatas iam foeminas angeli illi appetissent, tanto magis propter angelos virgines velari debuissent, quanto magis propter virgines angeli deliquisse potuissent.*

26) Qui *l. not.* 20. *l.* eos hominum in omnibus similes factos esse humanamque naturam adsumsisse tradit.

27) Apud Phot. *l. l.* ubi haec leguntur: *οἱ ἄγγελοι κατελθόντες ἐκ τῶν οὐρανῶν εἰς τὴν γῆν, σάρκα τε ἔσχον, καὶ παιδοποιὰ μόρια, καὶ ταῖς γυναιξὶν ὁμιλήσαντες, τοὺς γιγάντας ἐγέννησαν.*

28) In *Commentariis graec. in Heptateuch. et Cantic. inditis*, (de quibus vid. *Io. Christ. Gottl. Ernesti*, Comment. Lipsiae 1785. 4. editam), vbi postquam ad locum Gen. VI, 2. narrauerat, ea, quae de filiorum Dei cum hominum filiabus connubiis hic tradantur, de angelis quosdam explicare, iamque monuerat, talia ab angelorum natura prorsus abhorrere, haec deinde addit: *ἀλλ' ἐν ἀνθρώποις φασί τινες οἰκήσαντες, δι' αὐτῶν τὰς μίξεις ἐπράσσαν.*

ſponſarum amorem dicunt remuneratos fuiſſe, definienda vario modo verſantur. Nunc enim arcana commemorant, quae angelos iſtos iis dicunt reuelaſſe [29]), nunc artes, quas eas docuerint, vel in vniuerſum [30]), vel ſingulas quasdam easque cum bonas, tum malas, veluti rerum naturalium cognitionem, Aſtronomiam et Aſtrologiam, artes magicas et alia [31]), nunc denique varia cultus muliebris genera, quae cum iis communicauerint [32]). Denique et hoc notari meretur, quod, quan-

---

29) Quae commemorat. v. c. Clem. Alex. *Strom. l. V. p.* 650. *οἱ ἄγγελοι*, inquiens, *ἐκεῖνοι οἱ ἄνω κλῆρον εἰληχότες κατολισθήσαντες εἰς ἡδονὰς ἐξεῖπον τὰ ἀπόῤῥητα ταῖς γυναιξὶν, ὅσα τε εἰς γνῶσιν αὐτῶν ἀφῖκτο, κρύπτοντων τῶν ἄλλων ἀγγέλων, μᾶλλον δε τηρούντων εἰς τὴν τȣ̃ Κυρίȣ παρȣσίαν. ἐκεῖθεν ἡ τῆς προνόιας διδασκαλία ἐῤῥύη, καὶ ἡ τῶν μετεώρων ἀποκάλυψις.*

30) Has eos ipſas docuiſſe dicit e. c. Commodianus *l. l.* vbi haec habet:

Ab ipſis in terra artes prolatae fuerunt:
Et tingere lanas docuerunt, et quaecunque geruntur.

31) Quo pertinet v. c. id, quod tradunt Stephan. Gobar. qui in *loc. not.* 27. *laud.* poſt verba ibi allata haec addit: *καὶ ἐδίδαξαν αὐτȣ̃ τέχνας τε καὶ κακοτεχνίας*; itemque Clem. Alex. in *Eclog. ex ſcriptur. prophet. Opp. To. II. p.* 1002. ita ſcribens: *ἤδη δὲ καὶ Ἐνὼχ φησιν τȣ̃ς παραβάντας ἀγγέλȣς διδάξαι τȣ̀ς ἀνθρώπȣς ἀστρονομίαν καὶ μαντικὴν καὶ τȣ̀ς ἄλλας τέχνας.* Aſtrologiam vero nominatim commemorat Tertull. *de idolol. c.* 9. vbi poſtquam de illa ipſa Aſtrologia dixerat, haec addit: *Vnum propono, angelos eſſe illos deſertores Dei, amatores foeminarum, proditores etiam huius curioſitatis.* Huic vero Aſtrologiae alio in loco *de habit. muliebr. c.* 2. alias quoque artes, et phyſicas, et magicas, addit, haec quidem de angelis iſtis tradens: *Nam cum et materias quasdam bene occultas, et artes plerasque non bene reuelatas, ſeculo multo magis imperito prodidiſſent, (ſi quidem et metallorum opera nutauerant, et herbarum ingenia traduxerant, et incantationum vires provulgauerant, et omnem curioſitatem, vsque ad ſtellarum interpretationem deſignauerant), proprie et quaſi peculiariter feminis inſtrumentum gloriae contulerunt: lumina lapillorum, quibus monilia variantur: et circulos ex auro, quibus brachia artantur: et medicamenta ex fuco, quibus colorantur: et illum ipſum nigrum puluerem, quo oculorum exordia producuntur.* Similia habet etiam *Apolog. c.* 35. *To. V. p.* 87.

32) De quo praeter Tertull. in *loc. modo laud.* loquitur etiam Cyprianus de *habit. virg. p.* 99. vbi poſtquam de variis mulierum artibus ſeſe ornandi dixerat, haec deinde addit: *Quae omnia*

quam plerique gigantes ex connubiis istis procreatos fuisse defendunt [33]), Iustinus tamen Mart. [34]) Tertullianus [35]) et Lactantius [36]) gigantum loco daemones commemorant [37 a]), in quibus Athenagoras [37 b]) contra gigantum potius istorum animas agnoscendas esse defendit; vnde omnis illa, si quae fuerit diuersitas, facillime poterit explicari [37 c]).

Quanquam vero haec sententia, cuius iam omnes partes satis videmur nobis illustrasse, cum per plura saecula a tot viris non exiguae auctoritatis fuisset defensa, sat altas videri potuisset radices egisse; tamen ipso adhuc quarto saeculo nonnulli iam extiterunt, qui eam non

---

peccatores et apostatae angeli suis artibus prodiderunt, quando ad terrena contagia devoluti, a coelesti vigore recesserunt. Illi et oculos circumducto nigrore fucare, et genas mendacio ruboris inficere, et mutare adulterinis coloribus crinem, et expugnare omnem oris et capitis veritatem, corruptelae suae impugnatione docuerunt.

33) Cuius rei Sulpicius quidem Sever. hanc *l. l.* causam fuisse dicit, quod diuersae naturae, angelicae nimirum et humanae, commixtione non potuerunt non monstra gigni.

34) *Apolog. II. §.* 6. vbi postquam angelis istis pueros ex mulierum connubiis natos esse dixerat, *οἵ εἰσιν*, addit, *οἱ λεγόμενοι δαίμονες.*

35) *Apolog. c.* 22. *To. V. p.* 62. ita scribens: *Quomodo de angelis quibusdam sua sponte corruptis corruptior gens* daemonum *euaserit, damnata a Deo cum generis auctoribus et cum eo, quem diximus, principe; apud litteras sanctas ordo cognoscitur.*

36) Qui *l. l.* de prole istorum angelorum haec habet; *Qui autem sunt ex his procreati, quia neque angeli, neque homines fuerunt, sed mediam quandam naturam gerentes; non sunt ad inferos recepti, sicut in coelum parentes eorum. Ita duo genera* daemonum *facta sunt, vnum caeleste, alterum terrenum.*

37 a) Falsum ergo est, quod *Wernsdorfius* in *Exercit.* mox laudanda *p.* 16. vnum modo Iustinum gigantum loco daemonum dicit mentionem fecisse.

37 b) *Legat. pro Christ. c.* 22. *§.* 15. *αἱ τῶν Γιγάντων*, inquiens, *ψυχαὶ οἱ περὶ τὸν κόσμον εἰσὶ πλανώμενοι δαίμονες.*

37 c) Qua de re in Commentat. proxime edenda plura dicendi locus erit.

modo improbarent ac repudiarent, ſed argumentis etiam oppugnarent, vanitatisque arguerent. Quorum veſtigiis cum ſequenti etiam ſaeculo plures alii inſiſterent, non mirum eſt, eam poſt penitus fuiſſe abiectam planeque obſoletam, ac pro haeretica adeo declaratam [38]); omninoque facile poterat praeuideri, eam quam primum de illa paulo diligentius cogitari coeptum fuiſſet, ſe vix diu eſſe tuituram. Cum vero huius loci non ſit, de argumentis, quibus eam impugnarunt, pluribus exponere [39]), ſufficiat nobis, praecipuos ſaltem nominaſſe, qui in ea caſtiganda elaborarunt. Eminuerunt autem inter eos potiſſimum Chryſoſtomus [40]), Theodoretus [41]), Cyrillus Alex. [42]), Baſilius Seleuc. [43]) et Auguſtinus [44]). Origenes vero, qui et ipſe eam parum videtur concoquere potuiſſe, neque tamen aperte voluit impugnare, in allegoriam eam conuertit; qua de re infra adhuc pluribus dicendi locus erit.

Si vero quaeritur iam, vnde tandem hauſta fuerit a doctoribus noſtris tam mira et inepta opinio, etſi non

---

38) Hanc certe maculam ei inurere non dubitauit Philaſtrius, diſerte eam in haereſium numero ponens, *haer. CVII. p.* 208. *edit. Fabric.* Neque lenius de ea iudicauit Theodoretus, dum *Quaeſt. XLVII. in Geneſ.* haec ponit: ἐμβρόντητοί τινες καὶ ἄγαν ἠλίθιοι ἀγγέλους τούτους ὑπέλαβον, τῆς οἰκείας ἴσως ἀκολασίας ἀπολογίαν σχήσειν ἡγέμενοι, εἰ τῶν ἀγγέλων τοιαῦτα κατηγοροῖεν.

39) Si quis ſummam eorum cognoſcere cupiat, ei adeundus inprimis eſt Suicerus, in *Theſaur. Eccleſ. To. I. p.* 38. *ſ.* vbi ad certa quaedam capita ea redacta deprehendet.

40) *Homil. XXII. in Geneſ. T. II. Opp. p.* 247. edit. Ducaei.

41) *Quaeſt. XLVII. in Geneſ. Opp. T. I. p.* 58. edit. Schulz.

42) *Adv. Iulian. l. IX. p.* 296. *ſ. et adv. Anthropom. l.* 1, *cap. XVII. Opp. T. VI. p.* 384. edit. Paris.

43) *Orat. VI. p.* 31. edit. Paris.

44) *De ciuit Dei l. XV. c.* 23. *Opp. T. VII. p.* 308. edit. Bened. et *Quaeſt. III. in Geneſ. T. III. p.* 284.

vnice, ſimul tamen, vt diximus iam, ex Platonico eam fonte illos volunt hauſiſſe [45]). Quod dum defendunt, partim illud vrgent, quod corpora angelis a noſtris tributa fuiſſe, ex hac ipſa eorum opinione luculenter adpareat, haec vero aperte ex Platonica ab iis philoſophia arrepta fuerint; quod tamen quam parum probabile ſit, in tertia iam commentatione oſtendimus; partim vero illud etiam commemorant, quod daemones quidem ſimili modo pro Deorum filiis, ex nymphis aliisque foeminis iis natis, a Platone fuerint declarati [46]). Verum ſi hic fuiſſet ſententiae illius fons, tum profecto non videmus, cur ab vno Platone repetendam eam eſſe exiſtiment, cum eiusmodi narrationum de Deorum cum foeminis commercio proleque inde orta omnis mythologia gentilium plena eſſet. At enimuero tantum abfuerunt noſtri, vt his gentilium narrationibus in hac ſententia defendenda duci ſe paterentur, vt eas potius ex hoc ipſo dogmate ſuo corrigendas et emendandas eſſe ſtatuerent. Magnopere nimirum his narrationibus offendebantur hoc nomine, quod ipſis Diis eiusmodi amores illiciti tribuantur, a quorum tamen perſona non poſſint non alieniſſimi iudicari; ideoque illud potius, quod ab angelis eorumque filiis factum eſſe conſtet, ad eiusmodi narrationes translatum et detortum fuiſſe ſtatuerunt; quam in rem plura exſtant Iuſtini Mart. [47]), Athenagorae [48]) et Eu-

---

45) Quae nominatim eſt ſententia *Rich. Simonii* in *Biblioteq. critiq. To. III. c. 3. p.* 45. itemque *Imm. Ern. Hahnii* in *Diſſ. de Platonismo Theologiae veterum eccleſiae doctorum, p.* 13. et *Gottl. Wernsdorfii* in *Exercit. de commercio angelorum cum filiabus hominum ab Iudaeis et Patribus platonizantibus credito, p.* 16. atque *Iac. Bruckeri* in *Hiſtor. crit. Philoſ. P. II. l.* 1. *c.* 3. *To. III. p.* 377.

46) Quo inprimis nititur *Wernsdorfius l. l.*

47) *Apol. I. §.* 5. *p.* 5. edit. Thal. vbi haec habet: ἐπεὶ τὸ παλαιὸν δαίμονες φαῦλοι ἐπιφανείας ποιησάμενοι, καὶ γυναῖκας ἐμοίχευσαν καὶ παῖδας διέφθειραν, καὶ φόβητρα ἀνθρώποις ἔδειξαν, ὡς καταπλαγῆναι τοὺς οἱ λόγῳ τοὺς γινομένας πράξεις ὑπ ἐκείνων,

ſebii [49]) teſtimonia admodum perſpicua. Hinc igitur ex alio potius fonte ſua hauſerint noſtri neceſſe eſt. Neque vero diu dubii haerere poterimus, quinam ille potiſſimum fuiſſe cenſendus ſit, cum non modo ſaepenumero profiteantur, ex libris ſacris haec ſe didiciſſe, ſed ipſum etiam locum nobis monſtrent, in quo haec tradi ſibi perſuaſerant, notiſſimum nimirum illum Gen. VI, 2. locum [50]), ex quo eodem, teſtibus quidem omni dubita-

---

ἀλλὰ δέει συνηρπασμένοι καὶ μὴ ἐπιςάμενοι δαίμονας εἶναι φαύλους, θεοὺς προσωνόμαζον, καὶ ὀνόματι ἕκαςον προσηγόρευον, ὅπερ ἕκαςος αὐτῷ τῶν δαιμόνων ἐτίθετο; itemque §. 29. *p.* 21. vbi, poſtquam facinora quaedam et ſtupra Iouis commemorauerat, haec addit: ἀπεὶη δὲ σωφροσύνης ψυχῆς ἔννοια τοιαύτη περὶ θεῶν, ὡς καὶ αὐτὸν τὸν ἡγεμόνα καὶ γεννήτορα πάντων κατ' αὐτὸς Δία, πατροφόντην τε καὶ πατρὸς τοιοῦτος γεγονέναι, ἔρωτί τε κακῶν καὶ αἰσχρῶν ἡδονῶν ἥττω γενόμενον, ἐπὶ Γανυμήδην καὶ τὰς πολλὰς μοιχευθείσας γυναῖκας ἐλθεῖν, καὶ τὸς αὐτὸ παῖδας τὰ ὅμοια πράξαντας παραδέξασθαι. ἀλλ' ὡς προέφημεν, οἱ φαύλοι δαίμονες ταῦτα ἔπραξαν. Quibus ſimilia ſunt, quae dicit *Apol. II.* §. 6. *p.* 73. ὅθεν, inquiens, καὶ ποιηταὶ καὶ μυθολόγοι, ἀγνοοῦντες τὸς ἀγγέλους καὶ τὸς ἐξ αὐτῶν γεννηθέντας δαίμονας ταῦτα πρᾶξαι εἰς ἄρρενας, καὶ θηλείας, καὶ πόλεις, καὶ ἔθνη, ἅπερ συνέγραψαν εἰς αὐτὸν τὸν Θεὸν καὶ τὰς ὡς ἀπ' αὐτὸ σπορᾷ γενομένους υἱὸς, κ. τ. λ.

48) *Legat. pro Chriſt. l. l.* §. 13. vbi, poſtquam de iſto angelorum ſtupro natisque inde gigantibus expoſuerat, haec deinde addit: εἰ δὲ τις ἐκ μέρους εἴρηται περὶ τῶν Γιγάντων καὶ ποιητοῖς λόγος μὴ θαυμάσητε, τῆς κοσμικῆς σοφίας καὶ θεολογικῆς, (ὅσον ἀληθεια πιθανὸ διαφέρει) διαλαττοσῶν, καὶ τῆς μὲν ἕσης ἐπεραν ίας, τῆς δὲ ἐπιγείας. καὶ κατὰ τὸν ἄρχοντα τῆς ὕλης

Ἴσμεν ψεύδεα πολλὰ λέγειν ἐτύμοισιν ὁμοῖα.

49) Qui tamen paulo dubitantius hac de re loquitur *Praep. euang. l. V. c.* 4. *p.* 186. edit. Colon. vbi, poſtquam de improbis daemonibus et Titanibus dixerat, ita deinde pergit: Μή ποτε ἄρα τοιαῦτα ἦν τὰ περὶ τῶν πρὸ τὸ κατακλυσμὸ Γιγάντων ἐν τῇ θείᾳ γραφῇ λεγόμενα, τάτε περὶ τάτους γεγεννηκότων, περὶ ὧν εἴρηται. Ἰδόντες δὲ οἱ ἄγγελοι τὸ θεὸ τὰς θυγατέρας τῶν ἀνθρώπων, ὅτι καλαί εἰσιν, ἔλαβον ἑαυτοῖς γυναῖκας ἐκ πασῶν ὧν ἐξελέξαντο. ἀφ' ὧν ἐγεννήθησαν οἱ Γίγαντες, οἱ ὀνομαςοὶ ἐξ αἰῶνος. εἴποι γὰρ ἂν τις τάτους ἐκείνους εἶναι, καὶ τὰ ἐκείνων πνεύματα παρὰ τοῖς μετὰ ταῦτα ἀνθρώποις τεθεποιημένα.

50) Cuius quippe loci praeter Euſebium l. l. diſertam etiam mentionem facit Tertull. in loc. ſupr. *not.* 28. iam allato *de veland. virg. c* 7. Athenagoras vero ea, quae de angelis iſtis narrat, ſcriptorum ſaltem divinorum teſtimonio niti monet, dum loco ſaepius iam commemorato §. 11. haec ponit: ἴσε δὲ μηδὲν ἡμᾶς ἁμάρτυρον λέγειν, ἃ δὲ τοῖς προφήταις ἐκπεφώνηται μηνύειν.

tione maioribus Philone [51]) atque Iosepho [52]), eadem dudum iam ante sibi effinxerant Iudaei. Si vero forsitan miretur aliquis, quonam tandem modo loco isto in tam peruersam vtrique sententiam abducti fuerint, cum, quicunque etiam sint filii Dei ibi commemorati, cumque filiabus hominum congressi, de qua re etiamnum inter Interpretes constat disceptari, id saltem adpareat, de angelis nullo modo posse cogitari; facile poterit suspicari, Alexandrinorum Intt. versione eos fuisse deceptos, vbi meminerit, huius versionis non modo inter Iudaeos summam fuisse auctoritatem, sed ab eadem christianorum etiam doctorum maximam fere partem totam pependisse. Atque hanc coniecturam mox pluribus confirmatam deprehendet. Quanquam enim in hodiernis huius versionis libris et scriptis et editis, excepto vno codice Alexandrino expressaque hinc editione Grabiana, in loco isto vbique deprehendatur lectio textui hebraico respondens: *οἱ υἱοὶ τȣ̃ θεȣ̃*; tamen in antiquioribus eius exemplis illius loco lectum potius fuisse *οἱ ἄγγελοι τȣ̃ θεȣ̃*, tot confirmatur testimoniis fide dignissimis, vt iusta quidem dubitatio nulla amplius relinquatur. Vt enim taceamus Philonis locum hanc lectionem aperte agnoscentem [53]), eam non modo stabiliunt omnes scriptores christiani, qui huius angelorum cum mulieribus connubii mentionem faciunt, sed sunt etiam, qui diserte

---

51) *Lib. de gigant. Opp. T. II. p.* 358. edit. Pfeiff.

52) *Antiq. Iud. lib. I c.* 3. *§.* 1. *Opp. T. I. p.* 24. edit. Oberth. Quanquam enim hic istum Mosis locum non diserte laudat, tamen verba eius aperte pertinent ad eam historiae generis humani partem, quam Moses illo Cap. VI. describit, et praeterea etiam ipse dicit, se ea narrare, quae isti angelorum filii ex mulierum connubiis prognati fecisse tradantur, (*παραδίδονται*) adeoque haud dubie de scripto quodam libro cogitauit, in quo de his exponatur.

53) Hunc enim in suo *τῶν ὁ* exemplari vtique legisse *ἄγγελοι* luce profecto clarius adparet ex iis, quae recitato Mosaico loco addit l. l. *οὔς ἄλλοι*, inquiens, *φιλόσοφοι δαίμονας, ἀγγέλȣς Μωσῆς εἰωθεν ὀνομάζειν.*

testentur, eam in multis olim libris repertam fuisse, Cyrillus [54]) nimirum atque Procopius Gazaeus [55]), itemque Augustinus [56]); eandemque expressit etiam vetus versio latina, ex graeca illa facta et Italae vulgo nomine nunc venieus, in qua quippe *angeli Dei*, non, *filii Dei* lectum olim fuisse, ex Ambrosii [57]), aliorumque veterum scriptorum testimoniis [58]) cognoscitur. Quae cum ita sint, vix licet dubitare, hodiernam eamque textui hebraico conuenientiorem h. l. lectionem: υἱοὶ θεῦ ex Origenis potissimum opere hexaplari esse

---

54) Qui cum in *libr. IX. contr. Iulian. p.* 196. et adv. anthrop. *l. I. c.* 17. tum in *lib. II. Glaphyr. in Pentat.* diserte testatur, quaedam exemplaria in illo loco sic legere: ἰδόντες δὲ οἱ ἄγγελοι τῦ θεῦ, quanquam ipse in priore quidem loco veriorem scripturam hanc potius esse iudicat: οἱ υἱοὶ τῦ θεῦ, κ. τ. λ.

55) In *Comment. in Pentat. in-ditis* supr. *not.* 28. laud. ipse quidem locum hunc ita recitans: ἰδόντες δὲ οἱ υἱοὶ τῦ θεῦ τὰς θυγατέρας τῶν ἀνθρώπων, sed simul tamen haec addens: γράφεται καὶ ἄγγελοι θεῦ.

56) *De ciuit. Dei l. XV. c.* 23. *Opp. T. VII. p.* 308. edit. Bened. haec habens: *Septuaginta quidem Interpretes et angelos Dei dixerunt istos et filios Dei, quod quidem non omnes codices habent, nam quidam nisi Filios Dei non habent.* Quibus similia sunt, quae tradit *Quaest. III in Gen. Opp. To. III p.* 284. *Quaeritur*, inquiens, *quemadmodum potuerint angeli cum filiabus hominum concumbere, — — quamuis nonnulli et latini et graeci codices non angelos habeant, sed filios Dei, quos quidam ad soluendam istam quaestionem iustos homines fuisse crediderunt, qui potuerunt etiam angelorum nomine nuncupari.*

57) Hunc enim in suo codice vtique legisse *angeli Dei*, adparet ex *lib. de Noë et Arca, c* 4. *Opp. To. IV. p.* 144. edit. Basil. vbi de loco Gen. VI, 4 disputans, *non Poëtarum more* inquit, *gigantes illos terrae filios vult videri diuinae scripturae conditor, sed ex angelis et mulieribus generatos asserit.* Hos enim angelos hic profecto non fuisset commemoraturus, nisi eos in codice suo commemorari vidisset, cum ipse non statuerit, de angelis, qui proprie dicantur, hic cogitandum esse, sed viros potius probos per eos significari, in seqq. tradat: quod ipsum etiam in Comment. in Ps. CXVIII. defendit. Hinc vero simul intelligitur, eum non posse inter illius sententiae, quam nunc tractamus, defensores referri, inter quos eum a plerisque fere laudatum vidimus, ideoque nos silentio eum supra praetermisimus.

58) Quae videri possunt in Petr. Sabatier *Bibliorum sacrorum latin. version. antiqu. To. I.* ad h. l.

repetendam, genuinam autem eius lectionem illam antiquiorem potius iudicandam, quae ante Origenis tempora omnes fere aut plerosque saltem libros scriptos videtur occupasse [59]). Neque vero mirum nos habere debet, Interpretes istos hebraicum בְּנֵי אֱלֹהִים per: *οἱ ἄγγελοι τοῦ θεοῦ* expressisse, cum id ipsum in duobus etiam aliis Iobi locis (Cap. I, 6. et c. XXXVIII, 7.) fecisse deprehendantur, adpareatque hinc, eos vtique statuisse, in filiis Dei angelos esse cogitandos, constetque praeterea ex aliis etiam pluribus exemplis, eos suas opiniones suamque de sensu loci alicuius sententiam in ipsam versionem suam transferre parum veritos esse. Quod vero filios Dei de angelis explicandos esse statuerunt, in eo non aliter profecto iudicarunt, ac recentiorum etiam Iudaeorum multos iudicasse nouimus, qui quippe et ipsi filios Dei in angelorum numero posuerunt [60]), ideoque etiam Mosaicum istum locum de iisdem sunt interpretati [61]); similiterque vel ii etiam doctorum christianorum, qui, etsi in textu loci illius *filios Dei* haberent, tamen de angelis eum explicarunt [62]), quemadmodum post

---

59) Quod contra visum est Claud. Frees Hornemanno in *Spec. II. Exercitationum critic. in versionem LXX. Interpretum ex Philone*, (*Haun.* 1776. 8.) *p.* 192. qui lectionem *ἄγγελοι* ex margine potius, in quo ad explicanda verba: *υἱοὶ τοῦ θεοῦ* ab aliquo adiecta fuisset, in textum irrepsisse, inque locum verioris illius lectionis substitutam fuisse statuit, quod tamen a veri specie multum videtur abhorrere.

60) Qua de re videndus est Petauius *dogmat. theol. To. III. lib. III. c.* 2. *p.* 58.

61) Vt intelligi potest ex *Eisenmengeri entdeckt. Judenth. Part. II. c.* 8. *pag.* 429 *ff.* itemque *Sauberti Palaestr. theol. phil. p.* 46. *ff.* Quibus addi potest et illud, quod in Paraphrasi Pseudo-Ionath. loci illius Mosaici Gen. VI, 2. et 4. deprehenditur, in qua nimirum simili modo angeli cum hominum mulieribus congressi fuisse dicuntur, interque eos nominatim commemorantur Schamchazai et Vziel, qui de coelo fuerint delapsi.

62) Quod Tertulliani saltem exemplo constat, qui *de veland. virgin. c.* 7. locum istum recitans diserte lectionem *filii Dei* exhibet, et tamen ad angelos eum transfert. Vid. not. 25. Simili vero modo Chrysostomus etiam *Homil. XXII. in Genes.* dicit, mul-

multi, qui *angelos* ibi commemoratos deprehenderent, tamen de hominibus cogitarunt [63]). Vtrum vero, si haec genuina sit τῶν ὁ lectio, eorum versione antiquior iam fuerit fabulosa ista de angelis cum filiabus hominum concumbentibus opinio, an ex hac ipsa eorum versione orta demum sit, id, cum historicis ea de re testimoniis destituamur, profecto non licet nobis amplius definire, omninoque prima huius opinionis origo prorsus incerta et obscura est, adeoque vix poterit vnquam perspicue declarari. Quod enim Souuerainius [64]) statuit, estque Bruckero [65]) etiam non improbabile visum, eam ex allegoria, animarum in corpora descensum adumbrante, parum recte intellecta ortam esse, id profecto non habet, quo nitatur, aut eo saltem non poterit confirmari, quod Philo [66]) quidem et Origenes [67]) hanc

---

tis per filios Dei in loco isto commemoratos angelos videri significari, φασὶ γὰρ, inquiens, ὅτι ἐ περὶ ἀνθρώπων τῦτο εἴρηται, ἀλλὰ περὶ ἀγγέλων· τέτες γὰρ υἱοὺς θεῦ προσηγόρευσε, iamque haec addit: καὶ πρῶτον μὲν δειξάτωσαν, πῦ ἄγγελοι υἱοὶ θεῦ προσηγορεύθησαν, ἀλλ' ἂν ἔχοιεν ὀνδαμῦ δεῖξαι. In quo tamen iudicio repugnantem sibi habet Ambrosium, qui *lib. de Noë et Arca c.* 4. *Plerumque*, inquit, *angelos filios Dei vocat scriptura.*

63 Quod confirmatur exemplis Augustini et Ambrosii in locc. *not.* 56. et 57. laud.

64) De *Platonismo Patr. Part. II. sect. XVIII. p.* 191. vers. germ.

65) *Histor. critic. Philos. To. II. P. I. lib. II. c.* 3. *sect. I. p.* 894. f.

66) *De gigant. l. l.* vbi tamen istam narrationem non de animarum in corpora descensu, sed de eo potius explicat, quod se prauis cupiditatibus per corpus motis abripi passae fuerint. in quam rem praeter loc. laud. inprimis etiam perspicuus est locus *libr. quod Deus sit immutabil. To. II. p.* 388. vbi de eadem re haec habet: ὅταν δὲ ἀμυδρωθὲν ἐπισκιασθῇ τὸ διανοίας φῶς, οἱ τῦ σκότες ἑταῖροι παρευημερήσαντες, πάθεσι τοῖς κατεαγόσι καὶ τεθηλυμμένοις, ἃς θυγατέρας εἴρηκεν ἀνθρώπων, συνέρχονται καὶ γεννῶσιν ἑαυτοῖς, ἐ τῷ θεῷ.

67) *Contr. Cels. l. V. p.* 267. in quo tamen loco non possum mihi persuadere, eum, cum dicit, alium iam ante se haec, quae de angelis narrentur, de animarum in corpora humana descensu explicasse, Philonem in animo habuisse, vt plerumque statuunt, quo-

narrationem in eiusmodi allegoricum ſenſum fuerint interpretati. Ecquis enim hoc in tantis allegoriarum fautoribus miretur? et nonne talia tum demum allegorice ſolent explicari, vbi proprium eorum ſenſum a vero viderint abhorrere, iuſtamque habere offenſionem? Quod vero myſticum hunc narrationis illius ſenſum caeteris etiam doctoribus chriſtianis non ignotum et conſulto ab iis occultatum fuiſſe ſuſpicatus eſt idem Souuerainius [68]), id, quam nullam plane veri ſpeciem habeat, ſponte putamus in oculos incurrere. Iam vero vndecunque etiam orta fuerit opinio illa, hoc ſaltem relinquitur, Iudaeos non minus, quam Chriſtianos firmiſſimum eius fundamentum in illo Moſaico loco, Alexandrina eius verſione deceptos, ſibi viſos eſſe reperiſſe.

Neque tamen ab hoc vno loco hac in re pependerunt, ſed ex Enochi etiam libro quodam hauſerunt, in quo haec eadem res tradita fuerat pluribusque expoſita. Huius enim libri conſenſum non modo diſerte hac quidem in re [69]) prae ſe ferunt Clemens Alex. [70]) et Ter-

---

niam e Philonis locc. modo laud. adparet, eum myſticum huius narrationis ſenſum paulo aliter conſtituiſſe, et ipſe etiam Origenes alibi non de vno tantum, ſed pluribus huius allegoricae interpretationis fautoribus loquitur, in *Comment.* nimirum in *Iohan. p.* 132. *To. II.* Huet. vbi, poſtquam, praeeunte Enochi libro, mentionem iniecerat *τῆς τῶν τοῦ Θεοῦ καταβάσεως ἐπὶ τὰς θυγατέρας τῶν ἀνθρώπων*, haec ſubiungit: *ἥντινα κατάβασιν αἰνίσσεσθαί τινες ὑπειλήφασι τὴν τῶν ψυχῶν κάθοδον ἐπὶ τὰ σώματα, θυγατέραν ἀνθρώπων τροπικώτερον τὸ γήϊνον σκῆνος λέγεσθαι ὑπειληφότες.*

68) Haec quippe *l. l.* ſcribens: *Vielleicht iſt ſelbſt den übrigen Kirchenvätern dieſer myſtiſche Sinn nicht unbekannt geweſen; aber ſie folgten ihrer Art zu philoſophiren, nach der ſie ſich immer ſo ausdrückten, daſs die Allegorie gar nicht durchſchien, um eben den Sachen, die ſie vortrugen, ein deſto geheimniſsvolleres Anſehen zu geben. Sie ſetzten immer voraus, daſs Köpfe vom erſten Range, für die ſie ſchrieben, das Geheimniſs wüſsten, und in Abſicht des Volks war es eben ihre Abſicht, es zu verbergen.*

69) Quibus vero praeterea in cauſis teſtimonio eius vtantur, omnium optime intelligi poterit ex Fabricii *Cod. pſeudepigr. V. T. To. I. p.* 167. ſſ. vbi veterum ſcriptorum de hoc libro teſtimonia diligenter collecta reperiuntur.

tullianus [71]), ſed in eodem talia de angelis narrata fuiſſe, praeterea adhuc teſtantur Origenes [72]), Hilarius [73]), Hieronymus [74]) et Auguſtinus [75]), hocque eorum teſtimonium ipſis etiam huius libri fragmentis [76]) ad noſtram aetatem transmiſſis confirmatur, in quibus quippe omnia, quae ſcriptores iſti hac de re in illo tradi narrant, etiamnum reperiuntur [77]). Huic vero libro cum prio-

---

70) In loco ex *Eclog. ex ſcript. prophet. not.* 31. iam laudato.

71) De *cult. foemin. c.* 10. et *de hab. muliebr. c.* 3.

72) *Comment. in Iohann. l. l.* itemque *contr. Celſ. l. l.*

73) *In Pſalm. CXXXII.* 3. vbi haec leguntur: *Hermon mons eſt in Phoenice, cuius interpretatio anathema eſt. — Fertur autem id, de quo etiam neſcio cuius liber exſtat, quod angeli concupiſcentes filias hominum, cum de coelo deſcenderent, in hunc montem maxime conuenirent excelſum.*

74) In *Comment. in* eundem *Pſalm. CXXXII.* vbi *legimus*, inquit, *in quodam libro apocrypho, eo tempore, quo deſcendebant filii Dei ad filias hominum, deſcendiſſe illos in montem Hermon et ibi iniiſſe pactum, quomodo venirent ad filias hominum et ſibi eas ſociarent.*

75) *De ciuit. Dei lib. XV. c.* 23. vbi librum iſtum diſerte dicit, *iſtas de gigantibus fabulas, quod non habuerint homines patres, continere.*

76) Quae fragmenta primus e Syncello tum temporis nondum edito produxit Scaliger in *Not. ad Chronic. Euſebii, p.* 405. poſt vero praeter alios plures inprimis repetierunt Grabius in *Not. ad Spicilegium PP. To. I. p.* 347. *ſſ.* et Fabricius *l. l. p.* 179. *ſſ.* Germanice verſa leguntur partim in *Roesleri Biblioth. PP. Vol. IV. p.* 321. partim in Corrodi *Beyträgen zur Beförder. des vernünftig. Denkens in der Relig. Vol. II. p.* 146. *ſſ.*

77) Narratur nimirum in his res in hunc fere modum: *Καὶ ἐγένετο, ὅτε ἐπληθύνθησαν οἱ υἱοὶ τῶν ἀνθρώπων, ἐγεννήθησαν αὐτοῖς θυγατέρες ὡραῖαι, καὶ ἐπεθύμησαν αὐτὰς οἱ Ἐγρήγοροι, καὶ εἶπον πρὸς ἀλλήλους, ἐκλεξώμεθα ἑαυτοῖς γυναῖκας ἀπὸ τῶν θυγατέρων τῶν ἀνθρώπων τῆς γῆς. — τότε πάντες ὤμοσαν ὁμῶ καὶ ἀναθεμάτισαν ἀλλήλους. ἦσαν δὲ ἕτοι διακόσιοι οἱ καταβάντες ἐν ταῖς ἡμέραις Ιαρὲδ εἰς τὴν κορυφὴν Ἑρμονεὶμ ὄρους. καὶ ἐκάλεσαν τὸ ὄρος Ἑρμὼν καθότι ὤμοσαν, καὶ ἀναθεμάτισαν ἀλλήλους ἐν αὐτῷ. — Οὗτοι καὶ οἱ λοιποὶ πάντες ἐν τῷ χιλιοστῷ ἑκατοστῷ ἑβδομηκοστῷ ἔτει τοῦ κόσμου ἔλαβον ἑαυτοῖς γυναῖκας, καὶ ἤρξαντο μιαίνεσθαι ἐν αὐταῖς ἕως τοῦ κατακλυσμοῦ. καὶ ἔτεκον αὐτοῖς γένη τρία· πρῶτον γίγαντας μεγάλους, οἱ δὲ γίγαντες ἐτέκνωσαν Ναφηλεὶμ. καὶ τοῖς Ναφηλεὶμ ἐγεννήθησαν Ἐλιούδ. κ. τ. λ.* Eſſe autem in *Ἐγρηγοροις*, quibus haec omnis res hic tribuitur, de angelis

rum saltem saeculorum doctores haud exiguam auctoritatem deferrent [78]), non mirum profecto est, ipsius etiam testimonio narrationis illius veritatem non parum iis visam fuisse confirmari. At enim vero in hoc ipso libro nouum simul habemus testimonium, e quo adpareat, hanc de angelis cum hominum mulieribus matrimonio iunctis traditionem dudum iam inter Iudaeos cognitam fuisse ab iisque defensam, adeoque et hoc colligi possit, ab his potius, quam e Platonis schola ad nostros eam videri translatam fuisse. Quanquam enim fuerunt, qui librum hunc Saec. demum II. a Gnosticis forsan confictum esse contenderent [79]), multo tamen firmioribus argumentis [80]) ab aliis est demonstratum, eum iam ante Christum natum ab Hellenista quodam Iudaeo compositum esse. Saltem Apostolorum iam aetate librum aliquem Enochi nomen prae se ferentem exstitisse, ex

---

cogitandum, cum omnis reliqua narratio postulat, tum pluribus etiam docuit Fabric. *l. l.* cuius notae fragmentis his subiectae omnino dignae sunt, quae conferantur.

78) Cuius rei testis imprimis est Tertullianus, qui *de idolol. c.* 15. *To IV. p.* 170. non dubitauit diuinam huic libro inspirationem vindicare, dum *haec*, inquit, *ab initio praeuidens Spiritus S. etiam ostia in superstitionem ventura praececinit per antiquissimum propheten Enoch.* Alio vero in loco *de hab. muliebr. c.* 3. *To. III. p.* 38. auctoritatem huius libri pluribus defendere conatus est; in quo loco eum simul aperte pro libro Iudaeis iam cognito declarat, cum eum propterea ab iis reiectum videri statuit, quoniam de Domino etiam praedicet. Quanquam vero, vt ex hoc ipso Tertulliani loco adparet, vel tum iam fuerunt inter Christianos qui et ipsi hunc librum non reciperent atque praeterea Origenes etiam *contr. Cels. l. l.* testatur, eum ab ecclesia pro diuino scripto non agnosci, tamen vel huius ipsius Origenis aetate adhuc fuisse, qui aliter de eo statuerent, ex alio eius loco *Comment. in Iohann. l. l.* haud obscure videtur intelligi posse, cum, postquam ibi mentionem eius fecerat, haec addenda iudicauerit: *εἰ τῷ φίλον παραδέχεσθαι ὡς ἅγιον τὸ βιβλίον.*

79) A quorum sententia praeter alios plures a Fabricio *pag.* 199. *ff.* laudatos non multum abfuisse etiam videtur *Rich. Simonius* in *Biblioth. critic. To. III. c.* 3. *p.* 41. *ff.*

80) Quae inprimis exposuit Grabius *l. l. p.* 345. probauitque etiam *Wernsdorfius* in Comment. aliquoties iam laud. *§.* 8. *p.* 20.

notiſſimo illo epiſtolae Iudae v. 14. ſſ. loco tam perſpicue videtur intelligi poſſe [81]), vt, niſi quis huius ſimul epiſtolae αὐθεντίαν dubiam reddere velit, quod propter hoc ipſum teſtimonium olim iam a multis factum eſſe conſtat [82]), a nemine poſſit negari; omninoque, ſi quidem vera ſunt, quae de origine librorum V. T. pſeudepigraphorum, qui dicuntur, Semlerus nuper diſputavit [83]), omnes iſti libri aetati, chriſtiana religione longe antiquiori, ſunt adſignandi. Hinc in XII. etiam Patriarcharum, quae dicuntur, Teſtamentis, ſimile teſtimonium probatae a Iudaeis mirae huius de angelorum connubiis opinionis erit agnoſcendum [84]). Nam in his etiam eiusdem ſceleris, plus vno in loco [85]) accuſantur.

---

81) Locum enim, quem hic recitat Iudas, ex ſcripto quodam libro, Enochi nomen prae ſe ferente, petitum eſſe, cum res ipſa videtur poſtulare, tum vero his noſtris temporibus vix poterit in dubium adhuc vocari, cum haec ipſa verba, teſte quidem Michaëli in *Biblioth. orient. et exeg. Part. VI. p.* 226. *et* 229. ante aliquot annos a Woidio in aethiopico quodam huius libri Enochi exemplo fuerint reperta.

82) Teſte quidem Hieronymo in *Catal. Script. eccleſ. c.* 4. ita ſcribente: *Iudas frater Iacobi paruam quidem quae de ſeptem catholicis eſt Epiſtolam reliquit. Et quia de libro Henoch, qui apocryphus eſt, in ea aſſumit teſtimonium, a pleriſque reiicitur: tamen auctoritatem vetuſtate iam et vſu meruit, et inter ſanctas ſcripturas computatur.* Tertullianus vero in loc. ſupr. *not.* 78. laud. *de hab. muliebr. c.* 3. hoc ipſo auctoritatem libri iſtius Enocho inſcripti ſtabilire ſtuduit, quod eius verba quaedam in epiſtola Iudae laudentur, dum *eo accedit*, inquit, *quod Enoch apud Iudam Apoſtolum teſtimonium poſſidet.*

83) In *theolog. Brief. Vol. I. p.* 185. *ſſ.*

84) Nam et hunc nominatim librum a Iudaeo quodam iam ante Chriſti aetatem ſcriptum fuiſſe, non incommodis, vt puto, argumentis euincere ſtuduit Grabius in Praefat. ei praemiſſa in *Spicileg. Patr. T. I. p.* 129. *ſſ.* quam repetiit etiam *Fabricius l. l. pag.* 496. *ſſ.* Aliter tamen nuper viſum eſt *Georg. Veeſenmeyer* in *Beyträg. zur Geſchicht. der Litterat. und Reformat.* (*Ulm.* 1792. 8.) qui eum Saec. II. potius a Chriſtiano quodam iudaizante compoſitum eſſe defendit.

85) V. c. in *Teſtam. Ruben §.* 5. vbi haec leguntur: *οὕτω γὰρ ἔθελξαν τὰς Ἐγρηγόρας πρὸ τῆς κατακλυσμοῦ. κἀκεῖνοι συνεχῶς ὁρῶντες αὐτὰς, ἐγένοντο ἐν ἐπιθυμίᾳ ἀλλήλων, καὶ συνέλαβον τῇ διανοίᾳ τὴν πράξιν, καὶ μετεσχηματίζοντο εἰς ἀνθρώπας, καὶ ἐν*

Quae ſi quis omnia cogitauerit, profecto intelliget, ab omni probabilitatis ſpecie abhorrere, hanc ſententiam ex Platonicae potius philoſophiae decretis ab antiquioris eccleſiae doctoribus hauſtam, quam a Iudaeis tanquam doctrinam ipſa librorum ſacrorum auctoritate confirmatam, errante quidem animo, ſed bona tamen fide cum pluribus aliis ſusceptam fuiſſe.

Cap. III.

Sect. V. de angelorum malorum ſ. daemoniorum cultu apud gentiles.

(Comment. VI.)

Cum ſententia veteris eccleſiae doctorum de angelorum quorundam turpi flagitio in ſuperiori libello tractata arctiſſime nexa eſt alia, ad quam examinandam, quoniam et ipſa dicitur ex Platonica ab iis philoſophia arrepta fuiſſe, nobis nunc eſt progrediendum. In ſceleribus nimirum, quibus angelorum iſtorum peſſimae indolis filii, ex humanis mulieribus ab iis prognati, ſe dicuntur polluiſſe, praecipuo fere loco hoc a noſtris ponitur, quod diuinum ſibi honorem vindicauerint, eiusque cupiditate incenſi, homines ad ſe colendos perduxerint, ita quidem, vt cum ipſum cultus genus, quo ab iis excipi vellent, iis praeſcriberent, tum ſinguli etiam nomina ſibi propria, hominibus alias ignota, pateſacerent. Plerique tamen noſtrorum doctorum hoc non de his tantum

---

τῇ συνουσίᾳ τῶν ἀνδρῶν αὐτῶν συνεφαίνοντο αὐταῖς, κἀκεῖναι ἐπιθυμοῦσαι τῇ διανοίᾳ τὰς φαντασίας αὐτῶν ἔτεκον αὐταῖς γίγαντας. ἐφαίνοντο γὰρ αὐταῖς Ἐγρήγοροι ἕως τοῦ οὐρανοῦ φθάνοντες: item-que in *Teſtam. Nephtal.* §. 3. vbi haec occurrunt: ὁμοίως καὶ οἱ Ἐγρήγορες ἐνήλλαξαν τάξιν φύσεως αὐτῶν, ἃς κατηράσατο κύριος ἐπὶ τοῦ κατακλυσμοῦ, δι' αὐτοὺς ἀπὸ κατοικησίας καὶ καρπῶν τάξας τὴν γῆν ἀοίκητον.

angelorum filiis narrant, ſed idem ad eorum ſimul parentes, omninoque malos angelos vniuerſos transferunt, hincque omnem gentilium cultum his, quos dicunt, daemonibus, exhiberi defendunt: cuius ſententiae teſtis ingens horum ſcriptorum numerus poterit excitari, quorum praecipua ſaltem nunc commemorare iuuat nomina. Sunt nimirum, qui ita ſtatuunt, e graecis quidem Iuſtinus Mart. [1]), Athenagoras [2]), Theophilus Alex. [3]), Tatianus [4]), Clemens Alex. [5]), Origenes [6]), Euſebius [7]), Athanaſius [8]), Chryſoſtomus [9]), et Cyrillus Alex. [10]), e latinis vero Minucius Felix [11]), Cyprianus [12]), Ter-

---

1) *Apol. I. §. 5. pag. 5.* edit. Thal. et *§. 13. p. 10.* itemque *Apol. II. §. 6. p. 73.* et in *Dial. c. Tryph. §. 83. p. 181.* edit. Bened.

2) *Legat. pro Chriſt. c. XXII. §. 24. pag. 175.* et *c. XXIII. §. 12. p. 183.* edit. Lindn.

3) *Ad Autolyc. l. I. c. 15. pag. 46.* edit. Wolf.

4) *Orat. contr. Graec. §. 7. pag. 249.* et *§. 9. p. 251. §. 12. p. 254.* itemque *§. 18. p. 260.* edit. Bened.

5) *Admonit. ad Gent. §. 4. p. 49.* edit. Potter.

6) *Contr. Celſ. l. III. p. 128. et 133. l. V. p. 234. l. VII. p. 334. 355. 378.* et *l. VIII. p. 386.* edit. Spenc. itemque in *Exhort. ad Martyr. p. 210. ſſ.* edit. Wetſten.

7) *Praep. Euang. l. IV. c. 4. p. 140. c. 15. p. 153.* et pluribus in locis, itemque *l. V.* fere toto, ac *l. VII. c. 16. p. 329.* edit. Viger.

8) *De Incarn. Verb. Dei, §. 11. Opp. T. I. p. 56.* edit. Bened.

9) *Orat. in S. Babyl. T. II. Opp. p. 558.* edit. Montfauc.

10) *Adu. Iulian. l. IV. p. 121.* et *124. ſſ. l. V. p. 170. 172. l. VI. p. 210.* edit. Spanhem.

11) *Octau. c. XXVI. §. 7. p. 163. ſ.* et *c. XXVII. §. 1. ſſ. p. 168. ſſ.* edit. Lindn.

12) *De idolor. vanit. c. IV. 4. p. 249. ſ. Lindn.*

tullianus [13]), Lactantius [14]), Maternus Firmic. [15]) Hieronymus [16]), et Augustinus [17]).

Hos autem omnes dum daemones hac in re commemorant, nullos alios voluisse cogitari, nisi vel ipsos angelos malos, vel eorum filios ex mulieribus ab iis prognatos, id, quanquam nonnullis dubium adhuc visum, nostra tamen sententia adeo perspicuum est, vt plane non videatur in dubium vocari posse. Etenim Iustinus quidem Mart. de istis angelorum filiis diserte οἱ εἰσὶν, ait [18]), οἱ λέγομενοι δαίμονες, similiterque etiam paulo post [19]) τοῖς φαῦλοις ἀγγέλοις iungit δαίμονας,

---

13) *Libr. de Spect. c.* 10. *T. IV. Opp. p.* 122. edit. Seml. et *Apologet. c. XXII. To. V. p.* 62. ad quem posteriorem locum cfrenda sunt, quae de hac ipsa nostrorum scriptorum sententia obseruauit nuper *Kleuker* in Versione huius libri germanica, (*Des Q. S. Flor. Tertullianus Vertheidigung der christlichen Sache gegen die Heiden. Aus dem Latein. übers. und durch Anmerkungen erläutert von D. Ioh. Fr. Kleuker. Frcf.* 1797. 8.) *p.* 382. *ff.*

14) *Instit. diu. l. II. c. XIV. §.* 13. *To. I. Opp. p.* 265. et *c. XVI. §.* 2. 3. 9. *p.* 268. *ff.* itemque *l. IV. c. XXVII. §.* 5. 16. 17. *p.* 547. edit. Bunem.

15) *De error. profan. relig. p.* 61. ad calc. edit. Minuc. Fel. Iac. Ouzeli.

16) *Epist. XXI. ad Damas. T. I. Opp. p.* 74. edit. Vallars.

17) *De ciuit. Dei l. VIII. c.* 22. *l. IX. c.* 20. et *l. X. c.* 27.

18) *Apol. II. §.* 6. *p.* 73.

19) *Ibid. §.* 7. *p.* 74. ubi haec habet: ὅθεν καὶ ἐπιμένει ὁ θεὸς τὴν σύγχυσιν καὶ κατάλυσιν παντὸς κόσμου μὴ ποιῆσαι, ἵνα καὶ οἱ φαῦλοι ἄγγελοι καὶ δαίμονες καὶ ἄνθρωποι μηκέτι ὦσι. Quare profecto non video, quo iure *Ioh. Adam Goezius* in Versione huius posterioris Apolog. supra (*Comment. IV. p.* 553. *not.* 20.) iam laudata, p. 223. defendat, nostrum in daemonibus intellexisse hominum mortuorum animas, nisi forte notissimo *Apol. I. §.* 24. *p.* 17. loco inductus, ita statuerit, in quo daemoniacos ab hominum mortuorum animabus correptos et vexatos adpellat. At enimuero ex h. l. id nullo modo cogi poterit, cum ibi non tam ex sua, quam gentilium potius sententia disputet Iustinus, possitque hic locus inde etiam explicari, quod daemones istos hominum saepe mortuorum nomina sibi vindicasse nostri statuerunt; qua de re infra dicendi locus erit.

eorumque principem et antefignanum diabolum effe dicit [20]); eodemque modo Tertullianus etiam iftos daemones diferte diftinguit ab angelis, ipforum parentibus [21]). Athenagoras vero hoc daemonum nomen ad iftorum etiam parentes transfert [22]), videturque fimul haud obfcure fignificare, poft mortem demum gigantes vel angelorum filios daemones effe factos [23]), voluitque adeo haud dubie de vtrisque cogitari, dum gentilium deos daemones effe defendit. Neque vero etiam Iuftinus et Tertullianus id ipfum de illorum tantum angelorum filiis, fed de ipfis etiam eorum parentibus videntur intellectum voluiffe; id quod, Tertullianum quidem quod attinet, inde adparet, quod eundem gentilium cultum, quem in locis fupra laudat. daemonibus vindicat, alio in loco [24]) diabolo, horum daemonum principi, tanquam auctori tribuit. Quos autem Tatianus iudicauerit daemones, perfpicue adparet ex notabili eius loco quodam, vbi, poftquam de angelo aliquo legi diuinae fe opponenti et pro Deo ab hominibus habito dixerat, haec de eo addit [25]): *διὰ δὲ τὴν παράβασιν καὶ τὴν ἄγνοιαν ὁ πρωτόγονος δαίμων ἀποδείκνυται, καὶ οἱ μιμησάμενοι τούτου τὰ φαντάσματα δαιμόνιον στρατόπεδον ἀπο-*

---

20) *Apol. I. §.* 36. *p.* 26. vbi haec funt verba eius: *παρ' ἡμῖν ὁ ἀρχηγέτης τῶν κακῶν δαιμόνων ὄφις καλεῖται, καὶ σατανᾶς, καὶ διάβολος.*

21) In loco fuper. libell. p. 573. *not.* 35. iam laudato.

22) Dum nimirum *Legat. pro Chrift. c. XXII. §.* 15. *p.* 170. haec habet: *ἔτοι τοίνυν οἱ ἄγγελοι οἱ ἐκπεσόντες τῶν οὐρανῶν, περὶ τὸν ἀέρα ἔχοντες καὶ τὴν γῆν — καὶ αἱ τῶν Γιγάντων ψυχαὶ, οἱ περὶ τὸν κόσμον εἰσὶ πλανώμενοι δαίμονες.* Mox tamen folos gigantes daemonum nomine adpellat, haec nimirum illis addens: *ὁμοίας κινήσεις, οἱ μὲν αἷς ἔλαβον συστάσεσιν οἱ δαίμονες, οἱ δὲ αἷς ἔχον ἐπιθυμίαις οἱ ἄγγελοι, ποιούμενοι.*

23) Quoniam *τὰς τῶν Γιγάντων ψυχὰς* l. l. commemorat.

24) In libr. *de praefcript. haeret. c. XL. To. II. p.* 52. *f.*

25) *Orat. contr. Graec. §.* 7. *p.* 239. edit. Bened.

βεβήκασι [26]). Eodem vero modo nec dubium esse poterit, quosnam Theophilus Antioch. et Clemens Alex. dixerint daemones, cum diabolum ille quidem aliquo loco [27]) diserte adpellet τὸν κακοποιὸν δαίμονα, hic autem τὸν τῶν δαιμόνων ἄρχοντα [28]); similiterque Origenes [29]) etiam, Cyrillus [30]) et Lactantius [31]) diserte fatentur, se, dum daemones gentilium deos esse defendant, eos in animo habere angelos malos, qui a pristina sua integritate deflexerint, omnisque generis sceleribus se polluerint. Causa vero, propter quam hos nominatim angelos daemonum nomine significandos nostri duxerint, nulla videtur alia fuisse, nisi haec, quod ipsa librorum sacrorum auctoritate hanc eorum adpellationem putarunt confirmari. In his enim vocabulum hoc de malis tantum angelis dici, diserte monent Eusebius [32]), Augu-

---

26) In his tamen nostrum non cogitasse de hominibus malis, illius impietatem imitatis iisque mortuis, patet ex alio eius loco, §. 26. p. 257. vbi diserte dicit: δαίμονες δὲ οἱ τοῖς ἀνθρώποις ἐπιτάττοντες, οὐκ εἰσὶν αἱ τῶν ἀνθρώπων ψυχαί, idque in seqq. pluribus confirmat.

27) *Ad. Autol. l. II. §. 38. p.* 194. edit. Wolf.

28) *Strom. l. V. c. XIV. pag.* 701.

29) *Contr. Cels. l. VII. p.* 377. vbi haec leguntur: κατὰ δὲ ἡμᾶς πάντες δαίμονες ἀποπεσόντες τῆς ἐπὶ τὸ ἀγαθὸν ὁδῶ, πρότερον ὄντες δαίμονες· καὶ ἔστιν εἶδος τῶν ἐκπεσόντων Θεῶ τὸ τῶν δαιμόνων.

30) *Adu. Iulian. l. IV. p.* 121. haec de iis tradens: ἦσαν μὲν γὰρ ἐναρίθμιοι ποτε τοῖς ἁγίοις ἀγγέλοις καὶ τοῖς τῶν ἄνω πνευμάτων χοροῖς ἐγκατειλεγμένοι, τὴν μακαρίαν ὄντως καὶ ἀβέβηλον διαβιῶντες ζωὴν, ἀλλ' ὡς φησὶ τὸ γράμμα τὸ ἱερὸν, ἃ κτεκτήκασι τὴν ἑαυτῶν ἀρχὴν, μονονεχὶ δὲ καὶ ἐρρῶσθαι φράσαντες τῷ εἶναι μετὰ Θεῶ, διωλισθήκασιν ἐπὶ τὰ αἰσχίω, κ. τ. λ. Eadem fere repetit etiam Lib. VI. p. 210.

31) *Instit. diu. l. II. c. XVI. §. 9. p.* 270. vbi, *illi autem,* inquit, *qui desciuerunt a Dei ministerio, quia sunt veritatis inimici et praeuaricatores Dei, nomen sibi et cultum Deorum vindicare solent.*

32) *Praep. Euang. l. IV. c.* 5. *p.* 141. τὰ μὲν, inquiens, παρ' ἡμῖν θεῖα λόγια, οὐδ' ὅλως ἀγαθὸν οἶδεν ὀνομάζειν δαίμονα, πάντας δὲ πονηροὺς εἶναι τοὺς τῆς λέξεως ταύτης καὶ δὴ καὶ τῆς προσηγορίας μετειληφότας.

ſlinus [33]) et Pſellus [34]), ii tamen non magis accurate hac in re iudicantes [35]), quam Origenes, qui omnino negat [36]), hoc vocabulum vnquam in aliam, quam malam partem, dictum eſſe. Cum vero ita ſtatuerent noſtri, profecto non mirum eſt, ipſos etiam hoc vocabulo in

---

33) *De ciu. Dei lib. IX. c.* 19. *T. VII. Opp. p.* 233. edit. Venet. vbi haec ſunt verba eius: *Nos autem, ſicut ſcriptura loquitur, ſecundum quam Chriſtiani ſumus, angelos quidem partim bonos, partim malos, nunquam vero bonos daemones legimus: ſed vbicunque illarum litterarum hoc nomen poſitum reperitur, ſiue daemonia dicantur, nonniſi maligni ſignificantur Spiritus.*

34) Apud Steuchum Eugub. *de peren. philoſ. lib. VIII. c.* 20. vbi, haec eius verba laudantur: *Ὁ μὲν Χαλδαῖος τινας μὲν τῶν δαιμόνων ἀγαθὸς, τινας δὲ κακὸς τίθεται, ὁ δὲ ἡμέτερος εὐσεβὴς λόγος πάντας κακὸς ὁρίζεται ἐκ προαιρετικῶν ἀποπτωμάτων τὴν κακίαν ἀνταλλαξαμένος τῆς ἀγαθότητος.*

35) Quanquam enim hoc de plerisque quidem librorum ſacrorum locis vtique valet, tamen in vno ſaltem loco Act. XVII, 18. ex gentilium ſenſu de numine in vniuerſum dicitur, vt taceam nunc 1 Cor. X, 20. in quo ab Interpretibus adhuc conſtat disceptari, vtrum vocabulum *δαιμόνιον* in vniuerſum intelligendum ſit de numine aliquo gentilium, an vero de malis potius angelis, qua de re in proxima Comment. quaedam adhuc disputandi occaſio nobis praebebitur.

36) *Contr. Celſum l. V. p.* 234. vbi reprehendit Celſum *ἐχ ὁρῶντα ὅτι τὸ τῶν δαιμόνων ὄνομα ἀδὲ μέσον ἐστιν, ὡς τὸ τῶν ἀνθρώπων, ἐν οἷς τινες μὲν ἀσεῖοι, τινὲς δὲ φαῦλοι εἰσιν· ἐτ' ὡσεῖον ὁποῖον ἐστι τὸ τῶν θεῶν, τασσόμενον ἐκ ἐπὶ φαύλων δαιμονίων, ἢ ἐπὶ ἀγαλμάτων ἢ ἐπὶ ζώων· ἀλλ' ὑπὸ τῶν τὰ Θεῦ ἐγνωκότων, ἐπὶ τῶν ἀληθῶς θειοτέρων καὶ μακαρίων. ἀεὶ δ' ἐπὶ τῶν φαύλων ἔξω τῦ παχυτέρυ σώματος δυνάμεων τάσσεται τὸ τῶν δαιμόνων ὄνομα. πλανώντων καὶ περισπώντων τὺς ἀνθρώπυς καὶ καθελκόντων ἀπὸ τῦ Θεῦ καὶ τῶν ὑπερφανίων ἐπὶ τὰ τῇδε πράγματα.* Eandem vero reprehenſionem denuo repetit *lib. VIII. p.* 394. Sed iniuſte Celſum hic ab eo reprehendi, ſi quidem de illo huius vocabuli ſenſu quaeratur, quem inter gentiles obtinuerit, vix eſt, quod moneam, cum hoc dudum a Moshemio in Verſione huius libri germ. *pag.* 497. fuerit obſeruatum. Atque ſatis profecto conſtat, hoc vocabulum a gentilibus quidem cum de numine in vniverſum, tum vero nominatim etiam de Deorum genere aliquo intermedio vſurpatum fuiſſe; qua de re conſulendi ſunt, qui de ſignificatione huius vocabuli apud ſcriptores et Philoſophos graecos expoſuerunt, *Georg. Wonna* in *Exercit. Philol. I. de Geniis, Ien.* 1659. 4. *repet. in Faſcic. Diſſ. cura atque emendatione Car. Bernizii et Corn. van Steckel, Part. II.* (*Rotter.* 1710. 8.) *pag.* 1. *ſſ.* *Iac. Ode* in *Comment. de Angel. Sect. I. c.*

malam ſemper partem vſos eſſe [37]) ſic, ut a bonis angelis vbique ſeiungerent daemones, aliam plane, quam illos, ſentiendi agendique rationes ſequentes [38]).

Hos igitur cum cultu diuino a gentilibus dicerent exceptos eſſe, hoc non ſic voluerunt intellectum, ac ſi ipſi gentiles ſciuiſſent, malos a ſe Spiritus coli, imo diſerte fatentur, id eos latuiſſe [39]); ſed haec eorum potius mens fuit, omnem gentilium cultum idololatricum ab his Spiritibus malis tanquam auctoribus eſſe repetendum. Neque enim ignorarunt, non modo corpora coeleſtia, ſed homines etiam, atque adeo animalia in Deorum loco et numero a gentilibus habita fuiſſe [40]). Verum haec omnia vt diuino cultu proſequerentur, daemones

---

VIII. §. 13. *ſſ. p.* 172. *ſſ.* **Io. Sal. Semlerus** in *Comment. de Daemoniacis, quorum in N. T. fit mentio,* Edit III. Hal. 1779. 8.) *§.* 4. **Mich. Merkelius** in: *Unpartheyiſch. Unterſuch. der Dämoniſchen Leute des N. T. erſte Abtheil. in welcher die Bedeutung des Wortes* δαιμων *hiſtoriſch unterſucht wird,* (Lipſ. 1768. 8.) *pag.* 21. *ſſ.* **Io. Sim. Lindinger** *de Ebraeorum veterum arte medica, de daemone et daemoniacis,* (Serveſt. et Leucor. 1774. 8.) *pag.* 65. *ſſ.* et **Herm. Frid. Behn** *Ueber die Lehrart Jeſu und ſeiner Apoſtel, in wiefern dieſelben ſich nach den damals herrſchenden Volksmeynungen bequemt haben.* (Lübec. 1791. 8.) *§.* 34. *p.* 103. *ſſ.* aliique plures.

37 De quo qui plura adhuc cognoſcere cupial, is adeat Odium in *Comment.* modo laud. de ſignificatione huius vocabuli in Patrum ſcriptis pluribus diſputantem, *Sect. I. c. VIII. §.* 27. *p.* 191. *ſſ. et §.* 39. *p.* 203. *ſ.*

38) Quam in rem commemorari v. c. poterit locus Lactantii *Diu. Inſtit. l. I. c.* 7. *§.* 9. vbi daemones aperte opponit angelis, dum de Apolline dicit: *de ſe quidem ille mentitus eſt, qui quum ſit e numero daemonum, angelis ſe Dei adgregauit.*

39) Sic v. c. Iuſtin. Mart. *Apol. I. §.* 5 *p.* 8. μὴ ἐπιτάμενοι, inquit, *δαίμονας εἶναι φαύλους, οὓς προσωνόμαζον.*

40) Id enim ipſi ſaepenumero monent, et itentidem vrgent, eique tractando diutius adeo inhaerent, vt vel hinc etiam vanitatem iſtius gentilium cultus demonſtrent, quam in rem videri v. c. poſſunt, quae leguntur apud Theophilum Antioch. *ad Autol. l. I. c. XIV. et XV. et l. II c. II* Euſeb. *Praep. Euang. l II. c. I. et VI.* Cyrill. *contr. Iulian. l. VI. pag.* 206. Lactant. *div. Inſtit. l. I.* fere toto, et Auguſtin. *de Ciu. Dei l. VIII. c.* 26. cf. *Eiſenlohr Diſſ. p.* 14. et loca vbi laudd.

istos putarunt iis auctores suasoresque extitisse, hincque eos ipsa etiam hominum v. c. inter Deos relatorum nomina sibi dixerunt vindicasse, subque iis latuisse: in quam rem plura praesto sunt Athenagorae [41]), Tatiani [42]), Origenis [43]), Cyrilli Alex. [44]) Tertulliani [45]) et Lactantii [46]) testimonia admodum perspicua. Eodem

---

41) Qui *Legat. pro Christ. c. XXII. §. 24. ff.* hanc in rem haec tradit: *οἱ μὲν περὶ τὰ εἴδωλα αὐτοὺς ἕλκοντες οἱ δαίμονες εἰσιν οἱ προειρημένοι, — οἱ δὲ τοῖς πολλοῖς ἀρέσκοντες θεοὶ καὶ ταῖς εἰκόσιν ἐπονομαζόμενοι, ὡς ἔξιν ἐκ τῆς κατ' αὐτὸς ἱεροῖας εἰδέναι, ἄνθρωποι γεγόνασιν.* Horum autem ipsorum hominum nomina daemones istos ex nostri mente sibi vindicasse, adparet ex iis, quae his statim subiungit cap. XXIII. *καὶ τὸς μὲν*, inquiens, *δαίμονας εἶναι τὸς ἐπιβατεύονταις τοῖς ὀνόμασι, πίστις ἡ ἑκάστε αὐτῶν ἐνέργεια.*

42) In *Orat. contr. Graec. §. 9. p. 251.* ita scribentis: *τοιοῦτοι τινὲς εἰσιν οἱ δαίμονες, ἕτοι οἱ τὴν εἱμαρμένην ὥρισαν· στοιχείωσις δὲ αὐτοῖς ἡ ζώωσις ἦν. τὰ γὰρ ἐπὶ τῆς γῆς ἑρπετὰ, καὶ τὰ ἐν τοῖς ὕδασι νηκτὰ, καὶ καὶ τὰ ἐπὶ τοῖς ὄρεσι πετράποδα, μεθ' ὧν ἐποιοῦντο τὴν διαίταν, ἔκβληποι τῆς ἐν ὀρανῷ διαίτης γεγεννημένοι, ταῦτα τῆς ἐπεραυίε τιμῆς ἠξίωσαν, ἵνα τε νομισθῶσιν αὐτοὶ διατρίβειν ἐν ὀρανῷ, καὶ τὴν ἄλογον ἐπὶ γῆς πολιτείαν εὔλογον διὰ τῆς ἀστροθεσίας ἀποδείξωσιν.*

43) Cuius in *Exhort. ad Martyr. p. 212.* Wetst. haec verba sunt: *οὐ θαυμαστὸν δὲ εἰ τὰ δαιμόνια τὰς ἰδίας ὀνομασίας ἀναφέρει ἐπὶ τὸν πρῶτον Θεόν· ἵν' ὡς πρῶτος προσκυνηθῇ Θεός.*

44) Qui *l. VI. contr. Iulian. p. 210.* haec habet de istis malis angelis: *πεπείκασι δὲ προσκυνεῖν, ἐκ αὐτοῖς δὴ μόνον, ἀλλὰ καὶ τοῖς τοῦ κόσμε στοιχείοις, καὶ ζώων ἀλόγων ἐκτυπώμασι πτηνῶν τε καὶ ἐναλίων.*

45) In *libr. de Spectac. c. X. To. IV. Opp. p. 122* vbi *scimus*, inquit, *nihil esse nomina mortuorum, sicut nec ipsa simulacra eorum. Sed non ignoramus, qui sub istis nominibus et institutis simulacris operentur et gaudeant, et diuinitatem mentiantur, nequam Spiritus scilicet daemones.* Quibus similia sunt, quae habet *Apologet. c. XXI. To. V. p. 61. Quaerite ergo si vera est diuinitas Christi. Si ea est, qua cognita ad bonum quis reformatur, sequitur, vt falsa renuncietur quaeuis alia contraria comperta; inprimis illa omni ratione, quae delitescens sub nominibus et imaginibus mortuorum, quibusdam signis et miraculis et oraculis fidem diuinitatis operatur.* Cum his conferri etiam possunt, quae de nominibus in superstitionem a daemonibus raptis simili modo disputantur in *libr. de idolol. c. XV. To. IV. p. 169.*

46) Qui hac de re pluribus in locis exponit, quo pertinent v. c. quae habet *Instit. diuin. l. II. c. XVI. §. 3. p. 268. Hi*

vero modo iam et alia, quae in gentilium ſacris locum habebant, aut cum iis coniuncta erant, ad daemones iſtos retulerunt, hincque oracula etiam, prodigia, auſpicia et alia diuinationum genera ab iis repetierunt, hisque omnibus eos dixerunt hominibus illuſiſſe, vt metum iis iniicerent, et ad ſui eos cultum perducerent: id quod rurſus inſigni locorum haec omnia confirmantium copia poterit illuſtrari. At cum non omnia poſſint propter ſpatii anguſtiam commemorari, potiora ſaltem loca quaedam excitaſſe ſufficiat. Pertinent autem huc, quae de auſpiciis v. c. ex animalibus captis leguntur apud Origenem his verbis concepta [47]): κατὰ ἡμᾶς δαίμονές τινες φαῦλοι καὶ (ἵν' ὅτως ὀνομάσω) τιτανικοὶ ἢ γιγάντιοι, ἀσεβεῖς πρὸς τὸ ἀληθῶς θεῖον καὶ τὸς ἐν ὀρανῷ ἀγγέλὸς γεγεννημένοι, καὶ πεσόντες ἐξ ὀρανȣ̃, καὶ περὶ τὰ παχύτερα τῶν σωμάτων καὶ ἀκαθαρτὰ ἐπὶ γῆς καλινδȣ́μενοι ἔχοντές τι περὶ τῶν μέλλοντων διορατικὸν, ἅτε γυμνοὶ τῶν γηϊνῶν σωμάτων τυγχάνοντες καὶ περὶ τοιȣ̃τον ἔργον καταγινόμενοι, βȣλόμενοι ἀπάγειν τȣ̃ ἀληθινȣ̃ Θεȣ̃ τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος, ὑποδύονται τῶν ζώων τὰ ἁρπακτικώτερα καὶ ἀγριώ-

ſunt, qui imagines et ſimulacra fingere docuerunt; qui, vt hominum mentes a cultu veri Dei auerterent, efficios mortuorum regum vultus et ornatos exquiſita pulchritudine ſtatui conſecrarique fecerunt, et illorum ſibi nomina, quaſi perſonas aliquas induerunt; itemque *l. IV. c. XXVII.* 17. *p.* 551 vbi *iidem ſunt,* inquit, *qui deiiciendi hominis cauſa varios ſibi cultus peruerſa religione condiderunt; mentitis tamen, adſumtisque nominibus, vt fallerent. Nam quia diuinitatem per ſe ipſos adfectare non poterant, adſciuerunt ſibi nomina potentium regum, ſub quorum titulis honores ſibi deorum vindicarent.* Quod autem in vtroque loco regum potiſſimum mortuorum nomina adſumſiſſe dicit daemones iſtos, eius rei cauſa optime forſitan intelligi poterit ex alio eius loco *lib. I. c. VIII. §.* 8. *p.* 53. vbi haec leguntur: *Quomodo ergo, inquiet aliquis, dii crediti ſunt? Nimirum quia reges maximi ac potentiſſimi fuerunt, ob merita virtutum ſuarum aut munerum aut artium repertarum, quum cari fuiſſent iis, quibus imperitauerant, in memoriam ſunt conſecrati.*

47) *Contr. Celſ. l. IV. p.* 225.

τερα, καὶ ἄλλα πανεργότερα, καὶ κινεῖσιν αὐτὰ πρὸς ὃ βάλονται, ὅτε βάλονται· ἢ τὰς φαντασίας τῶν τοιῶνδε ζώων τρέπεσιν ἐπὶ πτῆσεις καὶ κινήσεις τοιάσδε· ἵνα ἄνθρωποι διὰ τῆς ἐν τοῖς ἀλόγοις ζώοις ἀλισκόμενοι μαντικῆς Θεὸν μὲν τὸν περιέχοντα τὰ ὅλα μὴ ζητῶσι, μηδὲ τὴν καθαρὰν θεοσέβειαν ἐξετάζωσι, πέσωσι δὲ τῷ λογισμῷ ἐπὶ τὴν γῆν, τοὺς ὄρνεις καὶ τοὺς δράκοντας, ἔτι δὲ ἀλώπεκας καὶ λύκους; quaeque idem alio in loco [48]) de oraculis in hunc modum disputat: ἀλλὰ γὰρ δεδόσθω, μὴ εἶναι πλάσματα, μηδὲ προσποιήσεις ἀνθρώπων περὶ θεοφορίας, τὰ περὶ τὴν Πυθίαν καὶ τὰ λοιπὰ χρηστήρια. ἴδωμεν ἂν εἰ μὴ καὶ ἔτω δύναται τοῖς φιλαλήθως ἐξετάζουσι τὰ πράγματα ἀποδείκνυσθαι, ὅτι καὶ τῷ παραδεχωμένῳ εἶναι ταῦτα τὰ μαντεῖα οὐκ ἀναγκαῖον προσέσθαι, ὅτι θεοί τινές εἰσι παρ' αὐτοῖς· ἀλλ' ἐκ τουναντίου δαίμονές τινες φαῦλοι καὶ πνεύματα ἐχθρὰ τῷ γένει τῶν ἀνθρώπων [49]). Tum huc referenda etiam ſunt, quae in eandem rem tradunt Minucius Felix [50]), *iſti igitur*, inquiens, *impuri ſpiritus, daemones, vt oſtenſum a Magis, a Philoſophis et a Platone, ſub ſtatuis et imaginibus conſecrati delitescunt. et adflatu ſuo auctoritatem, quaſi praeſentis numinis, conſequuntur, dum inſpirant interim vatibus, dum fanis im-*

---

48) *Ibid. l. VII. p.* 333.

49) Ad eiusdem de oraculis ſententiae teſtimonium valent etiam plures Euſebii loci, in quibus idem de iis profitetur; qualis v. c. hic eſt, qui *Praep. Eu. l. III. c.* 17. *p.* 127. legitur: Τοὺς γέ τι τῶν χρησμῶν ἐπηρέτας ἀληθεῖ λόγῳ φάσκειν δαίμονας εἶναι φαύλους, ἐπ' ἀνθρώπων ἀπάτῃ τὰ ἀμφότερα παίζοντας, καὶ τοτὲ μὲν συντιθεμένους ταῖς μυθικωτέραις περὶ αὐτῶν ὑπολήψεσιν ἐπὶ τῇ πανδήμῳ πλάνῃ; τοτὲ δὲ τὰ τῆς φιλοσόφου γοητείας ἐπικρεῦντας ἐπὶ τῇ καὶ τούτων ἐπιτριβῇ καὶ φυσιώσει, ὡς τε καὶ πανταχόθεν ἁλίσκεσθαι μηδὲν αὐτοὺς ἀληθεύειν. Quae vero hic in vniuerſum dicit, ea *l. IV. et V.* pluribus illuſtrat, docetque ſimul, quibus artibus et fraudibus in oraculis iſtis vſi fuerint daemones.

50) *Octau. c. XXVII. 1. p.* 167. *ſſ.*

morantur, dum nonnunquam extorum fibras animant, auium volatus gubernant, ſortes regunt oracula efficiunt falſis pluribus inuoluta [51]); itemque Tertullianus, diuinationum rerumque futurarum praedictionum, quibus daemones iſti homines a vero Deo ſtudeant auertere, cauſas et rationem in hunc modum deſcribens [52]): *Omnis Spiritus ales eſt, hoc angeli et daemones. Igitur momento vbique ſunt. Totus orbis illis locus vnus eſt; quid vbique geratur, tam facile ſciunt, quam enunciant. Velocitas, diuinitas creditur; quia ſubſtantia ignoratur. Sic et auctores interdum videri volunt eorum, quae annunciant; et ſunt plane malorum nonnunquam, bonorum tamen nunquam. Diſpoſitiones etiam Dei et tunc prophetis concionantibus exceperunt, et nunc lectionibus reſonantibus carpunt. Ita et hinc ſumentes quasdam temporum ſortes, aemulantur diuinitatem, dum furantur diuinationem. In oraculis autem, quo ingenio ambiguitates temperent in euentus, ſciunt Croeſi, ſciunt Pyrrhi.* Neque minus amplus eſt in hac re declaranda Lactantius, his verbis vſus [53]): *Eorum inuenta ſunt aſtrologia, et aruſpicina et auguratio, et ipſa, quae dicuntur oracula, et necromantia, et ars magica, et quidquid praeterea malorum exercent homines vel palam, vel occulte. — — Offundunt igitur tenebras et veritatem caligine obducunt, ne dominum, ne patrem ſuum norint; et vt illiciant, facile in templis ſe occulunt, et ſacrificiis omnibus praeſto*

---

51) His ſimillima ſunt, quae iisdem fere verbis vſus tradit Cyprianus *de idolor. vanit. c. IV.* 3. *p.* 249. *Hi ergo Spiritus ſub ſtatuis atque imaginibus deliteſcunt. Hi adflatu ſuo vatum pectora inſpirant, extorum fibras animant, auium volatus gubernant, ſortes regunt, oracula efficiunt, falſa veris ſemper inuoluunt.*

52) *Apologet. c. XXII. T. V. Opp. p.* 63.

53) *Inſtit. diu. l. II. c. XVI. §.* 1. *et* 10. *p.* 268. *ſſ.*

adſunt; eduntque ſaepe prodigia, quibus obſtupefacti homines, fidem commodent ſimulacris diuinitatis ac numinis. — In oraculis autem vel maxime fallunt, quorum praeſtigias profani a veritate intelligere non poſſunt: ideoque ab illis adtribui putant et imperia et victorias et opes et euentus proſperos rerum; denique ipſorum nutu ſaepe rempublicam periculis imminentibus liberatum: quae pericula et reſponſis denunciauerint, et, ſacrificiis placati, auerterint. Sed omnia iſta fallaciae ſunt. Nam quum diſpoſitiones Dei praeſentiant, quippe qui miniſtri eius fuerunt; interponunt ſe in his rebus, vt, quaecunque a Deo vel facta ſunt, vel fiunt, ipſi potiſſimum facere, aut feciſſe videantur: et quoties alicui populo vel vrbi ſecundum Dei ſtatutum boni quid impendet, illi ſe id facturos vel prodigiis, vel ſomniis, vel oraculis pollicentur; ſi ſibi templa, ſi honores, ſi ſacrificia tribuantur, quibus datis quum illud acciderit, quod neceſſe eſt, ſummam ſibi pariunt venerationem. Hinc templa deuouentur, et nouae imagines conſecrantur, mactantur greges hoſtiarum; ſed quum haec facta ſunt, nihilo minus tamen et vita et ſalus eorum, qui haec fecerint, immolantur. Quoties autem pericula impendent; ob aliquam ſe ineptam et leuem cauſam profitentur iratos. Alio vero et ab his aliquantum diuerſo modo rationem et cauſas diuinationum daemoniacarum explicat Auguſtinus, dum haec de iis tradit [54]): *Primum ſciendum eſt, — illos ea plerumque praenuntiare, quae ipſi facturi ſunt. Accipiunt enim ſaepe poteſtatem et morbos immittere, et ipſum aerem vitiando morbidum reddere et peruerſis atque amatoribus terrenorum commodorum malefacta ſuadere; de quorum moribus certi ſunt, quod ſint eis talia ſuadentibus conſenſuri. — Aliquando autem non*

54) *De diuinat. daem. c. V. Opp. To. VI. pag. 509. edit. Bened. Venet.*

quae ipsi faciunt, sed quae naturalibus signis futura praenoscunt, quae signa in hominum sensus venire non possunt, ante praedicunt. — Aliquando et hominum dispositiones non solum voce prolatas, verum etiam cogitatione conceptas cum signa quaedam ex animo exprimuntur in corpore, tota facilitate perdiscunt [55]*; atque hinc etiam multa futura praenuntiant, aliis videlicet mira, qui ista disposita non noverunt.*

In his vero omnibus moderandis variisque cultus sibi exhibendi generibus eorumque ritibus et caerimoniis constituendis daemones isios interdum etiam dicunt ex iis, quae in religione vel iudaica, vel christiana instituta fuissent aut tradita, aliquid surripuisse atque imitatos esse: quo pertinent v. c. quae Iustinus Mart. de baptismo in gentilium lotionibus [56], et eucharistia in Mithrae mysteriis expressis [57], deque aliis eiusmodi imitationis vestigiis in gentilium sacris et fabulis reperiundis [58] non

---

55) Hac tamen de re sibi post paulo confidentius scripsisse visus est, vt ipse docet *Retractat. l. II. c.* 30. *Opp. T. I. p.* 52. Caeterum ad omnem hanc de oraculis disputationem cf. *Fontenelle*, histoire des oracles (à la Haye, 1728. 8.) Chap. III. p. 10. sq. qui et ipse suam sententiam ex Platonica Philos. repetiit; qui liber eodem anno latine redditus fuit hoc titulo: historia de silentio oraculorum paganismi post I. C. aduentum obmutescentium.

56) *Apol. §.* 81. *p.* 58. vbi *τὸ λατρὸν τῆτο*, inquit, *ἀκέσαντες οἱ δαίμονες διὰ τῆ προφήτη κεκηρυγμένον, ἐνήργησαν καὶ ῥαντίζειν ἑαυτὲς τῆς εἰς τὰ ἱερὰ αὐτῶν ἐπιβαίνοντας, καὶ προσιέναι αὐτοῖς μέλλοντας, λοιβὰς καὶ κνίσας ἀποτελέντας, τέλεον δὲ καὶ λέεσθαι ἀπόντας, πρὶν ἐλθεῖν ἐπὶ τὰ ἱερὰ ἔνθα ἵδρυνται ἐνεργῆσι.*

57) *Ibid. §.* 86. *p.* 63. vbi postquam huius Eucharistiae celebrandae rationem descripserat, haec deinde addit: *ὅπερ καὶ ἐν τοῖς τῆ Μίθρα μυςηρίοις παρέδωκαν γίνεσθαι μιμησάμενοι οἱ πονηροὶ δαίμονες.*

58) Qualia sunt, quae de calceis in templorum ingressu soluendis, habet §. 81. *p.* 59. *καὶ γὰρ τὸ ὑπολύεσθαι*, inquiens, *ἐπιβαίνοντας τοῖς ἱεροῖς, καὶ τοῖς αὐτοῖς (ναοῖς) τῆς θρησκεύοντας, κελεύεσθαι ὑπὸ τῶν ἱερατεύοντων, ἐκ τῶν συμβάντων Μωσεῖ τῷ εἰρημένῳ προφήτη μαθόντες οἱ δαίμονες ἐμιμήσαντο κ. τ. λ.* quaeque leguntur ibidem §. 84. *p.* 61. his verbis expressa: *καὶ τὸ ἀνεγείρειν δὲ τὸ εἴδωλον τῆς λεγομένης Κόρης ἐπὶ ταῖς τῶν ὑδάτων*

dubitauit profiteri, quaeque his ſimillima ſcripſit Tertullianus, haec de diabolo tradens [59]): *Qui ipſas quoque res ſacramentorum diuinorum in idolorum myſteriis aemulatur. Tingit et ipſe quosdam, vtique credentes et fideles ſuos; expiationem delictorum de lauacro repromittit, et ſi adhuc memini Mithrae, ſignat illic in frontibus milites ſuos; celebrat et panis oblationem reſurrectionis indicit: et ſub gladio redimit coronam. Quid quod et ſummum pontificem nuptiis ſtatuit? Habet et virgines, habet et continentes. Caeterum ſi Numae Pompilii ſuperſtitiones reuoluamus, ſi ſacerdotalia officia, inſignia, et priuilegia, ſi ſacrificantia miniſteria et inſtrumenta et vaſa ipſorum ſacrificiorum ac piaculorum et votorum curioſitates conſideremus: nonne manifeſte diabolus moroſitatem illam Iudaeae imitatus eſt? Qui ergo ipſas res, de quibus ſacramenta Chriſti adminiſtrantur, tam aemulanter adfectauit exprimere in negotiis idololatriae; vtique et idem et eodem ingenio geſtiit et potuit inſtrumenta quoque diuinarum rerum et ſanctorum Chriſtianorum, ſenſum de ſenſibus, verba de verbis, parabolas de parabolis, prophanae et aemulae fidei attentare* [60]).

Si vero quaeſiuerimus iam e noſtris, qua tandem cauſa inducti daemones iſti homines a veri Dei cognitione ad eiusmodi idolorum cultum abduxerint, vna-

---

πηγαῖς ἐνεργῆσαι τὰς δαίμονας, λέγοντας θυγατέρα αὐτὴν εἶναι τοῦ Διός, μιμησαμένους τὸ διὰ Μωσέως εἰρημένον, ἐκ τῶν προειρημένων νοῆσαι δύνασθε, — εἰς μίμησιν ἐν τῷ λεχθέντος ἐπιφερομένῳ τῷ ὕδατι πνεύματος Θεοῦ, τὴν Κόρην θυγατέρα τοῦ Διὸς ἔφασαν. καὶ τὴν Ἀθηνᾶν δὲ ὁποίως ποιηρευόμενοι, θυγατέρα τοῦ Διὸς ἔφασαν, οὐκ ἀπὸ μίξεως, ἀλλ' ἐπειδὴ ἐννοηθέντα τὸν Θεὸν διὰ λόγου τὸν κόσμον ποιῆσαι ἔγνωσαν, ὡς τὴν πρώτην ἔννοιαν ἔφασαν τὴν Ἀθηνᾶν.

59) *De praeſcripti. haeret. c. XL. To. II. p.* 52.

60) Similia his habet etiam in *libr. de baptism. c. V. tot. To. IV. p.* 190. inque eodem argumento tractando multum etiam verſatus eſt Matern. Firmic. in libr. *de errore prof. relig.* iam laud.

nimi propemodum omnes voce respondent, hac de causa id factum esse, vt sacrificiorum sibi oblatorum vaporibus et nidore fruerentur [61]). Hanc enim huius rei rationem ab omnibus fere huius vniuersi dogmatis defensoribus, nominatim Iustino Mart. [62]), Athenagora [63]), Origene [64]), Chrysostomo [65]), Cyrillo Alex. [66]), Minucio Fel. [67]), Tertulliano [68]), Materno Firmico [69]), et

---

61) De qua re nos supr. iam dicere meminimus *Comment. III. p.* 537.

62) *Apol. II. §.* 6. *p.* 73. vbi daemones istos humanum genus sibi dicit subiecisse *διὰ διδαχῆς θυμάτων, καὶ θυμιαμάτων καὶ σπονδῶν, ὧν ἐνδεεῖς γεγόνασι.*

63) *Legat. pro Christ. c. XXII. §.* 24. *p.* 175. vbi de daemonibus homines ad idola trahentibus haec habet: *οἱ μὲν περὶ τὰ εἴδωλα αὐτὰς ἕλκοντες οἱ δαίμονές εἰσιν οἱ προειρημένοι, οἱ προστετηκότες τῷ ἀπὸ τῶν ἱερείων αἵματι, καὶ ταῦτα περιλιχμώμενοι;* similiterque etiam *Cap. seq. §.* 12. *p.* 183. ab eo commemorantur *οἱ περὶ τὴν ὕλην δαίμονες, λίχνοι περὶ τὰς κνίσσας καὶ τῶν ἱερείων αἷμα ὄντες.*

64) Qui huius rei saepius mentionem facit cum in libr. *contr. Cels. l. III. p.* 128. *et p.* 133. vbi daemones istos adpellat *δαίμονια λιχνὰ καὶ περὶ τὰς θυσίας καὶ τὰ αἵματα, καὶ τὰς ἀπὸ τῶν θυσιῶν ἀποφορὰς καλινδέμενα*, itemque *l. IV. p.* 182. *l. VII. p.* 334. *et* 355. 374 *et l. VIII. p.* 418. tum in *Exhort. ad Martyr. p.* 210. *s.* edit. Wetst.

65) *Orat. in S. Babyl. T. II. Opp. p.* 558. edit. Montf. vbi haec sunt verba eius: *τοιοῦτος ὁ τῶν δαιμόνων τρόπος, ὅτ' ἂν μὲν τῇ κνίσσῃ καὶ τῷ κάπνῳ καὶ τοῖς αἵμασιν αὐτοὺς θεραπεύωσι, καθάπερ κύνες αἱμοβόροι καὶ λίχνοι παραγίνονται, λάψοντες. ὅτ' ἂν δὲ μηδεὶς ὁ ταῦτα παρέχων ᾖ, καθάπερ τινὶ λίμῳ διαφθείρονται.*

66) *Contr. Iulian. l. IV. p.* 125. haec scribente: *ὀχληρὸν δὲ ἴσως τὰ καθ' ἕκαστα λέγειν, ἐδενὸς ἠγνοηκότος ὅτι λοιβαῖς τε καὶ κνίσσαις, οἱ παρὰ σφίσιν ἅπαντες ἥδονται θεοὶ, μᾶλλον δὲ βδελυροὶ καὶ ἀκάθαρτοι δαίμονες.*

67) *Octau. c. XXVII. §.* 3. *p.* 170. vbi de spiritibus istis prauis loquens haec habet: *morbos fingunt, terrent mentes, membra distorquent, vt ad cultum sui cogant: vt nidore altarium vel hostiis pecudum saginati, remissis, quae constrinxerant, euasse videantur.* Quae eadem leguntur esiam apud Cyprian. *de vanit. idolor. IV. §. IV. §.* 4. *p.* 250.

68) *Apolog. c. XXII. T. V. Opp. p.* 62. vbi *eadem*, inquit, *obscuritate contagionis adspiratio daemonum et angelorum mentis quoque corruptelas agit furoribus et amentiis foedis, aut saeuis libidinibus cum erroribus variis: quorum iste potissimum quo deos istos capis et circumscriptis hominum mentibus*

Hieronymo [70]) afferri videas. Quod autem hos sacrificiorum vapores tam cupide adpetierint atque inhiauerint, eius rei Origenes quidem hanc commemorat causam, quod, cum iis nutriantur, eorum ad se ipsos sustentandos indiguerint; quam in rem locus inprimis notabilis legitur in *Exhortat. ad Mart.* in quo hac de re in hunc quidem modum disputat [71]): Ἐπεὶ δὲ τινες, μὴ θεωρῶντες τὸν περὶ τῶν δαιμόνων λόγον, καὶ ὡς ὑπὲρ τοῦ παραμένειν ἐν τῷ παχεῖ τούτῳ καὶ περιγείῳ ἀέρι, δεόμενοι τροφῆς, τῆς διὰ τῶν ἀναθυμιάσεων ἐπιτηροῦσιν ὅπου κνίσσα ἀεὶ καὶ αἵματα καὶ λιβανωτοὶ, ἐξευτελίζουσιν ὡς ἀδιάφορον τὸ θύειν, εἴποιμεν ἂν καὶ πρὸς ταῦτα. ὅτι εἴπερ οἱ τροφὰς λησταῖς καὶ φονεῦσι καὶ βαρβάροις ἐχθροῖς τοῦ μεγάλου βασιλέως παρέχοντες, ὡς τὸ κοινὸν ἀδικήσαντες κολάζονται· πόσῳ πλέον οἱ τοῖς τῆς κακίας ὑπηρέταις διὰ τοῦ θύειν διδόντες τροφὰς παρακατεχόσας αὐτοὺς ἐν τῷ περιγείῳ τόπῳ δικαιότατα ἂν ἐγκαλοῖντο: — — καὶ οἶμαι γε ἐπὶ τοῖς ἁμαρτανομένοις ὑπὸ τῶν δαιμόνων, ἐνεργούντων κατὰ τῶν ἀνθρώπων, ἐκ ἐλαττον ἐγκληθήσεσθαι· τῶν ἐνεργησάντων δαιμόνων τὰ χείρονα, διὰ

---

commendat, vt et sibi pabula propria nidoris et sanguinis procuret simulacris et imaginibus oblata. Hinc etiam *Cap. XXIII. p.* 67. *Renuant*, ait, *se immundos spiritus esse, quod vel ex pabulis eorum sanguine et fumo et putidis rogis pecorum et impuratissimis linguis ipsorum vatum intelligi debuit.* Eodem faciunt, quae habet in *libr. ad Scap. c. II. T. III. Opp. p.* 203. *Non eget Deus conditor vniuersitatis, odoris aut sanguinis alicuius. Haec enim daemoniorum pabula sunt.*

69) In *libr. de errore prof. relig. p.* 52. in allocutione diaboli haec inter alia ponente: *Serpis in templis, et occisarum hostiarum misero pasceris sanguine. Nec venenis tuis cruor defuit, nec semiustae crematorum corporum partes, humanarum te etiam victimarum frequenter sanguine cruentasti.*

70) *Epist. XXI. ad Damas. Opp. T. I. p.* 74. edit. Vallars. vbi *Talis est*, inquit, *daemonum multitudo, quae per idola manufacta cruore pecudum et victimis pascitur, et nouissime saginatiore quadam hostia, ipsius hominis morte, saturatur.*

71) *Pag.* 210. *s.*

τȣ̃ θύειν θρέψαντες αὐτȣ̀ς, οἱονεὶ γὰρ κοινῇ τὰ κακὰ πεποιήκασι τοῖς ἀνθρώποις, οἱ τε δαίμονες καὶ οἱ κατασχόντες αὐτȣ̀ς ἐπὶ γῆς, μὴ ἂν δυνηθέντες διαρκέσαι, χωρὶς τῶν ἀναθυμιάσεων, καὶ τῶν νομιζομένων εἶναι κατ' ἀλλήλων τροφῶν τοῖς σώμασιν αὐτῶν. His vero ſimillima etiam leguntur apud Baſilium M. ita ſcribentem [72]): δαίμοσι διὰ τὸ φιλήδονον καὶ ἐμπαθὲς αἱ θυσίαι φέρȣσι τινα ἡδονὴν καὶ χρεῖαν ἐκθυμώμεναι διὰ τῆς καύσεως ἐξατμιζομένȣ τȣ̃ αἵματος, καὶ ȣ̃τω διὰ τῆς τοιαύτης λεπτοποιήσεως εἰς τὴν σύςασιν αὐτῶν ἀναλαμβανομένȣ. ὅλοι γὰρ δι' ὅλων τρέφονται τοῖς ἀτμοῖς, ȣ̀ διὰ μασσήσεως καὶ κοιλίας, ἀλλ' ὡς αἱ τρίχες τῶν ζώων καὶ ὄνυχες, καὶ ὅσα τοιαῦτα εἰς ὅλην ἑαυτῶν τὴν ȣ̀σίαν, τὴν τροφὴν καταδέχεται. διὰ τȣ̃το λίχνως περὶ τὰς κνίσσας ἐπτέηνται καὶ τὸν ἐκ τȣ̃ λιβανωτȣ̃ καπνὸν, ὡς ἐπιτήδειον αὐτοῖς εἰς τροφὴν ὑπερασπάζονται. Neque alia ſunt, quae in eandem rem tradit Matern. Firm. [73]), *Sed et in ipſo*, inquiens, *ſimulacro, ſicut in caeteris, ex aſſiduis ſacrificiis immundi daemonum ſpiritus colliguntur. Nihil enim operantur animae, et cruor ex aſſidua pecudum caede profuſus, niſi vt daemonum ſubſtantia, qui diaboli procreatione generantur, ex iſto ſanguine nutriatur.* Lactantius vero hanc potius huius daemonum inſtituti cauſam fuiſſe dicit, vt hominibus noceretur, dum haec de iis tradit [74]): *Illi autem, qui deſciuerunt a Dei miniſterio, — nomen ſibi et cultum Deorum vindicare conantur: non quod vllum honorem deſiderent, (quis enim honor perditis eſt?) nec vt Deo noceant, cui noceri non poteſt, ſed vt hominibus, quos nituntur a cultu et notitia verae maieſtatis auertere, ne immorta-*

---

72) In *Commentar. in Ieſ. Cap. I. §. 25. p. 398. To. I.* Op. edit. Garner.

73) *L. L. pag.* 29.

74) *Diuin. Inſtit. l. II. c. XVI. §. 9. To. I. p. 270.*

litatem adipiſci poſſint, quam ipſi ſua nequitia perdiderunt. Auguſtinus contra cauſam huius rei in eorum potius ſuperbia iudicauit quaerendam eſſe, ideoque haec de iis ſcripſit [75]): *Eſt ergo in daemonibus ſcientia ſine charitate, et ideo tam inflati, id eſt, tam ſuperbi ſunt, vt honores diuinos et religionis ſeruitutem, quam vero Deo deberi ſciunt, ſibi ſategerint exhiberi, et quantum poſſunt et apud quos poſſunt, adhuc agunt.*

Cap. III.

Sect. V. de fontibus huius ſuperſtitionis.

(Comment. VII.)

Quaerentibus igitur nobis, ex quonam fonte ſententiam de cultu gentilium idololatrico per angelos malos, vel daemones, ſtabilito, in ſuperiori libello a nobis expoſitam, hauſiſſe videantur veteris eccleſiae doctores, mirum ſane eſt, a nonnullis ſaltem hoc reſponderi [1]), ex Platonica philoſophia et hanc eos ſententiam arripuiſſe, cum id ipſum a pluribus quoque recentioris aetatis Theologis [2]) defenſum fuiſſe conſtet, quos nemo profecto dixerit, Platonis auctoritate motos ita ſtatuiſſe. Dicunt tamen, Platonem quoque Deos a gentilibus cul-

---

75) *De ciuit. Dei l. IX. c. XX. Opp. To. VI. p. 233.*

1) Inter quos iterum laudandus eſt *Gottl. Wernsdorfius* in *Exercit. de commercio angelorum cum filiabus hominum ab Iudaeis et Patribus platonizantibus credito*, §. 3. *pag.* 9. *ſ.* qui tamen hic ſimul ipſe concedit, poſſe et alium huius opinionis fontem aperiri, peruerſam nimirum loci mox pluribus explicandi e Pſ. XCVI, 5. verſionem apud τοὺς ὁ reperiundam.

2) Quorum in numero praeter alios imprimis ponendus eſt *Georg. Moebius*, noſtrae quondam academiae Theologus, in *Tract. philolog. theol. de oraculorum ethnicorum origine, propagatione et duratione*, cuius quarta eademque vltima editio prodiit *Francof. et Lipſ.* 1692. 8.

tos pro daemonibus ſ. diis iunioribus habuiſſe, hanceque ſententiam poſt non modo Platonicos recentiores [3]), ſed noſtros etiam antiquiorum Chriſtianorum doctores ab eo ſibi perſuaderi paſſos eſſe. Verum vt taceamus, quod cuilibet in oculos incurrit, hanc non eandem eſſe cum ſententia a noſtris defenſa, hoc ſaltem certiſſime licet profiteri, hos quidem, ſi hoc iudicium cognoſcere potuiſſent, nullo modo conceſſuros fuiſſe, Platonis vel aſſeclarum eius auctoritatem quicquam apud ſe hac in re valuiſſe, aut vllam ad ſententiam iſtam ſibi commendandam vel perſuadendam vim habuiſſe, cum eam diuinae potius doctrinae teſtimonio atque auctoritate omni exceptione maiore iudicarent. Etenim quotquot hanc ſententiam tenuerunt, eos omnes in illius confirmationem laudare videas locum Pſ. XCVI, 5. in quo, verſionem eius Alexandrinam ſecuti, diſerte hoc tradi defendunt, gentilium numina omnia daemonia eſſe. Quod ne temere dixiſſe videamur, diſertis Iuſtini Mart. [4]),

---

3) Quos hanc ſententiam vtique tenuiſſe, alio loco pluribus iam docuimus in Pr. *de cauſſis alieni Platonicorum recentiorum a religione chriſtiana animi* [*pag.* 417.] Ab his vero Platonicis recentioribus hanc ſententiam ad noſtros nominatim doctores translatam mauult Hugo Farmerus in notiſſimo *de daemoniacis N. T.* libro *pag.* 39. *ſ.* verſionis germanicae a *I. P. Bambergero Berol.* 1776. 8. editae.

4) Qui quidem in *Dial. c. Tryph.* non modo Tryphonem hunc locum recitantem inducit §. 55. p. 150. edit. Bened. ſed ipſe etiam eum aliquoties eo, quo diximus, conſilio laudat, nimirum §. 73. *p.* 170. vbi de Chriſto haec habet: *ὃν καὶ σεσῶσθαι ἀναζάντα ἐν τῷ αὐτῷ ψαλμῷ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον λέγει, μηνύον ὅτι ἐκ ξύν ὅμοιος τοῖς τῶν ἐθνῶν θεοῖς· ἐκεῖνα γὰρ εἴδωλα ἐσι δαιμονίων*, idque vt pluribus demonſtret, integrum deinde Pſalm. XCVI. recitat: *it.* §. 79. *p.* 177. vbi *καὶ Δαβὶδ*, inquit, *ὅτι οἱ θεοὶ τῶν ἐθνῶν δαιμόνια εἶπεν, ἐπίσασθε*; et denique §. 83. *p.* 181. e quo loco inprimis cognoſci poteſt, quonam modo locum iſtum intellexerit, et in quamnam rem eo vſus fuerit. Leguntur enim ibi haec: *ἡμέτερος Ἰησοῦς, ἐδέπω ἐνδόξως ἐλθών, ῥάβδον δυνάμεως εἰς Ἱερουσαλὴμ ἐξαπέςειλε τὸν λόγον τῆς κλήσεως καὶ τῆς μετανοίας πρὸς τὰ ἔθνη ἅπαντα, ὅπε τὰ δαιμόνια ἀπεκυρίευεν αὐτῶν, ὡς φησὶ Δαβὶδ, οἱ θεοὶ τῶν ἐθνῶν, δαιμόνια· καὶ ἰσχυρὸς ὁ λόγος αὐτοῦ πίπεικε πολλοὺς καταλιπεῖν δαιμόνια οἷς ἐδούλευον, καὶ ἐπὶ τὸν παντοκράτορα Θεὸν δι' αὐτοῦ πιςεύειν, ὅτι δαιμόνιά εἰσιν οἱ θεοὶ τῶν ἐθνῶν.*

Clementis Alex. [5]), Origenis [6]), Eusebii [7]), Cyrilli Alex. [8]) et Augustini [9]) testimoniis infra a nobis commemoratis satis cautum esse putamus. Atque ex hoc quidem loco omnino adparet, Interpretes istos Alexandrinos de gentilium diis vtique ita statuisse, eos non nisi daemones fuisse, quanquam hoc minime innuat hebrai-

---

5) *Cohort. ad gent. c. IV. p.* 54. edit. Pott. vbi *ὑμεῖς μὲν*, inquit, *ὅπως ποτὲ ὁ ἀνδριὰς ὅτι μάλιστα ὡραιότατος τεκταίνηται, προσκαρτερεῖτε· ὅπως δὲ αὐτοὶ μὴ ὅμοιοι δ' ἀναισθησίαν τοῖς ἀνδριάσιν ἀποτελεσθῆτε ἢ φροντίζετε. πάνυ γὲν ἐμφανῶς καὶ συντόμως ὁ προφητικὸς ἐλέγχει τὴν συνήθειαν λόγος, ὅτι πάντες οἱ θεοὶ τῶν ἐθνῶν δαιμονίων εἰσὶν εἰδωλα· ὁ δὲ Θεὸς τὸς ὀρανὸς ἐποίησε καὶ τὰ ἐν τῷ ὀρανῷ.*

6) Qui in libris *contr. Cels.* saepius huius loci mentionem facit, nominatim *l. III. p.* 113. edit. Spenc. vbi de Iudaeis haec habet: *ἔτοι μόνοι οἱ διδαχθέντες πάντων τῶν παρὰ τοῖς ἔθνεσι νομιζομένων θεῶν καταφρονεῖν, ὡς ἢ θεῶν, ἀλλὰ δαιμονίων, (ἐπεὶ ἔλεγον αὐτῶν οἱ προφῆται τὸ, πάντες οἱ θεοὶ τῶν ἐθνῶν δαιμόνια) κ. τ. λ.* itemque *p.* 133. vbi de Christianis dicit: *μαθὸσι δὲ καὶ ὅτι πάντες μὲν οἱ θεοὶ τῶν ἐθνῶν εἰσὶ δαιμόνια λίχνα, κ. τ. λ.* Tum porro *l. IV. p.* 179. *et l. VII. p.* 378. vbi *θεραπεία*, inquit, *δαιμονίων ἐστὶν ἡ θεραπεία τῶν ὀνομαζομένων θεῶν. Πάντες γὰρ οἱ θεοὶ τῶν ἐθνῶν δαιμόνια.* Denique etiam *lib. VIII. p.* 381.

7) Apud quem *Praep. euang. l. III. c. XVI. p.* 161. edit. Viger. haec leguntur: *ἡγοῦμαι διὰ τούτων ἀπεληλέχθαι σαφῶς, δαιμονικήν τινα γεγονέναι τὴν παλαιοτάτην καὶ πρώτην τῶν ξοάνων ἵδρυσιν, καὶ πᾶσαν τὴν εἰδωλικὴν τῶν ἐθνῶν θεοποιΐαν, καὶ δαιμόνων ἐκ ἀγαθῶν, ἀλλὰ τὰ πάντα μοχθηροτάτων καὶ φαύλων ὡς ἐπαληθεύειν τὸ φάσκον ἐν προφητείαις λόγιον, πάντες οἱ θεοὶ τῶν ἐθνῶν δαιμόνια.*

8) Qui in *libr. contr. Iulian.* ad huius loci testimonium bis prouocat, *l. IV. p.* 125. et *l. VIII. p.* 254.

9) In *Enarr. in Psalm. CXIII. serm. II. §.* 3. *To. IV. Opp. p.* 1261. edit. Ben. Venet. vbi haec habet: *Hinc et mala daemonia ad possidenda gentium simulacra talis hominum affectus inuitat, quorum praesidentium varia fallacia mortiferi feminantur et multiplicantur errores. Aliis itaque locis et contra ista diuinae literae vigilant, ne quisquam dicat, cum irrisa fuerint simulacra, Non hoc visibile colo, sed numen, quod illic inuisibiliter habitat: ipsa ergo numina in alio Psalmo eadem scriptura sic damnat: Quoniam dii gentium*, inquit, *daemonia: Dominus autem coelum fecit.* In eandem rem hunc locum laudat etiam *de ciuit. Dei l. I. c. XXIX.* et *l. IX. c. XXIII.*

cum vocabulum אֱלִילִים, quod δαιμονίων voce in loco isto expresserunt, sed id omnium fere Interpretum consensu *rem* potius *vanam nihilique faciendam* significet, fueritque adeo multo rectius in isto loco ab Aquila et Symmacho translatum, quippe ab illo quidem per ἐπίπλαστοι, hoc vero per ἀνύπαρκτοι expressum. Sed putarunt haud dubie Interpretes isti, sententiam huius loci tum demum recte satis sibi constare, si gentilium quidem deos daemones malos esse dicatur, Dominum autem et Deum Israëlitarum eum, qui coelum et terram creauerit, quique hac ipsa de causa pro summo et vero Deo sit habendus [10]). De spiritibus enim malis eos in

---

10) Quod autem ipsa horum Interpretum verba diuerso modo recitant nostri, aliis quidem et plerisque receptam eorum lectionem exhibentibus; πάντες οἱ θεοὶ τῶν ἐθνῶν δαιμόνια, aliis vero, vt adparet ex locis Iustini Mart. et Clem. Alex. not. 4. et 5. laudatis itemque ex Irenaei *l.* 3. *adu. haer. c. VI. §* 3. haec habentibus: πάντες οἱ θεοὶ τῶν ἐθνῶν εἴδωλα ἐϊ δαιμονίων, id nos quidem non putauerimus ex illa causa repetendum esse, quam Thirlbius sibi detexisse visus est. Is nimirum, teste quidem Marano ad Iustin. Mart. *Dial. c. Tryph. §*, 73. *p.* 170. lectionem posteriorem ex duabus lectionibus putauit coaluisse, loci nimirum nostri et 1 Paralip. XVI, 26. in quo eadem verba hebraica, quae nostro loco leguntur, a τοῖς ὁ ita expressa reperiuntur: πάντες οἱ θεοὶ τῶν ἐθνῶν εἴδωλα. At enimuero vix nobis persuadere possumus, illos, quos diximus, scriptores in posteriori lectione exhibenda ipsa codicum suorum verba secutos esse, sed suam potius arbitramur eorum explicationem verae eos lectioni immiscuisse atque inseruisse. Quoniam nimirum pleraque gentilium numina sub idolis coli atque adorari nouerant, loco δαιμονίων rectius εἴδωλα δαιμονίων commemorari iudicarunt. Ita autem vt statuamus, suadet cum vniuersa horum scriptorum in recitandis veterum Interpretum verbis atque sententiis versandi ratio, admodum libera illa parumque anxiis regulis adstricta, quam praeclare nuper illustrauit multisque exemplis confirmauit *Schleusnerus* in *Obseruationum de Patrum Graecorum auctoritate et vsu in constituenda versionum graecarum V. T. lectione genuina, Part. II. et III. Viteb.* 1796. 97. 4. tum ipsa etiam eorum in verbis illis exprimendis inconstantia, quae in vno adeo eodemque loco et apud vnum eundemque scriptorem deprehenditur. Etenim Iustinus quidem Mart. in *Dial. c. Tryph. §.* 73. *p.* 170. primum quidem haec verba sic exhibet: οἱ θεοὶ τῶν ἐθνῶν εἴδωλά ἐϊ δαιμονίων, sed paulo post, vbi ipsum Psalmum recitat, ideoque Codicem suum paulo diligentius videtur inspexisse, haec potius habet: πάντες οἱ θεοὶ τῶν ἐθνῶν δαιμόνια. Alibi tamen eundem Psalmum, quanquam alio consilio,

vocabulo δαιμονίων vſurpando cogitaſſe, neutiquam vero, vt Odio viſum eſt [11]), pro Synonymo vocabuli εἴδωλα id habuiſſe, ex iis, quae in aliis verſionis eorum locis deprehenduntur, facile poterit intelligi. Neque enim in hunc vnum locum ſuam de gentilium diis pro daemonibus habendis ſententiam transtulerunt, ſed et aliis locis admodum luculenta huius perſuaſionis ſuae veſtigia impreſſerunt. Huc pertinent primum duo loca Deut. XXXII, 17. et Pſ. CVI, 37. in quibus vocabulum שֵׁדִים per δαιμόνια transtulerunt, dum ibi quidem verba hebraica: יִזְבְּחוּ לַשֵּׁדִים reddiderunt ſic: ἔθυσαν δαιμονίοις, hic autem, quod in hebraico textu dicitur ſic: וַיִּזְבְּחוּ אֶת־בְּנֵיהֶם וְאֶת־בְּנֹתֵיהֶם לַשֵּׁדִים ita verterunt: καὶ ἔθυσαν τοὺς υἱοὺς αὐτῶν καὶ τὰς θυγατέρας αὐτῶν δαιμονίοις. Cum nimirum ex vtriusque loci contextu facile intelligerent, de numinibus gentilium, et quidem, vt ex Pſalmi laudati v. 38. adparet, nominatim Cananaeorum, ſermonem eſſe, iamque ſub omnibus iſtis gentilium numinibus daemones malos latuiſſe ſibi perſuaſiſſent: facile a ſe impetrarunt, vt hebraico vocabulo שֵׁדִים hoc ipſum δαιμονίων vocabulum in verſione ſua ſubſtituerent [12]), vel, quod ſignificantius dictum

---

et ipſum integrum fere laudans, (*Apol. I. §.* 52. *p.* 38. ed. Thal.) rurſus illam priorem lectionem exhibet: πάντες οἱ θεοὶ τῶν ἐθνῶν εἴδωλα δαιμονίων εἰσίν. Verum et ibi Pſalmum iſtum ex memoria potius, quam ſecundum codicem ſuum et ſenſum magis, quam verba ſecutus, videtur recitaſſe, cum in ſingulis fere verbis atque ſententiis a Codicum lectione recedat. vt pluribus iam docuit *Schleuſnerus Obſerv. laud. Part. III. p.* 5. *et* 8.

11) In *Comment. de Angelis. Sect. I. c. VIII.* §. 34. *pag.* 197. Argumentum enim, quo in hanc rem vtitur, quodque ab eo deſumtum eſt, quod idem verbum אֱלִילִים in 1 Chron. XVI, 26, per εἴδωλα noſtri reddiderint, admodum infirmum eſt. Nam et aliis pluribus verbis, vt vel ex Kircheri Concordant. V. T. cognoſci poteſt, idem vocabulum expreſſerunt, quae nullo modo vocabuli δαιμόνιον ſynonyma dici poterunt.

12) Quod, cum ſemel facere conſueuiſſent, et alio in loco fecerunt, in quo idem vocabulum legere ſibi viſi ſunt, Pſalm. XCI, 6. Quod enim ibi hebraica verba: מִקֶּטֶב יָשׁוּד צָהֳרָיִם, *a lue,*

iudicarent, ſi in vtroque loco diſerte traderetur, malos daemones diuino cultu ab Iſraëlitis exceptos fuiſſe, vel etiam, quod veram vocabuli illius vim ignorarent. Hanc vero iis ignotam fuiſſe, nemini profecto mirum videbitur, qui nec inter recentiores Interpretes atque Philologos de etymologia huius vocabuli veroque eius ſenſu certi quid adhuc conſtare meminerit [13]). Qua de re quicquid etiam ſtatuatur, hoc tamen facile putamus nobis conceſſum iri, in vtroque loco nullum plane, vt multi olim, Alexandrinorum non minus, quam Iudaicorum Interpretum auctoritate permoti, deſenderunt [14]), de ſpiritibus malis ſermonem eſſe [15]), ſed ſignificari potius vocabulo iſto שְׂעִירִים gentilium quorundam numinum idola, quacunque tandem de cauſa iſto nomine adpellata, adeoque Interpretes noſtros daemones ſuos, non

---

quae vaſtat meridie, reddiderunt ſic: ἀπὸ συμπτώματος καὶ δαιμονίς μεσημβρινῆ: id haud dubie inde repetendum eſt, quod pro יָשׁוּד legerunt יָשִׁיד, iamque de daemone Iudaeorum meridiano cogitarunt, de quo non attinet nunc plura monere.

13) De quo, qui variis eorum hac de re ſententiis inuicem comparandis, ſibi perſuaderi cupiat, ei adeundus inprimis eſt *Iac. Ode l. l. Sect. I. cap. VII. §. 20. ſſ. pag.* 157. *ſſ.* cum quo tamen conferenda ſimul ſunt, quae de eiusdem vocabuli etymologia et ſenſu ſcripſerunt *Knappius* in *Not. ad Pſ. l. l. Dathius* ad eundem *Pſ. l.* et *Michaëlis* in *Supplem. ad Lexic. hebr. Part. VI. p.* 2292.

14) Id quod, Vulgatum haud dubie Interpretem ſecutus, inter veteres etiam doctores chriſtianos fecit Matern. Firmic. *de errore profan. relig. p.* 61. edit. Minuc. Fel. *Iac. Ouzeli*, vbi rationem legis diu. Exod. XXII, 20. qua Iſraelitis, ne diis ſacrificent, interdicitur, redditurus, haec tradit: *Cur autem contra ſacrificantes ſic ſaeuiat ordinatae legis auctoritas in Deuteronomio manifeſta ſignificatione monſtratur: ita enim inuenimus eſſe perſcriptum:* Sacrificauerunt daemoniis et non Deo. *Ad contaminatos ac pollutos te ſpiritus ne transferas, ab inferioribus ne ſperes auxilium: ne his ſupplices, quibus Dei gratia iam imperare debes. Ecce daemon eſt, quem colis* etc.

15) Quod praeter *Balth. Bekkerum* in *Mund. faſcin. l. II. c. XXVI.* §. 5. 6. inprimis bene demonſtrauit *Ant. van Dale* in *Diſſert. de origine ac progreſſu idololatr. c. V. p.* 109. *ſ.* cui hac in re nuper acceſſit etiam *Eichhornius* in *Biblioth. bibl. Vol. I. Part. III. p.* 460.

hebraici textus verba, ſed ſuam magis perſuaſionem ſecutos, vtrique loco intuliſſe [16]). Idem iudicium ferendum etiam erit de loco Ieſ. XIII, 21. in quo ſimile vocabulum שְׂעִירִים iidem Interpretes et ipſum per δαιμόνια reddiderunt, dum pro hebraicis verbis his: וְשָׂעִירִים יִרְקְדוּ־שָׁם haec poſuerunt: καὶ δαιμόνια ἐκεῖ ὀρχήσονται [17]), quanquam alibi Leu. XVII, 7. idem vocabulum graeco ματαίων potius reddiderunt, in quo tamen et ipſo videntur de numinibus falſis eorumque imaginibus cogitaſſe, cum non modo de his vocabulum hoc in aliis quoque huius verſionis locis, atque ipſis etiam N. T. libris, (Act. XIV, 15.) ſaepius dici conſtet, ſed in tertio etiam loco, in quo vocabulum iſtud שְׂעִירִים legitur 2 Paral. XI, 15. id his duobus expreſſerint: εἴδωλα καὶ μάταια. Atque cum ex ipſo hoc vtroque loco intellexiſſent, vocabulum hoc aperte de diis falſis dici, vel quod ipſi ex hominum opinione fuerint animalia piloſa, vel propter vllam aliquam cum his ſimilitudinem, vel alia quacunque de cauſa; non dubitarunt, iſtos fictitios Deos ad illum etiam Ieſaiae locum adplicare, de Satyris et Faunis forſitan cogitantes, cumque iam omnes eiusmodi Deos fictitios cum daemonibus vel ſpiritibus malis eosdem plane iudicarent, hoc ipſum daemonum vocabulum et huic loco intu-

---

16) Ex hac vero eorum verſione fluxit iam haud dubie illud, quod in Baruch. IV, 7. de Iſraëlitis dicitur: παροξύνατε τὸν ποιήσαντα ὑμᾶς, θύσαντες δαιμονίοις καὶ οὐ θεῷ.

17) E quo loco haud dubie rurſus ducta ſunt, quae leguntur Baruch. IV, 7. κατοικηθήσεται ὑπὸ δαιμονίων. Neque improbabile etiam eſt, eundem locum reſpexiſſe quoque Ioannem, in Apoc. XIII, 2. de Babylone haec habentem: ἔπεσεν ἔπεσε Βαβυλὼν ἡ μεγάλη καὶ ἐγένετο κατοικητήριον δαιμόνων καὶ φυλακὴ παντὸς πνεύματος ἀκαθάρτου. in quibus verbis vocabulum δαιμόνων haud dubie de ſpiritibus malis intelligendum erit, cum aperte per πνεῦμα ἀκάθαρτον explicetur, et particula καὶ, vt recte iam notauit Grotius, nunc perſpicue ſit ἐξηγητική.

lerunt [18]): id, quod alii etiam veterum Interpretum, nominatim Chaldaeus, Syrus et Arabs, imo recentiorum quoque non pauci [19]) fecerunt, quanquam omnis h. l. contextus facile eos docere potuiſſet, de animalium potius genere quodam vocabulum hoc hic quidem [20]) intelligendum eſſe, in quo omnes hodie ſaniores Interpretes conſentiunt, licet caeteroquin in ipſo illo animalium genere definiendo plurimum inter ſe diſſentiant [21]). Eodem vero modo iidem Interpretes Alexandrini ſimile adhuc animalium nomen צִיִּים, quod in ſuperiori loco vniuerſo vocabulo θηρίων expreſſerant, in alio eiusdem prophetae loco Cap. XXXIV, 14. vocabulo δαιμονίων reddiderunt [22]), non alia haud dubie de cauſa, quam quod et hic de numinibus quibusdam animalium [23]) ſpe-

---

18) Quod ipſum hac de re iudicium tulit iam Ant. van Dale *l. l. c. V. p.* 96.

19) Quos magno numero commemorauit Thom. Crenius in *Praefat. Muſei philolog. et hiſtor. To. I.* (*Lugd. Batau.* 1690. 8.) praefixa.

20) Itemque alio huius prophetae loco, de quo mox pluribus dicetur, Cap. XXXIV, 14. Nam et ibi vocabulum iſtud non modo in ſimili deſcriptione vaſtationis terrae alicuius, qualis in noſtro loco deprehenditur, occurrit, ſed inter plura etiam animalium nomina ponitur. Hic tamen *οἱ ὁ* vocabulum iſtud totum fere in verſione ſua omiſerunt, aut laxius ſaltem interpretati ſunt. Quae enim ibi in hebraico textu ita habent: וְשָׁעִיר עַל־רֵעֵהוּ יִקְרָא, ea exprimunt his: *καὶ βοήσονται ἕτερος πρὸς τὸν ἕτερον.*

21) Quod, cum non ſit noſtri conſilii pluribus exponere, cognoſci poteſt ex iis, quae de hoc vocabulo praeter Interpretes libri Ieſaiani ſcripſerunt Bochartus in *Hieroz. II. c. LIII. To. I. p.* 756. et *P. II. l. VI. c. VII. To. III. p.* 825. *ſſ.* edit. Roſenm. I. D. Michaelis in *Supplem. ad Lex. hebr. Part. VI. p.* 2341. *ſſ.* et Car. Auriuillius in peculiari Diſſ. *de nominibus animalium, quae leguntur Eſ. XIII,* 21. *Vpſal.* 1776. repetita nuper in Collect. *Diſſertatt.* eius *ad ſacras litteras et philolog. oriental. pertinent.* a I. D. Michaele edita (*Gotting.* 1790. 8.) *pag.* 294. *ſſ.*

22) Quod enim in hebraico textu dicitur ſic: וּפָגְשׁוּ צִיִּים אֶת־אִיִּים id in hunc modum verterunt: *καὶ συναντήσουσι δαιμόνια ὀνοκενταύροις.*

23) Quodnam vero nominatim animal iſto vocabulo צִיִּים ſignificetur, id cum in ſuperiori etiam loco vniuerſum vocabulum

ciem referentibus cogitarent, iamque vniuersum quoque numinum eiusmodi nomen, veram illorum, ex ipsorum quidem mente, naturam exprimens, isti vocabulo substitui posse iudicarent. Simile quid denique in tertio etiam eiusdem prophetae loco Cap. LXV, 11. fecerunt. Cum enim veram hebraicae vocis מְנִי, quae ibi legitur, vim ignorarent[24]), at numen tamen aliquod ea significari ex ipsis loci verbis facile colligerent[25]), et huic generale

---

θηρίων pro eo posuerint, non minus videntur ignorasse, ac reliqui Intt. graeci ignorarunt, hincque ipsum vocabulum σείειν seruarunt, vt docent fragmentorum ipsorum collectiones ad Ies. XIII, 21. Neque vero, iudice quidem Michaele in *animaduers. ad versionem h. l. german. p.* 188. et I. D. Cubio ad eundem *Ies. loc. To. II. p.* 494. certiora sunt, quae recentiores de huius vocabuli vi et sensu coniiecerunt, quaeque cognosci possunt ex Bocharti *Hieroz. P. I. L. III. c. XIV. T. II. p.* 206. *ss.* et Michaelis *Supplem. ad Lexicc. hebr. P. VI. p.* 2086.

24) Quod in vocabulo ἅπαξ λεγομένῳ non magis profecto mirum cuiquam videri poterit, quam quod hac ipsa de causa perquam variae fuerunt virorum doctorum de sensu eius idoloque eo significato sententiae, aut, vt rectius dicam, coniecturae, quas qui pluribus cognoscere cupiat, ei praeter interpretes huius prophetae adeundi inprimis sunt Io. Seldenus *de Diis Syris*, *Syntagm. I. c.* 1. *p.* 75. et *Andr. Beyerus* in *Addit. p.* 182. *ss.* et *I. D. Michaelis* in *Supplem. ad Lex. Hebr. Part. V. p.* 1518. *ss.* coll. quae de altero vocabulo גָּד hic occurrente ibidem habet *Part. II. p.* 266. *ss.* itemque ii, qui peculiaribus scriptis in h. l. sunt commentati, quo inprimis pertinent *Gust. Georg. Zeltnerus* in *Diss. de Gad et Meni, Iudaeorum hodiernorum Diis, Altorf.* 1725. 4. inserta *Tom. I. Noui Thes. Phil. theol. p.* 929. *ss.* *Dau. Millius* in *Select. Dissertt. diss. IV. p.* 81. *ss.* *Ioh. God. Lakemacherus* in *Diss. de Gad et Meni s. Hecate et Mana a Iudaeis olim culta, Helmst.* 1728. 4. recusa in Ei. *Obseruatt. philol. Part. IV.* (*Helmst.* 1730. 8.) *Obseru. II. pag.* 18. denique *Petr. Zornius* in *Diss. de noui anni auspiciis. quae Iudaei gentium ritu in honorem Gad et Meni, h. e. solis et lunae celebrarunt. Hamb.* 1722. et ipsa repetita in Ei. *Opusc. sacr. To. II. pag.* 609. *ss.*

25) Ex his enim luculenter profecto adparet, de cultu aliquo religioso, qui a cultu Iehouae, tanquam veri Dei, diuersus sit, sermonem esse, vt hinc profecto falsi fuerint, qui de fictitiis numinibus eorumque cultu idololatrico hic agi omnino negarent quorum in numero praeter Gussetium, Horchium et Castellum a Zornio *l. l. p.* 617. commemoratos, fuerunt etiam *Hoheiselius* in *Obseru. p.* 346. *ss.* *Sal Deylingius* in *Obseru. Sacr. Part. IV. p.* 673. et *Io. August. Dietelmaier.* in *Animadu. ad Opus bibl. anglic. To. VIII. p.* 1307.

idolorum nomen ſubſtituerunt [26]), verteruntque hinc locum in hebraicis ita habentem: הָעֹרְכִים לַגַּד שֻׁלְחָן וְהַמְמַלְּאִים לַמְנִי מִמְסָךְ in hunc, vt nos quidem arbitramur, modum: ἑτοιμάζοντες τῇ τύχῃ τράπεζαν καὶ πληροῦντες τῷ δαιμονίῳ κέρασμα [27]). Quanquam enim in vulgaribus huius verſionis libris haec verba inuerſo potius ordine exhibeantur, vt ſic habeant: ἑτοιμάζοντες τῷ δαιμονίῳ τράπεζαν καὶ πληροῦντες τῇ τύχῃ κέρασμα, videanturque adeo Interpretes noſtri vocabulo δαιμονίῳ hebraicum potius גַּד, quam מְנִי expreſſiſſe; iure tamen ſuo, poſt Spencerum [28]) et Huetium [29]), nuper contendit Michaelis [30]), verba haec eo, quo diximus, ordine ab interpretibus iſtis videri ſcripta fuiſſe, quoniam non modo hebraicum גַּד et alibi (Gen. XXX, 11.) vocabulo τύχης reddidiſſe reperiantur, ſed Hieronymus etiam diſerte teſtetur [31]), ita olim in hac verſione lectum fuiſſe; haecque viri doctiſſimi ſententia eo adhuc confirmatur, quod eodem ordine verba haec legantur etiam non modo apud Euſebium [32]), ſed in duobus quoque verſionis noſtrae codicibus manuſcriptis in

---

26) Quod ipſum eſt etiam Michaelis *l. l.* hac de re iudicium.

27) Quam quidem verſionem eorum ſecutus Origenes etiam, hoc loco vſus eſt in *Exhort. ad Martyr. p.* 205. *ſ.* eo conſilio, vt oſtenderet, quae minatus fuerit Deus iis, qui daemoniis ſacra facerent.

28) *De legibus Hebr. ritualib. l. III. diſſert. II. c.* 2. *pag.* 760. edit. Pfaff.

29) In *Obſeru. et Nott. ad Origenis Comment. p.* 109.

30) *L. L. pag.* 1519.

31) Is enim in *Comment. ad h. l.* non modo τοὺς ὁ verba haec ita dicit reddidiſſe: *paratis fortunae menſam, et impletis daemoni poculum*, ſed paulo poſt diſerte etiam addit: *Quod ſeptuaginta transtulerunt* τῷ δαιμονίῳ, *i. e. daimoni, in hebraico habet Menni.*

32) Teſte quidem Strothio in *Symbolis ad criſin* τῶν ὁ, inſertis *Repertor. litterat. bibl. et orient. Eichhorn. Vol. VI. p.* 160.

Muſeo Brittanico reperiundis [33]). Haec igitur omnia cum luce profecto clarius doceant, verſionis illius auctores omnino hanc ſententiam fouiſſe, omnes daemones fuiſſe; qui a gentilibus numinum loco colerentur; non mirum profecto eſt, noſtros quoque doctores, qui quoad V. T. libros vnice fere ab hac verſione pendebant, eandem ex illa arripuiſſe, eamque, tanquam ſententiam diuina auctoritate nixam, defendiſſe. Ipſi vero eam haud dubie iam a pueris inde edocti fuerant, et inter religionis capita vna cum aliis perceperant. Inter haec enim ea iam a Iudaeis videtur ſuſcepta et ab his ad primos Chriſtianos translata fuiſſe [34]). Etenim et alios praeter verſionis illius Alexandrinae auctores eandem inter Iudaeos ſententiam tenuiſſe, cum illud ſuadere videtur, quod omnes reliquas, praeter ſuam, gentes diaboli imperio ſubeſſe ſtatuerunt [35]), tum vero, niſi magnopere fallimur, luculenter etiam docet nomen Beelzebul [36]), huic ipſi daemoniorum principi ab iis tributum. Quamquam enim de huius nominis ſenſu et vi diuerſiſſime iudicent viri docti, plerorumque tamen ſententiae in eo conueniunt, quod diabolum, ad quem vocabulum hoc transferendum eſſe, loca Matth. XII,

---

33) Quod conſtat ex Lowthii *Comment. ad h. l. To. IV. p.* 150. verſ. german.

34) A quibus hanc ſententiam ad Chriſtianos transiiſſe, dudum iam ſtatuit Ant. van Dalen *l. l. p.* 101.

35) Qua de re vid. quae notauit Lightfoot in *Hor. hebr. et talmud. ad Io. XII* 31.

36) Hanc enim, non vero illam, qua Beelzebub ſcribitur, rectam eſſe huius nominis ſcribendi rationem, vix licet dubitare, cum non modo omnes codices graeci eam conſtanter tueantur, ſed praeterea eam confirment etiam plures verſiones antiquiores non exiguae auctoritatis, Saxonica, Gothica, Coptica, Syriaca recentior et Ruſſica cum Arabica vtraque, eandemque nonnulli etiam patrum graecorum exhibeant, illa altera autem ſcriptura Hieronymi maxime auctoritate nixa, haud dubie inde orta fuerit, quod de Ecronitarum idolo 2 Regg. 1, 2. commemorato cogitarunt, a quo tamen hoc nomen translatum fuiſſe, neminem adhuc vidimus liquido demonſtraſſe.

24. Marc. III, 22. Luc. XI, 15. tam perſpicue docent, vt Farmerus, qui ſpirituum humanorum in deorum numerum relatorum principem eo ſignificari ſtatuit [37]), in ſententia ſua defendenda fruſtra profecto laborauerit, tanquam falſorum deorum vel deaſtrorum principem hoc nomine deſcribi contendunt [38]), licet in hac ipſa eius notione enucleanda admodum diuerſas vias inierint.

Ad hanc vero ſententiae, de qua loquimur, commendationem, a iudaica theologia profectam, et ſcriptorum V. T. vt putabatur, ſuffragatione ſuffultam, acceſſit etiam apud noſtros quidem doctores teſtimonii Paulini, quod ſibi in 1 Cor. X, 20. reperiſſe viſi fuerant, auctoritas. Hunc enim locum laudato in ſuperioribus Pſalm. XCVI, 5. loco plures in ſententiae ſuae confirmationem addunt; quo nominatim pertinent Clemens Alex. [39]), Origenes [40]), Euſebius [41]), Tertullianus [42]),

---

37) *L. L. p.* 26. *ſſ.* Praeter hunc vero Farmerum eandem ſententiam nuper defendit etiam vir quidam doctus in *Encyclop. bibl. Vol. I.* (*Goth.* 1793. 4. mai.) ſub voc. *Baal-Sebub p.* 233. *ſ.*

38) Quo pertinet primum Lightfooti in *Hor. Hebr. et Talm. ad Matth. XII*, 24. ſententia, nobis quidem maxime probabilis, qua ſtatuit בעל זבול idem ſignificare, quam *Dominum ſtercoris*, h. e. *idololatriae*, quam Iudaeos ſtercoris nomine adpellaſſe plura docent ſcriptorum iudaicorum teſtimonia ab illo commemorata, et a Wetſtenio etiam ad Matth. X, 25. repetita. Eodem vero etiam redeunt ſententiae Grotii in *Animadv. ad Matth. l. l. Schleuſneri* in *Lexic. N. T.* ſub. voc. *Βεελζεβουλ*, et *Michaelis* in *Supplem. ad Lexic. hebr. Part I. p.* 203. *ſſ.* Reliquas autem virorum doctorum de hoc vocabulo coniecturas enumerauit *Ern. Frid. Car. Roſenmüller* ad Bocharti *Hieroz. P. II. l. IV. c. IX. Vol. III. pag.* 350. *not.* 7.

39) *Paedagog. l. II. p.* 143. vbi de idolothytis haec habet: *μιαρὰ δοκεῖ μοι καὶ βδελυρὰ ἐκεῖνα, ὧν ἐφίπτανται τοῖς αἵμασι ψυχαὶ ὑπὲρ ἐρέβους νεκύων κατατεθνειώτων. Οὐ γὰρ θέλω ὑμᾶς κοινωνὸς δαιμονίων γίνεσθαι, ὁ Ἀπόστολος λέγει.*

40) *Adu. Celſ. l. VIII. p.* 393. edit. Spenc. vbi de Paulo haec habet: *μετὰ τοῦτο τιθεὶς δαιμονίοις θύεσθαι τὰ θυόμενα, παρίεησι, κοινωνὸς τῶν δαιμονίων γίγνεσθαι τὸς μεταλαμβάνοντας δαιμονίων τραπέζης;* itemque in *Exhort. ad Mart. p.* 206.

et Auguſtinus [43]). Intellexerunt igitur et hic vocabulum δαιμονίων de ſpiritibus malis, putaruntque Paulum hoc dicere voluiſſe, quae gentiles idolis ſuis offerant, ea, ſi rem ex vero aeſtimes, geniis malis, tanquam cultus illius auctoribus et promotoribus offerri, in qua loci huius explicatione recentiorum etiam Interpretum non paucos, eosque minime contemnendos [44]), noſtros ſecutos eſſe conſtant, aliis tamen iure, vt nos quidem arbitramur, eam repudiantibus [45]), vocabulumque δαιμονίων rectius de diis gentilium fictitiis (θεοῖς λεγομένοις, vt eos paulo ante dixerat Paulus Cap. VIII, 5.) explicantibus; quo eodem ſenſu hoc vocabulum haud dubie etiam dicitur Apoc. IX, 20. cum τοῖς δαιμονίοις ibi ſtatim iungantur εἴδωλα, vel imagines iſtorum deaſtrorum.

Praeter haec vero ſententiae huius argumenta a

---

edit. Wetſt. vbi, ἀλλὰ καὶ, inquit, εἴπερ νοοῦντες, τίς ἡ τοῦ Κυρίου τράπεζα μετέχειν αὐτῆς βουλόμεθα, γινώσκομεν τὸ, ὃ δύνασθε Κυρίου τραπέζης μετέχειν, καὶ τραπέζης δαιμονίων.

41) *Praep. Euang. lib. III. c. XVI. p.* 161. vbi, poſtquam in verbis ſupr. *not.* 7. laudatis locum Pſ. XCVI, 5. commemorauerat, haec illis addit: τὸ τε ἀποστολικὸν, δι' οὗ φησιν· ὅτι ἃ θύουσι, δαιμονίοις καὶ οὐ θεῷ θύουσιν.

42) *De cor. milit. c. VII. To. IV. Opp. p.* 348. vbi hunc locum aperte reſpiciens, haec habet: *non, quaſi aliquid ſit idolum, ſed quoniam, quae idolis fiunt, ad daemones pertinent.*

43) *Enarr. in Pſalm. CXIII ſerm. II. §. 3. To. IV. Opp. p.* 1261. *dicit*, inquiens, *et Apoſtolus. non quod idolum ſit aliquid, ſed quoniam quae immolant gentes, daemoniis immolant, et non Deo Nolo vos ſocios fieri daemoniorum.* Conferatur etiam *Serm. CXCVIII.* §. 3. *To. V. Opp. p.* 908. et *contr. ad verſ. leg. prophet. l. I. c. XIX. To. VIII. Opp. p.* 569. vbi pluribus de h. l. diſputat.

44) Quorum in numero ſunt v. c. Grotius, Whitby, Wolfius, Heumannus, Strothius (in *Repertor. litter. bibl. et oriental. Vol. XIV. p.* 216.) *I. D. Michaëlis* et alii.

45) Cuius ſententiae argumenta praeter alios imprimis diligenter et ſtudioſe expoſuit Moshemius in *Explicat. hui. epiſtol. pag.* 454. *ſſ.* cui iungi etiam poterit *Farmerus l. l. p.* 177. *ſſ.*

librorum ſacrorum auctoritate petita alias adhuc noſtri putarunt commemorari poſſe rationes, e quibus veritas illius luculenter poſſet demonſtrari atque intelligi. Inter has autem inprimis hanc retulerunt, quod iſta gentilium numina cultus ſui cauſa res admodum turpes atque nefarias, imo ipſi adeo hominum naturae adverſas poſtulauerint, ideoque nullo modo pro ſpiritibus bonis haberi poſſint, ſed peſſimi potius ſint cenſendi: quod argumentum vniuerſe quidem, quamquam paucis tantum commemorarunt Athenagoras [46]) et Cyrillus Alex. [47]) reſpectu autem ad ſacrificia potiſſimum humana, quae in gentilium ſacris fuerunt, habito pluribus tractauit Euſebius [48]). Eodem etiam redit quod Tertullianus de pabulis iſtorum numinum vatumque eorum impuris ſermonibus monet [49]). Grauiſſimum autem et luculentiſſimum ſententiae ſuae argumentum in eo ſibi reperiſſe viſi ſunt noſtri, quod a Chriſtianis adiurati daemones iſti, non modo ab hominibus, quos obſeſſos tenuerint, exeant, ſed ipſi etiam fateantur, ſe daemones malos eſſe; quo quidem argumento tantopere ſibi

---

46) *Legat. pro Chriſt. c. XXIII. p.* 176. Lindn. vbi haec ſunt verba eius: *καὶ τὲς μὲν δαίμονας εἶναι τὲς ἐπιβατεύοντας τοῖς ὀνόμασι, πίςις ἡ ἑκάςε αὐτῶν ἐνέργεια. οἱ μὲν γὰρ ἀποτέμνεσι τὰ αἰδοῖα, οἱ περὶ τὴν Ῥέαν· οἱ δὲ ἐγκόπτεσιν ἢ ἐντέμνεσιν, οἱ περὶ τὴν Ἄρτεμιν· καὶ ἡ μὲν ἐν Ταύροις φονεύει τὲς ξένες. ἐῶ γὰρ, τὲς ταῖς μαχαίραις καὶ τοῖς ἀςραγάλοις αἰκιζομένες αὐτὲς, λέγειν καὶ ὅσα εἴδη δαιμόνων. ὁ γὰρ θεὲ κινεῖν ἐπὶ τὰ παρὰ φύσιν.*

47) *Contr. Iulian. l. VI. p.* 211. *ἀπεφοιτήσαμεν*, inquiens, *τοίνυν τῶν ἐν δοκήσει θεῶν ἐδὲν τὸ πάρατταν τῶν παρ᾽ αὐτοῖς εὑρίσκοντες, ὅ μὴ τῆς ἐσχάτης ἐςὶ διαβολῆς ἄξιον. ἀῤῥενομιξίαι τε, καὶ γυναίκων ἑταιρισμοὶ, καὶ ἀσελγείας ἁπάσης ἐπιτήδευσις παρ᾽ αὐτοῖς μῦθοι καὶ γέλως, καὶ τερατολογίας τὰ μυςήρια, καὶ ἐν ἀρετῆς τάξει τὸ ψεῦδος, καὶ πᾶν εἶδος ἀκαθαρσίας αἰσθητῆς τε καὶ νοητῆς.*

48) *De praep. euang. l. IV. c. XV.* fere tot. *p.* 153. *ſſ.*

49) *Apologet. c. XXIII. Opp. To. V. p.* 67. vbi, *Renuant*, inquit, *ſe immundos Spiritus eſſe, quod vel ex pabulis eorum ſanguine et fumo et putidis rogis pecorum et impuratiſſimis linguis ipſorum vatum intelligi debuit.*

placuerunt, vt vel hoc vno omnem rem confici iudicarent: id quod Minucii Fel. inprimis et Tertulliani exempla confirmant. Ille enim postquam de daemonibus malis diuinoque, quem sibi vindicassent, honore disputaverat, haec deinde addit [50]): *Haec omnia sciunt plerique vestrum, ipsos daemonas de semet ipsis confiteri, quoties a nobis tormentis verborum et orationis incendiis de corporibus exiguntur. Ipse Saturnus et Serapis et Iupiter et quidquid daemonum colitis, victi dolore, quod sunt, eloquuntur: nec vtique in turpitudinem sui, nonnullis praesertim vestrum adsistentibus mentiuntur. Ipsis testibus, esse eos daemonas, de se verum confitentibus, credite: adiurati enim per Deum verum et solum, inuiti, miseri, corporibus inhorrescunt, et vel exsiliunt, statim, vel euanescunt gradatim, prout fides patientis adiuuat, aut gratia curantis adspirat* [51]). Hic autem de eadem re haec habet [52]): *Edatur hic aliquis sub tribunalibus vestris, quem daemone agi constet. Iussus a quolibet Christiano loqui spiritus ille, tam se daemonem confitebitur de vero, quam alibi Deum de falso. Aeque producatur aliquis ex iis, qui de deo pati existimantur, qui aris inhalantes numen de nidore concipiunt, qui ructando curantur, qui anhelando praefantur. Ista ipsa virgo coelestis pluuiarum pollicitatrix, iste ipse Aesculapius medicinarum demonstrator, alia die morituris Socordio et Thanatio et Asclepiodoto vitae subministrator, nisi se daemones confessi fuerint Christiano mentiri non audentes, ibidem illius Christiani procacissimi sanguinem fundite. Quid isto opere manifestius? quid hac probatione fidelius? simplicitas veritatis in medio est: virtus illi sua assistit. nihil suspicari licebit.*

---

50) *Octau. Cap. XXVII,* 6. *p.* 171. *ff.* edit. Lindn.

51) Eadem fere habet etiam Cyprianus *de idolor. vanit. c. IV. p.* 250 Lindn.

52) *Apologet. l. l. pag.* 65. *ff.*

magia aut aliqua eiusmodi fallacia fieri dicetis? si oculi vestri et aures permisserint vobis. Quid autem inniti potest aduersus id, quod ostenditur nuda sinceritate? Si altera parte vere Dei sunt, cur sese daemonia mentiuntur? an vt nobis obsequantur? Iam ergo subiecta est Christianis diuinitas vestra, nec vtique diuinitas deputanda est, quae subdita est homini, et si quid ad dedecus facit, aemulis suis. Si altera parte daemones sunt, vel angeli, cur se alibi pro diis agere respondent? Et paulo post: *Christum timentes in Deo, et Deum in Christo, subiiciuntur seruis Dei et Christi. Ita de contactu deque afflatu nostro, contemplatione et repraesentatione ignis illius correpti etiam de corporibus nostro imperio excedunt inuidi et dolentes, et vobis praesentibus erubescentes. Credite illis cum verum de se loquuntur, qui mentientibus creditis. Nemo ad suum dedecus mentitur, quin potius ad honorem. Magis fides prona est aduersus semet ipsos confitentes, quam pro semetipsis negantes.* Non minus copiose Lactantius etiam in eodem argumento tractando versatus est, qui de daemonibus istis haec habet [53]): *Iustos autem, id est cultores Dei metuunt, cuius nomine adiurati de corporibus excedunt, quorum verbis, tanquam flagris verberati, non modo daemonas esse se confitentur, sed etiam nomina sua edunt, illa, quae in templis adorantur, quod plerumque coram cultoribus faciunt, non vtique in opprobrium religionis, sed honoris sui: quia nec Deo, per quem adiurantur, nec iustis, quorum voce torquentur, mentiri possunt. Itaque maximis saepe vlulatibus editis verberari se et ardere, et iamiam exire proclamant. Tantum habet Dei cognitio ac iustitia potestatis.* Et alibi [54]): *Ecce aliquis instinctu daemo-*

---

53) *Diuin. Instit. l. II. c. XV. Opp. To. I. p.* 266.

54) *Ibid. l. IV. c. XXVII. p.* 549.

nis percitus dementit, effertur, insanit; ducamus hunc in Iouis optimi maximi templum, vel quia sanare homines Iupiter nescit, in Aesculapii vel Apollinis fanum. Iubeat vtriuslibet sacerdos dei sui nomine, vt nocens ille spiritus excedat ex homine: nullo id pacto fieri potest. Quae igitur vis deorum est, si subiectos sibi daemones non habent? At vero iidem daemones adiurati per nomen Dei veri, protinus fugiunt. Quae ratio est, vt Christum timeant, Iouem autem non timeant, nisi quod iidem sunt daemones, quos vulgus deos esse opinatur? Denique si constituatur in medio et is, quem constat incursum daemonis perpeti, et Delphici Apollinis vates, eodem modo Dei nomen horrebunt; et tam celeriter excedet de vate suo Apollo, quam ex homine spiritus ille daemoniacus; et adiurato fugatoque Deo suo, vates in perpetuum conticescet. Ergo iidem sunt daemones, quos fatentur execrandos esse; iidem dii, quibus supplicant. Neque vero latinae tantum ecclesiae doctores hoc argumento vsi sunt, sed idem apud graecae etiam ecclesiae doctores deprehenditur; cuius rei, vt alios nunc taceamus [55]), testis v. c. est Origenes, qui fatidicum Pythiae spiritum alicubi [56]) ex illorum daemonum numero esse defendit, οὐς ἐκ ὀλίγοι χριςιανῶν ἀπελαύνεσι τῶν πασχόντων σὺν ἑδενὶ περιέργῳ καὶ μαγικῷ ἢ φαρμακευτικῷ πράγματι, ἀλλὰ μόνῃ ἐυχῇ καὶ ἑρκώσεσιν ἀπλουςέραις, καὶ ὅσα ἂν δύναιτο προσάγειν ἀπλέςερος

55) Quorum loca laudauit Ode *de Angel. Sect. IV. c. V. §.* 20. *p.* 649. *ff.* et qui de hoc Exorcismi ritu consulto exposuit *Io. Christ. Wernsdorfius* in *Diss. de vera ratione Exorcismorum veteris ecclesiae, Viteb.* 1749. 4. itemque *Kleuker* in *Animadu. versioni germ. Apologet. Tertullianei* (confer *Comment. VI. p.* 587. *not.* 13.) subiunctis, *pag.* 413 *ff.* Quid autem de his nostrorum narrationibus de daemonibus a se expulsis aliisque eorum miraculose factis iudicandum sit, ea de re videndus inprimis est *Schroeckhius* in *Christl. Kirchengesch. Vol. IV. pag.* 381. *ff.* edit. 2dae.

56) *Contr. Cels. l. VII. p.* 334.

ἄνθρωπος· ὡς ἐπίπαν γὰρ ἰδιῶται τὸ τοιοῦτον πράττουσι, περιστάσης τῆς ἐν τῷ λόγῳ χρηστῇ χάριτος τὸ τῶν δαιμόνων ἐυτελὲς καὶ ἀσθενὲς; et alibi [57]) haec habet de Christianis: τοσοῦτον γε ἀποδεόμεν τοῦ θεραπεύειν δαιμόνας, ὥστε καὶ ἀπελαύνειν αὐτοὺς εὐχαῖς καὶ τοῖς ἀπὸ ἱερῶν γραμμάτων μαθήμασιν, ἀπὸ τῶν ἀνθρωπίνων ψυχῶν, ἐν οἷς αὐτοὺς ἱδρύκασιν.

Cap. IV.

De homine eiusque animo et corpore.

Sect. I. De partibus hominis.

(Comment. VIII.)

Abſoluto in libellis ante hoc biennium emiſſis loco de angelis progrediendum nobis nunc eſt, vt coeptum ſemel inſtitutum perſequamur, ad locum de homine eiusque inprimis animo [1]), in quo quidem primum omnium hoc a doctoribus veteris eccleſiae ex Platonica philoſophia ab omnibus fere, qui de hoc argumento expoſuerunt, arreptum fuiſſe dicitur, quod tres hominis eſſentiales, quas dicunt, partes defenderint, ſpiritum nimirum, animam et corpus. Hanc vero ſententiam omnino inter doctores iſtos fuerunt, qui probarent; de quibus primum omnium ſingulatim erit dicendum, et quid quisque eorum ſtatuerit, paulo vberius explicandum. Neque enim eadem omnium, ſed admodum potius diuerſa fuit opinio.

Primo autem inter eos loco ponendus eſt Iuſtinus Martyr, qui huius ſententiae defenſorem haud obſcure

---

57) *Ibid. p.* 376.

1) Secundum ſeriem capitum *Comment. I. p.* 471. enarratam.

ſe profeſſus eſt in *fragmento de reſurr. carnis* [2]), in quo, dum in eo eſt, vt oſtendat, corpora quoque hominum in vitam olim iri reſtitutum, haec inter alia ponit [3]): *ἀνάσασίς ἐστι τοῦ πεπτωκότος σαρκίου. πνεῦμα γὰρ οὐ πίπτει. ψυχὴ ἐν σώματί ἐστιν, ὃ ζῇ δὲ ἄψυχον σῶμα, ψυχῆς ἀπολειπούσης, οὐκ ἔστιν. Οἶκος γὰρ τὸ σῶμα ψυχῆς, πνεύματος δὲ ψυχὴ οἶκος. Τὰ τρία ταῦτα τοῖς ἐλπίδα εἰλικρινῆ καὶ πίστιν ἀδιάκριτον ἐν τῷ Θεῷ ἔχουσιν σωθήσεται.* Quanquam vero in alio eiusdem fragmenti loco duae tantum hominis partes ab illo commemorantur, facile tamen adparet, iſtum locum cum illo minime pugnare. Verſatur nimirum in loco iſto in eo, vt doceat, ſi in libris ſacris homo felicitate olim dicatur beandus, ſponte intelligi poſſe, id ad corpus quoque eius eſſe referendum, adeoque et hoc in vitam reſtitutum iri iudicandum, quoniam, qui absque corpore cogitetur, ne homo quidem dici poſſit: id quod his nominatim verbis tradit [4]): *ἔνθα γὰρ τὸν ἄνθρωπον εὐαγγελίζεται σῶσαι, καὶ τῇ σαρκὶ εὐαγγελίζεται. τί γάρ ἐστιν ὁ ἄνθρωπος, ἀλλ' ἢ τὸ ἐκ ψυχῆς καὶ σώματος συνεστὸς ζῶον λογικόν; μὴ οὖν καθ' ἑαυτὴν ψυχὴ ἄνθρωπος; οὐκ, ἀλλ' ἀνθρώπου ψυχή· μὴ οὖν καλοῖτο σῶμα ἄνθρωπος; οὐκ, ἀλλ' ἀνθρώπου σῶμα καλεῖται. Εἴπερ οὖν κατ' ἰδίαν μὲν τούτων ὁδέτερον ἄνθρωπός ἐστι, τὸ δὲ ἐκ τῆς ἀμφοτέρων συμπλοκῆς καλεῖται ἄνθρωπος· κέκληκε δὲ ὁ Θεὸς εἰς ζωὴν καὶ ἀνάστασιν τὸν ἄνθρωπον, οὐ τὸ μέρος, ἀλλὰ τὸ ὅλον κέκληκεν· ὅπερ ἐστὶ, τὴν ψυχὴν*

---

2) Quod poſt Grabium in *Spicileg. PP. Sec. II. To. I. pag.* 177. *ſq.* et Maranum in edit. *Opp. Adp. Part. II. p.* 588. *ſq.* ex hac ipſa recenſione Marana vna cum noua verſione notisque hiſtoricis atque criticis ante hos triginta et quod excurrit annos ſeparatim recudendum curauit Tellerus, Berolinenſis Theologus, in *Progr. Paſch. Helmſt.* 1776. 4. edito, Gallandus vero, quod miror, in ſua *PP. Biblioth.* ſilentio prorſus praetermiſit.

3) *Pag.* 191. *ſq.* edit. Grab. et *pag. XXXXIV.* ed. Tell.

4) *Pag.* 188. *ſq.* Grab. et *p. XXXVI. ſq.* Tell.

καὶ τὸ σῶμα. At enimuero quemadmodum in ſuperiori loco negauit, corpus anima deſtitutum vivere poſſe; ita nec animam, quam ſpiritus ibi domicilium dixerat, absque hoc ipſo ſpiritu vllo modo vivere ac perdurare poſſe, eum ſtatuiſſe, luculenter adparet ex alio *Dial. c. Tryph.* [5]) loco [6]), quo poſtquam animae propriam vitam ineſſe negauerat, haec deinde ſubiicit: ὥσπερ ἄνθρωπος ἐ διαπάντός ἐςιν, ἐδὲ σύνεςιν τῇ ψυχῇ τὸ σῶμα, ἀλλ' ὅτε ἂν δέῃ λυθῆναι τὴν ἁρμονίαν ταύτην, καταλείπει ἡ ψυχὴ τὸ σῶμα, καὶ ὁ ἄνθρωπος ἐκ ἔςιν ἕως καὶ ὅταν δέῃ τὴν ψυχὴν μηκέτι εἶναι, ἀπέςη ἀπ' αὐτης τὸ ζωτικὸν πνεῦμα, καὶ ἐκ ἔςιν ἡ ψυχὴ ἔτι, ἀλλὰ αὐτὴ ὅθεν ἐλήφθη, ἐκεῖσε χωρεῖ πάλιν. Quodnam vero praeterea inter animam et ſpiritum diſcrimen ſtatuerit Iuſtinus, de eo nihil amplius ex ſcriptis eius cognoſci poteſt, niſi hoc, animam quidem hominis eandem illum cum beſtiarum anima iudicaſſe, ſpiritum autem, quem et τὸν νοῦν adpellat, ex ipſius ſententia eum eſſe, cuius interuentu homo in hac iam vita Deum ex parte poſſit videre, quanquam poſt mortem demum eius totus, vt dicit, compos ſit futurus [7]).

Multo plura et apertiora de Tatiani hac de re ſententia nobis conſtant. Is nimirum duo ſtatuit ſpirituum genera, quorum alterum animam, alterum vero anima maius Deique imaginem referens dicit, atque vtrumque primis hominibus iudicauit adfuiſſe [8]), poſtquam

---

5) Quem librum denuo nuper contra recentiorum, inprimisque Langii, Roſtochienſis Theologi, dubitationes argumentis minime profecto contemnendis ſcriptori huic vindicare ſtuduit Muenſcher in peculiari libello academico ſuper ea re edito, quo *an Dialogus cum Tryphone Iuſtino Martyri recte adſcribatur diſquiritur. Marburg.* 1799. 4.

6) *§.* 6. *pag.* 108. *ſq.* edit. Opp. Maran.

7) Vtrumque ex eiusdem *Dial. c. Tryph.* §. 4. *pag.* 106. ſatis perſpicue intelligitur.

8) *Orat. contr. Graec. §.* 12. *p.* 253. *edit. Mar.* vbi δύο, inquit, πνευμάτων διαφορὰς ἴσμεν ἡμεῖς, ὧν τὸ μὲν καλεῖται ψυχὴ·

vero peccaſſent, poſterius ſpiritus genus, quod immortalitatis ipſorum cauſam complexum fuiſſet, ab iis feceſſiſſe [9]), ita tamen, vt virtutis eius quasdam veluti ſcintillas retinerent ipſorum poſteri [10]), poſſitque etiamnum quisque eorum, ſi modo velit, virtute colenda in eius iterum ſocietatem redire [11]); in quo omnibus, vt contingat ipſis, ſtudioſe elaborandum eſſe monuit [12]). Secundum haec autem ſpiritum quidem, quem, quoniam Dei aut diuini potius Λόγȣ quaſi particulam aliquam

---

τὸ δὲ μεῖζον μὲν τῆς ψυχῆς, Θεῦ δὲ εἰκὼν καὶ ὁμοίωσις. ἑκάτερα δὲ παρὰ τοῖς ἀνθρωποις τοῖς πρώτοις ὑπῆρχεν, ἵνα τὸ μὲν τι ὦσιν ὑλικοὶ, τὸ δὲ ἀνώτεροι τῆς ὕλης.

9) *Ibid.* §. 7. *p.* 249. vbi haec leguntur: ἐπειδή τινι φρονιμωτέρῳ παρὰ τȣ̃ς λοιπȣ̃ς (ἀγγέλȣς) ὄντι διὰ τὸ πρωτόγονον συνεξηκολȣθήσαν, καὶ Θεὸν ἀνέδειξαν οἱ ἄνθρωποι, καὶ τὸν ἐπανιςάμενον τῷ νόμῳ τȣ̃ Θεȣ̃, τότε ἡ τȣ̃ λόγȣ δύναμις τόντε τε ἄρξαντα τῆς ἀπονοίας, καὶ τȣ̀ς συνακολȣθήσαντας τȣ́τῳ, τῆς σὺν αὐτῷ διαίτης παρῃτήσατο. καὶ ὁ μὲν κατ᾽ εἰκόνα τȣ̃ Θεȣ̃ γεγονὼς χωρισθέντος ἀπ᾽ αὐτȣ̃ τȣ̃ πνεύματος τȣ̃ δυνατωτέρȣ θνητὸς γίνεται.

10) Id adparet ex iis, quae *ibid.* §. 13. *p.* 255. in hunc modum dicit: γέγονε ἓν συνδίαιτον ἀρχῆθεν τὸ πνεῦμα τῇ ψυχῇ· τὸ δὲ πνεῦμα ταύτην ἕπεσθαι μὴ βȣλομένην αὐτῷ καταλέλοιπεν. ἡ δὲ ὥσπερ ἔνασμα τῆς δυνάμεως αὐτȣ̃ κεκτημένη καὶ διὰ τὸν χωρισμὸν τὰ τέλεια καθορᾶν μὴ δυναμένη, ζητȣ̃σα τὸν Θεὸν κατὰ πλάνην πολλȣ̀ς θεȣ̀ς ἀνετύπωσε, κ. λ.

11) Quo pertinent, quae dicuntur v. c. §. 15. *pag.* 257. δυνατὸν δὲ παντὶ τῷ νενικημένῳ, (nimirum a vitiis,) πάλιν νικᾶν, τȣ̃ θανάτȣ τὴν σȣ́σασιν παραιτȣ́μενον. τίς δὲ αὕτη, εὐσύνοπτον ἔσαι τοῖς βȣλομένοις ἀνθρώποις τὸ ἀθάνατον: itemque §. 20. *p.* 262. δυνατὸν δὲ παντὶ γυμνοτεȣ́οντι, κτήσασθαι τὸ ἐπικόσμημα, καὶ πρὸς τὴν συγγένειαν τὴν ἀρχαίαν ἀναδραμεῖν.

12) Id quod lectoribus ſuis inprimis §. 15. *p.* 256. commendat, dum eum demum hominem dicendum eſſe monet, qui ad iſtam cum Deo coniunctionem adſpirauerit, eoque ipſo animam ſuam cum ſpiritu S. copulauerit, Deique ſe ſimilem reddiderit: Χρὴ, inquiens, ἡμᾶς ὅπερ ἔχοντες ἀπολωλέκαμεν, τȣ̃το νῦν ἀναζητεῖν, ζευγνύναι τε τὴν ψυχὴν τῷ πνεύματι τῷ ἁγίῳ, καὶ τὴν κατὰ Θεὸν συζηγίαν πραγματεȣ́εσθαι. Et paulo poſt: ἔςι γὰρ ἄνθρωπος, ȣ̃χ ὥσπερ οἱ κορακόφωνοι δογματίζȣσιν, ζῶον λογικόν, νȣ̃ καὶ ἐπιςήμης δεκτικόν. δειχθήσεται γὰρ κατ᾽ αὐτȣ̀ς καὶ τὰ ἄλογα νȣ̃ καὶ ἐπιςήμης δεκτικά. μόνος δὲ ἄνθρωπος εἰκὼν καὶ ὁμοίωσις τȣ̃ Θεȣ̃. λέγω δὲ ἄνθρωπον, ȣ̃χὶ τὸν ὅμοια τοῖς ζώοις πράττοντα, ἀλλὰ τὸν πορῥω μὲν ἀνθρωπότητος πρὸς αὐτὸν δὲ τὸν Θεὸν κεχωρηκότα.

esse iudicabat [13]), ipsum quoque λόγον τȣ̃ θεȣ̃ adpellare non dubitauit [14]), neque tamen eodem cum diuino Spiritu, sed inferiore potius loco habendum, adeoque ab eo diuersum esse censuit [15]), piis tantum hominibus ita statuit inesse, vt cum eorum anima arctissime sit copulatus [16]); animam vero materia constantem atque compositam [17]) et mortalem dixit, ideoque cum corpore etiam, quo contineatur, interituram esse defendit, eandem tamen in vitam iterum restitutum iri sperauit [18]).

His perquam similia sunt, quae apud Irenaeum de eadem re leguntur. Hic enim et ipse quidem aliquoties

---

13) Hanc certe sententiam satis perspicue produnt, quae leguntur §. 7. *pag.* 249. vbi: λόγος γάρ, inquit, ὁ ἐπεράνιος, πνεῦμα γεγονὼς ἀπὸ τȣ̃ πατρὸς καὶ λόγος ἐκ τῆς λογικῆς δυνάμεως, κατὰ τὴν τȣ̃ γεννήσαντος αὐτὸν πατρὸς μίμησιν εἰκόνα τῆς ἀθανασίας τὸν ἄνθρωπον ἐποίησε· ἵνα ὥσπερ ἡ ἀφθαρσία παρὰ τῷ θεῷ, τὸν αὐτὸν τρόπον Θεȣ̃ μοίραν ἄνθρωπος μεταλαβὼν, ἔχῃ καὶ τὸ ἀθάνατον.

14) Quod aperte fecit §. 13. *p.* 254. *sq.* vbi de animae natura haec tradit: καθ' ἑαυτὴν σκότος ἐστὶ, καὶ ἐδὲν ἐν αὐτῇ φωτεινὸν, καὶ τȣ̃το ἐστὶν ἄρα τὸ εἰρημένον· (Io. 1, 5.) ἡ σκοτία τὸ φῶς ȣ̃ καταλαμβάνει· ψυχὴ γὰρ οὐκ αὐτὴ τὸ πνεῦμα ἔσωσεν, ἐσώθη δὲ ὑπ' αὐτȣ̃, καὶ τὸ φῶς τὴν σκοτίαν κατέλαβεν. ὁ λόγος μὲν ἐστι τȣ̃ τȣ̃ Θεȣ̃ φῶς, σκότος δὲ ἡ ἀνεπιζήμων ψυχη. κ. τ. λ.

15) Cuius rei testis est locus §. 4. *pag.* 247. ita habens: πνεῦμα γὰρ τὸ διὰ τῆς ὕλης διήκον, ἔλαττον ὑπάρχει τȣ̃ θειοτέρȣ πνεύματος· ὅπερ δὲ ψυχῇ παραμοιωμένον, ȣ̃ τιμητέον ἐπίσης τῷ τελείῳ Θεῷ.

16) Vnde §. 13. *pag.* 255. diferte haec ab eo dicuntur: πνεῦμα δὲ τȣ̃ Θεȣ̃ παρὰ πȣ̃σιν μὲν ȣ̃κ ἔστι· παρὰ δὲ τισι τοῖς δικαίως πολιτευομένοις καταγόμενον, καὶ συμπλεκόμενον τῇ ψυχῇ, διὰ προαγορεύσεων ταῖς λοιπαῖς ψυχαῖς τὸ κεκρυμμένον ἀνήγγειλε.

17) *Ibid.* §. 15. *p.* 256. Ψυχὴ μὲν ἡ τῶν ἀνθρώπων πολυμερής ἐστι καὶ ȣ̃ μονομερής· συνθετὴ γὰρ ἐστιν, ὡς εἶναι φανερὰν αὐτὴν διὰ σώματος.

18) De qua re haec habet §. 13. *pag.* 254. ἐκ ἔστιν ἀθάνατος ἡ ψυχὴ καθ' ἑαυτὴν, θνητὴ δὲ. ἀλλὰ δύναται ἡ αὐτὴ καὶ μὴ ἀποθνήσκειν. θνήσκει μεν γαρ καὶ λύεται μετὰ τȣ̃ σώματος, μὴ γινώσκουσα τὴν ἀλήθειαν, ἀνίζαται δὲ εἰς ὕστερον ἐπὶ συντελείᾳ τȣ̃ κόσμȣ σὺν τῷ σώματι, θάνατον διὰ τιμωρίας ἐν ἀθανασίᾳ λαμβάνουσα. πάλιν δὲ ȣ̃ θνήσκει, κἂν πρὸς καιρὸν λυθῇ, τὴν ἐπίγνωσιν τȣ̃ Θεȣ̃ πιποιημένη.

tres partes commemorat, quibus perfectum hominem dicit conſtare, ſpiritum, animam et corpus [19]); at priorem nuspiam tanquam eiusmodi partem eius deſcribit, quae natura ipſi ineſſet [20]), ſed de illo ſemper tanquam eiusmodi re loquitur, quam anima hominis accipiat atque adſumat [21]), et in qua ille habitet [22]), omninoque nihil aliud in eo vult cogitari, quam Spiritum S. [23])

---

19) E. c. *adu. haer. lib. V. c.* 6. *p.* 406. edit. Grab. vbi, *perfectus*, inquit, *homo commixtio et adunitio eſt animae aſſumentis Spiritum Patris, et admixta ei carni, quae eſt plaſmata ſecundum imaginem Dei:* et paulo poſt *pag. ſeq.* haec habet: *Neque enim plaſmatio carnis ipſa ſecundum ſe homo perfectus eſt: ſed corpus hominis et pars hominis. Neque enim et anima ipſa ſecundum ſe homo, ſed anima hominis et pars hominis. Neque Spiritus homo: Spiritus enim et non homo vocatur. Commixtio autem et vnitio horum omnium perfectum hominem efficit. Et propter hoc Apoſtolus ſe ipſum exponens, explanauit perfectum et ſpiritualem ſaluis hominem. in prima Epiſtola ad Theſſalonicenſes* (V. 23.) *dicens ſic:* Deus autem pacis ſanctificet vos perfectos, et integer veſter ſpiritus et anima et corpus ſine querela in aduentu Domini I. C. ſeruetur. Atque *cap.* 9. reprehendit haereticos. *non conſpicientes, quia ſunt tria, ex quibus perfectus homo conſtat, carne anima et Spiritu.*

20) Vbi enim de iis, quae natura hominem conſtituunt, ſermo ipſi eſt, ſemper duas tantum eius partes commemorat, animam et corpus; cuius rei luculentiſſimum documentum praebet locus *lib. II. c.* 16. *pag.* 136. vbi *haec quidem*, inquit, *in hominibus cupit dici, cum ſint compoſiti* natura, *et ex corpore et anima ſubſiſtentes.* Addi tamen etiam poſſunt alia loca huic ſimillima, quae leguntur *lib. II. c.* 52. *pag.* 180. et *cap.* 62. *pag.* 191. *l. III. c.* 32. *pag.* 260. *l. IV. praef. pag.* 276. et *l. V. c.* 8. *p.* 410.

21) Quod praeter locum *not.* 19. iam laud. adparet etiam ex loco *libr. III. c.* 32. *pag.* 260. vbi haec habet: *Nos autem quoniam corpus de terra acceptum, et anima accipiens a Deo ſpiritum, omnis quicunque confitebitur;* itemque iis, quae leguntur *l. V. c.* 8. *p.* 410. *ſubſtantia noſtra, id eſt, animae et carnis adunitio* adſumens Spiritum Dei, *ſpiritualem hominem perficit.*

22) Vnde *l. I. c.* 18. *pag.* 91. anima *ſpiritus velut habitaculum* dicitur.

23) Id quod bene iam viderunt Moshemius in *Nott. ad Cudworthi ſyſtem. intell. cap. V. ſect. III. §.* 27. *pag.* 1071. *ſq.*

per Christum hominibus concessum [24]), qui cum iis, quibus contigerit, arctissime se copulet atque coniungat [25]), quemque in futura etiam vita non modo iterum sint recepturi [26]), sed multo etiam plenius atque largius percepturi, cum nunc eius tantum parte fruantur [27]). Animam autem ab afflatu Dei repetit [28]), et inter carnem

---

et Massuetus *Differt. III. in Iren. art. IX. §.* 119. Opp. *To. II. pag.* 148.

24) Hinc perfecti huius, quem dicit, hominis creationem a Christi demum tempore repetit *l. V. c.* 1. *pag.* 394. *quemadmodum*, inquiens, *ab initio plasmationis nostrae in Adam ea, quae fuit a Deo inspiratio vitae, vnita plasmati, animauit hominem, et animal rationabile ostendit; sic* in fine *Verbum Patris et Spiritus Dei, adunitus antiquae substantiae plasmationis Adae, viuentem et perfectum effecit hominem*, etc. Conferatur etiam *l. IV. cap.* 66. *pag.* 364. et *l. V. cap.* 12. *p.* 416.

25) Vnde *lib. V. cap.* 12. *pag.* 416. dicitur πνεῦμα περιλαβὸν ἔνδοθεν καὶ ἔξωθεν ἄνθρωπον, ἅτε ἀεὶ παραμόνιμον.

26) Hanc spem *l. II. c.* 62. *p.* 191. his verbis profitetur: πάντες οἱ ἐγγραφέντες εἰς ζωὴν ἀναστήσονται, ἴδια ἔχοντες σώματα, καὶ ἰδίας ἔχοντες ψυχὰς καὶ ἴδια πνεύματα, ἐν οἷς εὐηρέστησαν τῷ θεῷ; itemque *l. V. c.* 6. *p.* 407. vbi, postquam in verbis *not.* 19. laud. commemorauerat locum Pauli 1 Thess. V, 23. haec deinde addit: *et quam vtique caussam habebat, his tribus, id est, animae et corpori et spiritui, integram et perfectam perseuerationem precari in aduentu Domini, nisi reintegrationem et adunitionem trium et vnam et eandem ipsorum sciebat salutem? Propter quod et perfectos ait eos, qui tria sine querela exhibent Domino.*

27) Qua de re inprimis loquitur *l. V. cap.* 8. *pag.* 409. *sq. Nunc*, inquiens, *partem aliquam Spiritus eius sumimus, ad perfectionem et praeparationem incorruptelae, paulatim assuescentes capere et portare Deum: quod et pignus dixit Apostolus.* Et paulo post: *Si pignus complectens hominem in semetipsum, iam facit dicere, Abba, Pater, quid faciet vniuersa Spiritus gratia, quae hominibus dabitur a Deo, cum similes nos ei efficiet, et perficiet voluntate Patris?*

28) In quam rem praeter locum *not.* 24. laud. et alium paulo post *not.* 30. laudandum inprimis perspicuus locus extat etiam *l. V. c.* 12. *p.* 415. *sq.* vbi multis de discrimine inter afflatum et Spiritum disputat, atque illum omnibus hominibus contigisse, hunc vero iis tantum docet concedi, qui *terrenas*, vt dicit, *concupiscentias conculcent*, eumque nouissimis demum temporibus in genus humanum dicit effusum fuisse.

ac ſpiritum mediam collocat [29]), neque tamen, vt Tatianus, compoſitam et mortalem eſſe defendit, ſed certo ſaltem reſpectu incorpoream [30]) et ipſa natura ſua immortalem [31]) declarat.

Ab vtriusque vero ſententia prorſus ſeiuncta fuit Clementis Alexandrini opinio. Is enim diſerte duplicem animam commemorat [32]), quae cuilibet homini inſit, quarumque alteram λογικὴν ψυχὴν [33]) aut νῶν, alteram vero σωματικὴν ψυχὴν vel πνεῦμα ἄλογον [34]) et σαρκικὸν [35]) adpellat. Atque hanc quidem, quam a Deo formatam eſſe ſtatuit [36]), per ſenſus et totum reliquum corpus dicit pertinere, atque ipſam etiam corpore interveniente affici, inque ea omnem viuendi, nutriendi ſe atque mouendi vim latere, hincque hominem per eam ſentire, concupiſcere, laetari, iraſci, ali atque augeri, ab eademque etiam agendi eius, quod men-

---

29) *Lib. V. c.* 9. *pag.* 411. *Id vero, quod inter haec eſt duo*, (carnem et ſpiritum), *eſt anima, quae aliquando quidem ſubſequens ſpiritum, eleuatur ab eo, aliquando autem conſentiens carni, decidit in terrenas concupiſcentias.*

30) De qua re *l. V. c.* 7. *p.* 408 haec leguntur: *Quae ſunt ergo mortalia corpora? Num quidnam animae? Sed incorporales animae, quantum ad comparationem mortalium corporum. Inſufflauit enim in faciem hominis Deus flatum vitae et factus eſt homo in animam viuentem: flatus autem vitae incorporalis eſt.*

31) Quod et ipſum docet loco *not. ſuper.* excitato, dum poſt laudata verba addit: *Sed ne mortalem quidem poſſunt dicere ipſum flatum vitae exiſtentem* Simili modo etiam *cap.* 13. *pag.* 419. dicit: *nec anima mortalis, neque ſpiritus.*

32) Quod fit v. c. *Strom lib. VI. §.* 16. *pag.* 808. *ſq.* edit. Pott. vbi legis praecepta ſcripta eſſe dicit διϲϲοῖς πνεύμαϲιν, τῷ τε ἡγεμονικῷ, τῷ τε ὑποκειμένῳ.

33) Quo nomine vtitur *Strom. l. V. §.* 14. *pag.* 703. itemque *lib. VI. §.* 8. *pag.* 774.

34) Quod vtrumque nomen legitur *Strom. l. VII. §.* 12. *p.* 880

35) *Strom l. VI. §.* 16. *p.* 808.

36) Diſerte enim *l. l.* adpellat τὸ κατὰ τὴν πλάϲιν πνευματικὸν et *pag. ſeq.* dicit πλαϲθὲν.

te conceperat, initium fieri [37]); illi autem, quam a Deo ait homini inſpiratam [38]), eiusque Λόγȣ imaginem eſſe dicit [39]), duas facultates adſignat, intelligendi nimirum ac cognoſcendi atque libere volendi [40]). Quae cum ita ſint, facile intelligi poteſt, qui fiat, vt aliquo loco tria ponat, arctiſſime ſecum inuicem coniuncta [41]), corpus nimirum, animam et ſpiritum. Eſt tamen etiam, vbi non tres, ſed decem potius hominis partes commemorat [42]), aperte tamen in allegorica diſputa-

---

37) Haec omnia in eodem illo, quem modo excitauimus, loco leguntur, vbi *pag.* 808. de huius ψυχῆς σαρκικῆς natura haec habet: *αὐτίκα τὴν μὲν ζωτικὴν δύναμιν, ᾗ ἐμπεριέχεται τὸ θρεπτικόν τε καὶ ἀυξητικὸν καὶ καθ' ὅλȣ κινητικόν, τὸ πνεῦμα εἰληχεν τὸ σαρκικόν, ὀξυκίνητον ὂν, καὶ παντὶ διὰ τε τῶν αἰσθήσεων καὶ τȣ̃ λοιπȣ̃ σώματος πορευόμενον τε καὶ πρωτοπαθȣ̃ διὰ σώματος. — διὰ τȣ̃ σωματικȣ̃ ἄρα πνεύματος αἰσθάνεται ὁ ἄνθρωπος, ἐπιθυμεῖ, ἥδεται, ὀργίζεται, τρέφεται, αὔξεται· καὶ δὴ καὶ πρὸς τὰς πράξεις διὰ τȣ́τȣ πορεύεται τὰ κατ' ἔννοιαν τε καὶ διάνοιαν.*

38) *Strom. l. V. §.* 14. *p.* 703. vbi Moſen dicit narrare, *ψυχὴν τὴν λογικὴν ἄνωθεν ἐμπνευθῆναι ὑπὸ τȣ̃ Θεȣ̃ εἰς πρόσωπον*, additque illuſtrationis cauſa: *ἐνταῦθα γὰρ τὸ ἡγεμονικὸν ἰδρῦσθαι λέγȣσι, τὴν διὰ τῶν αἰσθητηρίων ἐπεισόδιον τῆς ψυχῆς ἐπὶ τȣ̃ πρωτοπλάστȣ εἴσοδον ἑρμηνεύοντες.*

39) De qua re in eodem loco ſtatim haec ſubiicit: *εἰκὼν μὲν γαρ Θεȣ̃ λόγος θεῖος καὶ βασιλικός, εἰκὼν δ' εἰκόνος, ἀνθρώπινος νȣ̃ς.* Eadem leguntur etiam in *Cohort. ad Gent. §.* 10. *pag.* 78 *ſq.* ad quem locum in *Not.* ſubiecta plura etiam alia ei ſimillima excitantur.

40) *Strom. lib. VI. §.* 8. *pag.* 774. vbi *καὶ μή τι*, inquit, *ἡ γνῶσις ἰδίωμα ψυχῆς τυγχάνει λογικῆς, εἰς τȣ́το ἀσκȣμένης, ἵνα διὰ τῆς γνώσεως εἰς ἀθανασίαν ἐπιγραφῇ; ἄμφω γὰρ δυνάμεις τῆς ψυχῆς, γνῶσίς τε καὶ ὁρμή.* Huic vero appetendi facultati etiam libertatem ab eo tribui, docet locus eiusdem libr. ſaepe iam laudati *p.* 808. vbi de anima hominis *λογικῇ* haec habet: *τὴν προαιρετικὴν δὲ τὸ ἡγεμονικὸν ἔχει δύναμιν, περὶ ἣν ἡ ζήτησις καὶ ἡ μάθησις καὶ ἡ γνῶσις.*

41) *Strom. lib. III. §* 10. *pag.* 542. vbi locum Matth. XVIII, 20. allegorice explicans inter alia etiam haec ponit: *εἶεν δ' ἂν καὶ ἄλλως, οἱ μὲν τρεῖς, θυμός τε καὶ ἐπιθυμία καὶ λογισμός. σαρξ δὲ καὶ ψυχὴ καὶ πνεῦμα, κατ' ἄλλον λόγον*: cui allegoriae ſimillima occurrit apud Origenem *To. XIV. in Matth. §.* 3. *pag.* 618. *Opp. To. III.* edit. de la Rue.

42) *Strom. lib. VI. §.* 16. *pag.* 808. Harum quinque priores ipſi ſunt *τά αἰσθητήρια πέντε*, ſexta *τὸ φωνητικόν*, ſeptima

tione verſans, per occaſionem quippe Decalogi, numerum denarium ad coelum, terram et homines transferens.

Multo vero apertius atque explicatius etiam hanc de triplici hominis parte doctrinam propoſuit Clementis diſcipulus, Origenes, etſi non eadem plane cum illo ſtatuiſſe deprehenditur. Is nimirum, quanquam in libr. περὶ ἀρχ. [43]), ſuper quaeſtione, vtrum duae, alia quidem coeleſtis et bona; alia vero terreſtris et inferior, an vna tantum hominis anima ſit admittenda, in vtramque partem diſputat ſic, vt vtriusque ſententiae argumenta enarret; ipſe tamen eorum aperte ſententiam probauit, qui duas defenderent. Etenim non modo in caeteris hominibus [44]), ſed in Ieſu etiam homine [45]), animam et ſpiritum agnoſcit, hincque plus vno in lo-

---

τὸ σπερματικόν, octaua τὸ κατὰ τὴν πλάσιν πνευματικόν; nona τὸ ἡγεμονικὸν τῆς ψυχῆς, et decima denique τὸ διὰ τῆς πίστεως προσγινόμενον ἁγίου πνεύματος χαρακτηριστικὸν ἴδιωμα. Hoc ſitur Spiritus S. donum non, vt Tatianus et Irenaeus fecerant, tribus hominis partibus annumerat, ſed duplici animae eius adhuc addit.

43) *Lib. III. c.* 4. *Opp. To. I. pag.* 145. *ſqq.* edit. de la Rue.

44) Cuius rei argumento eſt locus *Commentar. in Matth. To. III. Opp. pag* 876. vbi ex eo, quod Matth. 10. 28. in verbis: *qui corpus et animam poteſt perdere*, nihil de ſpiritu dicatur, luculenter dicit adparere, ſpiritum cum corpore vel anima peccatrice non ſimul puniri, itemque alius, qui legitur *ibid. pag.* 880. vbi *diuidit* Dominus), inquit *eam, quando ſpiritus quidem eius reuertitur ad Deum, qui dedit eum, anima autem cum corpore ſuo vadit in gehennam.*

45) Quod fit v. c. *Tom. XVI in Matth. §.* 8. *pag.* 726. *To. III. Opp.* vbi reprehendit τὸν συγγράψαντα τὰ περὶ τοῦ πρωτοτόκου πάσης κτίσεως τοῖς περὶ ψυχῆς καὶ τοῦ σώματος Ἰησοῦ. τάχα δὲ καὶ τοῦ πνεύματος αὐτοῦ; et *Commentar. in epiſt. ad Rom. l. I. §.* 5. *Opp. To. IV. pag.* 466. vbi, poſtquam laudauerat loci 1 Cor. 6, 16. 17 verba haec: *qui autem ſe iungit Domino, vnus Spiritus eſt*, addit deinde: *Ita ergo etiam nunc ſciens de anima Ieſu, quia ſociata Domino et cohaerens ei, vnus cum ipſo factus ſit ſpiritus ſanctificationis, non eam nominauit extrinſecus, ne ſolueret Ieſum.*

co [46]) diſerte tres hominis partes commemorat, ita quidem, vt ad notiſſimum ſimul Pauli in 1 Theſſ. V, 23. locum prouocet [47]), Spiritum S. tamen, quem Irenaeus iis annumerauerat, perſpicue ab iis diſtinguat [48]). Et animam quidem ipſe etiam mediam inter ſpiritum et carnem ponit, virtutisque aeque ac vitii capacem eſſe [49]), ideoque vel ſpiritui, vel carni ſe adiungere ſolere defendit [50]); ſpiritum autem in quo meliorem ho-

---

46) Quorum nunc vnum hunc modo excitabo, qui legitur in *Comment. Epiſt. ad Rom. l. IX. §.* 25. *Opp. To. IV. pag.* 654. vbi poſtquam verba loci Rom. XIII. 1. *omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubiaceat*, laudauerat, pergit deinde ſic: *Videtur mihi in hoc valde landabiliter animam nominaſſe, quam ſubiacere poteſtatibus iubet. Nunquam enim dixiſſet*, omnis ſpiritus *ſubiaceat poteſtati, ſed* omnis anima. *De qua differentia ſaepe iam diximus, quod interdum per animam, interdum per carnem, interdum per ſpiritum homo nominatur. Sed cum a parte meliore nominandus eſt, quaſi qui ſpiritalis intelligi debeat, ſpiritus dicitur: quando ab inferiore, anima: cum vero a deteriore nominatur, caro dicitur: et horum teſtimonia de ſcripturis ſaepe protulimus.* cf. etiam To. XVII. in Matth. §. 27. Tom. III. Opp. p. 807.

47) Cuius loci hac in re nominatim mentionem facit *Hom. III. in Exod. §.* 3. *pag.* 137. *To. II. Opp. To. XIII. in Matth. §.* 2. *Opp. To. III. p.* 570. et *Tom XIV. eiusd. Comment. §.* 3. *p.* 618. In *Commentar.* autem *in epiſt. ad Rom. lib. I. §.* 18. *pag.* 473. *Opp. To. IV.* omnino dicit: *Frequenter in ſcripturis inuenimus, et a nobis ſaepe diſſertum eſt, quod homo ſpiritus et corpus et anima eſſe dicatur.*

48) In quam rem nihil poteſt luculentius eſſe iis, quae habet *Tom. XIII. in Matth. §.* 2. *pag.* 571. *To. III. Opp. καί γὰρ*, inquiens, *σαφῶς ὁ ἀπόστολος παρέστησεν, ἕτερον εἶναι τὸ τοῦ Θεοῦ πνεῦμα κἂν ἐν ἡμῖν ᾖ, παρὰ τὸ πνεῦμα ἑκάστου ἀνθρώπου τὸ ἐν αὐτῷ, ὅπου μὲν λέγων· αὐτὸ τὸ πνεῦμα συμμαρτυρεῖ τῷ πνεύματι ἡμῶν, ὅτι ἐσμὲν τέκνα Θεοῦ, κ. λ.*

49) Quo pertinent, quae leguntur *Tom. XXXII, in Ioan. §.* 11. *pag.* 432. *To. IV.* Opp. vbi *ταῦτα*, inquit, *ζητεῖν ἐτόλμησα μετρίως, τηρήσας ἐν πάσῃ τῇ γραφῇ διαφορὰς ψυχῆς καὶ πνεύματος, καὶ μέσον μὲν τι θεωρῶν εἶναι τὴν ψυχὴν καὶ ἐπιδεχομένην ἀρετὴν καὶ κακίαν.*

50) Quam in rem in *Comment. in epiſt. ad Rom. lib. I. §.* 5. *p.* 466. vbi de loco Rom. I, 3. diſputat, haec habet: *Puto, quod conſuetudine ſua Apoſtolus vtatur etiam in hoc loco, ſciens, mediam ſemper eſſe animam inter ſpiritum et carnem, et aut iungere ſe carni et effici vnum cum carne, aut ſociare*

minis partem ineſſe ſtatuit [51]), et in quem nullum ait peccatum cadere [52]), in hominis nominatim conſcientia ſibi viſus eſt deprehendiſſe [53]).

Praeter hos vero ſcriptores inter antiquiores huius ſententiae, quae tres hominis partes vult admitti, defenſores referendus videri etiam poſſet Melito, Sardium quondam in Aſia epiſcopus, qui quippe Euſebio teſte [54]), librum περὶ ψυχῆς καὶ σώματος ἢ νοός [55]) ſcripſiſſe dicitur; quanquam, ſi vel maxime eiusmodi

---

ſe ſpiritui, et eſſe vnum cum ſpiritu, ex quo, ſi quidem cum carne ſit, carnales homines fiant; ſi vero cum ſpiritu, ſpirituales. Quibus ſimillima ſunt, quae paulo poſt tradit §. 18. *pag.* 473.

51) Quod, vt alia loca nunc taceamus, adparet iam ex eo, quem *not.* 46. excitauimus.

52) Quod in loc. *not.* 49. laud. his verbis tradit: ἀνεπίδεκτον τῶν χειρόνων τὸ πνεῦμα τȣ̃ ἀνθρώπȣ τὸ ἐν αὐτῷ. τὰ γὰρ κάλλιστα καρποὶ λέγονται εἶναι τȣ̃ πνεύματος, ἐχ ὡς ἂν οἰηθείη τις τȣ̃ ἁγίȣ, ἀλλὰ τȣ̃ ἀνθρώπȣ.

53) In quam rem admodum notabilis locus occurrit in *l. II. Comment. in epiſt. ad Rom.* §. 9. *pag.* 406. vbi de loco Rom. 2, 15. diſputans, *neceſſarium*, inquit, *videtur diſcutere, quid iſtud ſit, quod conſcientiam Apoſtolus vocat: vtrumne alia ſit aliqua ſubſtantia, quam cor vel anima. Haec enim conſcientia et alibi dicitur quia reprehendat, non reprehendatur et iudicet hominem, non ipſa iudicetur, ſicut ait Ioannes:* ſi conſcientia, *inquit*, noſtra non reprehendat nos, fiduciam habemus ad Deum. *Et iterum ipſe Paulus alibi dicit, quia* gloriatio noſtra haec eſt, teſtimonium conſcientiae noſtrae. *Quia ergo tantam eius video libertatem, quae in bonis quidem geſtis gaudeat ſemper, et exſultet, in malis vero non arguatur, ſed ipſam animam, cui cohaeret, reprehendat et arguat, arbitror, quod ipſe ſit ſpiritus, qui ab Apoſtolo eſſe cum anima dicitur, ſecundum quod in ſuperioribus edocuimus, velut paedagogus ei quidam ſociatus et rector, vt eam de melioribus moneat, vel de culpis caſtiget et arguat; de quo et dicit Apoſtolus; quia* nemo ſcit hominum, quae ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt *et ipſe ſit conſcientiae ſpiritus, de quo dicit:* ipſe ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro.

54) *Hiſt. Eccl. l. IV. cap.* 26.

55) Si quidem Valeſii, Readingii et Strothii textum ſequaris, ſecundum quem integer locus, qui huc pertinet, ita habet: καὶ πρὸς τούτοις ὁ περὶ ψυχῆς καὶ σώματος ἢ νοὸς καὶ ὁ περὶ λογȣ̃, κ. λ.

librum ſcripſiſſet, nondum conſtaret, quamnam in illo ſententiam ea de re defenderit. Verum cum Euſebii iſte locus aperte in mendo iaceat [56]), hincque vario etiam in codicibus mſc. modo exhibeatur [57]), Hieronymi potius auctoritas, Rufini etiam ex parte [58]) atque Nicephori [59]) teſtimonio munita, ſequenda eſſe videtur [60]), qui librum hunc *de anima et corpore* inſcriptum fuiſſe tradit [61]). Certiora contra de Didymo, ſcholae Alexandrinae quondam praefecto, defendi poſſunt. Hunc enim, non modo Gennadius, ſ. quicunque auctor eſt libri *de eccleſ. dogmat.* [62]) diſerte refert [63]),

---

56) Scribendum enim ſaltem fuiſſet, vti Rufinus legit: *περὶ ψυχῆς καὶ σώματος καὶ νοὸς.* - Hoc enim Rufinus expreſſit, qui ita habet: *de anima et corpore et mente.*

57) In quorum quippe nonnullis locus hic in hunc modum exhibetur: *καὶ πρὸς τούτοις ὁ περὶ ψυχῆς καὶ σώματος ἦν. ἐν οἷς καὶ ὁ περὶ λστρῆ κ. λ.* hancque ipſam lectionem Stephanus quoque exhibuit, ſecutusque etiam eſt Halloixius *Tom. II. ſcriptor. Orient. p.* 828

58) Quanquam enim hic, vt diximus *not.* 56. locum Euſebii ita expreſſit, vt eam, quae nunc vulgaris eſt, lectionem videatur ſecutus eſſe, tamen, paucis interiectis aliis, eiusdem operis titulus apud ipſum recurrit, his quidem verbis perſcriptus: *de anima et corpore.*

59) In cuius *Hiſt. eccleſ. l. IV. cap.* 10. de libro hoc haec leguntur: *ἐπὶ δὲ τούτοις ὁ περὶ ψυχῆς αὐτῷ καὶ σώματος πεπονημένος ἐστιν. ἐν οἷς καὶ ὁ περὶ λστρῆ κ. λ.*

60) Id quod ipſum iam defendit Car. Chriſt. Woog in *Diſſert II de Melitone, Sardium in Aſia epiſcopo,* (*Lipſ.* 1751. 4.) *p.* 15. *ſq.* in cuius partes nos quidem hac in re multo lubentius conceſſerimus, quam in modo, quo locum Euſebii conſtituendum iudicauit. Vult enim, vt ita legatur: *καὶ πρὸς τούτοις ὁ περὶ ψυχῆς καὶ σώματος. Ἦν ἐν οἷς καὶ ὁ περὶ λστρῆ,* putatque ex his ipſis verbis: *ἦν ἐν οἷς* per librariorum oſcitantiam facile potuiſſe vulgarem lectionem *ἢ νοὸς* enaſci.

61) *De viris illuſtr. cap.* 24.

62) De quo ſi quis varias virorum doctorum ſententias earumque cauſas cognoſcere cupiat, adeat inprimis Fabricii *Bibl. lat. med. et inf. aet. l. VII. pag.* 91. *ſq.*

63) *Cap. XX.* vbi *non eſt,* inquit, *tertius in ſubſtantia hominis ſpiritus, ſicut Didymus contendit: ſed ſpiritus ipſa eſt anima, pro ſpiritali natura, vel pro eo, quod ſpiret in cor-*

tertium quendam in ſubſtantia hominis ſpiritum defendiſſe, ſed ex ipſius etiam libro *de Spir. S.* quem ab Hieronymo, qui magiſtro eo vſus fuerat, latine verſum habemus, adparet. In eo enim, et ipſe loci Paulini 1 Theſſ. V, 23. auctoritate nixus, diſerte adfirmat, alium eſſe hominis ſpiritum atque aliam item animam eius, negatque, ſpiritum in illo loco commemoratum, de Spiritu S. vt multorum tum ſententia ferebat, intelligi poſſe [64]). Praeter hunc autem plures etiam alios circa haec ipſa tempora eandem cum illo ſententiam defendiſſe, Hieronymi teſtimonio conſtat. Is enim aliquoties narrat [65]), plures eſſe, qui diuerſum ab anima homini ſpiritum ineſſe ſtatuant, inque eius rei argumentum vel Pauli locum ſaepius iam laudatum [66]), vel alia

---

pore, ſpiritus appellatus. Anima vero ex eo vocatur, quod ad viuendum vel ad viuificandum animet corpus.

64) Sunt nimirum verba eius ex edit. Gallandi in *Bibl. PP. Vol. VI. p.* 282. *cap.* 56. haec: *Ad Theſſalonicenſes quoque*: Integer, *inquit*, ſpiritus veſter et anima et corpus. *Sicut enim alia eſt anima, et corpus aliud: ſic et aliud eſt ſpiritus ab anima, quae ſuo loco ſpecialiter adpellatur. De quo et oravit, vt integer cum anima ſeruetur et corpore: quia incredibile eſt, atque blasphemum, orare Apoſtolum, vt ſpiritus ſ. integer ſeruetur, qui nec imminutionem poteſt recipere, nec profectum. De humano ergo, vt diximus, ſpiritu in hoc Apoſtoli ſermo teſtatus eſt.*

65) In *Epiſt. ad Hedib. quaeſt.* 12. et in *Comment. in Daniel. Cap. III.*

66) De quo in *epiſt. ad Hedib. l. l.* haec habet: *Multi ſimpliciter hunc locum de reſurrectione intelligunt, vt et ſpiritus et anima et corpus in aduentu Domini integra ſeruentur; alii ex hoc loco triplicem in homine volunt affirmare ſubſtantiam, ſpiritus, quo ſentimus, animae, qua viuimus, corporis, quo incedimus. Sunt, qui ex anima tamen et corpore ſubſiſtere hominem differentes, ſpiritum in eo tertium non ſubſtantiam volunt intelligi, ſed efficientiam, per quam et mens in nobis et ſenſus et cogitatio et animus appellantur; et vtique non ſunt tot ſubſtantiae, quot nomina. — Nos autem in praeſenti loco, vt ſupra diximus, ſpiritum, qui cum anima et corpore integer conſeruatur, non ſubſtantiam Spiritus S. quae non poteſt interire, ſed gratias eius donationesque accipimus, quae noſtra vel virtute, vel vitio et accenduntur et extinguuntur in nobis.*

ſcripturae dicta excitant [67]), ipſe tamen eorum ſententiam minime probandam eſſe iudicat.

Neque vero orthodoxi tantum antiquioris eccleſiae doctores [68]), inter quos tamen nunquam etiam defuerunt, qui contrarium defenderent [69]), hanc ſententiam de tribus hominum partibus amplexi ſunt, ſed pluribus etiam haereticorum ſubinde fuit probata, inque aliarum ſententiarum publice ſuſceptarum impugnationem conuerſa. Atque id ipſum occaſionem dediſſe videtur, vt ea poſthaec ab orthodoxis quidem penitus fere abiiceretur et vt haeretica damnaretur.

---

67) Quaenam haec fuerint, ex altero loco *Comment. in Dan.* intelligi poteſt, in quo ad verba *v.* 39. *ſed in anima contrita et ſpiritu humilitatis ſuſcipiamur*, haec obſeruat: *Et ex praeſenti loco et ex eo, quod ſequitur:* benedicite ſpiritus et animae iuſtorum Domino, *et in Pſalmis:* (Pſ. 51, 19.) Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum Deus non deſpicit, *ſunt, qui alium velint eſſe ſpiritum in homine, excepto Spiritu S. et alium animam. Sed laborandum eis erit, quomodo absque carne et gratia ſpiritus ſ. duae ſubſtantiae et duo interiores homines in vno homine eſſe dicantur.*

68) Inter hos vero commemorandus etiam erat *Gregor.* Nyſſen. qui diſerte hanc ſententiam profitetur in libr. de opif. homin. c. 8. To. I. Opp. p. 60. ed. Pariſ. 1638. itemque *Chryſoſt.* iuxta Homil. XIII. in epiſt. ad Rom. Comment. N. T. Vol. IV. p. 180.

69) Inter quos praeter Hieronymum modo commemoratum nominatim etiam referendus eſt Tertullianus, qui in *libr. de anim. cap.* 10. 11. *ſeqq.* diſcrimen, quod quidam inter animum et animam conſtituendum iudicabant, diſerte proſcribit, et meras in eo argutias deprehendit. Fuiſſe autem omnino duas ſemper partes eorum, qui vel vnam eandemque mentem et animam hominis, vel diuerſas eſſe dicerent, praeter Origenis locum *not.* 43 laud. confirmat etiam Lactantii locus in *libr. de opific. Dei cap.* 18. vbi aeque atque Origenes in loco illo vtriusque partis argumenta enarrat, ipſe tamen in neutram partem quicquam definit. At priorum eum partibus fauiſſe, ex eo adparet, quod *Inſt. div. l. II. c.* 12. duas tantum hominis partes, animam et corpus, commemorat,

Cap. IV.

Sect. 2. Haereticorum de eadem re ſententiae.

(Comment. IX.)

Docuimus ſuperiori libello, vtique fuiſſe inter veteris eccleſiae doctores quosdam, qui tres hominis partes ſtatuerent, quanquam non vno ſemper eodemque eas ſenſu dicerent. Cum autem ſub finem eius monuerimus, eandem ſententiam pluribus quoque haereticorum partibus probatam fuiſſe, hacque ipſa de cauſa eam poſt ab orthodoxa eccleſia videri abiectam et vt haereticam fuiſſe damnatam; id ipſum, ab haereticis eam probatam etiam fuiſſe, primum omnium paulo vberius erit declarandum, veterumque ſcriptorum teſtimoniis confirmandum.

Pertinet autem huc ex Gnoſticorum primum familiis non quidem Baſilides [1]), ſed eius tamen filius *Iſidorus*. Ille enim vnam modo animam admiſit, eamque, vtpote ſupramundanam, tanquam hoſpitem in hanc terram detruſam [2]) et priori aliqua vita iam gauiſam fuiſſe [3]) ſtatuit. Hanc vero non ſimplicem exiſtimauit, ſed variorum ſpirituum, quos *adpendices* dixit, affectusque eſſe iudicauit, animaeque illi rationali per con-

---

1) Quem tamen plures iique diligentiſſimi alioquin ſcriptores haud cunctanter huius ſententiae defenſoribus annumerarunt, v. c. Moshemius in *Commentar. de rebus Chriſtian. ante Conſtant. M. Sec. II. §. XLVI. p.* 351. et Chr. Franc. Guil. Walchius in *Hiſtor. haereſ. Vol. I. p.* 296.

2) Hoc enim Baſilidem de anima profeſſum eſſe, diſerte teſtatur Clem. Alex. *Strom. lib. IV. c.* 26. *pag.* 639. ed. Pott. vbi *καὶ ἐντεῦθεν*, inquit, *ξένην τὴν ἐκλογὴν τοῦ κόσμου ὁ Βασιλείδης εἰληφέναι (τὴν ψυχὴν) λέγει, ὡς ἂν ὑπερκόσμιον φύσει οὖσαν.*

3) Quam eius ſententiam his verbis exponit Clem. Alex. *Strom. lib. IV. cap.* 12. *pag.* 600. *ἀλλὰ τῷ Βασιλείδῃ ἡ ὑπόθεσις προαμαρτήσασαν φησὶ τὴν ψυχὴν ἐν ἑτέρῳ βίῳ, τὴν κόλασιν ὑπομένειν ἐνταῦθα;* de quo loco vid. quae diſputauit Moshemius *l. l.*

turbationem quandam et confusionem primigeniam ita putauit adhaesisse, vt aliae simul spirituum adulterinorum et diuersi generis naturae accederent [4]), comitatu quasi stipatam [5]) declaravit. Hanc autem eius sententiam, narrante quidem Clemente Alexandr. [6]), ipse filius eius Isidorus in libro περὶ προσφυοῦς ψυχῆς impugnauit, et duas potius hominis animas defendit, quarum alteram quidem dixit λογικὴν, alteram vero creaturae nomine adpellauit [7]). Tum eandem sententiam probauit etiam *Valentinus*, et ipse Gnosticorum fami-

---

4) Et haec ex eiusdem Clementis Alex. testimonio constant, qui *Strom. lib. II. c.* 20. *p.* 488. ea de re haec habet: *οἱ δ' ἀμφὶ τὸν Βασιλείδην προσαρτήματα τὰ πάθη καλεῖν εἰώθασιν· πνεύματά τινα ταῦτα κατ' οὐσίαν ὑπάρχειν προσηρτημένα τῇ λογικῇ ψυχῇ, κατά τινα τάραχον καὶ συγχυσιν ἀρχικὴν· ἄλλα τε ἂν πνευμάτων νόθοι καὶ ἑτερογενεῖς φυσεις προσεπιφύεσθαι ταῖς, οἷον λύκος, πιθήκος, λέοντος, τράγος κ. λ.* in quem locum praeclare commentatus est Beausobrius in *Histoire des Manich. et du Manicheisme. lib. IV. cap.* 2. *Tom. II. pag.* 20. *sq.* licet nonnulla contra eum monenda remanserint Semlero in *Introd. histor. Polem. Baumgart. praemiss. Vol. I. pag.* 137.

5) Vnde Clemens Alex. *l. l.* hominem ex Basilidis quidem sententia Troiani veluti equi imaginem dicit referre, vt qui in vno corpore tot diuersorum spirituum exercitum habeat inclusum, *ὡς Δαρείς τινος*, inquiens, *ἵππος κατὰ τὸν ποιητικὸν μῦθον, εἰκόνα σώζει ὁ κατὰ Βασιλείδην ἄνθρωπος, ἐν ἑνὶ σώματι τοσέτων πνευμάτων διαφόρων στρατὸν ἐγκεκολπισμένος.*

6) *L. L.*

7) Id quod luculenter adparet ex ipso libri illius fragmento, quod Clemens *l. l.* recitat, ex illoque repetiit etiam Grabius in *Spicileg. PP. et Haeret. Sec II. pag.* 65. habetque sic: *ἐὰν γάρ τινι πεῖσμα δῶς, ὅτι μὴ ἔστιν ἡ ψυχὴ μονομερὴς, τῇτε τῶν προσαρτημάτων βία τὰ τῶν χειρόνων γίνεται πάθη, πρόφασιν ἐ τὴν τυχοῦσαν ἔξουσιν οἱ μοχθηροὶ τῶν ἀνθρώπων, λέγειν. ἐβιάσθην, ἀπηνέχθην, ἄκων ἔδρασα, μὴ βελόμενος ἐνήργησα· τῆς τῶν κακῶν ἐπιθυμίας αὐτὸς ἡγησάμενος, καὶ ἐ μαχεσάμενος ταῖς τῶν προσαρτημάτων βίαις. δεῖ δὲ τῷ λογιζηκῷ κρείττονας γενομένος, τῆς ἐλάττονος ἐν ἡμῖν κτίσεως φανῆναι κρατέντας.* In hoc enim loco quemadmodum priora aperte ad Basilidis sententiam impugnandam scripta sunt, ita in extrema eius parte duas ab Isidoro animas designari, bene vidit Clemens. Hinc enim illustrationis causa haec statim de Isidoro illo subiicit: *δύο γάρ δὴ ψυχὰς ὑποτίθεται καὶ ἔτος ἐν ἡμῖν, καθάπερ οἱ Πυθαγόρειοι.* Cfr. tamen de h. l. *Tellerus* in fide Dogmat. de resurr. carnis p. 151. sq. n. 5.

liae annumerandus. Is enim Demiurgum dicebat hominem ex terrena atque materiali ſubſtantia condidiſſe, eique animale quiddam indidiſſe, vt ſibi creatori ſimilis fieret, atque vtramque dein ſubſtantiam tunica pellicea, h. e. corpore circumdediſſe, poſt vero Demiurgi matrem, Achamoth, ipſo inſcio, ex ſpirituali ſeu coeleſti ſubſtantia aliquid ei admiſcuiſſe, vnde homo ſpiritualis euaſerit [8]); adeoque aperte tribus partibus hominem conflatum eſſe contendit, terreno ſcilicet homine, quem tamen duplici iterum materia, alia nimirum viſibili, eaque craſſiore atque ſolidiore, alia vero inuiſibili et

---

8) Hanc certe hac de re ſententiam Irenaeus ei tribuit *adv. haereſ. lib. I. cap.* 1. *§.* 10. *pag.* 27. edit. Grab. vbi eam his verbis exponit: *δημιεργήσαντα δὴ τὸν κόσμον, πεποικέναι καὶ τὸν ἄνθρωπον τὸν χοϊκόν· οὐκ ἀπὸ ταύτης δὲ τῆς ξηρᾶς γῆς, ἀλλ' ἀπὸ τῆς ἀοράτε οὐσίας, ἀπὸ τε κεχυμένε καὶ ῥευσε τῆς ὕλης λαβόντα· καὶ εἰς τετον ἐμφυσῆσαι, τὸν ψυχικὸν διορίζονται. — — ὕστερον δὲ περιτεθεῖσθαι λέγουσιν αὐτῷ τὸν δερμάτινον χιτῶνα. τετο δὲ τὸ αἰσθητὸν σαρκίον εἶναι λέγουσι. τὸ δὲ κύημα τῆς μητρὸς αὐτῆς τῆς Ἀχαμωθ, ὁ κατὰ τὴν θεορίαν τῶν περὶ τὸν σωτῆρα ἀγγέλων ἀπεκύησεν, ὁμοούσιον ὑπάρχον τῇ μητρὶ πνευματικόν, καὶ αὐτὸν ἠγνοηκέναι τὸν Δημιεργὸν λέγουσι· καὶ λελησθότως κατατεθεῖσθαι εἰς αὐτὸν, μὴ εἰδότος αὐτε, ἵνα δι' αὐτε εἰς τὴν ἀπ' αὐτε ψυχὴν σπαρὲν, καὶ εἰς τὸ ὑλικὸν τετο σῶμα, κυοφορηθὲν ἐν τετοις καὶ αὔξηθὲν ἕτοιμον γένηται εἰς ὑποδοχὴν τε τελείε. ἔλαθεν ἔν, ὡς φασὶ, τὸν Δημιεργὸν ὁ συγκατασπαρεὶς τῷ ἐμφυσήματι αὐτε ὑπὸ τῆς Σοφίας πνευματικὸς ἄνθρωπων (ἄνθρωπος) ἀρρήτῳ προνοίᾳ.* His ſimilia ſunt, quae leguntur apud Tertull. *adv. Valent. c.* 29. *To. II. p.* 178. edit. Seml. vbi haec de Valentinianis narrat: *triformem naturam primordio profeſſi et tamen inunitam in Adam: inde iam diuidunt per ſingulares generum proprietates, nacti occaſionem diſtinctionis huiusmodi ex poſteritate ipſius Adae, moralibus quoque differentiis tripartitae. Cain et Abel et Seth, fontes quodammodo generis humani in totidem deriuant argumenta naturae atque eſſentiae, Choicum, ſaluti degeneratum, ad Cain redigunt: animale, mediae ſpei deliberatum, ad Abel componunt: ſpiritale, certae ſaluti praeiudicatum, in Seth recondunt.* Qui poſterior locus illuſtrandus eſt ex iis, quae apud Iren. *l. l. §.* 14. *pag.* 34, de tribus hominum generibus, Caino, Abeli et Setho ſimilibus leguntur; de quibus vid. quae ſcripſit Buddeus in *Diſſert. de haereſi Valent. §.* 7. *pag.* 585. ad calcem *Introduct. ad Hiſtor. Philoſ. Hebraeor.* Neque ab his multum diuerſa ſunt, quae leguntur in *Excerptis ex ſcript. Theodoti Clement. §. L—LIV. p.* 981 *ſq.* edit. Pott.

fluida, conſtare iudicauit, itemque animali atque ſpirituali [9]). Eandem cum hoc Valentino ſententiam non mirum eſt porro etiam profeſſum eſſe *Heracleonem*, ipſius diſcipulum [10]). Hic enim et ipſe, teſte quidem Epiphanio [11]), tres hominis partes defendit, corpus nimirum, animum et *τὸν πνευματικὸν καὶ ἐσώτατον ἄνθρωπον*, ex ſuperiori pleromate deriuatum; atque pro tribus hiſce partibus, quibus hominem conflatum dixit, tria etiam cum Valentino hominum genera conſtituit, terreſtre, ſpirituale et animale, quorum primum neceſſario damnari, ſecundum autem cognitione pleromatis neceſſario ſeruari ſtatuit, quamcunque etiam vitam egiſſet, tertium vero *ψυχικῶν* inter haec duo medium collocauit, cognitionemque pleromatis vel admittere, vel reiicere poſſe iudicauit. Eodem modo *Manes* etiam cum aſſeclis praeter corpus, quod ex ipſius ſententia totum ex praua et vitioſa materia conſtat, et ad tenebrarum regem, ſ. principium malum, quod ille ſtatuit, et

---

9) Quam illius ſententiam pluribus explicauit Moshemius in *Commentar. de rebus Chriſtian. ante Conſtant. M. Sec. III. §. LVI. pag.* 383. Cfr. etiam *Teller.* in fide dogm. de reſurrect. carnis p. 158. ſq. qui de ſyſtem. huius viri admodum diligenter diſputauit, et nonnulla paulo aliter conſtituit.

10) De quo praeter ſcriptores de haereticis vniuerſis exponentes videnda inprimis Io. Vogtii *Diſſert. de Heracleone et Heracleonitis*, inſerta *Ei. Biblioth. Hiſtor. haereſ. Tom. I. Faſc. II. p.* 275. *ſq.*

11) *Epiph. Haereſ. XXXVI*, 2. vbi, poſtquam ea, quae in moribundis obſeruari ſoleant ab Heraeleonitis enarrauerat, haec deinde addit: *τοῦτο δὲ ποιεῖσιν, ἵνα δῆθεν οἱ λαμβάνοντες ἐπὶ τῇ ἐξόδῳ ταύτας τὰς ἐπικλήσεις, τὰς μετὰ τὸ ὕδατος καὶ ἐλαίου, ἤτοι μύρου ἀναμεμιγμένων, ἀκράτητοι γένωνται, καὶ ἄόρατοι ταῖς ἄνω Ἀρχαῖς καὶ ἐξουσίαις, εἰς τὸ ὑπερβῆναι ἀοράτως τὸν ἔσω αὐτῶν ἄνθρωπόν φασιν, ὡς τῶν σωμάτων τούτων ἐν τῇ κτίσει καταλειμμένων. τῆς δὲ ψυχῆς αὐτῶν παρεισαμένης τῷ Δημιουργῷ ἄνω τῷ ἐν ὑστερήματι γεγονότι, ὥστε καὶ ἐκεῖσε καταμένειν παρ' αὐτῷ· ὑπεραναβαίνειν δὲ, ὡς ἔφην, τὸν ἔσω ἄνθρωπον ἐσώτερον ψυχῆς καὶ σώματος· ὃν δὴ θέλουσι λέγειν ἐκ τοῦ ἄνωθεν πληρώματος κατεληλυθέναι.*

a quo hominem creatum iudicauit [12]), pertinet [13]), duas homini animas tribuit [14]), quarum alteram quidem brutam, ab eodem malorum principe ortam [15]), omnium commotionum, affectuum, libidinum et desideriorum, quibus homines distrahantur et agitentur, sedem agnovit, alteram vero, bonam et rationis compotem, a Deo ortam [16]) eiusdemque cum illo naturae es-

---

12) Quod his verbis testatur August. *de nupt. et concup. lib. II. cap.* 3. *pag.* 305. *Opp. Tom. X.* edit. Bened. Venet. *Manichaei dicunt, humanam naturam non a Deo conditam bonam peccatoque vitiatam, sed ab aeternarum principe tenebrarum de commixtione duarum naturarum, quae semper fuerunt, vna bona et vna mala, hominem creatum.*

13) Id quod ipse Manes in *Epist. ad filiam Menoch* in August. *Oper. imperf. lib. III. §.* 174. *pag.* 1118. *Opp. To. X.* his verbis docet: *Sicut auctor animarum Deus est, ita corporum auctor per concupiscentiam diabolus est, vt in viscatorio diaboli per concupiscentiam mulieris. Vnde diabolus aucupatur non animas, sed corpora, siue per visum, siue per tactum, siue per auditum, siue per odoratum, siue per gustum:* de cuius loci sensu propter vitiosam, vt videtur, lectionem in nonnullis obscuro videnda, quae monuit Moshemius in *Comment. de rebus Christ. ante Const. M. sec. III. §.* 45. *pag.* 813.

14) Quod pluribus scriptorum suorum locis docet Augustinus, *e. c.* in *Oper. imperf. contr. Julian. lib. III. §.* 172. *p.* 1117. *To. X.* vbi *duas*, inquit, *simul animas in homine vno esse delirant, vnam malam, alteram bonam, de suis principiis diuersis emanantes;* idemque eiusd. *Oper. lib. IV. §.* 6. *pag.* 1294. vbi haec habet: *Manichaeus ergo duas animas, siue spiritus, siue mentes, vnam propriam carnis, eandemque non accidente vitio, sed coaeternam Deo natura malam, alteram vero natura bonam, tanquam Dei particulam, sed illius malae commixtione maculatam, in homine vno esse contendit;* atque *de haeres. cap.* 46. *pag.* 17. *To. VIII.* vbi his simillima leguntur.

15) Hinc praeter animam bonam omnia Manichaeos ad tenebrarum principem referre tradit August. *contr. duas epist. Pelag. lib. IV. c.* 4. *p.* 470. *To.* X. vbi haec leguntur: *Manichaeus dicit, nihil est huius infantis nisi anima bona liberanda, cetera non ad Deum bonum, sed ad principem tenebrarum pertinentia, respuenda.*

16) De quo haec habet idem Augustinus in *Oper. imperf. contr. Iul. lib. III. §.* 186. *pag.* 1123. *Hinc est, quod animam primam dicit* (Manichaeus), *a Deo lucis emanasse et accepisse istam fabricam corporis, vt eam fraeno suo regeret. Non enim hoc de homine, sed de anima bona dicit, quam*

ſe [17]) defendit: quam ſententiam eius, in qua nonnulla adhuc, quae ambiguitati ſunt obnoxia, relinquuntur [18]), non modo peculiari libello [19]), ſed in pluribus etiam aliorum ſcriptorum ſuorum locis impugnauit Auguſtinus. Denique *Apollinaris* etiam eandem inter haereticos ſententiam amplexus eſt. Nam et hunc tres hominis partes ſtatuiſſe, σάρκα nimirum, ψυχὴν, vel, vt dixit etiam, ψυχὴν ζωτικὴν, et ψυχὴν νοητικὴν ſ. νοῦν, cum ex

---

Dei partem atque naturam vniuerſo mundo, et omnibus, quae in eo ſunt, opinatur eſſe permixtam; in homine autem per concupiſcentiam decipi.

17) Quod praeter locum ſuper. *not.* laudat. ex his etiam Auguſtini locis intelligitur: *de haereſ. cap.* 46. *pag.* 14. *To. VIII. Opp.* vbi haec de Manichaeis profitetur: *Ex his autem ſuis fabulis vanis atque impiis coguntur dicere, animas bonas, quas cenſent ab animarum malarum naturae ſcilicet contrariae commixtione liberandas, eius, cuius Deus eſt, eſſe naturae;* et *de duab. animab. contr. Manich cap.* 16. *p.* 86 *To. VIII.* vbi eandem illorum ſententiam pluribus adhuc exponit, in hunc quidem modum: *Duo animarum genera eſſe dicunt, vnum bonum, quod ita ex Deo ſit, vt non ex aliqua materia vel ex nihilo ab eo factum, ſed de ipſa eius omnino ſubſtantia pars quaedam proceſſiſſe dicatur; alterum autem malum, quod nulla prorſus ex parte ad Deum pertinere credunt, credendumque commendant: et ideo illud ſummum bonum, hoc vero ſummum malum eſſe praedicant: atque iſta duo genera fuiſſe aliquando diſcreta, nunc eſſe commixta.*

18) De quibus digna quae legantur ſunt, quae diſputauit Moshemius *l. l.*

19) *De duabus animab. contr. Manichaeos, To. VIII. Opp. pag.* 75. *ſq.* cuius libri argumentum *Retract. l. l. cap.* 15. *pag.* 23. *To. I.* describens, vniuerſam Manichaeorum in hac cauſa ſententiam his verbis exponit: *Poſt hunc librum ſcripſi adhuc presbyter contra Manichaeos de duabus animabus, quarum dicunt vnam partem Dei eſſe, alteram de gente tenebrarum, quam non condiderit Deus, et quae ſit Deo coaeterna: et has ambas animas, vnam bonam, alteram malam, in vno homine eſſe delirant: iſtam ſcilicet malam propriam carnis eſſe dicentes, quam carnem etiam dicunt gentis eſſe tenebrarum; illam vero bonam, ex aduentitia Dei parte, quae cum tenebrarum gente conflixerit, atque vtramque miſcuerit et omnia quidem bona hominis illi bonae animae, omnia vero mala illi malae animae tribuunt.*

ipſius locis quibusdam a Gregorio Nyſſeno ſeruatis [20]), tum ex aliorum quoque ſcriptorum teſtimoniis [21]) conſtat, adparetque etiam ex celebratiſſima eius de perſona Ieſu ſententia, propter quam haereſeos olim fuit accuſatus. Etenim et Ieſum eodem, quam reliquos homines, modo tribus quidem, at non iisdem plane, quibus illi, partibus iudicauit compoſitum. Corpus nimirum et animam, (ψυχὴν) eum cum omnibus hominibus dixit communem habuiſſe; at animae rationalis aut νῦ locum perſonam Filii Dei, quae ſe cum corpore et anima eius coniunxerit, in eo ſtatuit expleuiſſe, hincque eum perfectum hominem eſſe negauit. Hanc enim ipſius fuiſſe hac in re ſententiam, non ab omnibus accurate ſatis ſemper definitam [22]), rurſus cognoſcitur cum ex variis ſcriptorum eius fragmentis in antiquiorum libris occurrentibus, tum ex aliorum quoque ea de re teſtimoniis: quorum tamen cum non eadem cum illis

---

20) In *Antirrhet. adv. Apollin. a* Zacagnio in *Collectan. Moniment. vet. eccleſ. graec.* editis, *cap.* 35. *p.* 210. vbi haec illius verba laudantur: *ὅτι ὥσπερ ἄνθρωπος εἷς ἐστιν ἐκ πνεύματος καὶ ψυχῆς καὶ σώματος*; et *cap.* 48. *pag.* 255. vbi *ἐκ τριῶν, φησὶν, ὁ ἄνθρωπος*, atque *cap.* 49. *pag.* 257. vbi de Chriſto loquens, *εἰ δὲ ἡμεῖς μὲν*, inquit, *ἐκ τριῶν, αὐτὸς δὲ ἐκ τεσσάρων· ἐκ ἄνθρωπος, ἀλλὰ ἀνθρωπόθεος.*

21) Nominatim Theodoreti, qui *Dial. II. pag.* 73. *To. IV. Opp.* edit. Schulz. haec de illo narrat: *ἐκ τριῶν συγκεῖσθαι λέγει τὸν ἄνθρωπον, ἐκ σώματος καὶ ψυχῆς τῆς ζωτικῆς, καὶ αὖ πάλιν ἐκ τῆς λογικῆς, ἣν νῦν προσαγορεύει*; itemque Nemeſii in libr. *de nat. homin. cap.* 1. *pag.* 2. edit. Oxon. haec tradentis: *τινὲς μὲν, ὧν ἐστι καὶ Πλωτῖνος, ἄλλην εἶναι τὴν ψυχὴν, καὶ ἄλλον τὸν νῦν δογματίσαντες, ἐκ τριῶν τὸν ἄνθρωπον συνεσάναι βέλονται, σώματος καὶ ψυχῆς καὶ νῦ. οἷς ἠκολούθησε καὶ Ἀπολλινάριος, ὁ Λαοδικείας γενόμενος ἐπίσκοπος. τοῦτον γὰρ πηξάμενος τὸν θεμέλιον τῆς οἰκείας δοξῆς καὶ τὰ λοιπὰ προσωκοδόμησε κατὰ τὸ οἰκεῖον δόγμα.*

22) Plerumque enim omnem ipſum animam perſonae Ieſu dixerunt denegaſſe, adeoque diuinam Filii Dei naturam cum ſolo corpore vnuam ſtatuiſſe, cum ipſe tamen rationalis modo animae locum eam expleuiſſe defenderit; quam ſententiam eius praeter alios inprimis accurate explicauit Walchius in *Hiſtor. haereſ. Vol. III. p.* 184. *ſq.*

poſſit auctoritas eſſe, his quidem nunc miſſis, ſimpliciterque infra excitatis [23]), illa tantum hic commemoraſſe ſuffecerit. Pertinet autem huc primum locus ex epiſtola eius ad epiſcopos Diocaeſaream relegatos a Leontio Byzantino ſeruatus [24]), vbi, *confitemur*, inquit, *non ad hominem ſanctum veniſſe Verbum Dei, quod erat in Prophetis, ſed ipſum Verbum carnem factum eſſe, non aſſumta mente humana, mente mutabili, quae turpibus cogitationibus captiua ducitur, ſed diuina mente immutabili et caeleſti. Quamobrem non corpus inanimatum, neque ſenſu et intelligentia vacuum habuit Salvator. Nec enim fieri poterat, vt cum Dominus propter nos factus eſſet homo, corpus eius eſſet ſine intelligentia.* Tum huc faciunt etiam plures ex locis, quos a Gregorio Nyſſeno nobis ſeruatos eſſe diximus, qualem v. c. *l. l. cap. IX.* exhibet, qui ita habet [25]): τὸ δὴ πνεῦμα, τετέτι τὸν νῶν, Θεὸν ἔχων ὁ χριτὸς μετὰ ψυχῆς καὶ σώματος, εἰκότως ἄνθρωπος ἐξ ἐρανῦ λέγεται; itemque alius, qui paulo poſt ſequitur, et in quo haec Apollinaris verba recitantur [26]): ἀλλά φησιν, ὅτι ὁ δεύτερος ἄνθρωπος ἐξ ἐρανῦ πνευματικὸς λέγεται, καὶ τῦτο σημεῖον ποιεῖται τῦ ἄνεν εἶναι τὸν τῷ Θεῷ συγκραθέντα ἄνθρωπον; denique

23) Extant nimirum apud Epiph. *haereſ. LXXVII*, 1. *ſqq.* Theodoret *haeret. fabul. lib IV. cap* 8. *pag.* 363. *To. IV. Opp* et in *Pentalog de incarn. p.* 126. *To. V. Opp.* Auct. *dialog. adv. Apollinariſt. §.* 16. et 21. *To. V. Opp. Theodoreti, pag.* 1100 et 1102. Gregor. Nazianz. Orat. *LI. Opp. Tom. I. pag* 740. itemque *Orat. LII. pag.* 745. *ſq.* et *carm. de vita ſua, To. III. pag.* 10. *ſq.* Auguſtin. *de haer cap.* 55. *p.* 19. *To. VIII. Opp.* atque Leon. M *Serm. IV. in Nativ. Dom. To. I. Opp. p.* 76. et *Epiſt. XLVI. p.* 262.

24) In libr. *adv. fraudes Apollinariſt.* quem ex MS. in lucem primus protraxit Caniſius in *Lect antiq. T. I. pag.* 608. edit. Basnag. ex eoque repetiit Gallandus in *Bibl. PP. To. XII.* apud quem locus ille legitur *p.* 706.

25) Apud Zacagn. *pag.* 142.

26) *Cap. XI. pag.* 146.

etiam tertius, in quo haec ex ſcriptis eius Gregorius narrat[27]): ἀλλ' ἐκ ἄνθρωπον αὐτὸν εἶναι φησὶν, ἀλλὰ καθάπερ ἄνθρωπον ἄνεν, ἐνσαρκον ὄντα. Inprimis vero notatu dignus eſt locus Gregorii Nazianz. vbi ex libello Apollinaris, quem ſibi in manibus eſſe dicit, haec refert [28]): εἶτα κατασκευάζει τὸν ἄνθρωπον ἐκεῖνον τὸν ἄνωθεν ἥκοντα, τὸν νεῦν μὴ ἔχειν, ἀλλά τὴν θεότητα τοῦ μονογενοῦς τὴν τοῦ νοῦ ἀναπληρώσασαν, μέρος γενέσθαι τοῦ ἀνθρωπείου συγκράματος, τὸ τριτημόριον ψυχῆς τε καὶ σώματος κατὰ τὸ ἄνθρωπινον περὶ αὐτὸν ὄντων· νοῦ δὲ μὴ ὄντος, ἀλλὰ τὸν ἐκείνου τόπον τοῦ θεοῦ λόγου ἀναπληροῦντος.

Id ipſum vero, quod hi, quos diximus modo, haeretici illam, orthodoxorum quoque doctorum nonnullis olim probatam, de tribus hominum partibus ſententiam ſecuti fuerant, eamque reliquis ſuis opinionibus atque erroribus immiſcuerant et accommodauerant, inprimis vero Apollinarius in tam inopinatum eam abuſum conuerterat, occaſionem, vt non male ſuſpicatus iam eſt Fellus, Ceſtrienſis quondam epiſcopus [29]), dediſſe videtur, vt, quod ante a ſingulis modo factum eſſe mouimus [30]), nunc omnes fere, qui orthodoxi haberi vellent, eam improbarent, et vt haereticam damnarent. Hinc a Gennadio quidem diſerte inter eccleſiaſti-

---

27) *Cap. XXXV. pag* 212.

28) *Orat. XLVI. ad Nectar. p.* 722. *Opp. To. I.* edit. Colon.

29) In *Annotatt. in Nemeſium de nat. homin. p.* 3. edit. Oxon. vbi haec habet: *Poſtquam enim Apollinarii et ipſius ſequacium Dimeritarum increbuit dogma, qui Dominum noſtrum ex tribus partibus conſtitutum aſſerebant,* ἐκ σαρκὸς καὶ ψυχῆς καὶ θεότητος ἀντὶ τοῦ νοῦ (*Epiphanii ſunt verba pag.* 1016.) *quo certius eos profligarent orthodoxi, deinceps receptae prius ſententiae de tribus animae partibus valedixerunt, licet ab Apoſtoli verbis* 1 *Theſſ.* V, 23. *firmamentum ſibi arrogare videatur; et demum haereſeos cuiusdam apud poſteros arceſſebatur, animam a ſpiritu ſecernere.*

30) Super. Comment. *pag.* 632.

ca dogmata refertur [31]), vnam modo, non duas, vti nonnulli ſtatuant [32]), in homine animas admittere.

Neque tamen vel tum omnis ſtatim illius ſententiae memoria obliterata, aut defenſio eius prorſus abiecta fuiſſe videtur. Certe Marcus Monacus, Sec. V. ſcriptor [33]), in libr. περὶ μετανοίας tanquam certum interque omnes notum ſumit, tripartitam eſſe hominis hypoſtaſin, dum in allegorica loci Matth. XIII, 33. interpretatione verſans haec ponit [34]): εἰ γὰρ μὴ τοῦτο δοθείη, πῶς ὅμοία ἐστὶν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν ζύμῃ, ἣν λαβοῦσα γυνὴ ἔκρυψεν εἰς ἀλεύρου σάτα τρία, ἕως οὗ ἐζυμώθη ὅλον; ἢ καθότι ἡ τὸν τοῦ Θεοῦ λόγον ὑποδεξαμένη διάνοια ἔκρυψεν, εἰς τὴν τριμερῆ ὑπόστασιν, σώματος λέγω καὶ πνεύματος καὶ ψυχῆς, κατὰ τὸν ἀπόστολον, καὶ πᾶσαν αὐτῶν τὴν ἐν τοῖς λογισμοῖς λεπτότητα, ἀλεύρου δίκην πολυμερῶς διακεχημένην, εἰς μίαν τῆς πίστεως ζύμην συνήγαγεν, ἐξομοιωθῆναι τῷ ἐνεργοῦντι λόγῳ καθόλου περιμένουσα. Imo multo ſerius adhuc ab eadem ſententia parum ab-

---

31) De *dogmat. eccleſ. cap.* 15. vbi, *neque duas*, inquit, *animas eſſe dicimus in vno homine, ſicut Iacobus et alii Syrorum ſcribunt, vnam animalem, qua animetur corpus et commixta ſit ſanguini, et alteram ſpiritalem, quae rationem miniſtret: ſed dicimus, vnam eſſe eandemque animam in homine, quae et corpus ſua ſocietate viuificet, et ſemet ipſam ſua ratione diſponat habens in ſe libertatem arbitrii, vt et in ſuae ſubſtantiae eligat cogitatione, quod vult.*

32) Quos inter nominatim commemorat Iacobum Syrum, qui quisnam fuerit, non facile definiueris. Etenim nobiliſſimum illum Iacobum Baradaeum, Iacobitarum ducem et anteſignanum, de quo Elmenhorſtius in *Nott. pag.* 132. videtur cogitaſſe, in animo eum habuiſſe, temporum ratio non permittit.

33) Vt cum Balth. Mar. Remondini, qui duos Marci huius ſermones de ieiunio et Melchiſedeco antehac ineditos primus ex cod. MS. in lucem protulit Rom. 1748. ſtatuit Gallandus in *Biblioth. PP. Tom. VIII. Proleg. cap. I. pag. III.*

34) *Pag.* 28. *Tom. VIII. Biblioth. PP. Gallandi.* — Pertinet huc etiam *Syneſius*, qui hanc ſententiam profeſſus eſt epiſt. CV. pag. 246. ſqq. Opp. edit. Petav., de quo loco in ſequenti commentatione pluribus dicendum erit.

fuiſſe videtur Conſtantinus Chryſomalus, cuius ſcripta cum poſt ipſius mortem in concilio Conſtantinopolitano anno MCXL. habito in iudicium fuiſſent vocata, diligentiusque examinata, inter alia etiam haec in iis deprehenſa eſt ſententia a concilio iſto haereſeos nomine damnata [35]), ὅτι πᾶς Χριστιανὸς δύο ἔχει ψυχάς, τὴν μὲν αὐτῶν ἀναμάρτητον, τὴν δὲ ἁμαρτητικήν. εἰ δὲ μίαν ἔχει ψυχήν, Χριστιανὸς ἔπω ἐγένετο: quanquam ipſis eius ſcriptis deficientibus vix poterit certo definiri, quidnam ſibi cum illa nominatim anima voluerit, quam per chriſtianam religionem ſtatuit obtineri. Ab hac enim eum alterutram iſtarum animarum repetiiſſe, inde adparet, quod diſerte addidiſſe dicitur, ſi quis vnam modo animam habeat, eum nondum Chriſtianum eſſe factum.

Iam vero quicunque iſtam de tribus hominis partibus ſententiam defenderunt, ex Platonica eam plerumque philoſophia dicuntur arripuiſſe [36]). Verum vt iam non quaeramus, vtrum recte defendatur, Platonem tres hominis partes ſtatuiſſe [37]), potueritque adeo haec

---

35) Vt docet decretum ſynodicum, quod gr. et lat. exſtat apud Leon. Allatium *de eccleſ. occident. et orient. perpet. conſenſ. lib. II. cap. XI. p.* 647. ex quo de hoc concilio pauca etiam retulit Caueus in *Hiſt. litter. ſcript. eccleſ. To. II. pag.* 265.

36) Ita certe v. c. ſtatuit Chriſtph. Wollius in *Diſſert. philolog. de abuſu Platonico trium hominis partium in explanatione N. F. (Lipſiae* 1732. 4.) *§. VI. pag.* 22. ſimiliterque Bruckerus etiam in *Hiſtor. crit. Philoſ. Part. II. lib. I. cap. III. Vol. III. pag.* 426. ad ſententias e Platonica philoſophia a Clemente Alex. ſuſceptas nominatim etiam hanc refert; eodemque modo *ibidem pag.* 450. de Origene quoque ſtatuit.

37) Quanquam enim omnino duas aut tres etiam in homine animas dicitur agnouiſſe, incertum tamen eſt, vtrum iis duas tresve diuerſas ſubſtantias, aut vnius eiusdemque ſubſtantiae varias tantum vires et facultates voluerit ſignificare; qua de re vid. quae diſputarunt Petauius *Dogmat. theolog. de Incarn. lib. IV. c.* 13. *§.* 9. et 10. *To. V. p.* 199. Vitringa *Obſerv. SS. lib. III. c. IV. §.* 3. *p.* 551. *ſq.* Moshemius in *Annotatt. ad Cudworthi Syſt. intell. c. IV. §.* 13. *p.* 242. et recentiſſime Tennemannus

ſententia ab illo hauriri, quanquam nos quidem ea de re non omnino dubitamus, cum, ſi non idem plane, certe ſimile quid cum illis eum docuiſſe, nullo modo poterit negari; ad Chriſtianos ſaltem et haec ſententia a Judaeis [38]) potius nobis videtur transiſſe, a quibus cum ſemel eam per manus quaſi traditam accepiſſent, facillimum erat, vt iam in libris etiam ſacris eam ſibi viderentur deprehendiſſe, hincque ipſa librorum ſacrorum auctoritate eam confirmari iudicarent, id quod eos omnino iudicaſſe, ex pluribus eorum locis in ſuperiori libello a nobis excitatis abunde putamus perſpectum fuiſſe. Judaeos autem et ipſos huic ſententiae fauiſſe, multis profecto documentis agnoſcitur, quanquam nec inter hos vnam eandemque omnes ea de re loquendi rationem ſecuti fuiſſe reperiuntur. Etenim Joſephus quidem diſerte tres hominis partes commemorat, dum de eius creatione loquens haec tradit [39]): ἔπλασεν ὁ θεὸς τὸν ἄνθρωπον χοῦν ἀπὸ τῆς γῆς λαβών· καὶ πνεῦμα ἐνῆκεν αὐτῷ καὶ ψυχήν. Philo

---

in *Syſtem der Platoniſch. Philoſ. Vol. II. pag.* 48. et *Geſch. der Philoſ. Vol. II. pag.* 430. *ſq.* atque Buhlius in *Lehrb. der Geſch. der Philoſ. Vol. II. §.* 216. *ſq. pag.* 140. *ſq.* itemque Platnerus in *Philoſoph. Aphorism.* II. Th. Neu. Ausg. (Lipſ. 1800.) pag. 234. ſq.

38) A quibus omnem hanc ſententiam originem ſumſiſſe ſtatuit Buddeus in *Diſſertat. de haereſ. Valent. pag.* 701. edit. laud.

39) *Archaeolog. lib. I. cap. I. §.* 2. Eodem vero modo etiam auctor verſionis Alexandrinae libri Jobi tres hominis partes videtur ſtatuiſſe, quantum quidem ex verſione loci Cap. VII, 15. licet iudicare, praeſertim ſi lectionem Codicis Alexandrini illius loci ſequaris. In eo enim locus ille ita habet: ἀπαλλάσσεις δὲ ἀπὸ πνεύματος τὴν ζωήν μου, τὴν δὲ ψυχήν μου ἀπὸ τοῦ σώματος μου. In reliquis vero codicibus ita legitur: ἀπαλλάξεις ἀπὸ πνεύματος μου τὴν ψυχήν μου, ἀπὸ δὲ θανάτου τὰ ὀστᾶ μου; quae lectio, quanquam in altero quidem commate ſenſu prorſus eſt deſituta, tamen vel ex ea etiam πνεῦμα et ψυχὴ tanquam diuerſa a ſe inuicem diſcernuntur. Videnda ſunt, quae de hac loci huius verſione obſervauit Io. Dav. Michaelis ad locum Hebr. IV, 12. in: *Erklärung des Briefes an die Hebräer*, *Vol. I. pag.* 184. *edit. 2dae.*

autem duas quidem hominis partes tantum defendit, corpus et animam [40]), at hanc in varias iterum partes diſpeſcit, hincque mox duas [41]), mox tres [42]), mox plures etiam illius partes [43]) enarrat [44]); eodemque

---

40) Quas diſerte commemorat *Leg. Alleg. lib. III. pag.* 336. *Tom. I. Opp.* ed. Pfeiff. vbi, *δύο ἐϊν*, inquit, *ἐξ ὧν συνέϊαμεν, ψυχή τε καὶ σῶμα. τὸ μὲν ἓν σῶμα ἐκ γῆς δεδημιόργηται· ἡ δὲ ψυχὴ αἰθέρος ἐϊν, ἀπόσπασμα θεῖον. Ἐνεφύσησε γὰρ εἰς τὸ πρόσωπον αὐτῷ πνεῦμα ζωῆς ὁ θεός· καὶ ἐγένετο ὁ ἄνθρωπος εἰς ψυχὴν ζωῆς.*

41) Aliam nimirum ratione deſtitutam, aliam vero rationalem, vt docet v. c. locus *de migrat. Abrah. pag.* 440. *To. III. Opp.* vbi homines mali dicuntur *βληθέντες ὅλον τὸ τῆς ψυχῆς ἄλογον ἐκζωπυρῆσαι μέρος, τὸν δὲ νεῦν διαφθεῖραι;* itemque alius *leg. Alleg. lib. II. pag.* 198. *Vol. I.* vbi eaedem duae partes commemorantur. Quem vero in his aliisque locis *τὸν νεῦν* dicit, animaeque partem praecipuam declarat, eum alibi etiam *πνεῦμα* adpellat, atque *ψυχῆς οὐσίαν* eſſe dicit in libr. *quod deter. potior. inſid. pag.* 196. *Vol. II.* quo, vt bene iam obſeruauit Loesnerus in *Obſeru. Philon.* ad 1 Theſſ. V, 23. *pag.* 381. nihil aliud haud dubie voluit ſignificare, niſi hoc, *πνεῦμα* praecipuam et primariam animae vim eſſe.

42) Quod fit in libr. *de confuſ. ling. pag.* 322. *Vol. III.* vbi haec occurrunt: *τριμερεῖς ἡμῶν τῆς ψυχῆς ὑπαρχούσης, τὸ μὲν νεῦς καὶ λόγος, τὸ δὲ θυμός, τὸ δὲ ἐπιθυμία κεκληρῶσθαι λέγεται.*

43) Quod teſtatur v. c. locus *de mundi opif. pag.* 80. *Vol. I.* vbi octo animae partes commemorat, mentem nimirum rectricem (*τὸ ἡγεμονικόν*) quinque ſenſus atque *τὸ φωνητήριον ὄργανον* et *τὸ γόνιμον*, dum *αὐτίκα*, inquit, *τῆς ἡμετέρας ψυχῆς τὸ δίχα τοῦ ἡγεμονικοῦ μέρος ἐπταχῇ σχίζεται πρὸς πέντε αἰσθήσεις καὶ τὸ φωνητήριον ὄργανον, καὶ ἐπὶ πᾶσι τὸ γόνιμον. ἃ δὴ πάντα, καθάπερ ἐν τοῖς θάυμασιν ὑπὸ τοῦ ἡγεμονικοῦ νευροσπασθέμενα, τότε μὲν ἠρεμεῖ, τότε δὲ κινεῖται, τὰς ἁρμοττούσας σχέσεις καὶ κινήσεις ἕκαστον.* Cui loco ſimillimus eſt alius in libr. *quis rer. div. haer. p.* 100. *ſq. Tom. IV. Opp.* vbi duas primum partes animae primarias commemorat, *τὸ ἄλογον* et *τὸ λογικόν*, tumque prius in ſeptem iterum partes a Demiurgo diuiſum eſſe tradit, his verbis vtens: *φύσει δὲ ἄτμητον ὁ ἡμέτερος γέγονε νεῦς· τὸ μὲν γὰρ ἄλογον ψυχῆς μέρος ἑξαχῇ διελὼν ὁ δημιουργός, ἓξ* (imo vero *ἑπτα* potius legendum eſſe, praeter locum ſuperiorem ſequentia etiam docent), *μοίρας εἰργάσατο, ὅρασιν, γεῦσιν, ἀκοὴν, ὄσφρησιν, ἁφὴν, γόνιμον, φωνήν· τὸ δὲ λογικὸν, ὁ δὴ νεῦς ὠνομάσθη, ἄσχιστον εἴασε.*

44) Quam ſcriptoris huius inconſtantiam recte etiam obſeruauit E. H. Stahlius in *Verſuch eines ſyſtem. Entwurfs des Lehr-*

modo Rabbini etiam et Cabbaliſtae [45]) nunc tres, nunc plures quoque humanae animae partes [46]a) in ſcriptis ſuis tribuunt [46]b). Verum ſi, quae de diuerſis his animarum generibus tradunt, diligentius examinentur, facile intelligetur, eos, vt ſcite iam obſeruauit Buddeus [47]), ad extremum tamen non niſi tres potiſſimum [48]), aut adeo duas tantum [49]), primarias eius partes ſtatuiſſe; omninoque, quae in ſcholis doctorum et a Philoſophis de variis animae partibus ſubtilius tum quaerebantur atque diſputabantur, ea in vulgus inque ſermone populari ita haud dubie tradebantur, vt praeter corpus anima ac ſpiritu, (ψυχῇ et πνεύματι,) hominem inſtructum eſſe diceretur. Id quod ex ipſo illo Pauli, ſcriptoris popuraliis, ad 1 Theſſ. V, 23. loco, quem omnes fere illius ſententiae de tribus hominis partibus defenſores ad eam confirmandam laudarunt, alioque ſimili ei in Epiſt. ad Hebr. IV, 12. quodammodo

---

begr. Philos von Alexandr. p. 859. *ſq. Biblioth. Eichhorn. litter. bibl. To. IV. Pert. V.*

43) Quorum loca ſat multa laudarunt Camp. Vitringa *Obſeru. SS. lib. III. c. IV. p.* 550. et 556. *ſq.* Eiſenmengerus in: *Entdeckt. Iudenth. Part. I. cap.* 19. *pag.* 887. *ſq.* et Schoettgenius in *Hor. hebr. et talmud. ad* 1 *Theſſ. V*, 23. *pag.* 832.

46 a) Dum nimirum plerumque quidem רוח, נפש, et נשמה commemorant, interdum vero his tribus iungunt adhuc חיה et יחידה.

46 b) Simili modo etiam auctor libri *Sapientiae* duplicem homini ſtatuit animam ineſſe ψυχὴν et πνεῦμα ζωτικὸν, vt docuit Io. Melch. *Faber* in Proll. ſup. libro Sapient. Sect. IV. p. 3. ſq.

47) In *Introd. ad hiſtor. Philoſoph. Hebraeor. pag.* 431.

48) Quod enim duas poſteriores attinet, quas tribus illis plerumque commemoratis interdum addi diximus diſerte teſtantur loca a Schoettgenio laudd. eas ex ipſorum quidem ſententia non in omnibus hominibus deprehendi, neque omnes iis dignos eſſe; quid quod poſtrema, quam יחידה dicunt, ſolum Adamum dignum habitum fuiſſe defendunt.

49) Cum per נפש vim potius vitalem, per totum quaſi hominem diffuſam, quam animae peculiarem aliquam ſpeciem aut facultatem intellexiſſe videantur.

intelligi poſſe arbitramur. Quanquam enim minime nos ii ſumus, qui ſtatuamus, Paulum atque epiſtolae ad Hebraeos auctorem, ſi a Paulo forſitan fuerit diuerſus, in vtroque loco de diſcrimine aliquo ψυχῆς et πνεύματος ſubtilius conſtituendo cogitaſſe, aut ſua id auctoritate ſtabilire voluiſſe [50]), ſed eos his vocabulis tanquam ſynonymis potius vſos eſſe iudicamus [51]); id tamen ex vtroque loco nobis videtur adparere [52]), ψυχὴν et πνεῦμα interdum etiam ſeparatim fuiſſe commemorata, adeoque ab initio ſaltem de eorum aliquo diſcrimine, quodcunque etiam fuerit, cogitatum, licet poſt, vt ſaepenumero in talibus fieri ſolet, iterum fuerit neglectum, eoque ipſo effectum, vt iam ambo in ſynonymicum vſum abirent.

---

50) Id quod inter recentiores etiam multi fuerunt, qui defenderent, quibus praeter alios duo potiſſimum Theologorum noſtratium obuiam iuerunt, Henr. Klauſingius in Diſſert. ſic inſcripta: *Ὁλόκληρον ἡμῶν το πνευμα και ἡ ψυχη και το σωμα ex* 1 *Theſſ. V*, 23. *explicatum et aduerſus philoſophos quosdam tres hominis eſſentiales partes exinde deducentes vindicatum, Lipſ.* 1724. 4. et Chriſtph. Wollius in Diſſert. *not.* 36. laud.

51) Quod ipſum ſtatuit etiam Koppius in *Annotatt. ad* 1. *Theſſ. V*, 23. videturque nobis multo probabilius eſſe illorum ſententia, qui vocabulis ψυχὴ et πνεῦμα non quidem duas hominis partes, ſed duas tamen animi eius facultates et vires diuerſas indicari exiſtimant; quam ſententiam praeter alios inprimis amplexi ſunt Krebſius in *Obſeru. Flauian.* ad eund. loc. *pag.* 346. et Loesnerus in *Philon. pag.* 381.

52) Quod forſitan in animo etiam habuit Vitringa, ſi Paulum *l. l. p.* 530. *ſqq.* ex vſu loquendi ſua aetate recepto ſcribere ſtatuit. — De priore loco ex epiſt. ad Theſſ. conſulendi ſunt praeterea Io. Geo. *Altmannus* in Meletem. crit. To. II. p. 235. ſſ. et *Muſeum Helvet.* T. I. p. 312. §. 553. itemque S. C. *Teubern.* in moderato iudicio de quaeſtione theologico, an dentur tres homini, partes eſſentiales etc. (Magdeb. 1708. 4.) p. 54. ſqq. ac denique Io. Geo. *Walchius* in Obſſ. in N. F. libros p. 108. ſqq.

Cap. IV.

Sect. 3. De animae προϋπαρξει.

(Comment. X.)

Cum ſententia de tribus hominis partibus, in duobus proximis libellis tractata, arctiſſime nexa eſt illa, quae animae humanae προϋπαρξιν aliquam admittit, quam cum et ipſam, qui eam inter veteris eccleſiae doctores probauerint, ex Platonica philoſophia dicantur ſuscepiſſe; de illa etiam ex inſtituti noſtri ratione ita iam erit diſputandum, vt non modo doceatur, quinam eam inter illos doctores defenderint, quoque eam modo definiuerint, ſed in fontes etiam, e quibus eam hauſiſſe videantur, inquiratur.

Iam vero negari ſane non poteſt, fuiſſe hanc, etſi non communem omnium, vt parum accurate ſcripſiſſe videtur Origenes [1]), multorum tamen in Oriente inprimis [2]), vt rectius narrauit Hieronymus [3]), ſententiam,

---

1) *To. II. Comment. in Ioan. §. 24. pag. 82. Tom. IV. Opp.* edit. de la Rue vbi de loco Io. 1, 6. diſputans, propter verba: *ἐγένετο ἄνθρωπος ἀπεσταλμένος παρὰ θεῦ* de Ioanne Baptiſta vſurpata neceſſarium eſſe ſtatuit, *παραδέξασθαι πρεσβυτέραν ὅσαν τὴν Ἰωάννου ψυχὴν τοῦ σώματος, καὶ πρότερον ὑφεστῶσαν πεπέμφθαι ἐπὶ διακονίαν τῆς περὶ φωτὸς μαρτυρίας*, mox vero veritus, ne hoc ex ſententia de omnium hominum animarum προϋπάρξει eodem iure de quolibet alio etiam dici poſſit, haec ſubiicit: *ἐὰν δὲ κρατῇ ὁ καθόλου περὶ ψυχῆς λόγος, ὡς ὁ συνεσπαρμένης τῷ σώματι, ἀλλὰ πρὸ αὐτοῦ τυγχανούσης καὶ διὰ ποικίλας αἰτίας ἐνδυομένης σαρκὶ καὶ αἵματι, τὸ· ἀπεσταλμένος ὑπὸ θεοῦ, οὐκέτι δόξει ἐξαίρετον εἶναι περὶ Ἰωάννου λεγόμενον.* Cf. tamen de h. l. Basnage hiſt. de l'egliſe, To. I. p. 595.

2) De quo ſi forte cogitauerit Origenes l. l. paratam ſane habet narratio ipſius excuſationem, quanquam neque omnes orientalis eccleſiae doctores ſententiam iſtam probauerint, neque, vt e ſequentibus intelligetur, in occidentali etiam eccleſia prorſus defuerint, quibus eadem ſententia arrideret.

3) *Epiſt. ad Marcell. et Anapſych.* Opp. T. 1. p. 983. edit. Vallars. vbi varias illius aetatis de ortu animae ſententias his verbis enarrat: *Super animae ſtatu memini veſtrae quaeſtiunculae, imo maxime eccleſiaſticae quaeſtionis: vtrum lapſa de coelo ſit, vt Pythagoras philoſophus omnesque Platonici et Origenes*

vt animas hominum ante iam extitiſſe crederent[1], quam corporibus iungerentur. Cum autem neque de ſtatu et loco, in quo eas olim fuiſſe ſtatuerent, neque de cauſa, propter quam corporibus eas immiſſas fuiſſe exiſtimarent, vnam eandemque omnes ſententiam fouerint [4]); et hic, quid ſingulis huius ſententiae defenſoribus his de rebus viſum fuerit, deinceps erit oſtendendum [5]).

---

putant; an a propria Dei ſubſtantia, vt Stoici, Manichaeus et Hiſpaniae Priſcilliani haereſes ſuſpicantur; an in theſauro habeantur Dei olim conditae, vt quidam Eccleſiaſtici ſtulta perſuaſione confidunt; an quotidie a Deo fiant et mittantur in corpora ſecundum illud, quod in Euangelio ſcriptum eſt: Pater meus vsque modo operatur et ego operor: *an certe ex traduce, vt Tertullianus, Apollinarius et maxima pars occidentalium autumant, vt quomodo corpus ex corpore, ſic anima naſcatur ex anima et ſimili cum brutis animalibus conditione ſubſiſtat.* Cui loco iungendus etiam eſt alius in *Epiſt. ad Demetriad. T. I. p.* 987. vbi, poſtquam illorum ſententiam commemorauerat, qui credant, *animas fuiſſe in coeleſtibus et propter quaedam antiqua peccata damnatas in corporibus humanis, nosque in valle lacrymarum poenas luere veterum peccatorum,* haec deinde ſubiungit: *Haec impia et ſcelerata doctrina olim in Aegypto et orientis partibus verſabatur, et nunc abſcondite, quaſi in foueis viperarum apud plerosque verſatur, illarumque partium polluit puritatem. et quaſi haereditario malo, ſerpit in paucis, vt perueniat ad plurimos.*

4) Plures enim ea de re tum obtinuiſſe, et ob ipſam rei naturam obtinere etiam potuiſſe, ſententias, bene vidit Origenes, qui *lib. II. in Cant. Cantic. pag.* 58. *Opp. To. III.* de ſententiarum ſuper ea re diuerſitate haec habet: *Inter haec ergo animae erit quaedam etiam ſui agnitio, per quam ſcire debet, quae ſit eius ſubſtantia, vtrum corporea, vel incorporea; — — Sed et iuxta quorundam quaeſtiones, vtrum facta, an omnino a nullo facta: et ſi facta ſit, quomodo ſit facta: vtrum, vt putant aliqui, in ſemine corporali etiam ipſius ſubſtantia continetur, et origo eius pariter cum origine corporis traducitur: an perfecta extrinſecus veniens, parato iam et formato inter viſcera muliebria corpore induitur. Et ſi ita ſit, vtrum nuper creata veniat, et tunc primum facta, cum corpus videtur eſſe formatum, vt cauſa facturae eius animandi corporis neceſſitas extitiſſe credatur: an prius et olim facta, ob aliquam cauſam ad corpus ſumendum venire exiſtimetur: et ſi ex cauſa aliqua in hoc deduci creditur, quae illa ſit cauſa vt agnoſci poſſit, ſcientiae opus eſt.*

5) Quod nos quidem non meminimus quenquam adhuc conſulto atque accurate docere, quanquam non deſunt, qui varia ſcri-

Hic autem cum de orthodoxae tantum ecclesiae doctoribus sermo nobis sit, non morabimur nunc Gnosticos aliosque haereticos, quorum nonnullos et ipsos constat hanc sententiam defendisse, vt animas hominum, quas vel ex ipsa substantia diuina repetierunt, diuinasque hinc dixerunt [6]), vel a Deo bonas saltem ab initio creatas esse iudicarunt [7]), ob vitam male ante actam poenae loco in corpora demissas [8]), aut cupiditate aliqua incensas sponte in eas descendisse [9]) statuerent.

---

ptorum ecclesiasticorum illa de re testimonia, sed obiter magis, quam ex professo, quod aiunt, collegerint, quos inter pertinent inprimis Leo Allatius in *Nott. ad Methodii Sympos. pag.* 96. edit. Fabric. in Hippolyti *Opp. T. II.* Huetius in *Origen. l. II. c. II. qu. VI.* §. 10. *p.* 180. *Vol. IV. Opp. Origenis*, edit. de la Rue, et Henr. Morus in *Praef. ad Opp. philos. §. XVI. pag.* 11. *sq.* qui tamen omnes neque vniuersos huius sententiae defensores commemorarunt, neque singulorum etiam sententiam accuratius et plenius exposuerunt.

6) Quam sententiam Iulio Cassiano quidem tribuit Clemens Alex. *Strom. lib. III. §.* 13. *pag.* 553. editt. Pott. et Priscilliano, praeter Hieronymum in loco *not.* 3. laud. Augustinus etiam in *libr. de haeres. c.* 70.

7) Quae fuit Bardesanis sententia, vt adparet ex Origen. *dial. de rect. in Deum fide, sect. III. Opp. T. I. p.* 834.

8) Quos inter pertinet primum Basilides, de quo Clemens Alex. *Strom. lib. IV.* §. 12. *pag.* 600. haec habet: *τῷ Βασιλείδῃ ἡ ὑπόθεσις προαμαρτήσασαν φησὶ τὴν ψυχὴν ἐν ἑτέρῳ βίῳ, τὴν κόλασιν ὑπομένειν ἐνταῦθα· τὴν μὲν ἐκλεκτὴν, ἐπιτίμως διὰ μαρτυρίς· τὴν ἄλλην δὲ, κἀθαιρομένην οἰκείᾳ κολάσει;* itemque Bardesanes, cuius sententiam apud Origenem *l. l. sect. V. pag.* 862. Marinus, Bardesianista his verbis exponit: *ὅτε παρέβη τὴν ἐντολὴν τοῦ Θεοῦ ἡ ψυχὴ ἁμαρτήσασα, τότε, φησὶν, ἐποίησεν ὁ θεὸς δερμαντίνους χιτῶνας, καὶ ἐνέδυσεν αὐτὰς ταυτέοις τὸ σῶμα;* de qua huius viri sententia videnda sunt, quae ad eam accuratius constituendam obseruauit Moshemius in *Comment. de rebus Christ. ante Constant. M. pag.* 396. *sq.* cum quo tamen conferri simul meretur Chr. Guil. Franc. Walchius in *Histor. haeres. Vol. I. pag.* 418. Vtrum vero idem a Priscilliano etiam fuerit defensum, non videtur ex veterum de illo testimoniis certo satis definiri posse, qua de re consulendus inprimis idem Walchius *l. l. Vol. III. pag.* 462. *sq.*

9) Quam Iulii Cassiani sententiam fuisse, diserte testatur Clemens Alex. *loc. not.* 6. *laud.* haec de illo tradens: *ἡγεῖται δὲ ὁ*

Ex orthodoxis autem ecclesiae Patribus sententiae huius defensoribus primum annumerandus videtur *Justinus Martyr* [10]), quanquam ille μετεμψύχωσιν magis, quam animarum προϋπαρξιν statuit. Diserte enim aliquo loco [11]) loquitur de anima plus vna vice corpus humanum inhabitante, negatque eam πάλιν ἐν ἀνθρώπῳ γενομένην meminisse, se olim ἐν ἀνθρώπῳ εἴδει ὅσαν Deum videre, et paulo post de animabus, quae indignae fuerint iudicatae, quae Deum videant εἴς τινα, ait, θηρίων ἐνδεσμεύονται σώματα, adeoque aperte eiusdem animae in diuersa corpora migrationem [12]) defendit [13]).

Contra vero non liquet, vtrum eodem cum iure *Clemens* quoque *Alex.* huius sententiae defensoribus possit accenseri, etsi a plerisque satis confidenter inter eos soleat referri. Si enim fides habenda fuerit *Eclogis prophet.* ipsi vulgo tributis, in eius potius aduersariorum numero ponendus foret. Etenim in his diserte negat, homines prius, quam nascerentur, extitisse, idque inde ait intelligi posse, quod nulla in iis superfit

---

γενναῖος οὗτος πλατωνικώτερον, θείαν οὖσαν τὴν ψυχὴν ἄνωθεν, ἐπιθυμίᾳ θηλυνθεῖσαν δεῦρο ἥκειν εἰς γένεσιν καὶ φθορὰν.

10) Quod vidit iam Io. Frid. Grunerus in *Institut. Theolog. dogmat. §. CLI. schol.* 1. *pag.* 185.

11) *Dial. c. Tryph. §.* 4. *pag.* 106. edit. Opp. Maran.

12) Quod ipsum ex iis etiam intelligitur, quae *pag. seq.* de animabus in sues, serpentes aut canes immigrantibus disputat. Quare profecto miramur, hunc scriptorem a nemine, quantum nos quidem nouimus, et ne a recentissimo quidem dogmatis de animarum μετεμψυχώσει enarratore, C. Ph. Conzio, (cuius libellus esse dicitur absque auctoris nomine hoc titulo praefixo editus: *Schicksale der Seelenwanderungshypothese unter verschiedenen Völkern und in verschiedenen Zeiten*, *Königsberg* 1791. 8.) inter Metempsychoseos defensores fuisse laudatum.

13) Hinc etiam paulo ante easdem in animalibus aeque ac hominibus animas inesse defenderat.

vitae anteactae recordatio [14]). Verum intercedit iam Photii auctoritas, qui eum in deperdito Hypotypoſeon libro μετεμψυχώσεις tradit docuiſſe [15]). Id vero cum non poſſit de ea, quae proprie dicitur, vnius animae in diuerſa corpora transmigratione commode intelligi, quoniam hanc eum defendiſſe, vix credibile eſt; omnino videtur, vt ſcite iam ſuſpicatus eſt Münſcherus [16]), de animarum ex regionibus coeleſtibus in corpora deſcenſu intelligendum eſſe. Atque talem eum ſibi finxiſſe, vtique poterit ex illis, qui etiamnum ſuperſunt, libris eius, ſi non certo plane, multa tamen cum probabilitatis ſpecie cognoſci. Illam enim, quam eum praeter hominis ψυχὴν σωματικὴν in ſuperioribus docuimus [17]) ſtatuiſſe ψυχὴν λογικὴν, negat, per ſeminis deiectionem perinde atque iſtam generari, illaque prius homini dicit immitti [18]). Vnde autem veniat et a quonam immittatur homini, ex alio eius loco [19]) in-

---

14) *§. XVII. pag.* 993. vbi haec ſunt verba eius: *ὁ θεὸς ἡμᾶς ἐποίησεν οὐ προόντας. ἐγρῆν γὰρ καὶ εἰδεναι ἡμας ὅπε ἦμεν εἰ προῖμεν, καὶ πῶς καὶ διὰ τί δεῦρο ἤκομεν.*

15) Cod. CIX. *ἔτι δὲ*, inquiens, *μετεμψυχώσεις καὶ πολλὲς πρὸ τȣ̃ Ἀδὰμ κόσμȣς τερατεύεται.*

16) In *Handb. der chriſtl. Dogmengeſch. Vol. II. pag.* 70.

17) *Comment. VIII. pag.* 625. *ſq.*

18) *Strom. lib. VI. §.* 16. *pag.* 808. vbi de hominis creatione loquens, *ἐπεισκρίνεται*, inquit, *ἡ ψυχὴ καὶ προεισκρίνεται τὸ ἡγεμονικὸν, ᾧ διαλογιζόμεθα, ἐ κατὰ τὴν τȣ̃ σπέρματος καταβολὴν γεννώμενον.* Qualem autem animae illius *σωματικῆς* in hominem immiſſionem ſibi hic cogitauerit, intelligi forſitan poterit ex alio loco *Eclog. prophet. §.* 50. *pag.* 1001. vbi haec leguntur: *ἔλεγεν προσβύτης ζῶον εἶναι τὸ κατὰ γαςρός. εἰσιȣ̃σαν γὰρ τὴν ψυχὴν εἰς τὴν μήτραν ἀπὸ τῆς καθάρσεως ἠτρεπισμένην εἰς σύλληψιν, καὶ εἰσκριθεῖσαν ὑπὸ τινος τῶν τῇ γενέσει ἐφεςώτων ἀγγέλων, παρεγινώσκοντος τὸν καιρὸν τῆς συλλήψεως, κινεῖν πρὸς συνουσίαν τὴν γυναῖκα. καταβληθέντος δὲ τȣ̃ σπέρματος ὡς εἰπεῖν, ἐξοικειȣ̃σθαι τὸ ἐν τῷ σπέρματι πνεῦμα, καὶ οὕτως συλλαμβάνεσθαι τῇ πλάσει.*

16) *Strom. lib. IV. §.* 26. *pag.* 640. vbi haec ſunt verba ipſius, quae miramur Münſchero *l. l.* huic ipſi ſententiae viſa eſſe aduerſari, cum eam aperte confirment: *ἔκων ἐρανόθεν καταπέμπε-*

telligi poterit, in quo animam non ad miseram sortem subeundam, sed hoc potius consilio *coelitus* dicit *a Deo* demitti, vt, vbi recte egerit, coelum cum terra iterum commutet; vnde et alibi de aliquo hominum in mundum ingressu loquitur [20]).

Post hunc vero Clementem eiusdem sententiae defensoribus annumerandus etiam est *Arnobius*. Is enim de Deo alicubi loquens [21]), diserte haec ponit: *Nonne huic omnes debemus hoc ipsum primum, quod sumus? quod esse homines dicimur? quod ab eo vel missi vel lapsi coecitate huius in corporis vinculis continemur?* quanquam in his, vt verum fateamur, aequalium magis, quam suam ipsius sententiam videtur expressisse. Ipse enim tantum abfuit, vt animas hominum a Deo creatas, ab eoque in hunc mundum missas esse statueret, vt id ipsum in secundo operis sui libro [22]) multis impugnare studeat, parumque absit, quin ab inferioribus spiritibus creatas eas esse existimet [23]). Id tamen nihi-

---

τατι δεῦρο ἐπὶ τὰ ἥττω ψυχή. ὁ θεὸς γάρ ἐπὶ τὰ ἀμείνω πάντα ἐργάζεται· ἀλλ' ἢ τὸν ἄριστον ἑλομένη βίον ἐκ θεῦ καὶ δικαιοσύνης, γῆς οὐρανὸν ἀνταλλάσσεται.

20) In *libr. quis diu. saluet. §.* 33. *pag.* 954. vbi de corpore loquens, haec de illo tradit: *σχῆμα τοῦτ' ἔστιν ἔξωθεν ἡμῖν περιβεβλημένον, τῆς εἰς κόσμον παρόδου πρόφασις, ἵνα εἰς τὸ κοινὸν τοῦτο παιδευτήριον εἰσελθεῖν δυνηθῶμεν*, quae tamen verba lubenter largimur, non necessario de animarum *προυπάρξει* esse intelligenda, vt in *Nott. ad h. l.* pluribus docuit Combefisius.

21) *Adv. gent. lib. I. §.* 29. *pag.* 17. edit. Oberth.

22) *§.* 37. *sqq. pag.* 73. *sqq.* e quo loco vel haec, quae sub finem eius leguntur ab initio *§.* 45. *pag.* 78. subiicere liceat: *Sed procul haec abeat sceleratae opinionis immanitas, vt Deus credatur omnipotens, magnarum et invisibilium rerum sator et conditor, procreator, tam mobiles animas genuisse grauitatis ac ponderis constantiaeque nullius: in vitia labiles, in peccatorum genera vniuersa declines: cumque eas tales atque huiusmodi sciret, in corpora ire iussisse, quorum indutae carceribus sub procellis agerent tempestatibusque quotidie fortunae, et modo turpia facerent, modo paterentur obscoena.*

23) Quam in rem haec e. c. scribit *§.* 48. *pag.* 81. *Porro autem conspicimus homines, id est, animas ipsas, quid enim*

lominus ſemper ponit, prius eas extitiſſe, quam in hunc mundum venirent.

Multo vero nobilior, imo omnium nobiliſſimus huius ſententiae defenſor haud dubie fuit *Origenes*, qui propter hanc ipſam ſententiam multorum olim [24]) criminationibus petitus eſt, quanquam, vt vel ex iis, quae hactenus docuimus, abunde iam poteſt intelligi, eum neque primum neque ſolum eam fuiſſe profeſſum. Statuit autem ille, animas, quae omnes olim eiusdem generis atque conditionis mentes a Deo fuerint creatae, arbitrii, qua ab eo inſtructae fuiſſent, libertatem ita adhibuiſſe, vt earum aliae quidem recte ac ſapienter ea vterentur, aliae vero, diuerſo licet, nunc grauiore, nunc leuiore, modo eadem abuterentur [25]), hasque Deum corporibus

---

ſunt homines, niſi animae corporibus illigatae? 'ſaeuitate innumerabili vitiorum ipſos ſe iudicare non eſſe patricii generis, ſed ex mediocribus familiis *procreatos;* et §. 52. *pag.* 84. *Quid ſi et haec non ſunt, et eſt aliqua res alia, alia cauſa, alia ratio, poteſtas alia denique inaudita nobis atque incogniti nominis, genus quae hominum finxerit, et rerum conſtitutionibus applicarit, nonne fieri potis eſt, vt exorti homines ita ſint, nec ad Deum primum natiuitatis eorum referatur auctoritas?*

24) Quorum nomina et loca diligenter enarrauit Huetius *Origen. lib. II. c. II. qu. VI. §.* 6. *p.* 179. edit. de la Rue, quocum conferri etiam poterit Walchius in *Hiſtor. haereſ. Vol. VII. p.* 691.

25) In quam rem inprimis perſpicuus locus legitur *de princ. lib. II. c.* 9. *§.* 6. *Opp. To. I. pag.* 99. ita habens: *Quid ergo eorum, quae creanda erant, ipſe extitit cauſa, in quo neque varietas aliqua, neque permutatio, neque impoſſibilitas inerat, aequales creauit omnes ac ſimiles, quos creauit, quippe cum nulla ei cauſa varietatis ac diuerſitatis exiſteret. Verum quoniam rationabiles ipſae creaturae, ſicut frequenter oſtendimus, — arbitrii facultate donatae ſunt: libertas vnumquemque voluntatis ſuae vel ad profectum per imitationem Dei prouocauit, vel ad defectum per negligentiam traxit.* Atque harum poſteriores ab hac ipſa re, quod a ſtatu illo recto defecerint, et quaſi refriguerint, ψυχὰς dictas eſſe ſtatuit, vt praeter alia loca ex eo etiam adparet, qui eiusd. *libr. c.* 8. *§.* 3. *pag.* 95. legitur, vbi *requirendum eſt*, inquit, *ne forte et nomen animae, quod graece dicitur ψυχή, a refrigeſcendo de ſtatu diuiniore ac meliore dictum ſit, et transiatum inde, quod ex calore illo*

induere inque hunc mundum mittere decreuiſſe, vt et temeritatis ſuae poenas darent, et vero etiam in virtutis ſtudio exercitatae, meliorem ſibi in poſterum ſortem pararent. Cum autem ſumma fuiſſet delictorum ab iis commiſſorum varietas, diuerſiſſimi etiam generis animas miro concentu ab illo in hunc mundum fuiſſe collocatas [26]), earumque plures [27]) humanis etiam cor-

---

naturali et diuino refrixiſſe videatur, et ideo in hoc, quo nunc eſt, ſtatu et vocabulo ſita ſit. Iſtarum tamen animarum non vnam eandemque omnium naturam fuiſſe, ſed vnam plus altera ex priſtina conditione ſeruaſſe, eiusdem *cap. §.* 4. *pag.* 98. his verbis tradit: *Quod ſi ita eſt, deceſſus ipſe mentis ac deuolutio videtur mihi, quod non aequalis omnium ſentiendus ſit, ſed vel plus minus in animam verti, et aliquas quidem mentes ſeruare aliquid etiam prioris vigoris, aliquas vero aut nihil, aut exiguum aliquid. Vnde inueniuntur quidam ſtatim ab ineunte aetate ardentioris acuminis, alii vero tardioris nonnulli autem obtuſiſſimi et penitus indociles naſci.*

26) De quo in eodem loco §. 2. *pag.* 97. haec leguntur: *Ex quo accidit, ut in quanta menſura quis deuolueretur a bono, in tantam menſuram malitiae deueniret. In quo vtique pro motibus ſuis vnaquaeque mens vel amplius, vel pareius bonum negligens, in contrarium boni, quod ſine dubio malum eſt, trahebatur. Ex quo videtur, ſemina quaedam et cauſas varietatis ac diuerſitatis ille omnium conditor accepiſſe, ut pro diuerſitate mentium, id eſt, rationabilium creaturarum, quam diuerſitatem ex ea cauſa, quam ſuperius diximus, putandae ſunt concepiſſe, varium ac diuerſum mundum crearet.* Quibus ſimillima ſunt, quae verbis *ſuper. not.* ex §. 6. allatis ſubiiciuntur: *Et haec exſtitit cauſa — diuerſitatis inter rationabiles creaturas, non ex conditoris voluntate vel iudicio originem trahens, ſed propriae libertatis arbitrio. Deus vero, cui iam creaturam ſuam pro merito diſpenſare iuſtum videbatur, diuerſitates mentium in vnius mundi conſonantiam traxit, quo velut domum, in qua ineſſe deberent non ſolum vaſa aurea et argentea, ſed et lignea atque fictilia, et alia quidem ad honorem alia autem ad contumeliam, ex iſtis diuerſis vaſis, vel animis, vel mentibus ornaret. Et has cauſas (vt ego arbitror) mundus iſte ſuae diuerſitatis accepit, dum vnumquodque diuina prouidentia pro varietate motuum ſuorum, vel animorum propoſitique diſpenſat.*

27) Non omnes. Nam alias in angelis etiam ſibi viſus eſt agnouiſſe, quorum pro diuerſitate ſentiendi et agendi rationis, quam ante fuerint ſecuti, ſimili modo diuerſam etiam conditionem atque dignitatem eſſe iudicauit; vnde *l. l. §.* 2. *pag.* 74. de iis, qui non ab vno eodemque rerum omnium creatore omnes naturas ſpirituales

poribus inclusas [28]), quae cuiusque indoli atque necessitatibus essent accommodata [29]), et in quibus eiusmodi iam fruantur fatis, quae ipsarum moribus superioribus exactissime respondeant [30]). In his vero corporibus

---

creatas esse existiment, haec habet: *Aiunt enim consequens non videri, vt vnus atque idem conditor nulla exstante causa meritorum, aliis potestatem dominationis iniungat, alios subiiciat dominantibus, aliis tribuat principatum, alios subiectos faciat principibus esse. Quae vtique omnia* (*vt ego existimo*) *consequentia rationis huius, quam supra exposuimus, redarguit atque confutat, per quam causa diuersitatis ac varietatis in singulis quibusque creaturis ostenditur ex ipsarum motibus vel ardentioribus, vel pigrioribus, secundum virtutem, vel secundum malitiam, non ex dispensantis inaequalitate descendere.* Quibus addenda sunt, quae leguntur *lib. II. c.* 9. *§.* 7. *pag.* 99. vbi, postquam de Esavi atque Iacobi diuersa, quae ipsis pro meritis cuiusque contigerit, fortuna dixerat, haec addit: *ita etiam de caelestibus creaturis, si aduertamus, quia ista diuersitas non creaturae principium sed ex praecedentibus causis pro meriti dignitate diuersum singulis a conditore ministerii paratur officium, ex eo profecto, quod vnusquisque in eo, quod mens creatus a Deo est vel rationabilis spiritus, pro motibus mentis et sensibus animorum vel plus vel minus sibi meriti parauerit, vel amabilis Deo vel etiam odibilis exstiterit.* Imo stellas adeo ab eiusmodi animabus inhabitari sibi persuasit, quae serius demum his corporibus coelestibus fuerint indutae, qua de re *lib. I. c.* 7. inprimis exponit.

28) Corpora enim humana serius inhabitari coepta esse ab animabus diu ante, neque cum corporibus demum, creatis loco modo laud. *lib. I. c.* 7. *§.* 4. multis ostendere, exque narratione de Iacobo fratrem in ventre matris supplantante, itemque Ieremia ante natiuitatem iam sanctificato atque Ioanne Baptista in vtero matris tripudiante planum facere studet.

29) Hinc ex praecedentibus causis repetendum esse dicit, quod non modo externa corporis cuiusque forma, sed et reliqua eius conditio nunc melior, nunc deterior sit, vt adparet ex *lib. II. contr. Cels. §.* 33. *Tom. I. Opp. pag.* 351. vbi εἰ γάρ, inquit, ἥδε μὲν ἡ ψυχὴ κατὰ τινας ἀποῤῥήτους λόγους ἀξία γενομένη μὴ πάντα μὲν ἐν ἀλόγῳ γενέσθαι σώματι, ἐ μὴν δὲ καθαρῶς ἐν λογικῷ, ἐνδύεται σῶμα τεραστῶδες, ὡς μηδὲ τὸν λόγον συμπληρωθῆναι δύνασθαι τῷ οὕτωσὶ γεγεννημένῳ, καὶ ἀσύμμετρον ἔχοντι τὴν κεφαλὴν τῷ λοιπῷ σώματι, καὶ πάνυ βραχυτέραν· ἑτέρῳ δὲ τοιόνδε σῶμα ἀναλαμβάνει, ὡς ὀλίγῳ ἐκείνου γενέσθαι λογικωτέρα· καὶ ἄλλῳ ἔτι μᾶλλον, τῆς φύσεως τοῦ σώματος ἐπὶ πλεῖον ἢ ἐπ' ἔλαττον ἀντιπραττούσης τῇ τοῦ λόγου ἀντιλήψει· διά τι οὐχὶ κ. λ.

30) Ab his enim omnem hominis his in terris conditionem cum internam, tum externam omnemque eius sortem inde a natiuitate

vbi ſe ab eorum contagione liberas ſeruauerint, rationisque virtute turbulentos ſenſuum et imaginationis motus libidinesque ex corpore oriundas compeſcuerint, fore, vt ſenſim purgentur, corporeque ſolutae in altum, vnde venerint, iterum euehantur, denuoque in mentes transmutentur [31]). Hanc enim ſententiam non modo plures veterum ſcriptorum illi tribuerunt, quorum in numerum referendi inprimis ſunt Hierony-

---

totam pendere iudicauit, vt docent v. c. ea, quae leguntur *lib. II. de princ. cap.* 9. *§.* 8. *pag.* 100. vbi *Poſſibile eſt*, inquit, *intelligi etiam antea fuiſſe vaſa rationabilia vel purgata, vel minus purgata, id eſt, quae ſe ipſa vel purgauerint, vel non purgauerint: et ex hoc vnumquodque vas ſecundum menſuram puritatis aut impuritatis ſuae locum vel regionem vel conditionem naſcendi vel explendi aliquid in hoc mundo accepiſſe: quae omnia Deus vsque ad minimum virtute ſapientiae ſuae prouidens atque dignoſcens, moderamine iudicii ſui aequiſſima retributione vniuerſa diſponit, quatenus vnicuique pro merito vel ſuccurri, vel conſuli deberet.* Eodem ſpectant etiam, quae habet eiusdem operis *lib. III. c.* 1. *§.* 21. vbi graeca, quae reſtant, verba eius haec ſunt: *οὕτω καὶ ἐν ἕτως εἴπω, φυράματος ὄντος τῶν λογικῶν ὑποχάσεων προεβύτερά τινα αἴτια πεποίηκε τοὺςδε μὲν εἶναι εἰς τιμὴν, τέςδε δὲ εἰς ἀτιμίαν;* itemque quae leguntur paulo poſt *c.* 3. *§.* 5. *p.* 144. *Illud quoque requirendum puto, ex quibus cauſis humana anima nunc quidem a bonis, nunc autem moueatur a malis. Cuius rei cauſas ſuſpicor eſſe quasdam antiquiores etiam hac natiuitate corporea* etc. Atque hac vna re iuſtitiam Dei propter diuerſa hominum in his terris fata putavit vindicari atque defendi poſſe; vnde *T. II. Comment. in Ioa. §.* 25. *Opp. Vol. IV. pag.* 85. diſerte dicit: *ἐ καταρεχόντων ἡμῶν ἐπὶ τὰ πρὸ τὲ βίε τέτε ἔργα, πῶς ἀληθὲς τὸ μὴ εἶναι ἄδικον παρὰ θεῷ τὲ μείζονος δελεύοντος τῷ ἐλάττονι καὶ μισεμένε πρὶν ποιῆσαι τὰ ἄξια τῶν δελεύειν καὶ τὰ ἄξια τῶν μισεῖσθαι;*

31) De quo haec habet *de princ. l. II. c.* 8. *§.* 3. *pag.* 96. *παρὰ τὴν ἀπόπτωσιν καὶ τὴν ψύξιν τὴν ἀπὸ τὲ ζῆν τῷ πνεύματι γέγονεν ἡ νῦν γενομένη ψυχὴ, ἕσα καὶ δεκτικὴ τῆς ἐπανόδε τῆς ἐφ᾽ ὅπερ ἦν ἐν ἀρχῇ· ὅπερ νομίζω λέγεσθαι ὑπὸ τὲ προφήτε ἐν τῷ· ἐπίςρεψον ψυχή με εἰς τὴν ἀνάπαυσίν σε· ὥςε ὅλον τὲτο εἶναι. νὲς πῶς ἓν γέγονε ψυχὴ, καὶ ψυχὴ κατορθωθεῖσα γίνεται νὲς.* Poſt quae verba in Ruffini verſione haec ſubiecta leguntur: *Ex quibus omnibus illud videtur oſtendi, quod mens de ſtatu ſuo ac dignitate declinans, effecta vel nuncupata eſt anima: quae ſi reparata fuerit et correcta, redit in hoc, vt ſit mens.*

mus [32]), Auguſtinus [33]), atque Epiphanius [34]); ſed poteſt etiam ex ipſis ſcriptis eius eorumque pluribus locis infra a nobis allatis [35]) per ſingula momenta eundo doceri, eam ipſi vtique fuiſſe probatam: neque ea ex ſolo tantum περὶ ἀρχῶν opere, cuius propter parum fidam Ruffini verſionem dubia quodammodo eſt auctoritas, cognoſci poteſt, ſed in aliis etiam illius ſcriptis veſtigia eius ſat perſpicua reperiuntur, quanquam in nullo reliquorum ſcriptorum tam late, quam in illo, eam expoſuerit.

Quanquam vero hic ipſe Origenes, vti ob alias ſententias a ſe defenſas, ita ob hanc etiam multorum, vt diximus, cum aequalium, tum poſterorum criminationes incurrit, magnamque propterea inprimis, quod poenam peccatorum ante commiſſorum animas in corporibus ſuſtinere defenderat, nominis ſui invidiam excitauit [36]); tamen nec poſt illum defuerunt, qui eandem de earum προϋπάρξει ſententiam repeterent; ſuoque aſſenſu comprobarent: id quod tamen in nonnullis eorum mirum eſſe vix poterit, cum ipſius diſcipulos et ſectatores eos fuiſſe conſtet, quos inter *Pierius* nominatim et *Pamphilus* pertinent. Illum vero Photius cod. CXIX. diſerte teſtatur, animarum ante corpora exiſtentiam cum Origene docuiſſe, ὑπαινίττεται, inquiens, κατὰ τὸν Ὠριγένους ὕθλον καὶ προὔπαρξιν ψυχῶν. Hunc autem et ipſum eam probaſſe quemadmodum ex eo iam credibile fit, quod Pierii diſcipulus fuit, ita

---

32) *Epiſt. CXXIV.* (al. 59) *ad Avit. pag.* 912. *ſq. To. I. Opp.* edit. Vallars.

33) *De ciuit. Dei l. XI. c.* 23.

34) *Haer. LXIV. §.* 4.

35) Praeter quae alia etiam in eandem rem collecta reperies apud Huetium *Origen. l. l. §.* 4.

36) Qua de re omnium, vti ſolebat, diligentiſſime expoſuit Walchius in *Hiſtor. haereſ. Vol. VII. p.* 362. *ſq.*

multo probabilius redditur eo, quod in Apologia pro Origene ſcripta [37]) non modo hunc ob hanc ipſam ſententiam a ſe defenſam pluribus argumentis ab haereſeos ſuſpicione ſtuduit liberare, ſed ipſe etiam vtriusque ſententiae, quae de animae ortu praeter illam de eius προϋπάρξει tum temporis obtinebat, quaque eam vel formato iam cuiusque hominis corpore demum creari, vel per traducem propagari defendebatur, plura incommoda eſſe oſtendit [38]). Accedit vero et hoc, quod et alius ignotus Origenis defenſor, quem Photius, qui ipſe Apologiam eius legerat, Pamphilo atque Euſebio omnium maxime innixum eſſe tradit cod. CXVII. eandem illam de animae προϋπάρξει ſententiam, eodem Photio teſte, probauit. Atque ſi haec viri illius Apologia etiamnum ſupereſſet, aut illa ſuperior Pamphili integra adhuc extaret, multo plures haud dubie eiusdem ſententiae defenſores ex antiquioribus eccleſiae doctoribus a nobis in medium poſſent proferri, quippe cum Pamphilum quidem et Euſebium ſcriptor anonymus a Lupo editus valde prudentium Patrum teſtimoniis pro praeexiſtentia et omnium rerum reſtitutione in Apologia ſua vſos eſſe narret [39]), iſtum vero Anonymum diſerte teſtetur Photius ad Origenis ſententiam de

---

37) In hac enim Apologia ſcribenda quanquam Hieronymus quidem nonnullique recentiorum, illum ſecuti, nullas Pamphili partes fuiſſe contenderint, poteſt tamen ſat idoneis argumentis demonſtrari, hanc ſententiam prorſus falſam eſſe, eumque quinque priores quidem huius Apologiae libros vna cum Euſebio, qui poſt ipſius mortem ſextum etiam addidit, vtique exaraſſe. Cum vero hic locus minime patiatur, iſta argumenta pluribus explicare, laetamur profecto, nobis ea in re ab aliis iam viris doctis otium abunde factum eſſe, quorum nomina et libros laudauimus nuper in nouae *Biblioth. gr. Fabricianae* editionis *Vol. VII. pag.* 303.

38) Quae omnia intelligi poſſunt ex primi huius Apologiae libri, qui ex Ruffini verſione ſupereſt, *c. VIII.* et *IX. pag.* 43. *ſq. Adp. To. IV. Opp. Origen.* edit. de la Rue.

39) Quod docuit nos Car. de la Rue in *Admonit.* Apologiae Pamphili *l. l.* praemiſſa, *pag.* 15.

animabus ante corpora exiſtentibus defendendam non modo ſcripturae ſ. ſed Patrum etiam teſtimonia adhibuiſſe ψυχῶν, inquiens, προὔπαρξιν συνομολογεῖ, γραφικαῖς καὶ πατρικαῖς φωναῖς (ὡς οἴεται) τὸν λῆρον τοῦτον ἐπισυγκρατῶν.

At praeter hos Origenis fautores et ſectatores plures etiam alii fuerunt, qui eandem cum illo ſententiam profiterentur, interque hos, quod profecto mireris, ipſorum adeo aduerſariorum eius atque inimicorum nonnulli. Horum enim inter omnes conſtat vnum ex acerrimis haud dubie fuiſſe *Methodium*, Tyri quondam Epiſcopum [40]); et tamen ille in *Sympos. dec. Virgin.* duobus in locis eandem cum illo ſententiam propoſuiſſe deprehenditur [41]), etſi de eo nihil apud ipſum occurrat, quod Origenes defenderat, animas iſtas, antequam corporibus immitterentur, peccaſſe, propterque haec ipſa peccata ſua in corpora eſſe detruſas. Primum nimirum in explicatione ſimilitudinis de domo montibus adiacente verſans, haec ponit [42]): τὸν μὲν οἶκον ἀφομοιοῦσαν τῇ ἀοράτῳ τῆς γενέσεως ἡμῶν φύσει· τὴν δὲ προσκειμένην εἴσοδον τοῖς ὄρεσι, τῇ ἀπὸ τῶν οὐρανῶν εἰς τὰ σώματα καταβάσει καὶ καταπομπῇ τῶν ψυχῶν. Deinde vero alibi, poſtquam homines cognata et affini ſapientiae diuinae forma indutos in mundum venire dixerat, haec ſubiungit [43]): ἀπηκρίβωνται γὰρ αἱ ψυχαὶ τῷ γεννήσαντι τότε μάλιστα καὶ

---

40) De cuius in Origenem animo et ſtudiis videnda, quae collecta ſunt a Walchio *l. l. pag.* 403. *ſq.*

41) Vt bene iam vidit Leo Allatius *l. l. pag.* 96. *ſq.*

42) *Orat. II. pag.* 74. edit. Combefiſii in *Auctar. Biblioth. PP. nouiſſ.* ad quem locum Combefiſius quidem in *Nott. p.* 145. ſruſtra profecto poſt Scholiaſtam graecum ab Allatio laudatum in eo elaborauit, vt Methodio hanc ſententiam minime probatam fuiſſe oſtenderet, cum neque ipſa eius verba illum, quem Combefiſius iis ſubiicit, ſenſum admittant, neque alter etiam, quem attulimus, locus illa de re quemquam ſinat dubitare.

43) *Orat. VI. pag.* 97.

πλασσαμένῳ, ὅποτε τὴν καθ' ὁμοίωσιν ἰδέαν ἄχραντον ἐκλάμπεσαι, καὶ τὲς χαρακτῆρας τῆς ὄψεως ἐκείνης, πρὸς ἣν ἀφορῶν ὁ Θεὸς ἀθάνατον μορφὴν καὶ ἀνώλεθρον ἐχέσας αὐτὰς ἀπειργάζετο, τοιαῦται διαμένεσι. Simili modo *Hieronymus* etiam, quamuis Origenem quidem in multis ſcriptorum ſuorum locis propter ſententiam illam caſtigauerat [44]), ipſe tamen ob aliquot Comment. in epiſt. ad Epheſ. loca in eiusdem ſententiae a ſe defenſae ſuſpicionem a Ruffino adductus eſt [45]), a qua tamen in apologia aduerſus eum ſcripta liberare ſe ſtuduit [46]), eodem crimine in ipſum Ruffinum deuoluto [47]). Quarum accuſationum vtrum haec an illa verior fuerit, cum non ſit loci huius accuratius inquirere; id ſaltem liceat nunc obſeruare, ipſum Hieronymum in apologia iſta faſſum eſſe [48]), ſibi nondum liquere, quaenam inter omnes de animae ortu ſententias ad verum maxime accedat, adeoque minime profecto habuiſſe, quod in Origenem acerbius inveheret, quod illam ſententiam, quae ante corpora animas extitiſſe defenderet, ob cauſas, vt ipſi quidem videbantur, ſat graues plus reliquis ſibi probari, ingenue fuerat profeſſus. Potuit vero Hieronymus animarum aliquam προὔπαρξιν omnino defendere, ſi vel maxime ab Origenis ſententia, qui propter peccata olim commiſſa corporibus eas incluſas eſſe ſtatuebat, alieniſſimus eſſet, cum ipſe bene agnouerit, ab hac ſententia vtique diuerſam eſſe illorum opinionem, qui animas a Deo creatas in theſauro quodam ab illo condi ſibi perſuaſe-

---

44) Quae ſingula iam commemorauit Huetius *Origen. l. l. §.* 6.

45) *Inuect. lib. I. §.* 27. *To. II. Opp. Hier. pag.* 611. *ſqq.*

46) *Lib. I. contr. Ruffin. c.* 5. *pag.* 476. *ſq.*

47) *Lib. II. c.* 2. *et* 4. et *lib. III. cap.* 8. *et* 9.

48) *Lib. I. c.* 5.

rint, ideoque vtramque etiam ſententiam in loco *not. 3.* laud. ſeparatim commemorauerit. Eodem vero modo *Auguſtinus* etiam, quanquam non dubitauit de illa ipſa, quam modo diximus, Origenis ſententia ſat durum iudicium ferre [49]), per omnem tamen vitam dubius atque incertus haeſit, quamnam de animae humanae ortu ſententiam ipſe deberet amplecti [50]), ideoque ab Hieronymo etiam petiit, vt aliquam ea in re lucem ſibi accenderet [51]), et licet animas poenae loco in corpora demiſſas eſſe, conſtanter videatur negaſſe, ab illa tamen ſententia non omnino abhorruit, quae eas prius, quam corpora volebat extitiſſe [52]).

Quemadmodum vero hi duumuiri, quamnam ea de re ſententiam ſequi deberent, adhuc haeſitarunt; ita contra alii iisdem fere temporibus viuentes ſatis perſpicue profeſſi ſunt, ſibi illam maxime probari, quae animarum προϋπαρξιν defendat, iique cum Graeci, tum

---

49) *De ciuit. Dei lib. XI. c.* 23. et in *libr. ad Oroſ. contr. Priſcill, et Origen. cap.* 8. *Opp. Tom. VIII. pag.* 615. edit. Bened. Venet.

50) De qua ipſius haeſitatione videnda ſunt, quae ex ſcriptis eius collegit Gerhardus in *Locis theolog. Loc. IX. cap. VIII. §. CXXVI. Vol. IV. p.* 284. *ſqq.* edit. Cott.

51) Singulari epiſtola, quae etiamnum extat, eſtque inter epiſtolas eius CLXVI. vel ex antiquo ordine XXVIII. *Opp. To. II. pag.* 583. *ſqq.*

52) Quod docet locus *lib. de Geneſ. ad litter. lib. VII. c.* 24. *To. III. Opp. p.* 222. vbi *Illud ergo*, inquit, *videamus, vtrum forſitan verum eſſe poſſit, quod certe humanae opinioni tolerabilius mihi videtur, Deum in illis primis operibus, quae ſimul omnia creauit, animam etiam humanam creaſſe, quam ſuo tempore membris ex limo formati corporis inſpiraret, cuius corporis in illis ſimul conditis rebus rationem creaſſet cauſſaliter, ſecundum quam fieret, cum faciendum eſſet corpus humanum — Credatur ergo ſi nulla ſcripturarum auctoritas ſeu veritatis ratio contradicit, hominem ita factum ſexto die, vt corporis quidem humani ratio cauſalis in elementis mundi, anima vero iam ipſa crearetur, ſicut conditus eſt dies, et creata lateret in operibus Dei, donec eam ſuo tempore ſufflando, hoc eſt, inſpirando, formato ex limo corpori inſereret.*

Latini. Ex prioribus huc nominatim referendi ſunt *Nemeſius* atque *Syneſius*. Ille enim diſerte dicit, a vero aberrare eum, qui animam poſt corpus generatam eſſe exiſtimet [53]), atque cum eorum ſententiam, qui ſingulas a Deo animas etiamnum creari ſtatuant, tum illorum, qui vnam ab altera gigni opinentur, refutare errorisque conuincere ſtudet [54]), ſimul tamen animarum etiam aſcenſus atque deſcenſus, quos Origenes defendat, improbat [55]). Hic autem cum Ptolemaidis ciues epiſcopum eum ſibi expetiiſſent, hanc dignitatem in epiſtola ad fratrem ſuper ea re ſcripta [56]) inter alia hac etiam de cauſa recuſauit, quod certas quasdam opiniones alat, quae non omnibus forſitan probentur, quas vero ipſe, cum ex rite penſitatis rationibus altas iam in animo ſuo radices egerint, abiicere nullo modo poſſit, earumque in numero primo ſtatim loco illam de animae *προϋπάρξει* ſententiam commemorauit, *ἀμέλει*, inquiens, *τὴν ψυχὴν ἐκ ἀξιώσω ποτέ σώματος ὑστερογενῆ νομίζειν.* Verum autem eum hac in re profeſſum eſſe, inde adparet, quod huius ipſius ſententiae aperta etiam in ſcriptis eius veſtigia reperiuntur; quo pertinent v. c. quae leguntur in *hymn. III. 558. ſqq.* [57]) his verbis concepta:

---

53) In *libr. de nat. hom. c. 2. pag.* 73. edit. Felli, vbi *εἰ δή τις*, inquit, *ἐκ τοῦ μετὰ τὴν διάπλασιν τοῦ σώματος ἐμβεβλῆσθαι τὴν ψυχὴν ἡγοῖτο μετὰ τὸ σῶμα γεγεννῆσθαι αὐτὴν, διαμαρτάνει τ' ἀληθείας. ἔτε γὰρ Μωϋσῆς τότε αὐτὴν κεκτίσθαι λέγει ὅτε τῷ σώματι ἐνεβάλετο· οὔτε κατὰ λόγον ἔτως ἔχει.*

54) *Ibid. eod. cap. pag.* 74. *ſqq.*

55) *Ibid. pag.* 106. vbi haec habet: *τὰς γὰρ βαθμὰς τῶν ψυχῶν καὶ τὰς ἀναβάσεις καὶ καταβάσεις, ἃς Ὠριγένης εἰσάγει μηδὲν προσήκουσας ταῖς θείαις γραφαῖς μὴ δὲ συναθέσας τοῖς τῶν χριστιανῶν δόγμασι παραληπτέον.*

56) Quae eſt inter epiſtolas eius CV. *pag.* 246. *ſqq. Opp.* edit. Petav. [Conferantur, quae ſupra jam hac de re monita ſunt p. 436. no. 36.]

57) *Pag.* 331.

Σὸν σπέρμα φέρω,
Εὐηγενέος
Σπινθῆρα νόε,
Ἐς βάθος ὕλας
Κατακεκλημένον.
Σὺ γὰρ ἐν κόσμῳ
Κατέθε ψυχὴν,
Διὰ δὲ ψυχᾶς
Ἐν σώματι νοῦν
Ἔσπειρας, ἄναξ,
Τὰν σὰν κέραν
Ἐλέαιρε μάκαρ.
Κατέβαν ἀπὸ σοῦ
Χθονὶ θητεῦσαι.

E Latinorum vero numero primum huc pertinent *Hilarius*, qui Adami ſaltem animam diu ante corpus eius creatam perque afflatum diuinum corpori ipſius inditam fuiſſe ſtatuit [58]), et ab hac omnes haud dubie reliquorum hominum animas derivatas eſſe ſingulorumque corporibus immitti iudicauit [59]); vnde facile intelligi poterit, quo reſpectu ac iure cuiusque hominis animam

58) Quod adparet ex loco *Enarr. in Pſ. CXXIX. p.* 1038. edit. Par. 1652. vbi de creatione hominis loquens, *Cum pulcherrimum*, inquit, *opus perfecto iam mundo inchoaret, et hominem ſcilicet ad imaginem ſui faciens, eum ex humili natura coeleſtique compoſuit, anima videlicet atque corpore. Et prius quidem animam diuino illo et incomprehenſibili nobis virtutis ſuae opere conſtituit. Non enim cum ad imaginem Dei hominem fecit, tunc et corpus effecit. Geneſis docet, longe poſtea quam ad imaginem Dei homo erat factus, puluerem formatumque corpus dehinc rurſus in animam viuentem per inſpirationem Dei factum: naturam hanc ſcilicet terrenam atque coeleſtem quodam inſpirationis foedere copulatam.*

59) Id quod non modo ex eo probabile fit, quod animam hominis in *l. l.* aliisque pluribus locis ab afflatu diuino conſtanter repetit, ſed intelligitur etiam ex *Enarr. in Pſ. LXIII. p.* 774. vbi haec leguntur: *Qui vero praedicabit animae cum corpore occaſum, audiet animam non eſſe terrenam, ſed ex afflatu Dei ortam, elementis corporis admiſceri: mortem autem non interitum eſſe, ſed diſceſſionem eius a corpore.*

opus Dei adpellari poſſe ſibi perſuaferit [60]). Huic vero iungendus deinde etiam eſt *Prudentius*, cui eandem fere cum Origene ſententiam de anima ex ſedibus ſuperioribus in has terras delapſa, inque his in exilio quaſi verſante probatam fuiſſe, perſpicue teſtantur ea, quae leguntur in ipſius *hymn. in exeq. defunct.* [61]) habentque ſic:

Patet ecce fidelibus ampli
Via lucida iam paradiſi,
Licet et nemus illud adire,
Homini, quod ademerat anguis:

Illic precor, optime Ductor,
Famulam tibi praecipe mentem,
Genitali in ſedo ſacrari,
Quam liquerat exſul et errans.

Poſt horum autem aetatem non mirum eſt, nullos amplius deprehendi, qui ſententiam hanc defenderint, cum ſub illa ipſa tempora id, quod ante eccleſiaſtica, quae dicebatur, praedicatione plane non fuerat definitum [62]), communi quaſi conſenſu videatur ſuſceptum probatumque fuiſſe, animas non prius, quam corpora fuiſſe creatas [63]).

---

60) Quo nomine utitur v. c. *l. X. de Trinit. pag.* 224. vbi de Chriſto loquens, *quaſi vero*, ait, *ſi tantum ex virgine aſſumſiſſet corpus, aſſumſiſſet quoque ex eadem et animam: cum anima hominis opus Dei ſit, carnis vero generatio ſemper ex carne ſit.*

61) *Cathem. Hymn. X.* 161. *ſqq.*

62) Qua de re videnda ſunt, quae ex veterum ſcriptis obſeruavit Huetius *l. l.* §. *XI.* et *XII.*

63) Id quod ſatis quidem confidenter profitetur Leo M. in *epiſt. ad Epiſcop. Aſterigenſem*, in qua *catholica*, inquit, *fides conſtanter praedicat atque veraciter, quod animae hominum priusquam ſuis inſpirarentur corporibus, non fuere;* quocum conſentit etiam Juſtinianus in loco ab Huetio *l. l.* ex Cedreno allato, *ἡ δὲ ἐκκλησία*, inquiens, *τοῖς θείοις ἑπομένη λόγοις φάσκει τὴν ψυχὴν συνδημιουργηθῆναι τῷ σώματι· καὶ ἃ τὸ μὲν πρότερον, τὸ δὲ ὕστερον, κατὰ τὴν Ὠριγένους φρενοβλάβειαν*, licet utriusque

Cap. IV.

Sect. 4. De fonte ſententiae de animae προϋπάρξει.

(Comment. XI.)

Si igitur de fonte quaeritur, e quo illa veterum ſcriptorum eccleſiaſticorum de animarum προϋπάρξει ſententia, de qua ſuperiori libello expoſuimus, fluxiſſe ſit cenſenda; non mirum eſt, hunc in hac etiam ſententia, aeque ac in aliis, omnes fere, qui illius mentionem iniecerunt, in Platonica philoſophia ſibi viſos eſſe deprehendiſſe [1]), cum eandem ſententiam vtique a Platone etiam fuiſſe defenſam inter omnes ſit notiſſimum [2]). Atque id ipſum noſtri etiam ſcriptores diſerte ſubinde profeſſi ſunt. Nihilominus tamen nos quidem minime dixerimus, eos hac ipſa Platonis auctoritate permotos iſtam ſententiam ſuſcepiſſe, aut philoſophicae eius diſciplinae nimio amore captos vel inuitos etiam atque inſcios eam probaſſe, ſed aliis potius argumentis in illam deductos, aliaque auctoritate allectos eam ipſos putamus amplexos eſſe. Certe Clementem Alex. vix nobis perſuaſerimus, Iulii Caſſiani ſententiam, qua animas hominum ex diuina ſubſtantia ortas in corpora humana,

---

narrationi haud obſcure repugnet Gregorii M. teſtimonium ab eodem Huetio in medium allatum, quo ne ſuis quidem temporibus, quaenam ſententia certa et rata ſit habenda, ab eccleſia definitum eſſe, tradit.

1) Quorum ex numero vel vnum Huetium *Origen. l. II. c. II. qu. VI. §. 7. et* 10. *pag.* 179. *ſq.* edit. de la Rue, nominatim nunc commemoraſſe ſuffecerit.

2) Cuius rei ſi quis teſtimonia ex ipſo Platone ducta cognoſcere cupiat, conſulendi ei ſunt ſcriptores, qui hiſtoriam Philoſophiae vel vniuerſae, vel Platonicae nominatim expoſuerunt, quos inter inprimis eminent Bruckerus in *Hiſtor. crit. Philoſ. T. II. p.* 415. *ſq.* atque in *Hiſtor. de Ideis*, *ſect.* 1. §. 6. *pag.* 102. *ſqq.* et Tennemann in *Syſtem der Platon. Philoſ. Vol. III. pag.* 96. *ſq.* vt taceamus nunc eos, qui de Metempſychoſi a Platone defenſa diſputarunt, alio loco a nobis laudandos.

cupiditate quadam incenſas, ſtatuit deſcendiſſe, tanquam ſententiam, Platonicam ſcholam redolentem fuiſſe notaturum [3]), cum ipſe, vt in antecedenti commentatione docuimus, a ſimili ſententia non omnino eſſet alienus; niſi probe ſciuiſſet, ſuam ſententiam non modo ab illius viri opinione quodammodo eſſe diuerſam, ſed ex alio etiam, quam Platonicae illius philoſophiae fonte a ſe ſuſceptam. Eodem vero modo Origenes etiam, vbi ex hac Platonis ſententia Celſi, infenſiſſimi illius chriſtianae religionis hoſtis, calumniam aliquam, qua Ieſum, illius auctorem, petierat, reprimit, diſerte fatetur [4]), ſe tanquam ex conceſſis cum illo diſputare, atque Platonis aliorumque philoſophorum gentilium, quorum magnam ſciat apud ipſum auctoritatem eſſe, ſententiam ſequi. At vbi ipſe ex ſua mente eandem ſententiam proponit, longe alia eius confirmandae cauſa argumenta commemorat, ex ſcripturae ſ. dictis [5]) atque exemplis [6]) illa partim ducta, partim vero aliunde

---

3) Quod feciſſe eum intelligitur ex loco ſuper. libell. *not.* 9. a nobis aſſato. p. 650.

4) *Lib. I. contr. Celſ. §.* 32. *To. I. Opp. p.* 350. *ſq.* vbi ἐρῶ δὲ, inquit, ὡς πρὸς Ἕλληνας, καὶ μάλιϛα Κέλσον, εἴτε φρονῶντα, εἴτε μὴ, — πλὴν παρατιθέμενον τὰ Πλάτωνος· ἆρα ὁ καταπέμπων ψυχὰς εἰς ἀνθρώπων σώματα, τὸν τοσαῦτα τολμήσαντα, καὶ τοσοῦτο διδάξοντα, καὶ ἀπὸ τῆς χύσεως τὸν κατὰ τὴν κακίαν μεταϛήσαντα πολλοὺς ἀνθρώπων, ἐπὶ τὴν πασῶν αἰσχροτέραν γένεσιν ὤθει, μηδὲ διὰ γάμων γνησίων αὐτὸν εἰσαγαγὼν εἰς τὸν τῶν ἀνθρώπων βίον; ἢ εὐλογώτερον, ἑκάϛην ψυχὴν κατά τινας ἀπορρήτους λόγους (λέγω δὲ ταῦτα νῦν κατὰ Πυθαγόραν καὶ Πλάτωνα καὶ Ἐμπεδοκλέα, ὃς πολλάκις ὠνόμασεν ὁ Κέλσος) εἰς κρινομένην σώματι κατ᾽ ἀξίαν εἰσκρίνεσθαι καὶ κατὰ πρότερα ἤθη; ad quem locum videnda ſunt, quae obſeruauit Moshemius in verſione huius libri germ. pag. 75. ſqq.

5) Quae ſingula collegit Huetius *Origen. l. l. §.* 8. *p.* 179.

6) Quorum plura ex *lib. I. de princ. c.* 7. §. 4. *pag.* 71. *Opp. To. I.* in ſuperiori libello commemorauimus *not.* 28. quae eadem ad eandem rem confirmandam ab illo laudantur quoque eiusdem oper. *lib. III. cap.* 3. *§.* 3. *pag.* 141. *ſq.*

etiam petita [7]), per quae ipſi de illius veritate firmiſſime adparet perſuaſum fuiſſe. Quod vero hanc ſententiam ipſius ſcripturae ſ. auctoritate non modo Origenes iſte, ſed et reliqui eius defenſores putarunt confirmari, hincque poſt, vt fieri fere in talibus ſolet, alia quoque eius argumenta, in ratione aut aliis doctrinae chriſtianae capitibus latentia, ſibi viſi ſunt detexiſſe; id eo haud dubie effectum eſt, quod et haec ſententia aeque ac aliae, de quibus in ſuperioribus diximus, ex iudaica theologia in chriſtianam dudum fuerat traducta, hincque ab vno doctore ad alterum tanquam ſententia ad religionis doctrinam pertinens translata, ita tamen, vt, prout aliae ſententiae id videbantur poſtulare, hoc illoue modo a quolibet proponeretur, atque vel vberius explicaretur diligentiusque exornaretur, vel alia ſaltem forma indueretur.

Fuiſſe autem et hanc de animarum προϋπάρξει ſententiam Iudaeis iam ante Ieſu et Apoſtolorum aetatem illisque ipſis temporibus viuentibus probatam, id, quanquam a pluribus iam nouimus demonſtratum fuiſſe [8]), tamen, quoniam inſtituti noſtri ratio poſtulat, paucis iam a nobis erit oſtendendum. Qua in re cum diligentiſſimum argumentorum delectum, non omnibus ſemper obſeruatum, habere conſtituerimus; nos quidem non ſuſtinemus illorum partes ſequi, qui antiquiſſimos iam Hebraeos animos hominum, antequam corporibus iungantur, in eodem loco ſubterraneo, in quem eos poſt mortem abire defenderint, שְׁאוֹל nomine

7) Quo pertinet v. c. illud, ad quod in loco *not.* 30. ſuper. libell. allato prouocat, non poſſe, niſi haec ſententia admittatur, iuſtitiam Dei ratione fatorum, quae tam diuerſa hominibus his in terris ab illo immittantur, vindicari.

8) Quos inter ex recentiſſimis inprimis pertinet Chr. Guil. Flügge in: *Geſchichte des Glaubens an Unſterblichkeit, Auferſtehung, Gericht und Vergeltung, To. I. pag.* 45. *ſqq.* qui et reliquos de illa ſententia iudaica ſcriptores maximam partem laudauit.

ab iis adpellato, ſtatuiſſe ſeruari, ex quibusdam V. T. locis ſibi viſi ſunt intellexiſſe [9]), cum, quae ex locis iſtis illius rei ab iis repetantur argumenta, nimis fallacia ſint atque ambigua. Quod enim primum Iob. I, 21. locum attinet, illum aperte perquam incommode interpretantur, qui, vt hanc ſententiam inde eliciant, verba אֲשׁוּב שָׁמָּה cum ſuperioribus יָצָתִי מִבֶּטֶן אִמִּי arctiſſime dicunt nectenda, et ita intelligenda eſſe, vt in vocabulo שָׁמָּה iterum de *vtero matris*, eo tamen non proprie amplius, vti in priori membro, ſed tropice potius dicto, h. e. terrae gremio, cogitetur. Vt enim taceamus, duplicem iſtum vnius eiusdemque vocabuli vſum cum proprium, tum tropicum, in hoc certe loco paulo duriorem eſſe iudicandum, ecquis tandem eſt, qui non intelligat, hac explicatione admiſſa, non minus duram huic loco dilogiam inferri? Tum enim cum

---

9) Quorum in numerum referendi nominatim ſunt I. D. Michaelis in *Annotatt. ad verſ. germ. Ioh. I*, 21. *pag.* 4. et *Pſalm. CXXXIX*, 15. *p.* 247. et Hezelius in *Nott.* ad haec eadem librorum ſacr. loca, *Oper. bibl. Vol. III. pag.* 476. et *Vol. IV. p.* 499. aliisque pluribus locis, itemque Knappius et Müntinghe in *Nott. ad Pſ. l. l.* Quanquam vero poſt Geo. Thom. Serzius, ſcholae Laur. Norimb. hodie Rect. linguaeque ebr ac graec. Prof. P. hanc ſententiam in peculiari libello *Norimb.* 1792. 4. edito, quo, vt fert inſcriptio eius, *figmentum de animo humano ante ſubter terra exſiſtente, quam corpori coniungeretur, Ebraeis falſo attribui demonſtrauit*, ſtuduit impugnare; tamen non modo Ammonius ſibi de illius ſententiae falſitate hoc libello nondum fuiſſe perſuaſum diſerte declarauit in *Commentat. de Orco Hebraeor. Erlang.* 1792. 4. edita poſtque repetita in Pauli *Memorabil. Vol. IV. pag.* 195. *ſq.* ſed ſingularem quoque libellum ei oppoſuit Ioh. Car. Henr. a Zobel ita inſcriptum: *Etwas über das Schattenreich der alten Ebräer und einer doppelten ſich ſcheinbar widerſprechenden Deutung deſſelben*, *Wittenb.* 1796. 8. Contra quem vid. quae monuit Anonym. in Ephem. litter. vniv. (A. L. Z.) 1806. No. 125. et Tubing. 1807. No. 56. et 57. Dubitantius tamen ea de re ſcripſit Bauerus, Prof. Altorfinus, in: *Theologie des A. T. oder Abriſs der religiöſen Begriffe der alt. Hebr. §.* 112. *pag.* 245. cum quo loco cfrri etiam poſſunt eiusdem Viri docti *Dicta claſſica Vol. V. Sect. I. §.* 52. *pag.* 129. Multo vero apertius eandem ſententiam denuo defendit Io. Fr. *Wagner* in Tentamine novae interpretationis locorum biblic. Pſ, XXII. 30. 1 Petr. III, 18. (Lunaeb. 1801. 4.) p. 3.

ex vtero matris, tum vero ex terrae etiam gremio se prodiisse dicturus fuisset Iobus. At enimuero cum, vt bene iam docuit Serzius *l. l. pag.* 20. ex Cap. III, 17. et 19. luculenter adparet, particulam שָׁם huius libri auctori quasi κατ' ἐξοχὴν de eo loco dici, in quem omnes mortui abeant, quidni et hic eandem eius significationem admittamus [10])? Verbum autem שוּב tantum abest, vt reditum ad pristinum, e quo quis abierat, locum indicet, vt nostro quidem sensu, oppositum potius nunc fit verbo יָצָא, adeoque abitum ex illa terra significet, quam quis per tempus natale fuerat ingressus; id quod luculenter nobis confirmari videtur loco parallelo Eccles. V, 14. in quo haec eadem, quae in h. l. traditur, sententia, his verbis enunciatur: כַּאֲשֶׁר יָצָא מִבֶּטֶן אִמּוֹ עָרוֹם יָשׁוּב לָלֶכֶת כְּשֶׁבָּא [11]). Alter vero locus Ps. CXXXIX, 15. e quo idem intelligi posse iudicarunt, non de animi humani, sed corporis potius formatione agit, cum diserte de ossium constructione sermo fit, hincque sponte intelligitur, verba תַּחְתִּיּוֹת אָרֶץ, nullo modo, vt illi voluerunt, de inferorum loco, vel Scheol, hic posse explicari. Neque enim apud inferos, sed in matris potius vtero [12]) se formatum esse, ipse

---

10) Id quod nobis quidem multo aptius et facilius esse videtur, quam si quis hanc particulam cum Hufnagelio in *vers. huius libri germ. pag.* 5. ad vocabulum אֵם referat, explicetque sic, vt illuc venturus dicatur Iobus, vbi mater eius sit, h. e. moriturus. In hunc enim sensum Vir ille Celeberrimus h. l. vertit: *Blos kam ich von meiner Mutter, blos werde ich ihr zur Erde folgen*, cuius loco nos quidem haec verba ex interptetatione supra proposita ita potius verteremus: *Blos kam ich aus meiner Mutter Leibe, und blos werde ich auch wieder dahin gehen.*

11) In quo loco Hezelius *Oper. bibl. Vol. V. pag.* 232. praeter omnem causam rursus vult de homine in loca inferorum, e quibus venerat, redeunte cogitari.

11) De quo eodem tamen in hoc eitam versu in verbis תַּחְתִּיּוֹת אָרֶץ esse cogitandum, vt Dathius in *Nott.* versioni latinae subiectis, Serzius *l. l. pag.* 18. aliique plures statuerunt, nullo modo nobis possumus persuadere, quoniam plane non credibile est, vterum maternum vocabulo *loci subterranei* posse significari.

poeta v. 13. declarat. Quare nos quidem illa תַּחְתִּיּוֹת אֶרֶץ cum Koppio [13]) de *infimis terrae receſſibus* [14]) intelligenda atque eo referenda eſſe arbitramur, quod corpora hominum ex limo vel puluere efformari conſtans eſt ſcriptorum hebraicorum traditio. Hinc enim poetae homo commode dici poteſt in ima quaſi terra formari, e qua quippe ſecundum illam opinionem prima corporis eius ſtamina ducta ſunt. Quae vero his duobus locis, ab omnibus huius ſententiae defenſoribus laudatis, in eiusdem confirmationem ab Hezelio [15]) atque Zobelio [16]) praeterea ſunt adiecta Iob. XXI, 13. XXX, 23. Pſ. IX, 14. et 18., multo adhuc grauioribus, noſtro quidem iudicio, dubitationibus ſunt obnoxia, atque omnia ita comparata, vt niſi certiora illius opinionis ab Hebraeis ſuſceptae argumenta in promtu ſint, ex illis quidem vix poterit idoneo iudici de illa perſuaderi, etſi nunc quidem anguſti huius libelli limites minime patiantur, vt de ſingulis hoc pluribus demonſtremus.

Contra vero haud aeque ambigua nobis videntur animarum *προϋπάρξεως* a Iudaeis ſerioribus poſt captivitatis Babylonicae tempora viuentibus defenſae indicia, quae extant primum in apocrypho libr. Sapient. VIII, 20. vbi, dum Salomonem ita loquentem introducit Auctor: *παῖς ἤμην εὐφυὴς, ψυχῆς τε ἔλαχον ἀγαθῆς, μᾶλλον δὲ ἀγαθὸς ὢν εἰς σῶμα ἀμίαντον*, aperte hoc dicere vult, eum hac duplici de cauſa puerum bonae indolis fuiſſe, quod non modo animam [17])

---

13) In *Nott. ad Epheſ. IV*, 9. *pag.* 85. *ſq.* edit. II.

14) De quibus in omnibus etiam iis locis erit cogitandum, in quibus haec eadem formula de Scheol Hebraeorum dicitur, quoniam ſub terra illud eos poſuiſſe, inter omnes eſt notiſſimum.

15) In *Nott. ad Pſ.* 139, 15. *Oper. bibl. Vol. IV. pag.* 499.

16) *L. L. pag.* 24. *ſqq.*

17) Quam Auctor huius libri cap. XV, 11. aperte diſtinguit a *πνεύματι ζωτικῷ*, dum Deum ibi adpellat homini *ἐμπνεύσαντα*

probam nactus fuerit, ſed, quod maius ſit, (μᾶλλον δὲ) propter hanc ipſam animam probam corpori etiam omnis vitii experti immiſſus, adeoque haud obſcure illam de animarum προϋπάρξει ſententiam prodit [18]). Quanquam enim ſunt, qui nolint hanc ſententiam in his verbis agnoſcere, eaque ita potius interpretentur: *eram enim puer bene a natura informatus et bona anima praeditus, cumque bene educatus eſſem, veni ad corpus non coinquinatum*, quam explicationem ipſe etiam Lutherus in verſione ſua ſecutus eſt [19]); facile tamen adparet, hunc eorum explicandorum modum neque linguae rationem, neque contextum loci admittere. Ecquis enim non videat, illud ἀγαθὸς ὤν non magis poſſe de educatione explicari, quam illa: ἦλθον εἰς σῶμα ἀμίαντον, intelligi ſic: *veni ad corpus non coinquinatum*, h. e. conſeruaui corpus ab omni ſcelerum inquinamento liberum, quae dicendi ratio germanicae potius, quam graecae linguae indolem redoleret. Quod vero contextum loci attinet, facile adparet, ſcriptorem hic quidem minime dicere potuiſſe, Salomonem ſe iam a pueris inde a ſceleribus purum ſeruare ſtuduiſſe, cum in ſequentibus demum tradat, eam ſapientiam, tanquam omnium virtutum magiſtram, a Deo ſibi expetiiſſe, nunc autem vnum hoc voluiſſe docere, qui factum fuerit, vt ſapientiae illius ſibi comparandae ſemper eſſet cupidiſſimus, quemadmodum v. 19. dixerat.

ψυχὴν ἐνεργεῖσαν καὶ ἐμφυσήσαντα πνεῦμα ζωτικόν, vt vidit iam Io. Melch. Faber in *Prol. IV. ſuper libro Sapientiae*, (*Onold.* 1777. 4.) *pag.* 3. *ſq.*

18) Id quod, praeter Grotium atque Bruckerum in *Miſcell. hiſtor. philoſ. pag.* 124. *ſq.* et alios, agnouere etiam recentiſſimi huius libri interpretes, Haſſius atque Nachtigallus, itemque Eichhornius in *Introd. in libr. V. T. apocryph. pag.* 113. *ſq.* et Bauerus in *Theolog. V. T. l. l. pag.* 247. *ſq.*

19) Eandemque nuper etiam, quod miramur, probauit Flügge *l. l. p.* 50.

Multo vero apertiora eiusdem ſententiae inter Iudaeos receptae veſtigia deprehenduntur in Eſſenorum placitis, inter quae diſerte etiam hoc refert Ioſephus, quod animarum προΰπαρξιν ſpectat, haec de illis tradens [20]): ἔῤῥωται παρ' αὐτοῖς ἥδε ἡ δόξα, φθαρτὰ μὲν εἶναι τὰ σώματα καὶ τὴν ὕλην ἀ μόνιμον αὐτοῖς, τὰς δὲ ψυχὰς αθανάτȣς ἀεὶ διαμένειν καὶ συμπλέκεσθαι μὲν ἐκ τȣ̃ λεπτοτάτȣ φοιτώσας αἰθέρος, ὥσπερ ἐιρκταῖς τοῖς σώμασιν ἴυγγι τινι φυσικῇ κατασπωμένας.

Neque tamen intra huius tantum ſectae ſautores et aſſeclas ſubſtitit illa opinio, ſed in vulgus adeo exiit ſic, vt in ipſis vitae communis iudiciis homines eam ſequerentur: cuius rei in Euang. Ioh. IX, 3. luculentum nobis videtur teſtimonium extare. Cum enim hic diſcipuli Ieſu, poſtquam hominem inde a natalibus oculorum vſu priuatum conſpexerant, magiſtrum ſuum interrogaſſe dicantur, vtrum ipſe, an vero parentes eius peccato aliquo ſuo promeruerint, vt coecus naſceretur, quanquam non videntur, vt multis viſum eſt [21]), de animarum in plura corpora migratione cogitaſſe, aperte tamen earum ante hominis ortum προΰπαρξιν [22])

---

20) *De bell. Iud. l. II. c.* 8. §. 11.

21) Quorum ſententiam praeter alios plures, qui obiter aduerſus illam diſputarunt, peculiari libello impugnauit Frid. Guil. Sartorius, qui ſic inſcriptus eſt: *Commentatio critica ſacra de Metempſychoſi Pythagorica a diſcipulis Chriſti et gente iudaica ante excidium Hierosolymitanum ſecundum non recepta, ad illuſtranda loca Matth. XIV*, 2. *XVI*. 14. *Iob. IX*, 2. *et libr. Sapient. VIII*, 19. 20. *Lübben.* 1760. 4.

22) Id quod, vt taceamus nunc recentiores interpretes, qui huius ſententiae veſtigia hic agnouerunt, inter antiquiores vidit iam Cyrill. Alex. in *Comment. in Ioh. l. VI. c.* 1. *To. IV. Opp. pag.* 588. edit. Pariſ. vbi de diſcipulis Chriſti haec habet: ἔτοι δὲ πάλιν γείτονά τε καὶ συγγενῆ νοσȣ̃ντες ἀπαιδευσίαν τοῖς ὀρτίως ἡμῖν κατωνομασμένοις πρὸ τῆς τῶν σωμάτων κατασκευῆς προϋπάρξειν μὲν καὶ προϊφεσάναι τὰς τῶν ἀνθρώπων ψυχὰς διατείνονται, καταφοιτώσας τε προθύμως εἰς τὸ πλημμελεῖν, καὶ πρὶ

ſumunt [23]). Atque vt ex loco e libro Sapientiae in medium modo allato adparebat, animas eas, quae probae olim fuerint, corporibus puris et ab omni vitio alienis iudicatas eſſe immitti, ita ex hoc contra intelligitur, iis, quae peccato aliquo ſe polluerint, corpora deformia vitiisque laborantia ex eadem opinione fuiſſe adſignata; quam eandem perſuaſionem illa etiam obiurgatio prodit, qua aſſeſſores Synedrii Hieroſolymitani Phariſaeorum placitis addicti, immodeſtius paulo, vt ipſis quidem videbatur, hominis iſtius reſponſum v. 34. dicuntur excepiſſe, dum dicerent ei: ἐν ἁμαρτίαις συ ἐγεννήθης ὅλος κ. τ. λ.

Eiusdem porro ſententiae illis temporibus a Iudaeis defenſae teſtimonia multo planiora atque ampliora in Philonis etiam ſcriptis reperiuntur. Is nimirum plus vno in loco diſerte docet, duo in aëre animarum genera verſari [24]), quarum aliae quidem vel corporum

---

τῶν σωμάτων τὸ τηνικόδε συνθεῖσθαι τούτοις αὐτὰς ὡς ἐν τάξει κολάσεως τὸ ἐν σαρκὶ γενέσθαι δεχομένας; eodemque modo Iſidorus etiam Peluſiota *Epiſt. l. II. ep.* 272. *pag.* 244. edit. Morell. iſtam diſcipulorum illorum interrogationem inde repetit, quod cum Graecis ſtatuerint, ἐσφάλθαι τὴν ψυχὴν καὶ διὰ τοῦτο εἰς σῶμα καταπέμφθαι κολασθησομένην.

23) Quod tamen etiam fuerunt, qui nollent concedere, mallentque locum cum Lightfooto in Hor. hebr. et talmud. ad h. l. ex illa Iudaeorum opinione, quam nos tamen veremur, vt idoneis teſtimoniis poſſit confirmari, explicare, qua ſtatuerint, infantes in ipſo iam matris vtero peccatorum culpam ſibi poſſe contrahere; quam viam inter recentiſſimos huius Euangelii interpretes nominatim inierunt I. D. Michaelis et Sam. Gottl Langius. Qui plura de variis Intt. ſuper h. l. ſententiis cognoſcere cupiat, ei praeter Sartorii Commentat. modo laud. conſulenda etiam eſt Thom. Ittigii, noſtratis quondam Theologi, *Diſſert. ad h. l.* in illius *Exercitt. theol. Ennead. p.* 109 *ſqq.* repetita.

24) Qua de re inprimis claſſicus locus exat in *libr. de plant. Opp. To. III. p.* 92. *edit.* Pfeiff. vbi διττὰ δὲ, inquit, ἐν τε γῇ καὶ ἀέρι γένη ὁ ποιῶν ἐποίει· ἀέρι μὲν τὰ πτηνὰ αἰσθητὰ, καὶ δυνάμεις ἄλλας αἰσθήσει ὐδαμῇ ὐδαμῶς καταλαμβανομένας ψυχῶν ὁ θίασος ἔτος ἀσωμάτων ἐστὶ διακεκοσμημένων, ἃ ταῖς αὐταῖς ἐν τάξεσι· τὰς μὲν γὰρ εἰσκρίνεσθαι λόγος ἔχει σώμασι θνητοῖς, καὶ κατά τινας ὡρισμένας περιόδους ἀπαλλάττεσθαι πάλιν· τὰς

inhabitandorum cupidae [25]), vel discendi seque exercendi studio ductae [26]), in terras descendant, inque corpora humana migrent [27]), Deo quidem id non solum moderante [28]), sed simul etiam spem iis faciente [29]), fore, vt illuc, vnde venerant, post mortem sint

---

δὲ θειοτέρας κατασκευῆς λαχεῖσας, ἄπαντος ἀλογεῖν τε γῆς χωρίς. Hinc aër ei in *libr. I. de somn. To, V. p.* 62. dicitur *ψυχῶν ἀσωμάτων οἶκος.*

25) De quibus in eodem, quem modo excitauimus, loco *libr. de somn.* paulo post *pag. seq.* haec habet: *τούτων τῶν ψυχῶν αἱ μὲν κατίασιν ἐνδεθησόμεναι σώμασι θνητοῖς, ὅσαι προσγειότατοι καὶ φιλοσώματοι· αἱ δ' ἀνέρχονται, διακριθεῖσαι πάλιν κατὰ τὰς ὑπὸ φύσεως ὁρισθέντας ὁρισμὲς καὶ χρόνες.*

26) Quas in sapientum animis sibi visus est agnouisse, de quibus in *libr. de confus. ling. Vol. III. p.* 349. haec habet: *διὰ τοῦτο οἱ κατὰ Μωϋσῆν σοφοὶ πάντες εἰσάγονται παροικοῦντες· αἱ γὰρ τούτων ψυχαὶ σέλλονται μὲν ὁποικίαν δή ποτε τὴν ἐξ οὐρανοῦ. Εἰώθασι δὲ ἕνεκα τοῦ φιλοθεάμονος καὶ φιλομαθοῦς εἰς τὴν περίγειον φύσιν ἀποδημεῖν· ἐπειδὰν ἐν ἐνδιατρίψασαι σώμασι, τὰ αἰσθητὰ καὶ θνητὰ δι' αὐτῶν πάντα κατίδωσιν, ἐπανέρχονται ἐκεῖσε πάλιν, ὅθεν ὡρμήθησαν τὸ πρῶτον, πατρίδα μὲν τὸν οὐράνιον χῶρον ἐν ᾧ πολιτεύονται, ξένον δὲ τὸν περίγειον, ἐν ᾧ παρῴκησαν, νομίζεσαι.*

27) Ad quam migrationem earum et hoc pertinet, quod interdum eas ex his corporibus iudicauit quasi avolare, ita tamen, vt mox ad ea iterum recurrant, licet nonnunquam ea constanter etiam fugiant; qua de re in eodem loco, quem *not.* 25. excitauimus, verbis a nobis allatis haec subiungit: *τούτων αἱ μὲν τὰ σύντροφα καὶ συνήθη τοῦ θνητοῦ βίου ποθοῦσαι, παλινδρομοῦσιν αὖθις· αἱ δὲ πολλὴν φλναρίαν αὐτοῦ καταγνοῦσαι, δεσμωτήριον μὲν καὶ τύμβον ἐκάλεσαν τὸ σῶμα, φυγοῦσαι δ' ὥσπερ ἐξ εἱρκτῆς ἢ μνήματος, ἄνω κέφοις πτεροῖς πρὸς αἰθέρα ἐξαρθεῖσαι, μετεωροπολοῦσι τὸν αἰῶνα:* quibus simillima sunt, quae leguntur in *libr. de gigant. Vol. II. pag.* 360. *sq.* vbi de iisdem animabus loquens, *ἐκεῖναι δὲ*, inquit, *ὥσπερ εἰς ποταμὸν τὸ σῶμα καταβᾶσαι, τότε μὲν ὑπὸ συρμοῦ δίνης βιαιοτάτης ἁρπασθεῖσαι κατεπόθησαν, τότε δὲ πρὸς τὴν φορὰν ἀντισχεῖν δυνηθεῖσαι, τὸ μὲν πρῶτον ἀνενήξαντο, εἶτα, ὅθεν ὡρμήθησαν, ἐκεῖσε πάλιν ἀπέπτησαν.*

28) Hinc saepe etiam ad Deum istam animorum cum corporibus coniunctionem refert, eosque in mundum ab illo missos dicit, vt fit v. c. in *libr. de opific. mund. Vol. I. pag.* 92. vbi de loco Genes. II, 7. disputans, *τὸ γὰρ ἐνεφύσησεν*, inquit, *οὐδὲν ἦν ἕτερον ἢ πνεῦμα θεῖον ἀπὸ τῆς μακαρίας καὶ εὐδαίμονος ἐκείνης φύσεως, ἀποικίαν τὴν ἐνθάδε σειλάμενον, ἐπ' ὠφελείᾳ τοῦ γένους ἡμῶν.*

29) In quam rem haec leguntur in *libr. de somn. pag.* 80. in disputatione super loco Gen. XXVIII, 15. *παγκάλως δὲ εἴρηται*

rediturae [30]), aliae vero in ſummo aethere verſantes, ab omni corporum contagione liberas ſe ſeruent, angelorum nomine in libris ſacris illae adpellatae [31]).

Quae cum ita ſint, iam non opus eſſe arbitramur, vt his ſeriorum etiam Iudaeorum atque Cabbaliſtarum de eadem re placita ſubiiciamus. Quamquam enim et hi eandem de animarum *προϋπάρξει* ſententiam ſunt profeſſi, eamque amplius etiam exornarunt [32]); tamen,

---

καὶ τὸ, Ἀποστρέψω σε εἰς τὴν γῆν ταύτην· καλὸν μὲν γὰρ ἦν, τὸν λογισμὸν ἐφ᾽ ἑαυτῷ μείναντα μὴ ὑποδημῆσαι πρὸς ἄισθησιν· δεύτερος δὲ πλᾶς, ἐφ᾽ ἑαυτὸν ὑποστρέψαι πάλιν. Ἴσως δὲ καὶ τὸ περὶ ἀφθαρσίας ψυχῆς ὑπαινίττεται δόγμα διὰ τέτων· ἀπολιπᾶσα μὲν γὰρ τὸν ὠράνιον τόπον, ὡς καὶ μικρῷ πρότερον ἐλέχθη, καθάπερ εἰς ξένην χώραν ἦλθε τὸ σῶμα. φησὶ δ᾽ ὁ μέχρι τᾶ παντὸς καθειργμένην αὐτὴν ὁ γεννήσας περιόψεσθαι πατήρ, ἀλλ᾽ οἶκτον λαβὼν λύσειν τὰ δεσμὰ, καὶ ἐλευθέραν ἄχρι τῆς μητροπόλεως ἀσφαλῶς παραπέμψειν, καὶ μὴ πρότερον ἀνήσειν, ἢ τὰς διὰ λόγων ὑποσχέσεις ἀληθείας ἔργοις βεβαιωθῆναι.

30) Hinc mors omnino ei reditus in locum ante relictum dicitur, in *libr. de Abrah. Vol. V. pag.* 342. vbi Abrahamum a ſapientia dicit didiciſſe, *τὸν θάνατον νομίζειν μὴ σβέσιν ψυχῆς, ἀλλὰ χωρισμὸν καὶ διάζευξιν ἀπὸ σώματος, ὅθεν ἦλθεν ἀπιόσης.*

31) De quibus in loco *libr. de plant. not.* 24. laud. haec tradit: *ἀνωτάτω δ᾽ εἶναι πρὸς αὐτῷ τῷ αἰθέρι τὰς καθαρωτάτας, ἃς οἱ μὲν παρ᾽ Ἕλλησι φιλοσοφήσαντες ἥρωας καλᾶσι· Μωϋσῆς δὲ ὀνόματι εὔθυβόλῳ χρώμενος, ἀγγέλᾳς προσαγορεύει,* quorum gemina ſunt, quae in loco ex *libr. de ſomn. not.* 27. allato proxime ſequuntur, his verbis perſcripta: *ἄλλαι δ᾽ εἰσὶν καθαρώταται καὶ ἄρισαι, μειζόνων φρονημάτων καὶ θειοτέρων ἐπιλαχᾶσαι, μηδενὸς μὲν τῶν περιγείων ποτὲ ὀρεχθεῖσαι τὸ παράπαν, ὑπαρχοι δὲ τᾶ πανηγεμόνος, ὥσπερ μεγάλᾳς βασιλέως ὀφθαλμοὶ καὶ ὦτα, ἀφορῶσαι πάντα καὶ ἀκέσσαι. Ταύτας δαίμονας μὲν οἱ ἄλλοι ψιλόσοφοι, ὁ δὲ ἱερὸς λόγος ἀγγέλᾳς εἴωθε καλεῖν, προσφυέρῳ χρώμενος ὀνόματι.*

32) Dum nimirum ſtatuerunt, omnes ac ſingulos hominum deinceps naſcendorum animos ipſo mundi natali ſimul a Deo fuiſſe creatos, inque loco quodam, Goph dicto, ſeruari, vsque dum omnes ad ſuperiores auras fuerint euecti, quo facto, futurum eſſe, vt deficiente iam humani generis propagatione, Meſſias ſit venturus nouumque rerum ordinem ſecum allaturus et inſtituturus. Atque huius animarum promtuarii fuerunt, qui in apocrypho iam IV. Esdr. libro Cap. IV, 36. ſq. veſtigia ſibi viderentur reperiſſe, inque his nominatim etiam Serzius *l. l. p.* 9. *ſq.* in quo tamen illi a vero aperte aberrarunt, cum ibi, vt rectius vidit Auctor *hiſtor. crit. Chiliasmi, Vol. I. pag.* 195. non de promtuario animarum cor-

quoniam dubium videri poterit, vtrum horum opiniones antiquioribus etiam Iudaeis recte tribui possint, eo magis putamus, nos ab illorum super ea re testimoniis commemorandis nunc posse abstinere, quo luculentius nobis ab aliis iam otium hic factum esse videmus [33]).

Cap. IV.

Sect. 5. De animo humano ἐκ τȣ̃ Λόγȣ τȣ̃ Θεȣ̃ profecto.

(Comment. XII.)

Qui animorum humanorum προὔπαρξιν inter veteris ecclesiae doctores defenderunt, de quorum sententia eiusque fonte in duobus superioribus libellis, ante hoc triennium in lucem emissis, disputauimus, iis facile adparet, non satis esse potuisse, simpliciter docere, animos hominum iam ante corpora eorum extitisse, sed declarandum etiam fuisse, vnde venerint, et quaenam eorum prima fuerit natura. Horum autem cum non pauci ex diuina eos substantia ortos esse voluerint, exque ea, interueniente quidem, vt nonnullorum saltem opinio ferebat, τῷ Λόγῳ τȣ̃ Θεȣ̃ prodiisse statuerint; et hoc dixerunt, ex Platonica philosophia eos arripuisse [1]). Quod quo iure dictum fuerit, cum iam pro in-

---

poribus nondum iunctarum, sed de animarum a corporibus iterum separatarum potius receptaculo, vel Scheol, sermo sit.

33) Quod respectu quidem ad Cabbalistarum opiniones habito factum inprimis est a Buddeo in *Introd. ad Hist. philos. Hebraeor. pag.* 429. et Conzio in libro in superioribus iam laudato: *Schicksale der Seelenwanderungshypothese unter verschied. Völkern, pag.* 110. *sqq.* quantum vero reliquorum Iudaeorum placita attinet, ab Eisenmengero in *Entdeckt. Iudenth. Part. II. cap. I. pag.* 11. *sq.* Bodenschatzio in: *Kirchl. Verfass. der heut. Iuden, Part. III. cap. VIII. §.* 1. *pag.* 134. Bruckero in *Hist. crit. Philos. To. II. pag.* 901. *sq.* Serzio *l. l. pag.* 7. *sq.* et Flüggio *l. l.*

1) Quod de hac quoque eorum sententia praeter alios nominatim defendit scriptor aliquoties iam laudatus, Imm. Ern. Habnius

ſtituti noſtri ratione paucis ſit oſtendendum, ante omnia ſinguli huius ſententiae defenſores videntur audiendi, et quaenam cuiusque eorum ea de re fuerit perſuaſio, ſeparatim exponendum.

Hic autem non quidem temporis, ſed perſonae tamen, quam ſibi ſumſit, ratione habita, primo loco in ſcenam nobis producendus erit ignotus *Clementinorum* auctor, qui huius ſententiae aperte ſe patronum profitetur, dum Petro haec alicubi [2]) ſubiicit: *τὰ ἀνθρώπων σώματα ψυχὰς ἔχει ἀθανάτους, τὴν τοῦ Θεοῦ πνοὴν ἠμφιεσμένας· καὶ ἐκ τοῦ Θεοῦ προελθοῦσαι, τῆς μὲν αὐτῆς οὐσίας ἐϛὶν, θεοὶ δὲ ὐκ εἰσίν.*

Hunc vero proxime excipit *Iuſtinus Martyr*, qui non modo in *Dial. cum Tryph.* huic ipſi Tryphoni, interroganti eum, num anima quoque diuina et diuinae mentis particula ſit, diſerte reſpondet, omnino ita eſſe [3]); ſed eandem ſententiam in *fragm.* quoque *de reſurr.* tanquam indubitatum ſumit. Ibi enim aduerſus eos disputans, qui reſurrectionem ad animum tantum, non item corpus hominis pertinere ideo ſtatuant, quoniam hoc non aeque ac illa ex Deo ſit profectum, haec autem eius pars ſit et ſpiraculum, adeoque is non poſſit non id, quod proprium ſibi ſit et cognatum, ſervare [4]), haec ita eſſe minime negat, ſed ex hoc ipſo

---

in Diſſ. *de Platoniſmo Theologiae veter. eccleſiae doctorum, nominatim Iuſtini Martyr. et Clementis Alex. corruptore,* (Viteb. 1733. 4.) *pag.* 17. *ſq.*

2) *Homil. XVI. §.* 16. *To. I. PP. apoſtol.* Coteler. *pag.* 728.

3) *§.* 4. *pag.* 106. edit. Mar. Locus ipſe ita habet: *τίς ἓν ἡμῖν ἔλεγε συγγένεια πρὸς τὸν Θεόν ἐϛιν; ἢ καὶ ἡ ψυχὴ θεία καὶ ἀθάνατος ἐϛι, καὶ ἀυτὸ τοῦ βασιλικοῦ νοῦ μέρος; ὡς δὲ ἐκεῖνος ὁρᾷ τὸν Θεὸν, ἔτω καὶ ἡμῖν ἐφικτὸν τῷ ἡμετέρῳ νῷ συλλαβεῖν τὸ θεῖον, καὶ τοὐντεῦθεν ἤδη ἐνδαιμονεῖν; πάνυ μὲν ἓν ἔφην.*

4) Quod quidem eorum iudicium his ibi verbis exponitur in Grabii *Spicileg. P. P. Sec. II. pag.* 189. et *pag. XXXIX.* edit. Teller. *ἀλλ' ἡ μὲν ψυχὴ ἐϛιν ἄφθαρτος, μέρος ἓσα τοῦ θεοῦ καὶ ἐμφύσημα· καὶ διὰ τοῦτο τὸ ἴδιον καὶ συγγενὲς ἠθέλησε σῶσαι· ἡ δὲ σὰρξ φθαρτὴ, καὶ ἐκ ἀπ' ἀυτοῦ καθάπερ ἡ ψυχή.*

potius concludit, Deum corpus etiam ſeruare debere, quoniam non ſit boni atque benigni, id tantum ſeruare, quod ſibi proprium ſit, neque magnam etiam potentiam id prodat [5]). Quonam autem adminiculo interueniente haec diuinae ſubſtantiae particula cum homine ex ipſius quidem ſententia fuerit communicata, ex iis Apologiarum eius locis intelligi poteſt, in quibus vniuerſum genus humanum τῆ Λόγῃ τῆ θεῆ dicit particeps factum eſſe [6]), eiusque quaſi ſemina quaedam ſibi iniecta accepiſſe [7]). In hoc enim Λόγῳ cum, vt alibi docuimus [8]), nil niſi rationem Dei, per emanationem ab illo profectam, ſibi cum omnibus reliquis illius aetatis doctoribus cogitauerit, ſponte profecto hinc ſequitur, ut, dum eius homines omnes participes factos eſſe ſtatueret, illos hoc ipſo diuinae ſubſtantiae particulam aliquam nactos eſſe iudicaret.

---

5) Ita nimirum poſt verba laudata pergit: *εἶτα τίς ἀυτῷ χάρις; καὶ τίς ἐπίδειξις τῆς δυνάμεως καὶ χρηςότητος ἀυτῆ; εἰ τὸ μὲν φύσει σωζώμενον καὶ μέρος ὑπάρχον ἀυτῆ σώζειν ἔμελλεν. ἀυτὸ γὰρ ἐξ ἑαυτῆ εἶχε τὴν σωτηριάν· ὥςε τὴν μὲν ψυχὴν σώζων, ἓ μέγα ποιεῖ· τὸ γὰρ σώζεσθαι πάρεςιν ἀυτῇ, ὅτι ἐςὶν ἀυτῆ μέρος, ἐμφύσημα ἀυτῆ ὂσα. ἀλλ' ἐδὲ χάρις ἀυτῷ τὸ ἴδιον σώζοντι· τᾶτο γάρ ἐςιν ἑαυτὸν σώζειν. Ὁ γὰρ τὸ μέρος ἀυτῆ σώζων, δι' ἑαυτῆ ἑαυτὸν σώζει, μήποτε ἐκεῖνο τὸ μέρος ἐνδεές γένηται. ἐκ ἐςὶν ἀγαθᾶ τὸ τοιᾶτον.*

6) Quod in *Apolog.* 1. §. 61. *p.* 43. edit. Thalem. de Chriſto loquens, his verbis tradit: *τὸν χρις̃ὸν πρωτότοκον τῆ Θεῆ εἶναι ἐδιδάχθημεν, καὶ προεμηνύσαμεν λόγον ὄντα, ἓ πᾶν γένος ἀνθρώπον μετέσχε.*

7) Qua quidem formula in *Apol. II.* §. 8. *pag.* 76. utitur, ubi de vexationibus eorum loquens, qui vitam recte inſtituere ſtuduerint, *καὶ τὰς*, inquit, *ἀπὸ τῶν ϛοϊκῶν δὲ δογμάτων, ἐπειδὴ κᾶν τὸν ἠθικὸν λόγον κόσμιοι γεγόνασιν ὡς καὶ ἓν τισιν οἱ ποιηταὶ, διὰ τὸ ἔμφυτον παντὶ γένει ἀνθρώπων σπέρμα τῆ λόγῃ, μεμιμῆσθαι καὶ πεφονεῦσθαι οἴδαμεν.* Hinc etiam poſt §. 10. *pag.* 78. omnia, quae philoſophi aut legumlatores recte et commode dixerint, ab iſtius divini *Λόγῃ* ſuggeſtione repetit, *ὅσα*, inquiens. *καλῶς ἀεὶ ἐφθέγξαντο καὶ εὗρον οἱ φιλοσοφήσαντες ἢ νομοθετήσαντες, κατὰ λόγῃ μέρος ἐυρέσως καὶ θεωρίας ἐςὶ πονηθέντα ἀυτοῖς.* Etenim, addit deinde §. 13. *pag.* 82 *ἕκαςός τις ἀπὸ μέρᾳς τῆ σπερματικῆ θεὶς λόγῃ τὸ συγγενὲς ὁρῶν, καλῶς ἐφθέγξατο.*

8) *Comment. II. pag.* 485. *ſqq.*

Huic ſimillimam ſententiam profeſſus etiam eſt *Tatianus*, qui, dum de iſto Λόγῳ θεῦ loquitur, haec de illo praedicat [9]): λόγος ὁ ἐπτεράνιος, πνεῦμα γεγονὼς ἀπὸ τοῦ πατρὸς καὶ λόγος ἐκ τῆς λογικῆς δυνάμεως, κατὰ τὴν τοῦ γεννήσαντος αὐτὸν πατρὸς μίμησιν εἰκόνα τῆς ἀθανασίας τὸν ἄνθρωπον ἐποίησε· ἵνα ὥσπερ ἡ ἀφθαρσία παρὰ τῷ Θεῷ, τὸν αὐτὸν τρόπον Θεοῦ μοίραν ἄνθρωπος μεταλαβὼν, ἔχῃ καὶ τὸ ἀθάνατον: quod tamen de ſpiritu tantum hominis, non item de anima, quam ei, vt ſupra docuimus [10]), praeter ſpiritum, probis modo ex ipſius quidem ſententia poſt Adami lapſum, inhaerentem, adiunxit, voluit intellectum.

Tum eandem quoque ſententiam defendiſſe ab Hieronymo [11]) quidem accuſatus eſt *Origenes*, qui tamen, vt recte iam a pluribus eſt animaduerſum [12]), ab hac culpa vtique eſt liberandus, cum non modo nulla plane huius opinionis in ſcriptis eius veſtigia adpareant, ſed et alia ibi occurrant, quae illum ab ea potius alienum fuiſſe declarent. Etenim cum diſerte animas hominum a Deo dixit creatas [13]), iisque aliquam tantum

---

9) *Orat. contr. Graec. §. 7. p.* 249. edit. Mar.

10) *Comment. VIII. p.* 620. *ſeq.* ubi omnem eius de duplici hominis anima ſententiam latius explicauimus.

11) *Epiſt. CXXIV. ad Avit. p.* 912. *ſeq. To. I. Opp.* edit. Vallars.

12) In qorum numero nominatim ſunt Huetius *Origenian. l. II. quaeſt. VI. §* 3. et Jac. Basnagius in *Hiſt. de l'egliſ. l. X. c.* 6. *To. I. pag.* 518.

13) Cuius rei exemplum v. c. praebet locus libr. περὶ ἀρχ. *l. I. c. VII. Opp. To. I. pag* 71. edit. de la Rue, ubi *omnes*, inquit, *animae atque omnes rationabiles naturae factae ſunt, vel creatae, ſive ſanctae ſint, ſive nequam; quae omnes ſecundum propriam naturam incorporeae ſunt: ſed et per hoc ipſum quod incorporeae ſunt, nihilominus factae ſunt; quoniam quidem omnia a Deo per Chriſtum facta ſunt.* Hinc etiam in *exhortat. ad martyr. §.* 12. *To. I pag.* 282. multisque aliis in locis animam humanam dicit δεδημιουργημένην.

cum illo adfinitatem tribuit [14]), tum illam etiam ſententiam, quae homines eiusdem cum Deo vult naturae eſſe, ab Heracleone defenſam, aperte impietatis arguit [15]). Neque id profecto eſt, quod miremur, cum *Clemens* iam *Alex.* magiſter eius et doctor, eodem de illa modo iudicaſſe reperiatur, vt ex hoc loco eius admodum perſpicuo intelligitur [16]): *ὁ Θεὸς ὀδεμίαν ἔχει πρὸς ἡμᾶς φυσικὴν σχέσιν, ὡς οἱ τῶν αἱρέσεων κτίσται θέλουσιν· ἔτ' εἰ ἐκ μὴ ὄντων ποιοίη, ἔτ' εἰ ἐξ ὕλης δημιεργοίη· ἐπεὶ τὸ μὲν, ἔθ' ὅλως ὄν· ἡ δὲ κατὰ πάντα ἑτέρα τυγχάνει τοῦ Θεοῦ· εἰ μή τις μέρος αὐτοῦ καὶ ὁμοουσίους ἡμᾶς τῷ Θεῷ τολμήσει λέγειν· — ἀλλὰ γὰρ φύσει πλέοντος ἂν ὁ Θεὸς ἐν ἔλεῳ, διὰ τὴν αὐτοῦ ἀγαθότητα, κήδεται ἡμῶν, μήτε μορίων ὄντων αὐτοῦ, μήτε φύσει τέκνων. — Θεοῦ δὲ ὁ ἔλεος εἰς ἡμᾶς πλεονάζοντας, τοὺς κατὰ μηδὲν αὐτῷ προσήκοντας, ἢ οὐσίᾳ ἡμῶν λέγω, ἢ φύσει ἢ δυνάμει τῇ οἰκείᾳ τῆς οὐσίας ἡμῶν· μόνῳ δὲ τῷ ἔργον εἶναι τοῦ θελήματος αὐτοῦ.*

Quanquam vero hi duumviri ab hac ſententia utique fuerint alieni, nihilominus tamen etiam poſthac plures e Graecis etiamnum eam aſſenſu ſuo reperiuntur comprobaſſe, inter quos referendus primum eſt notiſſimus ille Origenis aduerſarius, *Methodius*, qui ſemen humanum diuinae vis creatricis particulam dicit [17])

---

14) In quam rem his in eadem *exhortat. ad martyr.* §. 47. *pag.* 306. verbis utitur: *ἔτι δὲ καὶ φιλοζωεῖ ἄνθρωπος. πεῖσμα λαβὼν περὶ οὐσίας λογικῆς ψυχῆς, οἷς ἐχόσης τι συγγενὲς θεῷ*, et, paulo poſt haec addit: *καὶ σαφὲς, ὅτι ὥσπερ ἕκαστον μέλος ἡμῶν πρὸς τι πέφυκεν οἰκειότητα σώζειν. — — οὕτω νοῦς πρὸς τὰ νοητὰ, καὶ τὸν ἐπέκεινα τῶν νοητῶν θεόν.*

15) *To. XIII. Commentar. in Ioan. n.* 25. *Opp. To. IV. pag.* 235. ubi haec habet: *ἐπιτήσωμεν δὲ εἰ μὴ σφόδρα ἐστὶν ἀσεβὲς ὁμοούσιον (ὁμοουσίους) τῇ ἀγεννήτῳ φύσει καὶ παμμακαρίᾳ εἶναι λέγειν τοὺς προσκυνοῦντας ἐν πνεύματι τῷ θεῷ.*

16) Qui legitur *Strom. lib. II.* §. 16. *pag.* 467. *ſq.* edit. Pott.

17) In *Sympoſ. dec. Virg. Orat. II. pag.* 74. edit. Combef. in *Auctar. Biblioth. PP. noviſſ.* ubi ſemen adpellat *θείας, ὡς ἔθος εἰκεῖν, μοίρας τῆς δημιουργικῆς μεταλαμβανόν.*

continere, hincque τὴν ἀθάνατον τῆς ψυχῆς ἐσίαν commemorat, eamque ad locum Gen. II, 7. prouocans, homini a Deo dicit inſpiratam. Eodem modo *Euſebius* etiam animas in his terris degentes τῆς θειότητος dicit ἀντιλήπτικας [19]), hominique reſpectu animae ipſius habito, εὐγενῆ καὶ Θεοῦ συγγενῆ φύσιν tribuit [20]). Multo vero apertius eandem ſententiam profeſſus eſt *Syneſius*. Is enim de Deo alicubi loquens [21]), haec de eo ſubiicit: ὃ σπέρμα ὁ νοῦς ἐς ἀνθρώπους ἥκει; hincque alio etiam in loco [22]) veretur, ne nimiis muneris epiſcopalis laboribus ſibi ſuſcipiendis mens obruatur, vel reſincta in animo diuina particula negligatur, huiusque ipſius mentis ſuae ratione habita ea canit [23]), quae iam alibi commemorauimus [24]):

Σὸν σπέρμα φέρω,
Εὐηγενέος
Σπινθῆρα νόου,
Ἐς βάθος ὕλας
Κατακεκλιμένον. — —
Κατέβαν ἀπὸ σου
Χθονὶ θητεῦσαι:

et quanquam mox dolet, hanc animam ſuam ex famula ſeruam factam eſſe, et materiae magicis artibus irretitam, tamen addit [25])

---

18) *Ibid. pag.* 75.

19) In *praep. euangel. l. VII. cap.* 17. *pag.* 330.

20) *Ibid. c.* 18. *pag.* 332.

21) *Epiſt. C. pag.* 239. edit. Petav.

22) *Epiſt. CV. pag.* 248. ubi πῶς ἔν, inquit, ἐκ εἴη ἐνμεγέθους ψυχῆς καὶ κρατίστης, ἐνέγκαι τοσοῦτον ὄγκον φροντίδων, καὶ μὴ κατακλύσαι τὸν νοῦν, καὶ μὴ καταβεβοθεῖσαν ἐν τῇ ψυχῇ περιϊδεῖν τὴν μοῖραν τὴν θεῖαν, οὕτω παντοδαπῶν ἐπιτηδευμάτων ἀπαγαγόντων αὐτόν.

23) *Hymn. III. verſ.* 558. *ſq. p.* 331.

24) *Comment. X. pag.* 664.

25) *Pag.* 332.

Ἔτι μὰν ἔνι μοι
Βαιόν τι μένος·
Κρυφίας γλήνας
Οὔπω πᾶσαν
Ἔσβεσεν αἰκάν.

Neque tamen graecae tantum ecclesiae doctoribus propria fuit haec sententia, sed pluribus etiam e latina probata, inter quos primas partes tenet *Tertullianus*, qui hominem diserte alicubi dicit [26]) *animal rationale, a rationali artifice non tantum factum, sed etiam ex substantia ipsius animatum*, aut, vt alio in loco [27]) habet, *in Dei imagine et similitudine et nomine et materia expressum* [28]), hincque et alibi diuinum aliquid hoc ipso respectu ei vindicat, quod animam habeat a Deo profectam [29]), aut ex flatu illius natam [30]), hancque eum a Deo ait [31]) traxisse, ideoque eam ani-

---

26) *Adv. Prax. cap.* 5. *p.* 198. *Opp. To. II.* edit. Seml.

27) *Adv. Marc. lib. IV. c.* 38. *T. I. pag.* 345.

28) In quo loco inanem profecto laborem impendit Iac. Basnagius in *Histoir. de l'eglis. lib. X. c.* 6. *To. I. pag.* 518. dum eum ita interpretari studuit, vt nulla huius opinionis vestigia in eo relinquerentur, qua quidem opera profecto potuisset supersedere, si loci antecedentis, nulla plane ambiguitate laborantis, et reliquorum a nobis hic laudatorum meminisset. Multo rectius scriptoris huius hac de re mentem assecutus est Beausobrius in *Histoire des Manich. et du Manicheism. To. II. pag.* 351. *sq.*

29) In *libr. de anim. cap.* 41. *To. IV. pag.* 299. *sq.* vbi de peccato disputans, *nam, vt diximus*, inquit, *naturae corruptio alia natura est, habens suum Deum et patrem, ipsum scilicet corruptionis auctorem: vt tamen insit et bonum animae, illud principale, illud diuinum atque germanum et proprie naturale. Quod enim a Deo est, non tam exstinguitur, quam obumbratur. Potest enim obumbrari, quia non est Deus; exstingui non potest, quia a Deo est. Sic et diuinitas animae in praesagia erumpit ex bono priore et conscientia Dei in testimonium prodit.*

30) Quod in eiusdem *libr. de anim. c.* 22. *pag,* 257. in definitione animae ponit, dum *definimus*, inquit, *animam, Dei flatu natam, immortalem, corporalem, effigiatam, substantia simplicem* etc.

31) *Adv. Marc. lib. II. c.* 5. *T. I. pag.* 69. vbi haec habet: *Neque enim facie et corporalibus lineis tam variis in genere*

mae Dei umbram, ſpiritus ſui auram et operis ſui operam adpellat [32]).

Tum vero ex *Arnobio* eiam intelligi poteſt, hanc vulgarem illius aetatis in eccleſia latina fuiſſe perſuaſionem, vt animae hominum a Deo profectae iudicarentur. Is enim dum hanc popularium ſuorum ſententiam oppugnat animasque hominum, vt alibi iam docuimus [33]), ab inferioribus potius ſpiritibus creatas eſſe probabile reddere ſtudet, aperte hoc ponit, eas a Deo genitas exiſtimari, et pro eius prole haberi [34]).

Eandem porro ſententiam amplexus etiam eſt *Lactantius.* Is enim et ipſe, vt ex locis, in quibus de formatione hominis loquitur [35]), haud obſcure intelligitur, animam hominis ex Deo profectam et per inſpi-

---

humano ad vniformem Deum expreſſus eſt, ſed in ea ſubſtantia, quam ab ipſo Deo traxit, id eſt animam, ad formam Dei ſpondentis.

32) In *libr. de reſurr. carn. cap.* 7. *To. III. pag.* 225.

33) *Comment. X. pag.* 654.

34) Quod docet v. c. locus *libr. II. c.* 39. *pag.* 74. edit. Oberth. vbi *niſi forte*, inquit, *rex mundi, quod temeritatis eſt maximae humano ex ore depromere, idcirco* ex ſe genitas *huc animas miſit, vt quae* fuerant apud ſe Deae, *corporei tactus et temerariae circumſcriptionis expertes, humana immergerentur in ſemina* etc. Et paulo poſt *§.* 48. *pag.* 80. haec habet: *Conſimiliter hic cum animas renuamus,* Dei eſſe principis prolem, *non continuo ſequitur, ut explicare debeamus, quonam parente ſint editae.*

35 Inter quos duo inprimis notabiles ſunt, quorum alter extat in *Inſtitutt. div. lib. II. cap. XII. To. I. Opp. pag.* 252. edit. Bünem. alter autem *lib. VII. cap.* 5. *pag.* 880. *ſq.* In illo haec leguntur: *In ipſius autem hominis fictione illarum duarum materierum, quas inter ſe diximus eſſe contrarias, ignis et aquae concluſit, perfecitque rationem. Ficto enim corpore ſpirauit ei animam* de vitali fonte ſpiritus ſui, *qui eſt perennis, vt ipſius mundi, ex contrariis conſtantis elementis, ſimilitudinem gereret, conſtat enim ex anima et corpore, id eſt quaſi e coelo et terra, quandoquidem anima, qua viuimus, velut e coelo oritur a Deo; corpus e terra, cuius e limo diximus eſſe formatum.* Paulo poſt vero de diſcrimine, quod inter animas hominum et pecudum intercedit, diſputans de his haec habet: *quarum animae non* ex Deo conſtantes, *ſed ex communi aëre, morte ſoluuntur.* In poſteriori uero loco haec primum de Deo

rationem cum illo communicatam iudicauit, ideoque eam ſaepius ſpiritum diuinum atque coeleſtem [36]) adpellare conſueuit.

Neque ab eadem ſententia alienus etiam fuiſſe videtur *Hilarius*, vt praeter loca in ſuperioribus iam allata [37]), in quibus animam hominis ex afflatu Dei ortam dicit, hominique propter illam coeleſtem naturam, tribuit, alius etiam locus eius docet [38]), in quo, *a Deo igitur*, inquit, *penes quem fons vitae eſt, anima ipſius ſitit deſiderio intenta potandi, et quidem vniuscuiusque mens ad cognitionem aeternitatis naturali quodam fertur inſtinctu: quia veluti inſitum impreſſumque omnibus ſit, diuinam ineſſe nobis animarum originem opinari, cum non exiguam coeleſtis in ſe generis cognitionem mens ipſa cognoſcat.*

Quemadmodum vero in ſuperioribus aliquoties iam oſtendimus, orthodoxae eccleſiae doctores in ſuis de anima humana opinionibus cum haereticis in pleriſque fere conſenſiſſe, ita et hanc cum multis eorum, inprimisque Gnoſticis, communem habuere. Certe *Carpocratem* animas hominum diuinae originis iudi-

---

tradit: *Quum poſſet ſemper ſpiritibus ſuis immortalibus innumerabiles animas procreare, ſicut angelos genuit, quibus immortalitas ſine vllo malorum periculo ac metu conſtat: excogitauit tamen inenarrabile opus, quemadmodum infinitam multitudinem crearet animarum, quas primo fragilibus et imbecillis corporibus illigatas, conſtitueret inter bonum malumque medias:* poſt vero interiectis nonnullis haec ſubiicit: *Tum perfectis omnibus, quae ad conditionem mundi pertinebant, hominem finxit ex ipſa terra, quam illi a principio in habitaculum praeparauit, id eſt* ſpiritum ſuum *terreno corpore induit et inuoluit, vt compactus ex rebus diuerſis ac repugnantibus, bonum ac malum caperet.*

36) Quo nomine vtitur v. c. paulo poſt locum priorem in not. ſuper. laudatum, vbi de corpore hominis loquens, haec habet *pag.* 254.: *Eſt enim quaſi vaſculum, quo tanquam domicilio temporali ſpiritus coeleſtis vtitur.*

37) *Commentat. X. pag.* 665.

38) In *Enarr. Pſ. LXII. pag.* 766. Edit. Par. 1652.

caſſe, et ex ſuperis ſedibus in terrena haec corpora ſtatuiſſe demiſſas, non incommodis, vt videtur, argumentis ducti, ſuſpicati iam ſunt Moshemius [39]), et Io. Franc. Guil. Walchius [40]). Id enim omnino probabile fit cum ex eo, quod Ieſum animam puram et priſtinae cum ingenito conſuetudinis memorem [41]) habuiſſe defendit, tum exinde etiam, quod eos, qui ſimiles illi fuerint in contemnendis mundi fabricatoribus, angelis, ſimilia cum ipſo dixit experturos et ad Deum redituros [42]). De *Valentino* autem et *Heracleone* idem certius adhuc conſtat ex iis, quae in ſuperioribus iam de illorum ſententiis diſputauimus [43]), eodemque modo de *Cerdone* etiam atque *Marcione* diſerte hoc narrat Theodoretus [44]), eos animam hominis diuinae naturae particulam dixiſſe, ſimiliterque *Maneti* quoque atque

---

39) In *Commentar. de rebus Chriſtian. ante Conſtant. M. pag.* 362.

40) In *Hiſtorie der Ketzerei. Vol. I. pag.* 319.

41) Hoc enim modo multo planius ſententiam eius explicarunt Theodoret. *haeret. fabul. l. I. c.* 5. atque Epiphanius *haer. XXVII. §. 2. pag.* 102. quam quidem factum eſt ab Irenaeo, qui eandem paulo obſcurius his verbis expoſuit *lib. I. adu. haer. cap.* 24. *pag.* 99. edit. Grab. *Ieſum autem e Ioſepho natum et qui ſimilis reliquis hominibus fuerit, diſtaſſe a reliquis ſecundum id, quod anima eius firma et munda cum eſſet, commemorata fuerit, quae viſa eſſent ſibi in ea circumlatione, quae fuiſſet ingenito Deo: et propter hoc ab eo miſſam eſſe ei virtutem, vti mundi fabricatores effugere poſſet, et per omnes transgreſſa et in omnibus liberata, aſcenderet ad Deum, et eas, quae ſimilia ei amplecterentur, ſimiliter.*

42) Qua de re haec habet Irenaeus *l. l. pag.* 100. *Animas enim ipſorum ex eadem circumlatione deuenientes, et ideo ſimiliter contemnentes mundi fabricatores eadem dignas eſſe virtute et rurſus in idem abire.* Epiphanius autem *l. l.* idem his tradit: *ὁ μὴν δὲ ἀλλὰ καὶ τὰς ὁμοίας ἀυτῇ ψυχὰς τὰ ἴσα ἀυτῇ ἀπασαμένας τὸν ἀυτὸν τρόπον ἐλευθερωθείσας, ἄνω πτῆναι πρὸς τὸν ἄγνωστον πατέρα.*

43) *Comment.* IX. *pag.* 635. *ſq.*

44) *Haeret. fabul. lib. V. cap.* 9. *To. IV. Opp. pag.* 414. edit. Hal. vbi de loco Geneſ. II. 7. diſputans, *κεῖ ὁ δὲ*, inquit, *τὸ ἐμφύσημα, ὁ μέρος τι τῆς θείας οὐσίας φαμὲν, κατὰ τὴν Κέρδωνος καὶ Μαρκίωνος λύτταν*; quae tamen ex iis, quae *lib. I.*

Priſcilliano eiusque aſſeclis haec eadem ſententia a pluribus ſaltem veterum aperte tribuitur [45]), quanquam inter recentiores fuerint, qui recte et iure id factum eſſe dubitarent atque adeo negarent [46]).

Hi ipſi vero haeretici cum propter hanc quoque ſententiam, quae in ipſorum quidem doctrinae ſyſtemate cum multis aliis plerumque opinionibus admodum peruerſis nexa erat atque copulata, a pluribus orthodoxae eccleſiae doctoribus fuiſſent impugnati atque confutati [47]), non mirum eſt, eam poſt ab his prorſus

---

cap. 24. de vtriusque doctrinae ratione pluribus expoſuit, paulo accuratius erunt definienda.

45) Maneti nimirum eam tribuunt Titus Boſtrenſis *adv. Man. lib. I. §.* 13. apud Gallandum in *Biblioth. PP. T. V. pag.* 275. et *§.* 23. *pag.* 282. itemque Auguſtinus cum in locis ſupra *Comment. IX. pag.* 638. *not.* 16. et 17. iam laudatis, tum in aliis etiam pluribus; eodemque modo de Agapio etiam, Manetis diſcipulo, Photius *Cod. CLXXIX. p.* 403. diſerte tradit, eum animam diuinae naturae particulam Deoque ὁμοούσιον ſtatuere. Priſcilliano autem hanc eandem ſententiam praeter Patres Concilii Tolet. apud Manſium in *Collect. Concil. To. III. p.* 998. tribuit Oroſius in *Commonit. ad Auguſtin. de err. Priſcill. et Origen. §.* 2. *Opp. Auguſt. To. VIII. pag.* 607. edit. Bened. Venet. et Auguſtinus ipſe in libr. *de haer. cap.* 70. *To. VIII. Opp. pag.* 22, atque in libr. *contr. mendac. ad Conſent. cap.* 5. *T. VI. p.* 452. et *epiſt. CLXVI. ad Hier. c.* 3. *To. II. p.* 586. itemque Hieronymus in epiſt. *ad Marcell.* inter epiſt. Auguſt. *CLXV. To. II. p.* 582. ac denique Leo M. in *epiſt. ad Turib. c.* 3.

46) Quod Manetem quidem attinet, id inprimis factum eſt a Beauſobrio in *Hiſtoir. de Manich. Tom. II. pag.* 341. aduerſus quem tamen vid. quae obſeruauit Moshemius *l. l. pag.* 814. *ſeq.* Ratione Priſcilliani autem idem tentauit Sim. de Vries in Diſſ. *de Priſcillianiſt. pag.* 69. quem tamen et ipſum idoneis argumentis ea in re deſtitutum fuiſſe ſtatuit Walchius *l. l. Tom. III. p.* 463.

47) Inter quos inprimis eminuit Auguſtinus, qui hanc nominatim ſententiam cum in peculiari libro *de duab. animab. contr. Manich.* tum, vt ipſe dicit in *libr. ad Oroſium contr. Priſcill. et Origen. cap.* 1. *Tom. VIII. pag.* 611. in multis aliis quoque librorum ſuorum locis oppugnauit. Habuit vero in hac ſententia reiicienda ipſum adeo Pelagium, cum quo maxima ei in aliis ſententiarum diuerſitas intercedebat, ſecum conſentientem, vt ex ſymbolo huius intelligitur apud Manſium in *Collect. Concil. To. IV. p.* 355. *ſeq.* reperiundo, vbi *animas*, inquit, *a Deo dari credimus, quas ab ipſo factas dicimus: anathematizantes eos, qui animas quaſi partem diuinae dicunt eſſe ſubſtantiae.* Simili ve-

fuiſſe abiectam, eiusque loco illam potius ſuſceptam, quam ab eo inde tempore omnes eccleſiae doctores communi conſenſu probarunt, ſummoque iure etiamnum tenent [48]).

Illam igitur antiquiorem et poſt deſertam ſententiam cum, vt diximus, ex Platonica philoſophia a Chriſtianis volunt depromtam fuiſſe, habent ſane, quo ſe hoc ſaltem nomine tueantur, quod non videtur negari poſſe, Platonem vtique in ea opinione fuiſſe, vt animos hominum particulas quasdam mentis diuinae eſſe ſtatueret, quas illa ex ſua natura decerptas per totum vniuerſum diſſeminauerit [49]). At nihilominus tamen non poſſumus nobis perſuadere, eam propter Platonicae philoſophiae amorem atque auctoritatem a doctoribus Chriſtianorum ſuſceptam fuiſſe, cum Tertullianus v. c. quem tamen et ipſum inter illius ſenten-

---

ro modo eandem ſententiam praeter Clementem Alex. et Origenem, de quibus ſupra iam diximus, improbauit etiam Theodoret. in loc. *not.* 44. laud. itemque Epiphan. qui in *Ancorat. cap.* 55. *Tom. II. Opp. pag.* 59. haec habet: *ὅτε μέρος θεῦ λέγομεν εἶναι τὴν ψυχήν, ὅτε ἀλλότριον τῦ ἐμφυσήματος.*

48) Quam Auguſtinus iam aduerſus illam Manichaeorum et antiquiorum ſententiam tueri ſtuduit, quamque *Retract. lib. I. c.* 1. his verbis proponit: *ſine controuerſia ergo quaedam originalis regio beatitudinis animi, Deus ipſe eſt, qui eum non quidem de ſe ipſo genuit, ſed de nulla re alia condidit, ſicut condidit corpus e terra.* Quid ſibi prius illud velit, quod dicit, Deum eſſe originalem regionem beatitudinis animi, quae verba, vt non male iudicauit Oelrichs in *Commentar. de ſcriptor. eccleſ. lat. pag.* 488. facile in hanc aliquem ſuſpicionem adducere poſſent, eum animum humanum ex ipſius Dei natura procreatum iudicaſſe, optime videtur ex alio loco *libr. de quant. anim. c.* 1. *T. I. Opp. p* 401. intelligi poſſe, vbi, *cum quaeris*, inquit, *vnde ſit anima, duo quaedam intelligere cogor. Aliter enim dicimus, vnde ſit homo, quae ſit eius patria ſcire cupientes; aliter vnde ſit, cum quaerimus, vnde conſtet, id eſt, ex quibus elementis rebusque compoſitus. — — Propriam quandam habitationem animae ac patriam, Deum ipſum credo eſſe, a quo creata eſt.*

49) Qua de re legenda inprimis, quae diſputauit Gottl. Ern. Schulzius in Prol. *de ſummo ſecundum Platonem philoſophiae fine*, (Helmſt. 1789.) *pag.* 14. *ſeq.*

tiae defenſores fuiſſe oſtendimus, conſulto id agat, vt doceat, ſe cum Platone in hac doctrina de anima hominum minime ſentire, ac haereticorum potius peruerſas de ea opiniones ex eius philoſophia ortas eſſe doleat [50]). Atque profecto cum haec ſententia apud nonnullos ſaltem illorum doctorum cum doctrina de naturarum intelligentium ex Deo emanatione arctiſſime, vt oſtendimus, nexa, exque ea omnis haud dubie orta fuerit, ſi vel maxime poſt a ſingulis varie ſit immutata atque exornata, vix licet dubitare, eam ex eodem fonte a Chriſtianis hauſtam fuiſſe, ex quo illam doctrinam, cuius in dogmate potiſſimum de Λόγῳ diuino apertiſſima veſtigia reperiuntur, ad eos manaſſe demonſtrauimus [51]), iudaica nimirum theologia, a qua eam ipſa adeo ſcripturae ſacrae auctoritate, quae maximam merito in noſtros vim habebat, videbant commendari, vnde plures quoque eorum, hoc ipſo librorum ſacrorum teſtimonio potiſſimum fretos, loco Gen. II, 7. in hac ſententia defendenda inprimis innixos fuiſſe, vel ex locis in ſuperioribus a nobis allatis intelligi potuit. Fuiſſe autem eam Iudaeis quoque notam iisque probatam quanquam non poteſt propter plurium ſcriptorum defectum multis eorum teſtimoniis confirmari, e Philonis ſaltem exemplo cognoſcitur. Is enim aperte negat, animam hominis ex re aliqua creata factam eſſe, eamque ex Deo potius, omnium rerum creatore atque gubernatore or-

---

50) In libr. *de anim. cap.* 23. *et ſqq.* vbi *pag.* 258. *To. IV. Opp.* inter alia haec ponit: *Doleo bona fide, Platonem omnium haereticorum condimentarium factum. Illius eſt enim et in Phaedone, quod animae hinc euntes ſint illuc et inde huc. Item in Timaeo, quod germina Dei delegata ſibi mortalium genitura, accepto initio animae immortali, mortale ei circumgelauerint corpus.*

51) *Comment. II, pag.* 505. *ſeq.*

tam [52]), perque eius nominatim Λόγον formatam [53]), hominique per inſpirationem inditam eſſe affirmat, inque eius rei confirmationem diſerte etiam illum Geneſeos locum laudat [54]) Simili vero modo etiam ſeriores Iudaeos et Cabbaliſtas eandem perſuaſionem tenuiſſe ſatis conſtat, quanquam locus hic non patitur, id pluribus declarare [55]).

Cap. IV.

Sect. 6. De αὐτεξεσίᾳ ſ. libero arbitrio animi humani.

(Comment. XIII.)

In facultatibus animorum humanorum, de quorum origine veteris eccleſiae doctorum ſententiam ſuperiori libello explicauimus, iidem doctores nullam frequentius atque ſtudioſius praedicaſſe reperiuntur, quam τὸ αὐτεξέσιον, ſ. liberum, vt latine dicebatur, arbitrium.

---

52) In libr. *de opif. mundi Tom. I. Opp. pag.* 90. edit. Pfeiff. vbi hominem dicit *σύνθετον εἶναι ἐκ γεώδες ἐσίας καὶ πνεύματος θείε*, tumque haec addit: *γεγεννῆσθαι γὰρ τὸ μὲν σῶμα, χεῖν τε τεχνίτε λαβόντος, καὶ μορφὴν ἀνθρωπίνην ἐξ αὐτε διαπλάσαντος, τὴν δὲ ψυχὴν ἀπ᾽ ἐδενὸς γενητε τὸ παράπαν, ἀλλ᾽ ἐκ τε πατρὸς καὶ ἡγεμόνος τῶν ἁπάντων. Τὸ γὰρ ἐνεφύσησεν ἐδὲν ἦν ἕτερον, ἢ πνεῦμα θεῖον ἀπὸ τῆς μακαρίας καὶ εὐθαίμονος ἐκείνης φύσεως, ἀποικίαν τὴν ἐνθάδε ειλάμενον.* Hinc etiam in libr. *de Abrah. To. V. p.* 248. homo ei dicitur *ζῶον συγγενείας ἀξιωθὲν τῆς πρὸς τὸν θεὸν, ἕνεκα τῆς ἐν τῷ λόγῳ κοινωνίας.*

53) Quod in eodem loco libr. *de opif. mundi pag.* 94. his verbis tradit: *ὅτι δὲ καὶ τὴν ψυχὴν ἄριζος ἦν φανερόν. ἐδενὶ γὰρ ἑτέρῳ παραδείγματι τῶν ἐν γενέσει πρὸς τὴν κατασκευὴν ἔοικε χρήσασθαι, μόνῳ δ᾽ ὥσπερ εἶπον, τῷ ἑαυτε Λόγῳ· διό φησιν ἀπεικόνισμα καὶ μίμημα γεγεννῆσθαι τέτον τὸν ἄνθρωπον ἐμπνευσθέντα εἰς τὸ πρόσωπον;* hincque etiam poſt *pag.* 68. *πᾶς ἄνθρωπος*, inquit, *κατὰ μὲν τὴν διάνοιαν ᾠκείωται θείῳ Λόγῳ, τῆς μακαρίας φύσεως ἐκμαγεῖον, ἢ ἀπόσπασμα ἢ ἀπαύγασμα γεγονώς.*

54) Quod praeter locum *not.* 52. modo laud. alii etiam plures docent.

55) Si quis tamen nonnulla ſaltem huius rei teſtimonia cognoſcere cupiat, adeat is praeter Wachterum in *Elucidat. cabbal. c. IV. §.* 15. Flügge in *Geſchichte des Glaubens an Unſterblichkeit, Auferſteh.* etc. *Vol. I. pag.* 52. *ſeq.*

Quod cum et ipſum ex Platonica philoſophia hauſiſſe a nonnullis fuerint accuſati, ab hac etiam culpa pro inſtituti noſtri ratione paucis erunt liberandi. Id tamen antequam fieri poſſit, et hic morem noſtrum ſequendum eſſe putamus, vt prius ipſam eorum de hoc libero hominis arbitrio doctrinam paulo diligentius, quam ab aliis fieri meminimus [1]), exponamus.

Nihil aliud nimirum, vt omnem rem paucis complectamur, in arbitrio iſto Graecae quidem eccleſiae doctores tantum non omnes, itemque ex Latinae etiam eccleſiae doctoribus omnes ii, qui ante controuerſias Pelagianas, per quas arbitrii huius notio vtique, vt in ſequentibus docebimus, paululum fuit immutata, ſcripſere, cogitari voluerunt, quam eandem, de qua Philoſophi omni tempore pluribus ſibi quaerendum iudicarunt, mentis humanae libertatem, ad id, quod honeſtum vel prauum eſt, relate ſpectatam, ſ. moralem. Hanc autem in eo illi quidem poſuerunt, quod homo natura neque bonus, neque malus ſit, ſed vel bonum vel malum perinde adpetendi atque perficiendi poteſtate gaudeat. Ita enim cum ii, qui obiter modo et aliud quaſi agendo huius liberi arbitrii in ſcriptis ſuis mentio-

---

1) Satis quidem copioſe ea de re diſputarunt Dionyſ. Petauius *dogm. theol. To. III. de opiſ. ſex dier. l. III. IV.* et *V.* atque Iac. Basnagius in *Hiſtoir. de l'egliſ. livr. XI. ch.* 6. *To. I. pag.* 637. *ſeq.* ſed ita tamen, vt cum polemicum magis, quam hiſtoricum ea in re conſilium ſequerentur, tum vero nec ſatis explicate omnem antiquiorum doctorum de arbitrio iſto doctrinam exponerent. Alii autem, qui eiusdem doctrinae aliquam mentionem iniecerunt, inter quos pertinent v. c. Ch. F. Roeslerus in *Lehrbegr. der chriſtl. Kirche in den drey erſten Jahrh. p.* 159. *ſeq.* Jo. Fr. Grunerus in *Inſtit. theol. dogm. §.* 158. *pag.* 199. *ſeq.* Guil. Münſcherus in *Handbuch der chriſtl. Dogmengeſch. Vol. II. p.* 96. *ſeq.* et Io. Chriſt. Frid. Wundemann in *Geſch. der chriſtl. Glaubensl. vom Zeitalter des Athan. bis auf Gregor den Groſs. Vol. II. pag.* 22. *ſeq.* non niſi paucis pro ſcriptorum ſuorum conſilio de ea expoſuerunt: ſimiliterque Huetius etiam in *Origen. libr. II. c. II. quaeſt. VII.* Origenis nominatim ſententiam explicauit ſic, vt aliorum ſimul doctorum antiquiorum de eadem re decreta breuiſſimis attingeret.

nem iniecerunt, tum illi etiam, qui consulto de eo scripserunt, aut accuratius definitam eius notionem constituerunt, naturam eius constanter descripserunt [2]): quod ex illo quidem scriptorum genere permulta Iustini Mart. [3]), Tatiani [4]), Athenagorae [5]), Theophili Antioch. [6]), Irenaei [7]), Clementis Alex. [8]), itemque au-

---

2) Eandem vero notionem reliquae etiam huius liberi arbitrii adpellationes loquendique formulae, quibus in eo significando vsi sunt doctores veteres, omnes subministrant: id quod pluribus docuit Dion. Petauius *l. l. III. c. XIII. pag.* 227. *seq.* praeter quem de variis huius arbitrii nominibus in patrum scriptis obuiis conferri etiam potest Suicerus in *Thes. eccles. To. I. pag.* 577.

3) *Apol. I. §.* 43. *p.* 69. *edit. Mar.* *προαιρέσει ἐλευθέρᾳ πρὸς τὸ φεύγειν τὰ αἰσχρὰ καὶ αἱρεῖσθαι τὰ καλὰ, δύναμιν ἔχει τὸ ἀνθρώπειον γένος*, hincque, vt mox addit, *ἐλευθέρᾳ προαιρέσει καὶ κατορθοῖ καὶ σφάλλεται.* Etenim, vt ait *Apol. II. §.* 7. *pag.* 93. *γεννητὸ παντὸς ἥδε ἡ φύσις, κακίας καὶ ἀρετῆς δεκτικὸν εἶναι.* Cfr. etiam *Dial. c. Tryph. §.* 88. *pag.* 186.

4) *Orat. contr. Graec. §.* 7. *p.* 249. *Mar.* ubi *τὸ ἑκάτερον*, inquit, *τῆς ποιήσεως εἶδος*, (angelorum nimirum et hominum,) *αὐτεξέσιον γέγονε, τ' ἀγαθὸ φύσιν μὴ ἔχον ὅ πλὴν μόνον παρὰ τῷ Θεῷ, τῇ δὲ ἐλευθερίᾳ τῆς προαιρέσεως ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων ἐκτελειούμενον.*

5) *Legat. pro Christ. §.* 24. *p.* 302. *Mar.* *ὡς δὴ καὶ ἐπὶ τῶν ἀνθρώπων αὐθαίρετον καὶ τὴν ἀρετὴν καὶ τὴν κακίαν ἐχόντων, (ἐπεὶ ἐκ ἂν ἔτ' ἐτιμᾶτε τὸς ἀγαθὸς ἔτ' ἐκολάζετε τὸς πονηρὸς, εἰ μὴ ἐπ' αὐτοῖς ἦν ἡ κακία καὶ ἡ ἀρετή —) καὶ τὸ κατὰ τὸς ἀγγέλους ἐν ὁμοίῳ καθέσηκεν.*

6) *Lib. II. ad Autol. §.* 27. *p.* 368. *Mar.* vbi postquam dixerat, Deum hominem neque mortalem, neque immortalem creasse, sed vtriusque potius vel mortalitatis, vel immortalitatis capacem, voluisseque, vt vel hanc, vel illam ipse sibi sua agendi ratione compararet, addit deinde illustrationis causa: *ἐλεύθερον γὰρ καὶ αὐτεξέσιον ἐποίησεν ὁ θεὸς τὸν ἄνθρωπον.*

7) *Adv. haer. l. IV. c.* 71. *pag.* 375. edit. Grab. *Dedit ergo Deus bonum, — et qui operantur quidem illud, gloriam et honorem percipient, quoniam operati sunt bonum, cum possint non operari illud; hi autem, qui illud non operantur, iudicium iustum recipient Dei, quoniam non sunt operati bonum, cum possint operari illud.* Et paulo post *c.* 72. de iisdem hominibus haec habet: *ἐπειδὴ οἱ πάντες τῆς αὐτῆς εἰσι φύσεως, δυνάμενοι τε κατασχεῖν καὶ πράξαι τὸ ἀγαθὸν καὶ δυνάμενοι πάλιν ἀποβαλεῖν αὐτὸ καὶ μὴ ποιῆσαι· δικαίως καὶ — οἱ μὲν ἐπαινέονται, — — οἱ δὲ καταιτιῶνται.*

8) *Strom. l. II. §.* 13. *p.* 460. Pott. *ἡ δὲ ἀπόφασις καὶ ἔκφασις καὶ ἀπείθεια ἐφ' ἡμῖν, ὥσπερ καὶ ἡ ὑπακοὴ ἐφ' ἡμῖν;*

ctoris Recognit. Clement. et Clementin. [9]), Origenis [10]), Athanasii [11]), Macarii [12]), Didymi [13]), Cyrilli Hie-

---

itemque *l. VII. §. 7. pag.* 855. *διὸ καὶ τὰς ἐντολὰς ἔλαβεν ὁ ἄνθρωπος, ὡς ἂν ἐξ αὑτῆ ὁρμητικὸς πρὸς ὁπότερον ἂν καὶ βέλοιτο τῶν τε αἱρετῶν καὶ τῶν φευκτῶν.* Cfr. etiam *lib. IV.* §. 24. *pag.* 633.

9) Quorum cum vnus idemque auctor fuisse videatur, non mirum est, simile etiam in multis argumentum esse. Hinc simillima quoque sibi inuicem sunt, quae in illis quidem leguntur *l. V. §.* 25. in his vero *Hom. XI. §.* 8. quibus addi etiam possunt quae *Recogn. l. III. §.* 23. habentur, vbi Petrus ad Simonis quaestionem, quid hoc sibi velit, hominem sui esse arbitrii, haec respondet: *Arbitrii potestas est sensus animae, habens virtutem, qua possit, ad quos velit actus inclinari*: itemque *l. IV.* §. 19. *Est ergo in potestate vniuscuiusque, qui liberi arbitrii factus est homo, vtrum nobis velit audire ad vitam, an daemonibus ad interitum.*

10) *Homil. XX. in Num. Tom. II. Opp. pag.* 350. edit. de la Rue. *Sui arbitrii est anima, et in quam voluerit partem est ei liberum declinare, et ideo iustum Dei iudicium est, quia sponte sua siue bonis, siue pessimis monitoribus paret.* His vero monitoribus sponte eam parere, *lib. III. de princ. cap.* 2. §. 4. *To. I. p.* 140. in hunc modum exponit: *Possibile nobis est, cum maligna virtus nos coeperit ad malum incitare, abiicere a nobis prauas suggestiones, et resistere suasionibus pessimis, et nihil prorsus culpabiliter gerere. Et rursum possibile est, vt cum nos diuina virtus ad meliora prouocauerit, non sequamur, liberi arbitrii potestate in utraque nobis seruata.* Similia his leguntur etiam in *Comment. in epist. ad Rom. lib. I. §.* 18. *Tom. IV. Opp. pag.* 473. *sq.* et *l. VI.* §. 3. *p.* 571. *sq.* et §. 4. *pag.* 573. *sq.* itemque *l. VIII.* §. 11. *pag.* 637.

11) *Orat. contr. gent. pag.* 4. *To. I. Opp.* edit. Ben. *ἐπεὶ καὶ αὐτεξέσιος γέγονε· δύναται γὰρ ὥσπερ πρὸς τὰ καλὰ νεύειν, οὕτω καὶ τὰ καλὰ ἀποστρέφεσθαι.*

12) *Homil. XV. §.* 25. *pag.* 208. edit. Prit. *ὁρᾶς πῶς τρεπτή ἐστιν αὕτη ἡ φύσις· ἔστιν ἐπὶ τὸ κακὸν ῥέπουσα, καὶ ἔστιν ἐπὶ τὸ καλὸν αὖθις· καὶ δι' ἀμφοτέρων ἐπιτηδείως ἔχειν νεῦσαι πρὸς ἃς βέλεται πράξεις· δεκτικὴ ἓν ἡ φύσις τῇ καλῇ τε καὶ τῇ κακῇ;* quibus similia leguntur etiam *Homil. XXVII.* §. 10. *pag.* 377. itemque in libr. *de custod. cord. in Opusc. p.* 22. Prit. ubi *τῇ γὰρ*, inquit, *φύσει νόμος ἐ κεῖται, ἀλλὰ τῇ αὐτεξεσίῳ προαιρέσει δυναμένη τραπῆναι ἐπὶ τὸ ἀγαθὸν καὶ τὸ κακόν;* quae eadem habet etiam in *libr. de libert. ment. p.* 183.

13) In *libr. contr. Manich.* apud Gallandum in *Bibl. Patr. Tom. VI. pag.* 315. ubi de Deo hominum creatore haec habet: *λογικὸν γὰρ κατεσκεύασεν ζῶον, ὃ ἐβέλετο εἶναι ἀπὸ τῆς ἑαυτοῦ προαιρέσεως ἀγαθόν, ἔχον εἰς ἑκάτερα ῥέπειν τὸ αὐτεξέσιον.*

rof. [14]), Serapionis [15]), Titi Boftr. [16]), Gregorii Naz. [17]), Bafilii M. [18]), Epiphanii [19]), Gregorii Nyff. [20]), Chryfoftomi [21]), Cyrilli Alex. [22]), Theodo-

---

14) *Catech. IV.* §. 21. *pag.* 62. edit. Toutt. *αὐτεξέσιός ἐσιν ἡ ψυχή· καὶ ὁ διάβολος τὸ μὲν ὑποβάλλειν δύναται, τὸ τὲ καὶ ἀναγκάσαι παρὰ προαίρεσιν οὐκ ἔχει τὴν ἐξεσίαν. ὑπογράφει σοι πορνείας λογισμόν. ἐὰν θέλῃς, ἐδέξω· ἐὰν μὴ θέλῃς, ἐκ ἐδέξω.*

15 *Contr. Manich.* §. 15. in Gallandi *Bibl. PP. To. V. p.* 57. *δείκνυται ὁ τῆς ψυχῆς ὅρος αὐτεξέσιος ὢν καὶ αὐτοπροαίρετος, μὴ πρὸς τι πεφυκώς, προαιρέσει δὲ τὴν μεταβολὴν ποιέμενος, καὶ τρεπόμενος ὅπε καὶ βέλεται, καὶ παλινδροπῶν, ὅπε καὶ προαιρεῖται· καὶ πῇ μὲν, οὕτω διάγων· πῇ δὲ, οὕτω καὶ οὕτω διάγων ὡς βέλεται· καὶ τὴν βέλησιν ἑαυτῆ κανόνα τῶν πραγμάτων ἑαυτῆ ποιέμενος.*

16) *Libr. II. contr. Manich* in Gallandi *Bibl. PP. To. V. p.* 297. *ἔτω δὴ κατεσκεύασε τὸν ἄνθρωπον. φύσει μὲν ἔτ' ἀγαθὸν ἔτε κακόν· ἐπιτρέψας δὲ τῷ λογισμῷ τῆ κρείττονος τὴν αἵρεσιν.*

17) *Orat. I. Opp. To. I. p.* 9. edit. Col. *καὶ τῆτο τὲ ἦν ἄρα τῆς ἄκρας ἀγαθότητος, ποιῆσαι τὸ ἀγαθὸν καὶ ἡμέτερον, ὃ φύσει μόνον κατασπειρόμενον, ἀλλὰ καὶ προαιρέσει γεωργέμενον, καὶ τοῖς ἐπ' ἄμφω τῆ αὐτεξουσίᾳ κινήμασιν.* Cfr. etiam *Orat. XXXI. To. I. pag.* 504.

18) *Hom. in Pf. LXI. Opp. To. I. pag.* 197. edit. Garn. *ἑκάσε ἡμῶν ἐν τῷ κρυπτῷ ζυγός τις ἐςὶ παρὰ τῆ κτίσαντος ἡμᾶς ἐγκατασκευασθεὶς, ἐφ' ᾗ τὴν φύσιν τῶν πραγμάτων δυνατόν ἐςι διακρίνεσθαι, — τὰ τῆ βίε ἐκλεκτὰ τῷ αὐτεξεσίῳ τῆς ψυχῆς διακρίνομεν· ὃ καὶ ζυγὸν ὠνόμασεν διὰ τὸ ἴσην δύνασθαι λαμβάνειν τὴν ῥοπὴν ἐφ' ἑκάτερα;* itemque *lib. III. adv. Eunom. §.* 2. *To. I. pag.* 274. *ἡ μὲν γὰρ κτίσις πέφυκεν — φύσει χρωμένη αὐτεξεσίῳ, καὶ μεταῤῥέπειν ἐφ' ἑκάτερα δυναμένη πρὸς ἐκλογὴν τῆ ἀγαθῆ καὶ τῆ χείρονος.* Similia his leguntur etiam in *Homil. quod Deus non eſt auct. mal.* §. 5. *Tom. II. pag.* 76.

19) *Adv. haer. l. I. haer. XVI.* §. 4. *To. I. Opp. pag.* 36. Pet. *ὡς τε παντί τῳ δῆλόν ἐςι καὶ ἀναμφίβολον, ὡς τὸ αὐτεξέσιον παρείχετο Θεὸς, δι' ἑαυτῆ φήσας, τὸ ἐὰν θέλητε καὶ μὴ θέλητε, ὥςε περὶ τὸν ἄνθρωπον εἶναι τὸ ἀγαθοεργεῖν, ἢ τὸ φαύλων ἐφίεσθαι πραγμάτων.*

20) *Orat. IV. in orat. domin. Opp. To. I. p.* 744. edit. Par. 1638. *ἡ μὲν τοι τῆ καλῆ τὲ καὶ ἀγαθῆ ἐπιθυμία ὁμοτίμως ἑκατέρᾳ συνεσιώθη τῇ φύσει, καὶ τὸ αὐτοκρατές τε καὶ αὐτεξέσιον καὶ πάσης ἀνάγκης ἐλεύθερον ἴσον ἐπ' ἀμφοῖν ὁ τῆ παντὸς ἐπιςάτης ἐποίησεν, ὡς αὐτονόμῳ τινὶ προαιρέσει οἰκονομεῖσθαι πᾶν ὅσον λόγῳ τε καὶ διανοίᾳ τετίμηται.* Cfr. etiam *Orat. catech. c.* 30. *et* 31. *To. III. p.* 90. *ſq.*

21) *Serm. de prodit. Iud. Opp. To. V. pag.* 411. edit. Fr. Ducaei Francf. *ἐπειδὴ γὰρ κυρίσε ἡμᾶς ἐποίησεν καὶ τῆς τῶν φαύλων καὶ τῆς τῶν ἀγαθῶν πράξεων αἱρέσεως, καὶ ἑκόντας εἶναι βέλεται καλές· διὰ τῆτο ἂν μὴ βελοίμεθα, ἃ βιάζεται, ἀδὲ ἀναγκάζει.* Cfr. etiam *Hom. XXII. in Geneſ. To. II. pag.* 216. itemque alius locus eius, qui in *Caten. Nicetae gr. in Iob. p.* 22. exhibetur.

22) *Contr. Iulian. lib. III. pag.* 77. edit. Spanh. *ἐθελησίοις νεύμασιν ἡ λογικὴ διοικεῖται κτίσις πρός γε τὸ ἔχον ὀρθῶς καὶ*

reti [23]), Basilii Seleuc. [24]), atque ex Latinis Tertulliani [25]), Novatiani [26]), Lactantii [27]), Hilarii [28]), anonymi apud Optatum Milev. [29]), Zenonis [30]), Ambro-

---

τὸ ἐναντίον, ἐθελουσίοις ἄττουσα ῥοπαῖς: itemque *lib. VIII. pag.* 285. et *l. II. Comment. in Ioan. c.* 3. *Opp. To. IV. pag.* 155. edit. Aubert. et *l. IV. c. I. p.* 346. et *c.* 4. *p.* 394. atque *l. I. de ador. in Spir. To. I. p.* 17.

23) *Quaest. in Gen. c.* 3. *Opp. T. I. pag.* 47. edit. Hal. vbi de hominum voluntate loquens, *τὴν αἵρεσιν*, inquit, *τῶν ἀγαθῶν καὶ τῶν ἐναντίων ἔχει ἡ γνώμη.*

24) *Orat. II. de Adam.* ubi de hominis prae caeteris animalibus praestantia disputans, *ἄνθρωπος δὲ*, inquit, *λόγῳ τε τετιμήται καὶ προαιρέσει κεκόσμηται καὶ αὐτεξουσίῳ γνώμῃ ἀεράπτει, βελήματι ἀδέλωτον ἔχον τὸ φρόνημα, αὐτοδέσποτον ἔχων τὴν πρόθεσιν, ἀβίαστον δεικνὺς τῶν πρακτέων τὴν αἵρεσιν. ἐντεῦθεν, τὸ μὲν ἐκλέγεται, τὸ δὲ πρὸς τὸ δοκοῦν παραπέμπεται· καὶ τὸ μὲν ἀποῤῥέφεται, τῷ δὲ προστίθεται.*

25) *Contr. Marc. l. II. c.* 6. *Tota ergo libertas arbitrii in vtramque partem concessa est illi, vt sui dominus constanter occurreret, et bono sponte seruando et malo sponte vitando:* itemque *libr. de exhort. castit. c.* 2. *Opp, Tom. III. pag.* 166. edit. Seml. et *de monog. c.* 2. *pag.* 166.

26) *De Trinit. c. I. Post quae hominem quoque mundo praeposuit, et quidem ad imaginem Dei factum: — quem quum omnia in seruitutem illi dedisset, solum liberum esse voluit. Nam et liber esse debuerat, ne incongruenter Dei imago seruiret: et lex addenda, ne vsque ad contemtum dantis libertas effrenata prorumperet: vt et praemia condigna et merita poenarum consequenter exciperet, suum iam habens illud, quod motu mentis in alterutram partem agitare voluisset.*

27) *De opif. Dei c.* 19. *§.* 6. *Opp. To. II. pag.* 1213. edit. Bünem. *Hoc igitur Dei munere* (sapientiae,) *coelesti atque praeclaro an vtamur, an non vtamur, in nostra voluit esse potestate. Hoc enim concesso, ipsum hominem virtutis sacramento religauit, quo vitam posset adipisci.*

28) *In Ps. CXVIII. pag.* 968. edit. Par. 1652. *Vnicuique ad id, quod vult, via est proposita viuendi et appetendi atque agendi permissa libertas. Et ob id vniuscuiusque aut poena aut praemiis afficietur electio.* Hinc etiam in *Ps. LI. pag.* 702. diuitem illum, cuius in parabola de diuite et Lazaro mentio fit, *per libertatem voluntatis in Abrahae sinubus dicit esse potuisse.* Conferatur etiam *in Ps. II. pag.* 662.

29) In loco *lib. VII. de schism. Donatist c. I.* inserto, quem tamen Du Pinus ad finem huius libri reiecit *p.* 107. vbi haec leguntur: *Quicquid de voluntate potest ab homine fieri, hoc meruit prohiberi; quicquid necessitas peccat, non potest magnis viribus accusari: denique voluntas habet poenam, necessitas veniam: homicida scelus dum nemo cogit, potest facere, potest et non facere: adulterium moechus, dum de foris nemo compellit, potest admittere, potest et non admittere, et cetera huiusmodi, in quibus liberum habetur arbitrium.*

30) *Tractat. lib. I. tract. XII. §.* 9. in Gallandi *Bibl. PP.*

ſii [31]), Hieronymi [32]), Prudentii [33]), Pelagii [34]), et Iuliani [35]), loca in inferiori pagina a nobis laudata maximamque partem adſcripta teſtantur; ex hoc autem

---

To. V. pag. 126. *Nulla illi competit excuſatio, maxime cum res noſtrae commiſſa ſit voluntati, propheta dicente:* Ante hominem bonum et nequam, mors et vita, quod elegerit, hoc dabitur ei. *Vnde dubium non eſt, voluntatem noſtram, cui ſe iunxerit parti, praebere victoriam: eiusque in reſurrectione aut praemio perfrui perenni, aut conſimili poena puniri.*

31) *In Pſ. CXVIII. c.* 7. *Non ſervili ad obediendum conſtringimur neceſſitate, ſed voluntate arbitra, ſiue ad ſervitutem propendemus, ſiue ad vitium inclinamus.* Et *in Pſ. IV. Homini dedit eligendi arbitrium, quid ſequatur:* Poſuit, *inquit,* ante te bonum et malum. *Si malum elegeris, non natura delinquit, ſed eſt eligentis effectus.* Cui ſimillimus locus legitur etiam in *Comment. in Luc. lib. IV. pag.* 113.

32) In *epiſt. ad Damaſ. Opp. To. III. pag.* 86. edit. Frcf. *Significantius in Graeco legitur,* καὶ δεδίδεν αὐτοῖς τὸν βίον, *id eſt, dedit eis liberum arbitrium, dedit mentis propriae libertatem, et vt viueret vnusquisque non ex imperio Dei, ſed obſequio ſuo: id eſt, non ex neceſſitate, ſed ex voluntate, vt virtus haberet locum, vt a caeteris, animantibus diſtaremus dum ad exemplum Dei permiſſum eſt nobis facere, quod velimus;* et *p.* 90. *Solus Deus eſt, in quem peccatum non cadit: caetera cum ſint liberi arbitrii, iuxta quod et homo ad imaginem et ſimilitudinem Dei factus eſt, in vtramque partem poſſunt ſuam flectere voluntatem:* itemque in *Malach. c. I. To. VI. pag.* 232. *Dominus reſpondit, Eſau et Iacob de vna ſtirpe generatos, hoc eſt, vitia atque virtutes ex vno cordis fonte procedere, dum ex arbitrii libertate in vtramque partem vt volumus, declinamus.*

33) *Hamartig. v.* 630. *ſq.* vbi dum de libertate homini a Deo conceſſa diſputat, haec habet:

Non ſit ſponte bonus, cui non eſt promta poteſtas,
Velle aliud, flexosque animi convertere ſenſus.

Cfr. etiam *l. II. contr. Symm. v.* 472. *ſeq.*

34) In *explan. fidei* ab Hieronymo et Auguſtino ſeruata apud Wallium in *Hiſtor. bapt. infant. Tom. I. pag.* 391. *Nos vero dicimus, hominem ſemper et peccare et non peccare poſſe: vt ſemper nos liberi confiteamur eſſe arbitrii:* itemque in *lib. I. de liber. arbitr. Omne bonum ac malum, quo vel laudabiles, vel vituperabiles ſumus, non nobiscum oritur, ſed agitur a nobis: capaces enim vtriusque rei, non pleni naſcimur, — atque ante actionem propriae voluntatis id ſolum in homine eſt, quod Deus condidit:* quem locum Auguſtinus ſeruauit in *libr. II. de grat. et peccat. orig. c.* 12. qui et alium huic ſimillimum ex eodem eius libro recitat *lib. I. c.* 18. et *c.* 31 eiusdem quoque argumenti locum ex *epiſtol.* eius *ad Innocent. Papam* recitat.

35) *Lib. I. de nupt. et concupiſc.* (cuius operis ſex priores libros conſtat inſertos eſſe Auguſtini *Oper. imperf. contr. Iulian.*)

exempla Methodii [36]), Nemesii [37]), Diadochi [38]), Anastasii Sin. [39]), S. Maximi [40]), et Ioannis Damasc. [41]) confirmant [42]).

---

§. 78. 79. in Opp. Augustin. *To. X. p.* 920. edit. Bened. Ven. *Libertas arbitrii, qua a Deo emancipatus homo est, in admittendi peccati et abstinendi a peccato possibilitate consistit. Factum est enim animal rationale, mortale, capax virtutis et vitii, quod posset ex concessa sibi possibilitate vel seruare Dei mandata vel transgredi, vel magisterio naturali conseruare ius humanae societatis, liberumque haberet alterutram velle partem, in quo peccati et iustitiae summa est.*

36) Cuius libri *de libero arbitrio* fragmenta, quae post Meursium auctiora ediderat Franc. Combefisius in *Tom. I. Auctar. nouiss. Bibl. PP.* ex hoc ipso opere Combefisiano repetiit Gallandus in *Bibl. PP. To. III. p.* 761. *sq.* In hoc autem libro eum eandem, quam diximus, liberi arbitrii notionem secutum esse, perspicue intelligitur ex iis, quae leguntur v. c. *pag.* 771.

37) Qui in libr. *de nat. hom. c.* 33. *pag.* 282. edit. Matth. *συνάγεται δὴ*, inquit, *ἐκ τούτων, προαίρεσιν εἶναι ὄρεξιν βουλευτικὴν τῶν, ἐφ' ἡμῖν, ἢ βέλευσιν ὀρεκτικὴν τῶν ἐφ' ἡμῖν*; inter haec autem, quae in nostra sint potestate *cap.* 39. *actiones humanas refert* et *αὐτὸν τὸν πράττοντα καὶ ποιοῦντα ἄνθρωπον* dicit *pag.* 314. *ἀρχὴν εἶναι τῶν ἰδίων ἔργων καὶ αὐτεξούσιον*, hincque etiam liberum eius arbitrium *cap. seq. pag.* 320. versari defendit *κατ' ἀρετὴν καὶ κακίαν πράξεων καὶ προαιρέσεων καὶ κινήσεων, καὶ ὧν ἕξεσις καὶ τὰ ἀντικείμενα πρᾶξαι δυνάμεθα*, et paullo post *ἀρχὴ*, ait, *ἁμαρτίας καὶ δικαιοπραγίας ἡ προαίρεσις*; atque *cap.* 41. *pag.* 329. *μία*, inquit, *καὶ ἡ αὐτὴ δύναμις τοῦ ψεύδεσθαι καὶ ἀληθεύειν, καὶ μία καὶ ἡ αὐτὴ δύναμις τοῦ σωφρονεῖν καὶ ἀκολασαίνειν.*

38) Cuius locum ex *lib. VI. Ascet.* seruauit nobis S. Maximus Opp. *T. II. p.* 153. edit. Combef. vbi *αὐτεξουσιότης ἐστι*, inquit, *ψυχῆς λογικῆς θέλησις ἀκωλύτως γινομένη πρὸς ὅπερ ἂν βέληται*; quae eadem leguntur etiam in eius libr. *de perfect. spir. cap.* 5. in *Bibl. PP. magn. To. IV. p.* 745. his verbis latine versa: *Liberi arbitrii potestas est voluntas animae rationalis, quae promte mouetur, quo velit: cui quidem tunc suadebimus, vt ad bonum tantum promta sit, cum memoriam mali bonis cogitationibus consumpserimus.*

39) In *Ὁδηγ. pag.* 58. edit. Gretsf. *αὐτεξουσιότης ψυχῆς νοερᾶς ἐστιν ἡ ἀκώλυτος πρὸς ἀρετὴν ἢ κακίαν τοῦ ἐπιθυμητικοῦ ἡμῶν ὁποῖ τε καὶ κίνησις· ἔνθα δὲ κακίας καὶ ἀρετῆς προσβολὴ δ' γίνεται, ἐκεῖ δὲ ἡ αὐτεξουσιότης τῆς ψυχῆς γνωρίζεσθαι δύναται. πῶς γὰρ ἂν καὶ φανήσεται ἡ αὐτεξούσιος προαίρεσις, ἔνθα προσβολὴ ἐναντία ἐκ ὑφίσταται.*

40) Qui in *Capit. theol. et oecon. cent. II. §.* 27. *Opp. To. I. p.* 539. haec habet: *ὁ τὴν φύσιν ἀνθρώπων δημιουργήσας Θεὸς, ἅμα βούλησει τὸ εἶναι αὐτῷ δέδωκεν, συνήρμωσεν αὐτῷ καὶ*

Hoc igitur liberum hominis arbitrium vti primarium fere et ſolum peccatorum humanorum fontem eſſe ſtatuerunt, ita eiusdem vi putarunt etiam hominem, ſi recte eo vtatur, non modo, vbi malus ante fuerit, in melius ſe poſſe emendare, ſed omnino etiam virtuti ac probitati operam dare, et quaecunque honeſta ſint inque officio poſita, perficere. Prius quidem praeter loca modo excitata in aliis etiam pluribus diſerte profitentur, quo pertinet v. c. locus Tatiani [43]), vbi, ἀπώλεσεν, inquit, ἡμᾶς τὸ αὐτεξέσιον, δοῦλοι γεγόναμεν οἱ ἐλεύθεροι, διὰ τὴν ἁμαρτίαν ἐπράθημεν; itemque Origenis, qui, μὴ νομίσῃς, ait [44]), φύσει τινὰς καὶ ἐκ κατασκευῆς τὰ σκάνδαλα εἶναι ἀνθρώπους ζητοῦντας, δι' ὧν ἔλθῃ. ὡς γὰρ ὁ θεὸς θάνατον οὐκ ἐποίησεν, οὕτως οὐδὲ σκάνδαλα ἔκτισεν, ἀλλὰ τὸ αὐτεξέσιον ἐγέννησεν ἔν τισι τὸ σκάνδαλον, μὴ βεληθεῖσιν ἀνατλῆναι τοὺς ὑπὲρ ἀρετῆς πόνους, ac Didymi, *non mirandum*, inquientis [45]), *ſi aliter faciant, quam*

δύναμιν τῶν ἐσιωδῶς μὲν κατεσπαρμένην τῇ φύσει, πρὸς ἀρετῶν ἐνέργειαν κίνησιν, γνωμικῶς δὲ πρὸς τὴν τοῦ κεκτημένου βέλησιν, κατὰ τὴν χρῆσιν ἐκφαινομένην. Cfr. etiam *cent. II. de charit. §.* 92. *To. I. pag.* 442.

41) *Inſtit. elem. c. X. Opp. Tom. I. pag.* 520. edit. Le Quien, in quo toto de voluntate agit, et quidnam in ea liberum ſit, aut non ſit, pluribus oſtendit. Cfr. etiam *lib. II. de fid. orthod. c.* 24. *ſqq. To. I. p.* 191. *ſqq.* et quae ad haec loca obſeruauit Dion. Petauius *l. l. l. III. c. XII. pag.* 223. *ſq.*

42) His addendus forſitan videri etiam poſſet peculiaris περὶ τοῦ αὐτεξουσίου ſermo, qui inter ſcripta Baſilii M. *To. II. Opp. pag.* 163. *ſeq.* edit. Garn. extat. Verum is cum plane non agit de hoc, quod ei inſcriptum eſt, argumento, tum nec poteſt inter genuina Baſilii ſcripta referri, ſed huic potius propter plura argumenta cum externa, tum interna eſt abiudicandus, quae diligenter expoſuit Garnerius in *Praefat.* huic *Vol.* praemiſſ. *§. VIII. pag. XXVI.* quibusque nos nouum etiam in ſequentibus argumentum ſumus additurri. cf. Fabric. Bibl. gr. Vol. IX. p. 43. ed. Harl.

43) *Orat. contr. Graec. §.* 11. *pag.* 253. Mar.

44) *To. XIII. in Matth. §.* 23. *Opp. To. III. pag.* 602.

45) In *Enarr. in I. ep. Petr. c. II,* 13. in Gallandi *Bibl. PP. To. VI. p.* 292,

vult ille, per quem adepti ſunt poteſtatem. Nam paene apud omnes inuenis eſſe peccata. Dedit nobis Deus ſenſum, vt vtamur: vtimur eo male frequenter, ſed noſtra voluntate; denique etiam Baſilii M. apud quem haec leguntur [46]): ἀρχὴ καὶ ῥίζα τῆς ἁμαρτίας τὸ ἐφ' ἡμῖν καὶ τὸ αὐτεξούσιον. οἷς γὰρ ἐξῆν ἀπεχομένοις τοῦ κακοῦ μηδὲν δεινὸν ἔχειν, ἤτοι δὶ ἡδονῆς εἰς τὴν ἁμαρτίαν δελεασθέντες, τίνα ἂν εἴποιμεν εὐπρεπῆ λόγον, τὸ μὴ οὐχὶ αὐτοὶ ἑαυτοῖς αἴτιοι τῶν ἀλγεινῶν γεγεννῆσθαι [47]); Inprimis vero ii, qui contra Manichaeos ſcripſerunt, quos ipſam hominis naturam malam iudicare, hincque omnem arbitrii libertatem tollere [48]) illi quidem exiſtimabant, identidem hoc monuerunt, peccata non naturae hominis eſſe tribuenda, ſed a liberi potius arbitrii abuſu repetenda; cuius rei in plerisque fere, quae nobis adhuc ſuperſunt, ſcriptis huic ſectae oppoſitis aperta teſtimonia reperiuntur. Hinc Archelaus iam haec Maneti oppoſuiſſe deprehenditur [49]): *Deus omnia, quae fecit,*

---

46) In *Hom. quod Deus non eſt auct. mal.* §. 3. *To. II. p.* 47. cum quo loco conferri etiam poterit alius, qui paulo poſt ſequitur §. 8. *pag.* 80. vbi πόθεν, inquit, πονηρὸς ὁ ἄνθρωπος; ἐκ τῆς οἰκείας αὐτοῦ προαιρέσεως. πόθεν κακὸς ὁ διαβολός; ἐκ τῆς αὐτῆς αἰτίας; αὐθαίρετον ἔχων καὶ αὐτὸς τὴν ζωὴν, καὶ ἐπ' αὐτῷ κειμένην τὴν ἐξουσίαν, ἢ παραμένειν τῷ θεῷ, ἢ ἀλλοτριωθῆναι τοῦ ἀγαθοῦ.

47) His ſimillima leguntur etiam in Marci Mon. *Opuſc. de baptism.* apud Gallandum in *Bibl. Pattrr. Tom. VIII. pag.* 39. vbi, dum de cauſis diſputat, cur homines poſt baptiſmum, in quo peccatorum remiſſionem nacti fuerint, tamen denuo peccent, haec tradit: δῆσαι πάλιν ἑαυτοὺς διὰ τῆς προσπαθείας, ἅ λελυμένα ἐσι διὰ τῆς ἐργασίας τῶν ἐντολῶν, τῆς τοῦ αὐτεξουσίου ἐσι προαιρέσεως· ὁ γὰρ περὶ τινα ἡδονὴν ἢ θυμὸν ἐγχρονίζων λογισμὸς, οὐχ ἁμαρτίας ἐγκαλειφθείσης, ἀλλ' αὐτεξουσίου προσπαθείας ἐσὶ τεκμηρίον.

48) Quam tamen iſti, licet aliter, quam Catholici, de ea ſtatuerent, minime totam ſuſtulerunt, quod poſt Beauſobrium in *Hiſtoir. des Manich. et du Manich. T. II. p.* 437. *ſq.* perſpicue nuper oſtendit C. F. Staeudlin in *Geſchichte der Sittenlehre Jeſu, Vol. II. pag.* 40. *ſeq.*

49) In *Disp. c. Manet.* §. 32. apud Galland. in *Bibl. PP. To. VIII. p.* 589.

bona valde fecit, liberi arbitrii ſenſum vnicuique dedit, qua ratione etiam legem iudicii poſuit. Peccare noſtrum eſt; vt autem non peccemus, Dei donum eſt, ex eo, quod in noſtro ſit arbitrio conſtitutum peccare, vel non peccare, ſicut etiam tu ſine dubio noſti, o Manes. Similiter Serapion etiam, qui et ipſe Manichaeos oppugnauit, exemplo filii prodigi et Pauli docet [50]), ὅτι καὶ αὐτὸ τὸ λογικὸν ᾑρέθη μὲν ἀφροσύνῃ, δεδύνηται δὲ πάλιν ἀπολιπεῖν τὴν αἵρησασαν ἀφροσύνην, καὶ δύναται ἀπολιπεῖν, eodemque modo Titus Boſtr. quoque τὰ ἁμαρτήματα παθῶν dicit [51]) ἔργα eſſe, ἐ φύσεως ἐξκνθήματα, atque alio loco haec de peccatorum origine tradit [52]): ἡ ἐξουσία παρὰ Θεοῦ δοθεῖσα πρὸς τὴν καλοῦ κ᾽ ἀγαθοῦ κτῆσιν παρὰ τοῖς πλείοσι πρὸς τὸ εὔκολον τῆς ἁμαρτίας ἀποκλίνει. Neque Didymus etiam offendere neglexit [53]), non eſſe κακίας αἴτιον τὸν ποιήσαντα τὸ δυνάμενον ἐξ ἰδίας ῥοπῆς εἰς κακίαν ἐλθεῖν. Imo ipſe etiam Auguſtinus in tribus, quos aduerſus Manichaeos *de libero arbitrio* ſcripſit, libris hoc potiſſimum, vt ipſe narrat [54]), ſibi agendum ſumſit, vt oſtenderet, *malum non exortum, niſi ex libero voluntatis arbitrio*, Deumque ab omni eius culpa eſſe liberandum. Non minus perſpicue vero et alterum, quod diximus, poſſe nimirum hominem ex hac arbitrii ſui libertate in melius ſe emendare virtutique ſtudere, iidem doctores declararunt, cuius rei vnum modo et alterum teſtimonium in medium nunc protu-

---

50) In *libr. adv. Manich.* §. 13. apud eundem Gallandum *To. V. pag.* 56.

51) *Lib. II. contr. Manich.* §. 5. ap. Galland. *l. l. pag.* 29.

52) *Ibid.* §. 13. *pag.* 305.

53) *Libr. contr. Manich.* §. 12. in Gallandi *Bibl. To. VI. pag.* 315.

54) *Retract. lib. I. cap.* 9.

liſſe ſufficiat. Emendandi quidem ſe facultatem homini propter hanc arbitrii libertatem aperte vindicant Tatianus [55]), Origenes [56]), Cyrillus Alex. [57]) atque Tertullianus [58]). Idem vero arbitrium hominis liberum id quoque ſecum ferre, vt, recte eo vſus, virtuti et honeſte factis poſſit operam dare, non minus aperte profitentur Clemens v. c. Alex. [59]), Origenes [60]), Macarius [61]),

---

55) In loco *not.* 43. laud. in quo verbis iam recitatis haec addit: *οὐδὲν φαῦλον ὑπὸ τῆ Θεῆ πεποίηται, τὴν πονηρίαν ἡμεῖς ἀνεδείξαμεν· οἱ δὲ ἀναδείξαντες, δυνατοὶ πάλιν παραιτήσασθαι.*

56) *Comment. in epiſt. ad Rom. I. VI. §. 4. Tom. IV. pag.* 575. *Sed et illud aſpice, quod vbique per haec arbitrii libertatem deſignat, et oſtendit, vnumquemque habere in ſua poteſtate, vt quae ante iniquitati ad iniquitatem ſeruitia dependebat, haec, conuerſo in melius propoſito, iuſtitiae ſanctificationique dependat.*

57) *Lib. IV. contr. Iulian. pag.* 140. vbi poſtquam *αὐτόνομον* dixerat *καὶ ἀφειμένην πρὸς δοκῆν τὴν παντὸς ἀνθρώπου διάνοιαν*, haec deinde ſubiicit: *ὥστε καὶ ἐκ νόμοις φαύλοις πεπαιδαγώγηνται τινες πρὸς μὴ ἔχον ὀρθῶς, εὐκόλως ἂν μεταφοιτήσειαν πρὸς τὰ ἀμείνω καὶ ὀνησιφόρα ἐθέλονται.*

58) *Adv. Marc. l. II. c.* 8. in quo conſulto in eo verſatur, vt doceat, hominem ſponte et ex ſuae voluntatis libertate, non vero propter aliquam naturae infirmitatem aut ignorantiam peccare, et ſub finem capit. haec ponit: *Poſtremo non libertate, nec poteſtate arbitrii feciſſet infirmum, ſed potius defectione earum. Atque adeo eandem hominem, eandem ſubſtantiam animae, eundem Adae ſtatum eadem arbitrii libertas et poteſtas victorem efficit hodie de eodem diabolo, cum ſecundum obſequium legum eius adminiſtratur.*

59) *Strom. l. VI. §.* 11. *p.* 788. Pott. *ὅτι φύσει μὲν ἐπιτήδειοι γεγόναμεν πρὸς ἀρετήν· ἐ μὴν ὥστε ἕξιν αὐτὴν ἐκ γενετῆς, ἀλλὰ πρὸς τὸ κτήσασθαι ἐπιτήδειοι. Et paulo poſt §.* 12. *πάντες μὲν ἔν, ὡς ἔφην, πρὸς ἀρετῆς κτῆσιν πεφύκασιν· ἀλλ' ὁ μὲν μᾶλλον ὁ δὲ ἧττον πρόσεισι τῇ τε μαθήσει τῇ τε ἀσκήσει.*

60) In *Cant. Cant. l. IV. Opp. To. III. p.* 88. *Non ſine cauſa puto, quod non dixerit, odorem dederunt, ſed odorem ſuum: ut oſtenderet ineſſe vnicuique animae vim poſſibilitatis et arbitrii libertatem, qua poſſit agere omne, quod bonum eſt.*

61) *Homil. XV. pag.* 206. Prit. vbi poſtquam de hac ipſa arbitrii libertate in antecedentibus diſputauerat, haec ſubiicit: *εἰ θέλει τις, ὑποτάσσεται τῷ θεῷ, καὶ διοδεύει τὴν ὁδὸν τῆς δικαιοσύνης, καὶ κρατεῖ τῶν ἐπιθυμιῶν. ὁ γὰρ νῦς οὗτος ἀντίπαλός ἐστιν ἐπικρατεῖν δυνάμενος ἐρρωμένῳ λογισμῷ τὰς τῆς κακίας ὁρμὰς καὶ ἐπιθυμίας αἰσχράς.*

Basilius M. [62]), Hieronymus [63]) et alii. Imo tantam huius libertatis vim esse putarunt, vt hominem eius ope ad insignem adeo perfectionis gradum peruenire posse statuerent. Certe Clemens Alex. postquam homines per arbitrii libertatem ad virtutem sibi comparandam aptos redditos esse dixerat, hacque facultate alium plus, alium minus vti monuerat [64]), non dubitauit haec subiungere: διὸ καὶ οἱ μὲν ἐξήρκεσαν μέχρι τῆς τελείας ἀρετῆς· οἱ δὲ μέχρι τινὸς ἔφθασαν. Eodem vero modo Origenem etiam olim iam haereseos constat suspicionem apud Hieronymum et alios incurrisse eo, quod homines perfectos fieri, tumque eiusmodi vim adipisci posse statuerit, qua roborati peccatorum illecebris ac lenociniis obniti, tandemque ad id perfectionis culmen adscendere possint, vt ne leui quidem tentationum aura amplius percellantur, planeque sint ἀπαθεῖς [65]). Neque Gregorius etiam Naz. veritus est profiteri [66]), hominem, libero arbitrio praeditum tantum

---

62) *Hom. in Ps. XLIV. §. 8. To. I. pag.* 166. καὶ ἡμῖν δὲ ἐ χαλεπὸν βεληθεῖσιν ἀναλαβεῖν τὴν πρὸς τὴν δικαιοσύνην ἀγάπην, καὶ τὸ πρὸς τὴν ἀνομίαν μῖσος. πᾶσαν γὰρ δύναμιν ὁ θεὸς χρησίμως ἔδωκε τῇ λογικῇ ψυχῇ· ὥσπερ τὴν τȣ ἀγαπᾶν, ὅτω καὶ τὴν τȣ μισεῖν, ἵνα λόγῳ εὐθυνόμενοι ἀγαπῶμεν μὲν τὴν ἀρετὴν, μισῶμεν δὲ τὴν κακίαν.

63) *Comment. in Matth. l. I. c. V. To. IX. p.* 18. *Si Dei praecepta custodiens filius quis efficitur Dei, non est igitur natura filius, sed arbitrio suo:* et *lib. III. c. XIX. p.* 47. *In potestate nostra est, vtrum velimus esse perfecti;* itemque *Comment. in epist. ad Rom. cap. VIII. pag.* 226. *In eadem carne damnauit peccatum, vt ostenderet voluntatem esse in crimine, non naturam, quae talis a Deo facta est, vt possit non peccare, si velit.*

64) In loco paulo ante *n.* 59. laud.

65) Qua de re conferri possunt, quae disputarunt Huetius *Orig. l. II. c. II. qu. VII. §.* 18. et 19. atque Basnagius in *Histoire de l'eglis. l. XI. ch. II. §.* 9. *Tom. I. pag.* 609.

66) In *Orat. XXXI. To. I. p.* 508. ubi de loco Matth. XIX. 12. nominatimque verbis: εἰσὶν οἵτινες ἑαυτὲς εὐνȣ́χησαν διὰ τὴν βασιλείαν τῶν ȣ̓ρανῶν disputans, haec ponit: ἄλλοι διδασκάλων μὲν ȣ̓κ ἐπέτυχον, ἑαυτῶν δὲ γεγόνασιν ἐπαινετοὶ διδάσκαλοι. ȣ̓κ ἐδίδαξέ σε μήτηρ τὸ δέον, ȣ̓κ ἐδίδαξέ σε πατὴρ — ἀλλὰ τὸν ἐν

virtutis habitum ſibi poſſe comparare, vt ad vitium amplius ferri propemodum nequeat. Neque tamen plane fieri poſſe negarunt, vt homo emendatus et in virtutis ſtudio aliquantum progreſſus ad vitia iterum delabatur, ſed et hoc ex eadem arbitrii ipſius libertate fieri poſſe affirmarunt, cuius ſententiae Origenes ſaltem atque Macarius teſtes poſſunt laudari, quorum ille quidem Ezechielis auctoritate nixus diſerte dicit [67]), hominis probi animam mutationi eſſe obnoxiam, et a Dei mandatis diſcedere poſſe, ita, vt prioris eius probitatis nulla habeatur ratio, hic autem ad quaeſtionem a ſe propoſitam, quo tandem modo fieri poſſit, vt homo per gratiam emendatus, iterum labatur, ita reſpondet, vt luculentum hoc libertatis arbitrii documentum eſſe defendat [68]).

Ita autem cum naturam huius arbitrii comparatam eſſe ſtatuerent, facile iam intelligi poterit, quo ſenſu ac iure quemlibet hominem pro diuerſo eius vſu ſuae vel ſalutis vel perniciei auctorem eſſe dictitauerint, quod praeter alios plures, quorum loca Ioannes Damaſc. collegit [69]). diſerte profeſſi etiam ſunt Theophilus An-

---

σοὶ λόγον κινήσας, ἀλλὰ τὸν σπινθῆρα τȣ̃ καλȣ̃ διὰ τῆς προαιρέσεως ἀνάψας, σαυτὸν εὐνȣχίσας, τὴν ῥίζαν ἐξέτεμες, τὰ ὄργανα τῆς κακίας ἐξώρισας, τοσαύτην ἔξιν ἐκτήσω τῆς ἀρετῆς, ὥσε καὶ σχεδὸν ἀδύνατόν σοι γενέσθαι τὴν περὶ τὰ χείρω φοράν.

67) *Tom. XIII. in Matth. §.* 29. *Tom. III. pag.* 610. ὁ βȣλόμενος, inquiens, τὴν τελευταίαν ταύτην κρατεῖν διηγησιν, φήσει ὅτι μεταπτωτή ἐςι καὶ ἡ τȣ̃ δικαίȣ ψυχή, ὡς μαρτυρεῖ καὶ ὁ Ιεζεκιὴλ λέγων τὸν δίκαιον ἀφίεσθαι δύνασθαι τῶν ἐντολῶν τȣ̃ θεȣ̃, ὡς μὴ λογισθῆναι αὐτῷ τὴν προτέραν δικαιοσύνην.

68) *Homil. XXVII. §.* 13. *pag.* 376. οὐχ ὅτι ἡ χάρις ȣβέννηται, ἢ ἀσθενεῖ· ἀλλ' ἵνα τὸ αὐτεξȣσίον σȣ καὶ ἡ ἐλευθερία δοκιμασθῇ, πȣ̃ ῥέπει, παραχωρεῖ τῇ κακίᾳ· καὶ πάλιν σὺ τῷ θελήματι προσεγγίζων τῷ κυρίῳ προτρέπῃ τȣ̃ ἐπισκέψασθαι σε τὴν χάριν. κ. τ. λ.

69) *Parall. ſacr. tit. IX. Tom. II. Opp. pag.* 314. *ſeq.*

tioch. [70]), Origenes [71]), Macarius [72]), Chryſoſtomus [73]), Cyprianus [74]) et Lactantius [75]).

At enimuero non in hoc vno acquieuerunt doctores noſtri, vt vim et ambitum huius arbitrii declararent, ſed in reliquam etiam eius naturam et cauſas accuratius inquiſiuerunt. Ac fontem quidem eius et primariam conditionem, ſine qua locum id habere potuiſſe, plane non poterant ſibi perſuadere, reperiſſe ſibi viſi ſunt in ratione atque intelligendi facultate homini conceſſa, cuius perſuaſionis praeter Origenem [76]), Titum Boſtr. [77]), Baſilium M. [78]), Gregorium Nyſſ. [79]),

---

70) *Lib. II. ad Autol. §. 27. p.* 368. edit. Mar.

71) *Hom. XVII. in Ierem. §.* 4. *To. III. p.* 239. itemque in fragm. *in epiſt. ad Tit. To. IV. p.* 696.

72) *Hom. XXVII. §.* 12. *p.* 380.

73) *Homil. XLVI. in euang. Ioann. c. VI.* Comment. in N. T. *T. II. P. II. p.* 302. et *Hom. in I. ep. ad Cor. c. IV. Tom. V. pag.* 143.

74) *Epiſt. LIX. ad Corn pag.* 130. edit. Brem. vbi de Ieſu loquens, *conuerſus*, inquit, *ad Apoſtolos ſuos dixit: Num quid et vos vultis ire? ſernans ſcilicet legem, qua homo libertati ſuae relictus et in arbitrio proprio conſtitutus, ſibimet ipſe vel mortem appetit, vel ſalutem.*

75) *Inſtit. div. l. VII. c.* 5. *§.* 18. *To. I. p.* 884.

76) *De princ. l. III. c. I. §.* 3. *T. I. p.* 109. vbi pluribus ea de re diſputat.

77) *Lib. II. contr. Manich. §.* 3. in Gallandi *Bibl. PP. To. V. pag.* 297. et *§.* 21. *tot. pag.* 312. *ſq.*

78) In *Homil. quod Deus non eſt auct. mal. §.* 6. *To. II. p.* 78. *ſq.*

79) In *Orat. catech. c.* 31. *To. III. pag.* 91. atque in *Antirrh. adv. Apollin. §.* 41. in Gallandi *Bibl. PP. To VI. pag.* 556. vbi *ἡ δὲ προαίρεσις*, inquit, *οὐδὲν ἕτερον εἰ μὴ νοῦς τίς ἐστι καὶ πρός τι διάθεσις. εἰ οὖν μεταλαμβάνειν φήσει τὸν ἄνθρωπον καθαρᾶς ἀρετῆς, ἐν ᾧ νοῦς οὐκ ἔστι τὸ τὴν ἀρετὴν ἑκουσίως ὑποδεχόμενον, τί ἂν εἴη;*

Theodoretum [80]) atque Hieronymum [81]), teſtes luculenti inprimis etiam ſunt ii, qui de hoc vniuerſo argumento ad Philoſophorum morem ſubtilius diſputarunt, Nemeſius [82]) nimirum et Ioannes Damaſc. [83]). Hinc vel non monentibus nobis intelligitur iam, in quanam nominatim anima ii, quos duplicem hominis animam, alteram λογικὴν, alteram vero ψυχικὴν defendiſſe in ſuperioribus oſtendimus [84]), huius liberi arbitrii ſedem quaſi quaerere debuerint, cum in oculos ſponte incurrat, in nulla alia eos illam quaerere potuiſſe, quam λογικῇ, quam rationis humanae principium ac fontem eſſe iudicarunt: id quod eos vere etiam feciſſe, diſertis quoque eorum hac de re teſtimoniis confirmatur [85]). Tum vero et hoc intelligitur, quam commode et ad latinae linguae ingenium accommodate haec ipſa boni vel mali eligendi facultas, rationis iudicio ſuffulta, *arbitrii* nomine a Patribus quidem Latinis [86]) fuerit adpellata, cum ſatis conſtet, hoc vocabulo a Ictis potiſſimum ſigni-

---

80) Qui in *Quaeſt. in Geneſ. r. III. qu.* 36. *To. I. p.* 47. τῇ λογικῇ diſerte dicit αὐτεξέσιον ἴδιον eſſe.

81) Apud quem in *Comment. in Eccleſ. c. VII. To. VII. pag.* 67. haec leguntur: *Hoc autem fecit Deus, vt habeat ſapientia locum in eligendo bonum, et vitando malum, et liberum homini relinquatur arbitrium, ne ſe dicat inſenſibilem et ſtolidum a Deo eſſe generatum, ſed eum ideo feciſſe diuerſa, vt homo queri de ſua conditione non poſſet.*

82) Qui de *nat. homin. c.* 41. *p.* 324. φαμὲν τοίνυν, inquit, εὐθέως τῷ λογικῷ συνεισέρχεσθαι τὸ αὐτεξέσιον, idque in ſequentibus pluribus exponit, argumentisque confirmat.

83) Cuius praeter alia loca complura inprimis inſpiciendum hic eſt *lib. II. de fid. orthodox. cap.* 27. *Tom. I. pag.* 194.

84) In *Commentat. VIII.* ante hos quatuor fere annos in lucem a nobis emiſſa, p. 619. *ſqq.*

85) Qua de re legi poſſunt, quae de Clemente quidem Alex. et Origene, qui praecipui fere huius ſententiae defensores fuere, in eadem illa *Comment. VIII.* diximus *p.* 627. *ſqq.* Cfrri vero etiam poterunt, quae de eadem re diſputauit Huetius *Orig. l. l.* §. *VI. et VII.*

86) Quorum primus statim Tertullianus, vt adparet ex loco *not.* 25. allato, eo hac in re vſus fuisse deprehenditur.

ficatum fuiffe decretum, recto de re aliqua iudicio innixum [87]). *Liberum* autem idem arbitrium propterea dixerunt, quoniam in eo nullam neque naturae vel fati neceffitatem, neque alius generis vim aut coactionem vllam [88]) locum habere iudicarunt. Haec ipfa enim funt, quae ab hac arbitrii libertate diligenter remouenda effe diferte defendunt, quibusque eam vbique fere opponunt, quod praeter loca a Suicero iam eam in rem allata [89]), aliis pluribus Iuftini Mart. [90]), Tatiani [91]), Irenaei [92], Origenis [93]), Cyrilli Hierof. [94]), Chryfoftomi [95]), Theodoreti [96]), atque Nemefii [97]) locis abunde poteft confirmari.

---

87) Qua de re lectu digna funt, quae obferuauit Doederleinius in *Inst. theol. christ. Part. II. p.* 685. edit. V.

88) Qua in re cuiusnam generis neceffitatem atque coactionem illi quidem cogitauerint, ftudiofius explicare ftuduit Petauius *dogm. theol. l. l. l. III. c. VII.* et *c. VIII. §. VI.*

89) *Thefaur. Eccl. To. I. p.* 577. *fq.*

90) *Apol. II. §.* 7. *p.* 93. Mar.

91) *Orat. contr. Graec. §.* 11. *pag.* 253. Mar.

92) *Adv. haer. l. IV. c.* 71. *p.* 374. edit. Grab. vbi cum hanc arbitrii libertatem ab omni vi alienam esse defendit, de nulla alia, vt ex cap. feq. intelligitur, quam naturae neceffitate videtur cogitaffe; quod nefcio, an fatis accurate affecutus fit Petauius *l. l. c. VIII. §. VI.* et *VII. pag.* 211. *feq.*

93) *De princ. lib. I. Praef. §.* 5. *Tom. I. pag.* 48. itemque *Hom. XIX. in Ierem.* §. 2. *To. III. p.* 263.

94) *Catech. IV.* §. 18. *p.* 60. Toutt. vbi poftquam de arbitrii humani libertate difputauerat, *οὐ γὰρ*, addit, *κατὰ γένεσιν ἁμαρτάνεις, ὅτε κατὰ τύχην πορνεύεις, ὅτε καθὼς ληρουσί τινες; αἱ τῶν ἄστρων πλοκαὶ ταῖς ἀσελγείαις σε προσέχειν ἀναγκάζουσι. τί φεύγων ὁμολογῆσαι τὰ σεαυτοῦ κακὰ, τοῖς ἀναιτίοις ἄστροις προσγράφεις τὴν αἰτίαν;*

95) *Hom. I. de Lazar. To. V. Opp. pag.* 44. vbi docet, nullam poffe animae a diabolo vim inferri, fed eam fponte ac volentem peccare.

96) *Graec. affect. curat. difp., V. To. IV. pag.* 817. vbi neminem docet ad virtutem colendam cogi, ne arbitrii libertas violetur.

97) *De nat. homin. c.* 36 — 38.

In hac tanta autem arbitrii huius libertate afferenda facile poteſt iudicari, non potuiſſe non diuinae praeſcientiae, quam ad has ipſas quoque liberas hominum actiones pertinere ſtatuebant, cogitationem moleſtiam aliquam iis creare, hincque non mirum eſt, eos de hac etiam cum illa concilianda ſollicitos fuiſſe, ideoque multa quoque de vtriusque conſenſu diſputaſſe, quae qualia fuerint, ſi cui diligentius cognoſcere volupe fuerit, vel vnius Origenis aliquot locis, in quibus pluribus ea de re expoſuit [98]), inſpiciendis ſitim ſuam ſatis poterit reſtinguere. Quodſi vero paucis tantum, quomodo illam expediuerint, ſcire cupiat, Hieronymi aliquo loco [99]) ea de re poterit edoceri, vbi ad verba Ezechielis: *ſi forte vel ipſi audiant*, haec obſeruat: *Simile quid et in Ieremia ſcriptum eſt.* Si forte audiant et agant poenitentiam [100]). *Et in Euangelio:* Forſitan filium meum reuerebuntur. (Matth. XXI, 37.) *Loquitur autem haec Deus ambigentis affectu, vt liberum hominis monſtret arbitrium: ne praeſcientia futurorum, mali vel boni, immutabile faciat quod Deus futurum nouerit. Non enim quia ille ventura cognoſcit, neceſſe eſt nos facere, quod ille praeſciuit: ſed quod nos propria voluntate ſumus facturi, ille nouit futurum quaſi Deus* [1]).

---

98) Quae leguntur in libr. *de Orat. §.* 6. *Opp. Tom. I. p.* 208. itemque in *Philoc. c.* 25. *To. IV. p.* 462. *ſq.* atque in *To. III. Comment. in Geneſ. To. II. pag.* 5. qui locus praeter Philoc. ab Euſebio etiam ſeruatus eſt *lib. VI. de praep. euangeli. c. XI.* pluribusque illuſtratus a Petauio *l. l. l. III. cap. IX. §.* 2. *ſeq.*

99) *Comment. in Ezech. Cap. II. Tom. V. pag.* 320.

100) Ad quem Ierem. locum haec eadem fere, quae hic obſeruat, leguntur. *Tom V. pag.* 274.

1) Cum quo loco comparari etiam merentur, quae idem, quem modo diximus, Origenes habet *Comment. in epiſt. ad Rom. l. VII. §.* 16. *Tom. IV. pag.* 614. *Certum est,* inquiens, *Deum non ſolum ſcire vniuscuiusque propoſitum ac voluntatem, ſed et praeſcire. Sciens autem et praenoſcens, tanquam bonus diſpenſator uniuscuiusque motibus et propoſito vtitur ad ea opera efficienda, quae vniuscuiusque animus ac voluntas eligit.*

Cum vero idem voluntatis arbitrium hominibus ſaepe, vt diximus, perniciei atque miſeriae cauſam et fontem fieri ſtatuerent, neceſſe profecto erat, vt de Deo ob tam ambigui muneris donum excuſando cogitarent, eumque ab omni propter peccata ab hominibus ex hac arbitrii libertate admiſſa culpa liberarent. Hoc autem ipſo non poterant non ſimul ad cauſas, propter quas Deus hominem hac liberi arbitrii facultate inſtruxiſſe cenſendus ſit, inquirendas atque expiſcandas adduci. In his autem hanc potiſſimum commemorarunt, et tanquam primariam laudarunt, voluiſſe Deum, vt homines ſuo ipſorum ſtudio virtutem, quae, vbi ex neceſſitate aliqua fuerit profecta, omni pretio ſit deſtituta, ſibi compararent, poſſentque eam tanquam *proprium* ſibi bonum, ſuaque ipſorum opera partum ſpectare, praemiaque cultui eius propoſita ipſi promereri, hincque voluptate etiam ex eius ſtudio oriunda fruerentur. Saltem in hac huius rei cauſa expromenda vnice vere acquieuiſſe reperiuntur omnes, qui ea de re vel conſulto, vel obiter tantum dicere inſtituerunt; inter quos nominatim pertinent Irenaeus [2]), Origenes [3]), Didy-

---

2) *Lib. IV. adv. haer. c. 72. p.* 376. vbi aduerſus eos diſputans, qui malint homines ita creatos, vt non poſſent non bonum adpetere ac perficere, *ſic autem*, inquit, *nec ſuaue eſſet eis, quod eſt bonum, neque pretioſa communicatio Dei, neque magnopere appetendum bonum, quod ſine ſuo proprio motu et cura, et ſtudio prouenißet, ſed vltro et otiose inſitum: ita, vt eſſent nullius momenti boni eo, quod natura magis, quam voluntate tales extiterint et vltroneum haberent bonum, ſed non ſecundum electionem; et propter hoc nec hoc ipſum intelligentes, quoniam pulchrum ſit, quod bonum, neque fruentes eo.*

3) *De princ. l. II. cap. IX. Tom. I. p.* 97. *Voluntarios enim et liberos motus a ſe conditis mentibus creator indulſit, quo ſcilicet bonum in iis proprium fieret, cum id voluntate propria ſeruaretur.*

mus [4]), Titus Boſtr. [5]), Gregorius Naz. [6]) atque Nyſſ. [7]), Baſilius M. [8]), Chryſoſtomus [9]), Cyrillus Alex. [10]) et Nouatianus [11]). Hanc autem huius rei

---

4) *Contr. Manich. §. XI.* in Gallandi *Bibl. PP. Tom. VI. pag.* 315. *οὐ κακίας αἴτιος ὁ ποιήσας τὸ δυνάμενον ἐξ ἰδίας ῥοπῆς εἰς κακίαν ἐλθεῖν, λογικὸν γὰρ κατεσκεύασεν ζῶον, ὃ ἐβέλετο εἶναι ἀπὸ τῆς ἑαυτοῦ προαιρέσεως ἀγαθὸν, ἔχον εἰς ἑκάτερα ῥέπειν τὸ αὐτεξέσιον. ἀγαθὸν γὰρ αὐτὸν ἐβέλετο εἶναι ἑκουσίως αἱρούμενον τὸ ἀγαθόν. — — ἔδει τοίνυν τὸν προαιρέσει τῇ ἑαυτοῦ ἀγαθὸν ἐσόμενον, δύναμιν ἔχειν τήν αὐτὴν τῇ ἐπιτηδειότητι προς ἀνάληψιν τοῦ ἀγαθοῦ. εἴπετο δὲ τὸ δεκτικὸν τοῦ ἀγαθοῦ, καὶ κακοῦ δεκτικὸν εἶναι.*

5) *Lib. II. contr. Manich. §.* 5. in Gallandi *Bibl. To. V. p.* 299. *οὕτω μὲν δὴ τὸν ἄνθρωπον τετίμηκεν ὁ Θεὸς, κατ' εἰκόνα ἑαυτοῦ δημιουργήσας αὐτόν· ἵν' ὥσπερ αὐτὸς ἐλευθερότητι φύσεως ἀγαθὸς, ὅτω δὴ καὶ ὁ ἄνθρωπος ἐλευθερότητι προθέσεως ζηλωτὴς ὑπάρχῃ Θεοῦ, ἐκ ἀδυναμίᾳ φύσεως τοῦ ἁμαρτάνειν ἀπεχόμενος, ἐλευθερότητι δὲ τὴν ἀρετὴν τιμῶν.*

6) *Orat. XXXVIII. Tom. I. Opp. pag.* 619. ubi hominem hac arbitrii libertate a Deo dicit ornatum fuiſſe *ἵν' ᾖ τοῦ ἑλομένου τὸ ἀγαθὸν ἐκ ἥττον, ἢ τοῦ παρασχόντος τὰ σπέρματα*: quae eadem repetit etiam *Orat. XLII. p.* 686.

7) *Orat. de mort. To. II. pag.* 654. vbi propterea dicit hominem non ex naturae neceſſitate a Deo ad bonum perficiendum fuiſſe coactum, ne maximi boni iacturam faceret, tumque haec addit: *ἐπειδὴ γὰρ θεοειδὴς ὁ ἄνθρωπος ἐγένετο καὶ μακάριος τῷ αὐτεξουσίῳ τετιμημένος, (τὸ γὰρ αὐτοκρατές τε καὶ ἀδέσποτον ἴδιόν ἐστι θείας μακαριότητος,) τὸ δι' ἀνάγκης αὐτὸν ἐπί τι μεταχθῆναι βιαίως ἀφαίρεσις τοῦ ἀξιώματος ἦν. κ. λ.*

8) In *Hom. quod Deus non eſt auct. mal. To. II. p.* 79. ubi ad interrogationem illam, cur Deus non tales nos condiderit, ut peccare nequiremus, haec reſpondet: *ὅτι καὶ σὺ τοὺς οἰκέτας, οὐχ ὅταν δεσμίους ἔχῃς, εὔνους ὑπολαμβάνεις· ἀλλ' ὅταν ἑκουσίως ἴδῃς ἀποπληροῦντας σοί τὰ καθήκοντα. καὶ θεῷ τοίνυν ὁ τὸ ἠναγκασμένον φίλον, ἀλλὰ τὸ ἐξ ἀρετῆς κατορθούμενον. ἀρετὴ δὲ ἐκ προαιρέσεως οὐκ ἐξ ἀνάγκης γίνεται.*

9) *Hom. XIV. in I. epiſt. ad Cor. cap. IV.* Comment. in N. T. *Tom. V. pag,* 146. *διὰ τοῦτο σε αὐτεξούσιον ἐποίησεν ὁ Θεὸς, ἵνα μὴ ὕστερον ἐγκαλῇς τῷ Θεῷ ὡς ἀνάγκῃ δεθεῖς. σὺ δὲ ὑπὲρ ὧν τιμῆς ἀπήλαυσας, ὑπὲρ τούτων ἀγανακτεῖς; καὶ γὰρ πολλῶν ἤκουσα λεγόντων, διὰ τί γάρ με κύριον ἐποίησεν ἀρετῆς; ἀλλὰ πῶς ἔδει, κοιμώμενον καὶ νυστάζοντα καὶ τῆς κακίας ἐφιέμενον καὶ τρυφῶντα καὶ γαστριζόμενον ἐπὶ τὸν οὐρανὸν ἀναγαγεῖν;*

10) *Lib. VIII. contr. Iul. pag.* 285. Spanh. *ἵνα καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ πρὸς πᾶν ὅτιοῦν τῶν ἀγαθῶν ἐθελοντὶ διαφείχωμεν, ἀκαταβιάστῳ γνώμῃ διαβιῶν ἐπὶ γῆς τὸν ἄνθρωπον ἐφῆκε Θεὸς* Cfrat. etiam eius libr. *de ador. in Spir. p.* 9. *Opp. Tom. I.*

11) *De Trinit. Cap. I.* in Gallandi *Bibl. Tom. III. p.* 287.

causam quomodo ad Deum excusandum culpaque liberandum transtulerint, sponte profecto potest intelligi, cum in oculos iam incurrat, tanto bono homines prorsus fuisse carituros, si ista arbitrii libertas ipsis fuisset denegata [12]).

Cap. IV.

Sect. 7. De iis, qui τὴν αὐτεξουσίαν arctioribus limitibus circumscribendam esse docuerunt.

(Comment. XIV.)

Quam superiori libello exposuimus veterum ecclesiae doctorum de *arbitrii humani libertate* sententiam, ea, quanquam quod ad summam rei attinet, omnibus, vt docuimus, fuerit probata; subinde tamen extiterunt, qui eam hoc illove modo limitarent, atque arctioribus adeo finibus circumscriberent. Ad hos primum pertinet Methodius, qui vim illius liberi arbitrii noluit ad bonas etiam malasve cogitationes referri, sed in bene tantum aut male factis vnice eam se exserere defendit [1]).

---

vbi postquam hominem, ad imaginem Dei factum, libertate ab eo ornatum fuisse dixerat, haec subiungit: *Et ne in periculum caderet rursum soluta libertas, mandatum posuit. — Nam et liber esse debuerat, ne incongruenter Dei imago seruiret: et lex addenda, ne vsque ad contemtum dantis libertas effrenata prorumperet.*

12) Quo eodem respectu negat etiam Io. Philoponus in libr. *de creat. mundi* apud Gallandum in *Bibl. PP. To. XII. p.* 607. libertatem illam esse malum, οὐδ' inquiens, ἡ προαίρεσις κακὸν, ἐπεὶ καὶ ἀγαθῶν ἐστιν αἰτία, αἱρουμένη τὰ κρείττω, ἀρετὴν, εὐσέβειαν καὶ τὴν ἐφ' οἷς ἥμαρτε μεταμέλειαν, καὶ ψυχῆς κάθαρσιν, τὴν δι' ἀσκήσεως.

1) Teste quidem Photio in *Cod. CCXXXIV.* vbi in argumento Orat. eius de resurrectione enarrando haec ex ea refert *pag.* 910. ὅτι φησὶ τὸ μὲν πρᾶξαι ἢ μὴ πρᾶξαι τὰ κακὰ, ἐφ' ἡμῖν. — — τὸ δὲ ἐνθυμηθῆναι τὰ κακὰ ἢ μὴ, ἐκ ἐφ' ἡμῖν. διὰ τοῦτο καὶ τὸν θεῖον Παῦλόν φησι, λέγειν· οὐ γὰρ ὃ θέλω, τοῦτο πράσσω,

Malas enim cogitationes negauit homines a ſe poſſe arcere, cum a Satana potiſſimum iis immittantur, vnumque hoc in illorum poteſtate eſſe ſtatuit, vt eas vel ſequantur, vel non ſequantur [2]), hincque per mortem etiam hanc mala cogitandi facultatem dixit deleri, Deumque ideo voluit mortem homini inferre, ne malum in aeternum maneret [3]). Contra vero in factis omnia ab hominis arbitrio iudicauit pendere, inque his iſtam arbitrii eius libertatem ſedulo ſtuduit aſſerere [4]), argumentisque pluribus confirmare [5]). Tum huc referendus etiam eſt Macarius, qui vim huius arbitrii humani in eo limitauit, quod negauit hominem, niſi doctrinae chriſtianae auxilio fuerit adiutus, per eam ſolam imperium in affectus poſſe tenere omnesque pec-

---

ἀλλ' ὅ ἐ θέλω, τῶτο ποιῶ· τουτέςιν, ἐχ ὅ θέλω ἐννοεῖν, τῶτο ἐννοῶ, ἀλλ' ὅ μὴ θέλω. Haec enim Pauli verba de cogitationibus tantum, non vero de factis eſſe intelligenda, pluribus docet apud eundem Photium *pag.* 914.

2) In quam rem haec habet eodem Photio teſte l. l. οὐ γὰρ ἐφ' ἡμῖν τὸ ἐνθυμεῖσθαι, ἢ μὴ ἐνθυμεῖσθαι κεῖται τὰ ἄτοπα· ἀλλὰ τὸ χρῆσθαι ἢ μὴ χρῆσθαι τοῖς ἐνθυμήμασι. κωλῦσαι μὲν γὰρ πίπτειν εἰς ἡμᾶς τοὺς λογισμὰς ὁ δυνάμεθα, προσδεχομένων ἡμῶν ἔξωθεν εἰσπνεομένες· μὴ πεισθῆναι μέν τοι, ἢ μὴ χρῆσθαι δυνάμεθα. A quonam autem immittantur, paulo poſt docet *pag.* 915. vbi μέμνησθε γὰρ, inquit, ὡς ἐν τοῖς ἔμπροσθεν διωριζόμεθα, ἀφ' ὁ τὸν ἄνθρωπον πλανηθέντα τὴν ἐντολὴν ἀθετῆσαι συνέβην· ἐντεῦθεν ἐκ τῆς παρακοῆς τὴν ἁμαρτίαν λαβεῖσαν γένεσιν εἰς αὐτὸν εἰσωκηκέναι, ἔτω γὰρ ϛάσις ἐνέπεσε, σφαδασμῶν τε καὶ λογισμῶν ἀνοικείων ἐπληρώθημεν, κενωθέντες μὲν τῶ ἐμφυσήματος τῶ θεῶ, πληρωθέντες δὲ ἐπιθυμίας ὑλικῆς, ἣν ὁ πολύτροπος ἐνεφύσησεν εἰς ἡμᾶς ὄφις. Eadem leguntur etiam apud Epiphanium *adv. haer. haer. LXIV. §. LVII.* et *LX. Opp. To. I. p.* 584 et 587. edit. Petav.

3) Qua de re poſt verba *not.* 1. laudata haec leguntur apud Photium: ἐκρυζωθῆναι δέ φησι καὶ τὸ, τὰ κακὰ ἐνθυμεῖσθαι διὰ τῆς τῶ φυσικῶ θανάτω παρουσίας. ἐπεὶ καὶ διὰ τῶτο ὁ θάνατος ἐδόθη παρὰ Θεῶ τῷ ἐξημαρτηκότι, ἵνα μὴ ἀθάνατον μείνῃ τὸ κακόν. Quibus ſimillima ſunt, quae ſequuntur paulo poſt *pag.* 915. quaeque pluribus ea de re exponit in *Conuiv. dec. virg. orat. IX. §.* 11. apud Gallandum in *Bibl. PP. Vol. III. pag.* 731.

4) Quod eum peculiari dialogo *de libero arbitrio* ſcripto feciſſe conſtat, de quo diximus iam libell. ſuper. *not.* 36. p. 697.

5) De quibus cfr. eundem Photium *pag.* 910.

candi occaſiones remouere [6]). Eodem vero modo omnes etiam reliqui fere doctores chriſtiani, quanquam maximam iſti arbitrio hominis in virtute ſectanda vim tribuerent, tamen, quod idem Macarius diſerte etiam defendit [7]), et ipſi ſtatuerunt, identidemque admonuerunt, hominem nimirum diuino ea in re auxilio plurimum indigere, nec quicquam poſſe absque eo perficere: id quod plura Clement. Alex. [8]), Origenis [9]), Chryſo-

---

6) Vt adparet ex *Homil. XXV. §.* 1. *p.* 326. ed. Prit. vbi haec habet: *οἱ δὲ μὴ λόγῳ Θεῦ τετιμημένοι μήτε νόμῳ θείῳ πεπαιδευμένοι, εἰκῆ φυσιέμενοι οἴονται διὰ τῦ ἰδίᾳ αὐτεξουσίᾳ καταργεῖν τὰς ἀφορμὰς τῆς ἁμαρτίας, τῆς διὰ μόνῳ τῦ ἐν τῷ σαρκῷ μυστηρίᾳ κατακρινομένης· τὸ γὰρ ἐν τῇ τοῦ ἀνθρώπῳ δυνάμει αὐτεξούσιον ἐπὶ τῷ ἀντιστῆναι τῷ διαβόλῳ κεῖται, ἀλλ' ὐκ ἐπὶ τῷ δύνασθαι ἔγειν παντελῶς τὸ κράτος κατὰ τῶν παθῶν.* Haec eadem vero leguntur etiam in Baſilii M. *ſerm. de liber. arbitr. To. II. Opp. p.* 613. omninoque hic totus ſermo idem plane eſt cum illa, quam diximus, Macarii homilia XXV, quod latuiſſe adhuc videtur Garnerium, quem ſuper. libell. *not.* 42. diximus iam commode obſeruaſſe, hunc ſermonem non poſſe a Baſilio ſcriptum iudicari, ſed alii potius auctori eſſe tribuendum. Pugnaret vero etiam haec ſententia cum aliis huius ſcriptoris dictis in ſuper. libello a nobis allatis, e. c. ei, quod ex *Hom. in Pſ. XLIV. §.* 8. laudauimus *not.* 62. hincque vel hac etiam de cauſa non poſſet ab eo profecta iudicari.

7) In quam rem *Homil. XVIII.* et *XXX.* inprimis ſunt conferendae.

8) *Strom. l. V. §.* 1. *pag.* 647. Pott. vbi *ἔτε γὰρ*, inquit, *ἄνευ προαιρέσεως τυχεῖν οἷόν τε· ἃ μὴν οὐδὲ τὸ πᾶν ἐπὶ τῇ γνώμῃ τῇ ἡμετέρᾳ κεῖται, οἷον τὸ ἀποβησόμενον· χάριτι γὰρ σωζόμεθα· οὐκ ἄνευ μέν τοι τῶν καλῶν ἔρχων· ἀλλὰ δεῖ μὲν πεφυκότας πρὸς τὸ ἀγαθὸν, σπεδήν τινα περιποιήσασθαι πρὸς αὐτὸ· δεῖ δὲ καὶ τὴν γνώμην ὑγιῆ κεκτῆσθαι, τὴν ἀμετανόητον πρὸς τὴν θήραν τῦ καλῦ· πρὸς ὅπερ μάλιστα τῆς θείας χρήζομεν χάριτος διδασκαλίας τε ὀρθῆς καὶ εὐπαθείας ἁγνῆς καὶ τῆς τῦ πατρὸς πρὸς αὐτὸν οἰκῆς·* itemque *§.* 13. *p.* 696. vbi haec leguntur: *εἴτ' ἐν ὁ πατὴρ αὐτὸς ἕλκει πρὸς αὐτὸν πάντα τὸν καθαρῶς βεβιωκότα, καὶ εἰς ἔννοιαν τῆς μακαρίας καὶ ἀφθάρτε φύσεως κεχωρηκότα εἴτε τὸ ἐν ἡμῖν αὐτεξούσιον, εἰς γνῶσιν ἀφικόμενον τἀγαθῦ, σκριτᾷ τε καὶ πηδᾷ ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα, ᾗ φασιν οἱ γυμναζαὶ, πλὴν ἃ χάριτος ἄνευ τῆς ἐξαιρέτε πτερῦται τε καὶ ἀνίεται καὶ ἄνω τῶν ὑπερκειμένων αἴρεται ἡ ψυχὴ, πᾶν τὸ βρίθον ἀποτιθεμένη, καὶ ἀποδιδῦσα τῷ συγγενεῖ.*

9) *De princip. l. III. c.* 1. *n.* 18. *Opp. To. I. p.* 131. vbi haec ſunt verba eius: *ἡ ἡμετέρα τελείωσις οὐχι μηδὲν ἡμῶν πραξάντων γίνεται, οὐ μὴν ἀφ' ἡμῶν ἀπαρτίζεται, ἀλλὰ θεὸς τὸ*

ſtomi [10]), itemque e Latinis Tertulliani [11]), Cypriani [12]), Hieronymi [13]), aliorumque loca [14]) teſtantur.

πολὺ ταύτης ἐνεργεῖ; itemque *n.* 22. *p.* 137. vbi ἐπεὶ δὲ, inquit, ὅπου μὲν ὁ Ἀπόστολος ἀ προσποιεῖται τὸ ἐπὶ τῷ θεῷ εἰς τὸ γενέσθαι σκεῦος εἰς τιμὴν ἢ εἰς ἀτιμίαν, ἀλλὰ τὸ πᾶν ἐφ᾽ ἡμᾶς ἀναφέρει, (2 Tim. 2, 21.) — ὅπου δὲ οὐ προσποιεῖται τὸ ἐφ᾽ ἡμῖν, ἀλλὰ τὸ πᾶν ἐπὶ τὸν θεὸν ἀναφέρειν δοκεῖ: (Rom. IX, 21.) — καὶ ἐκ ἔξιν ἐναντιώματα τὰ εἰρημένα ὑπ᾽ αὐτῆ· συνακτέον ἀμφότερα, καὶ ἕνα λόγον ἐξ ἀμφοτέρων τέλειον ἀποδοτέον. οὔτε τὸ ἐφ᾽ ἡμῖν χωρὶς τῆς ἐπιστήμης τῆ θεῆ, οὔτε ἡ ἐπιστήμη τῆ θεῆ προκήπτειν ἡμᾶς ἀναγκάζει, ἐὰν μὴ καὶ ἡμεῖς ἐπὶ τὸ ἀγαθὸν τι συνεισάγωμεν, κ. τ. λ. denique etiam *c.* 11. *n.* 5. *pag.* 141. vbi haec leguntur: *Sola enim per ſe humana natura non arbitror quia poſſit aduerſus angelos et excelſa et profunda habere certamen. — Vnde ego arbitror, quod nunquam homo forteſſis per ſeipſum virtutem contrariam vincere poteſt, niſi vſus fuerit adiutorio diuino.*

10) *Hom. de verb. Ierem. Opp. To. III. pag.* 798. *edit. Francf.* vbi ἐμερίσατο, inquit, πρὸς ἡμᾶς τὴν ἀρετὴν ὁ Θεὸς, καὶ ὅτε ἐφ᾽ ἡμῖν ἀφῆκε τὸ πᾶν εἶναι, ἵνα μὴ εἰς ἀπόνοιαν ἐπαιρώμεθα, ὅτε αὐτὸς τὸ πᾶν ἔλαβε, ἵνα μὴ εἰς ῥαθυμίαν ἀποκλίνωμεν.

11) *De anim. cap.* 21. *Opp. To. IV. p.* 256. Seml. haec habentis: *Non dabit arbor mala bonos fructus, ſi non inſeratur: et bona malos dabit, ſi non colatur. — Haec erit vis diuinae gratiae, potentior vtique natura, habens in nobis ſubincentem ſibi liberam arbitrii poteſtatem, quod αὐτεξάσιον dicitur.*

12) *De orat. domin. pag.* 145. edit. Brem. *Quia nobis,* inquientis, *a Diabolo obſiſtitur, quo minus per omnia noſter animus atque actus Deo obſequatur, oramus et petimus, ut fiat in nobis voluntas Dei, quae vt fiat in nobis, opus eſt Dei voluntate, id eſt, ope eius et protectione, quia nemo ſuis viribus fortis eſt, ſed Dei indulgentia et miſericordia tutus eſt.* Hinc idem in *Epiſt. LXXVI. ad Nemes. pag.* 232. haec habet: *Quis non pretioſam in conſpectu Domini mortem fortiter et conſtanter excipiat, placiturus eius oculis, qui nos in congreſſione nominis ſui deſuper ſpectans, volentes comprobat, adiuuat dimicantes, vincentes coronat, retributione bonitatis ac pietatis paternae remunerans in nobis quidquid ipſe praeſtitit, et honorans, quod ipſe perfecit? Ipſius enim eſſe, quod vincimus, et quod ad maximi certaminis palmam ſubacto aduerſario peruenimus, declarat et docet Dominus in euangelio ſuo,* etc.

13) In *Comment. in Ierem. c. XVIII. To. V. Opp. p.* 258. Frcft. *Nec ſtatim totum erit hominis, quod eueniet, ſed eius gratiae, qui cuncta largitus eſt; ita enim libertas arbitrii reſeruanda eſt, ut in omnibus excellat gratia largitoris;* itemque

Id ipſum vero novam iis occaſionem praebuit, de huius gratiae diuinae ad liberum hominis arbitrium ratione quaerendi ac diſputandi. Hic tamen omnes in eo conſenſerunt, vt nullam homini per eam vim inferri ſtatuerent, ſed in hoc ipſo gratiae auxilio vel admittendo vel repudiando liberum ipſi arbitrium relinqui defenderent; id quod praeter Clement. Alex. [15]) Macarius potiſſimum atque Chryſoſtomus pluribus locis [16]) diſerte admonuiſſe reperiuntur.

---

in *Cap. XXV. p.* 271. *Sin autem, vt noui ex veteribus haereticis volunt, lex ſemel in adiutorium data eſt, et conſtituta praecepta, quae noſtri arbitrii voluntate vel facimus, vel non facimus, quomodo propheta ſe ſemper ingerit, et quotidie replicat mandata Dei, quae vtique ſemel accepta, ſuffecerat eis, quibus data fuerant, niſi vt hoc oſtendat, Dei nos ſemper indigere auxilio, et nunquam poſſe ſufficere, quod ſemel datum eſt, niſi quotidie Domini admonitione renouetur?*

14) Quorum plura collegit Suicer. in *Theſaur. eccleſ. To. I. p.* 579. atque Doederleinius in *Inſtitut. Theol. chriſt. Par. II. pag.* 672. ſq. edit. Vtae.

15) Qui ea de re haec habet in libr. *quis div. ſalvet. §.* 21. *pag* 947. *ὅτι καθ᾽ αὐτὸν μὲν ἀσκῶν καὶ διαπονούμενος ἀπάθειαν ἀνθρωπος, οὐδὲν ἀνυεῖ· ἐὰν δὲ γένηται δῆλος ὑπερεπιθυμῶν τέτε καὶ διεσπεδακώς, τῇ προσθήκῃ τῆς τε Θεε δυνάμεως περιγίνεται, βελομένοις μὲν γὰρ ὁ Θεὸς ταῖς ψυχαῖς συνεπιπνεῖ· εἰ δὲ ἀποσαῖεν τῆς προθυμίας καὶ τὸ δοθὲν ἐκ Θεε πνεῦμα συνεσάλη. τὸ μὲν γὰρ ἄκοντας σώζειν ἔςι βιαζομένε· τὸ δὲ αἱρεμένε, χαριζομένε.*

16) In quam rem ex illo quidem haec potiſſimum loca exempli cauſa inſpici poterunt: *Hom. XXVII. interr.* 11. *p.* 379. vbi *ὁ λέγομεν*, inquit, *ὅτι ἡ χάρις ἐν αὐτοῖς ἠσθένει, ἀλλὰ λέγομεν, ὅτι παραχωρεῖ ἡ χάρις καὶ τοῖς τελείοις πνευματικοῖς ἔχειν τὰ θελήματα, καὶ τὴν ἐξεσίαν τε ποιεῖν ἃ θέλεσι καὶ τρέπεσθαι ὅπε βέλονται.* itemque *de cuſtod. cord. cap.* 12. *Opuſc. pag.* 20. *ſq. καὶ θεῖα χάρις προτρέπτικὴ ἐςι, διὰ τὸ αὐτεξέσιον καὶ λιτὸν τῆς φύσεως, — ὁμοίως καὶ ἐὰν τραπῇ ὁ ἄνθρωπος εἰς τὸ ἀγαθὸν καὶ περιγένητο χάρις Θεε, ἐκ ἐπιγράφῃ τὸ ἀγαθὸν ἑαυτῇ ἡ χάρις. ἀλλ᾽ ἀποδίδωσι τῷ ἀνθρώπῳ καὶ δοξάζει αὐτόν· — καὶ ἐγ οἷον ἐρχομένη ἡ χάρις πρὸς αὐτὸν ἀναγκαςικῇ δυνάμει δεσμεῖ αὐτε τὸ θέλημα, καὶ λοιπὸν ἑκόντα καὶ ἄκοντα ποιεῖ αὐτὸν, ἄτρεπτον ἀγαθε, ἀλλὰ παραχωρεῖ τῷ αὐτεξεσίῳ καὶ συνεσα ἡ θεῖα δύναμις κ. λ.* quibus ſimillima ſunt, quae leguntur in *libr. de libert. ment. cap.* 3. *pag.* 183. *Opuſc.* neque multum etiam ab his diuerſa ſunt, quae habentur in libr. *de pat. et diſcret. cap.* 12. *pag.* 84. his verbis perſcripta: *μὴ ἔτω δὲ σχῶν κἂν πνεύματι γεννηθῇ, τὸ δὲ ἐςὶ, κἂν μέτοχος καὶ τε ἁγίε πνεύματος γένηται, παρ᾽ ἑαυτε ἕξει*

Iam vero definitius etiam ipsis docendum erat, quidnam homo maxime agere debeat, et quidnam a divina contra gratia potissimum sit expectandum. Hoc autem ita plerumque definierunt, vt hominis quidem voluntatem ac desiderium isti gratiae diuinae obuiam quasi ire, eique, vbi illam nactus fuerit, obsequium praestare debere defenderent, ab hac vero rem sic coeptam perficiendam et ad finem perducendam esse contenderent, idque ab homine illa gratia destituto fieri posse constanter negarent. Vtrumque enim praeter eundem Macarium [17]) atque Chrysostomum [18]), Orige-

---

τὸ ὀπίσω τῦ θελήματος πορευθῆναι τῦ σατανᾶ. εἴτε γὰρ αὐτὸς ὁ κύριος εἴτε καὶ ὁ σατανᾶς πρὸς βίαν ἐλάμβανον οὐκ ἦν ὁ ἄνθρωπος ἑαυτῷ αἴτιος, ὅτε γέενναν ἐμπεσεῖν, ὅτε βασιλείας ἐπιτυχεῖν. Ex hoc autem vel haec pauca loca ad fidem dictis nostris faciendam sufficiant: *Expos. in Psalm. CXV. To. III. Opp. p.* 345. εἰ γὰρ αὐτῦ (τῦ Θεῦ) ἐστι τὸ ἑλκύσαι καὶ ἐπαγαγέσθαι, ἀλλ᾽ ὅμως καὶ ψυχὴν ἐυπειθῆ ἐπιζητεῖ, καὶ τότε τὴν παρ᾽ ἑαυτῦ συμμαχίαν εἰσάγει. — ἐ γὰρ δὴ ἠναγκάσθη τὰ τῆς ἀρετῆς καὶ τῆς σωτηρίας ἡμῶν. *Serm. XIII. de ferend. repreh. To. V. p.* 179. διὰ τῦτο γάρ, φησιν, ἐδεὶς ἔρχεται πρὸς μέ, ἂν μὴ ὁ πατὴρ με ἑλκύσῃ αὐτόν· ὁ δὲ ἕλκων τὸν βελόμενον ἕλκει, τὸν κάτω κείμενον καὶ χεῖρα ὀρέγοντα, καὶ ἵνα μάθητε, ὅτι ἐδένα βιάζεται, ἀλλ᾽ ἐὰν αὐτὸς θέλῃ, ἡμεῖς δὲ μὴ θέλωμεν, διαπίπτει τὰ τῆς σωτηρίας ἡμῶν, ὄκ ἐπειδὴ ἀσθενὶς αὐτῦ τὸ βέλημα, ἀλλ᾽ ἐπειδὴ ἀναγκάσαι ἐδένα θέλει. ἀναγκαῖον τῦτον ἐξετάσαι τὸν λόγον, κ. τ. λ. et *Hom. XI. in Ev. Joh. To. II. P. II. Exposit. in N. T. pag.* 77. vbi de praestantia animae prae corpore disputans, ἡ δὲ ψυχὴ, inquit, κυρία ἑαυτῆς γενομένη, καὶ τῶν πρακτέων τὴν ἐξουσίαν ἔχουσα, ἐ πάντα (ἂν μὴ βέληται), πείθεται τῷ Θεῷ. ἄκουσαν γὰρ αὐτὴν καὶ βίᾳ πῃ κατενεγκασμένην ἐ βέλεται ποιῆσαι καλὴν καὶ ἐνάρετον. ἐπειδὴ περ μηδέ ἐστι τῦτο ἀρετή. ἀλλὰ χρὴ βελομένην καὶ ἑκῦσαν πεῖσαι γενέσθαι τοιαύτην. Cfr. etiam *Expos. in Ps. CXX. To. III. Opp. p.* 374.

17) *Hom. XXXVII. interr.* 12. *p.* 467. vbi ad interrogationem, quidnam scriptura homini faciendum praescribat, ita respondet: προείπομεν ὅτι τὴν ἐπιτήδευσιν ἔχει ὁ ἄνθρωπος κατὰ φύσιν, καὶ ταύτην ὁ θεὸς ἐπιζητεῖ· παραγγέλλει ἓν, ἵνα πρῶτον νοήσῃ καὶ νοήσας ἀγαπήσῃ καὶ θελήματι ἐπιτηδεύσῃ· τὸ δὲ ἐνεργηθῆναι τὸν νῶν, ἢ ὑπομεῖναι τὸν κόπον, ἢ τελέσαι τὸ ἔργον ἡ χάρις τῦ κυρίᾳ παρέχει τῷ θελήσαντι καὶ πιςεύσαντι. τὸ ἓν θέλημα τῦ ἀνθρώπε ὡς παράσασις ὑποςατική· μὴ παρόντος δὲ θελήματος, ἐδε αὐτὸς ὁ θεός τι ποιεῖ, καίπερ δυνάμενος διὰ τὸ αὐτεξούσιον· ἡ ἓν τελεσιεργία τῦ πνεύματος ἐν τῷ θελήματι τῦ ἀνθρώπε κεῖται. Cfratur etiam locus in *tract. de elevat. ment. cap.* 16. *pag.* 130. *Opusc.*

18) *Hom. IX. in Euang. Joh. Expos. in N. T. To. II.*

nes [19]) etiam, itemque e Latinis Hilarius [20]) et Optatus Milev. [21]) diſerte profeſſi ſunt.

Hae ipſae vero diſputationes de auxilii diuini ad bonum perficiendum neceſſitate hominisque circa eam infirmitate mox occaſionem praebuere Auguſtino, vim huius arbitrii humani multo arctius conſtringendi, no-

---

P. II. pag. 70. vbi haec habet: *ἅμα δὲ καὶ ἐνδείξασθαι βέλεται, ὅτι οὐχ ἁπλῶς οὐδὲ ἡ χάρις ἔπεισιν, ἀλλὰ τοῖς βυλομένοις, καὶ ἐσπευδακόσι. καὶ γὰρ καὶ ἐν τῇ ἐξουσίᾳ τῇ τέτων, τὸ γενέσθαι τέκνα. ἂν γὰρ μὴ ἕλωνται αὐτοὶ πρότερον, οὐκ ἔπεισιν ἡ δωρεὰ, οὐδὲ ἐργάζεται τι.* itemque *Hom. XVII. pag.* 116. *ἐντεῦθεν παιδευόμεθα, ὅτι οὐ φθάνει τὰς βελήσεις ἡμῶν ὁ Θεὸς ταῖς δωρεαῖς· ἀλλ' ὅταν ἡμεῖς ἀρξώμεθα, ὅταν τὸ θέλειν παράσχωμεν. τότε καὶ αὐτὸς πολλὰς διδωσιν ἡμῖν τῆς σωτηρίας τὰς ἀφορμάς;* atque *Hom. XII. in epiſt. ad Hebr. To. VI. pag.* 805. *τί ἓν; οὐδὲν ἐπὶ τῷ Θεῷ; πάντα μὲν ἐπὶ τῷ Θεῷ· ἀλλ' οὐχ ἕτως, ὥσε τὸ αὐτεξούσιον ἡμῶν βλάπτεσθαι. εἰ τοίνυν ἐπὶ τῷ Θεῷ, φησι, τί ἡμᾶς αἰτιᾶται; διὰ τέτο εἶπον οὐχ ἕτως, ὥσε τὸ αὐτεξούσιον ἡμῶν μὴ βλάπτεσθαι. ἐφ' ἡμῖν ἐσι τοίνυν, καὶ ἐπ' αὐτῷ. δεῖ γὰρ ἡμᾶς πρῶτον ἑλέσθαι τὰ ἀγαθά. καὶ ὅτε ἑλώμεθα ἡμεῖς, τότε καὶ αὐτὸς τὰ παρ' ἑαυτῷ εἰσάγει. ὁ προφθάνει τὰς ἡμετέρας βελήσεις ἵνα μὴ λυμῆναι τὸ αὐτεξούσιον ἡμῶν·* et *Serm. I. de verb. Jer. To. III. p.* 798. *τέτο ἓν φησι καὶ ὁ προφήτης, ὅτι τὸ κατορθῶσαι οὐκ ἐν ἡμῖν, ἀλλ' ἐν τῇ τέ Θεέ βοηθείᾳ· τὸ δὲ ἑλέσθαι, ἐν ἡμῖν καὶ ἐν τῇ ἡμετέρᾳ προαιρέσει.*

19) *De princ. l. III. n.* 2. *To. I. p.* 139. *Sicut in bonis rebus humanum propoſitum ſolum per ſe ipſum imperfectum eſt ad conſummationem boni, adiutorio namque diuino ad perfecta quaeque perducitur: ita etiam in contrariis initia quaedam et velut quaedam ſemina peccatorum ab his rebus, quae in vſu naturaliter habentur, accipimus.*

20) In *Pſ. CXVIII. v.* 111. *pag.* 932. edit. Paris. *Voluntas noſtra hoc proprium ex ſe habere debet, vt velit; Deus incipienti incrementum dabit: quia conſummationem per ſe infirmitas noſtra non obtinet, meritum tamen adipiſcendae conſummationis eſt ex initio voluntatis.*

21) *De ſchiſm. Donat. l.* 11. §. 20. *pag.* 43. *ed. Du Pin.* vbi haec leguntur: *Etiam vos ipſi, qui ſancti et innocentes videri ab hominibus vultis, dicite, vnde eſt iſta ſanctitas, quam vobis licentius vſurpatis? quam Johannes apoſtolus profiteri non audet, qui ait: ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos decipimus, et veritas in nobis non eſt. Hoc qui dixit, ſapienter ſe ad Dei gratiam referuauit. Eſt enim Chriſtiani hominis, quod bonum eſt, velle; et in eo, quod bene voluerit, currere; ſed homini non eſt datum, perficere: vt poſt ſpatia, quae debet homo implere, reſtet aliquid Deo, vt deficienti ſuccurrat, quia ipſe ſolus eſt perfectio.*

tionemque eius in aliam plane partem transferendi. Cum nimirum Pelagius, qui et ipſe, vt ſuperiori libello [22]) oſtendimus, eandem homini arbitrii libertatem vindicauit, quam reliqui doctores chriſtiani conſtanter ei tribuerunt, neque auxilium etiam diuinum ab ea ſeiunctum eſſe voluit [23]), ſed ſimilem cum illis eius neceſſitatem defendit [24]), tamen videretur ipſi nimium huic

---

22) *not.* 34. vbi ipſius verba recitauimus, p. 696.

23) Quod docet locus eius ab Auguſtino in libr. *de grat. Chriſt. l.* 1. *cap.* 4. ſeruatus, in quo haec notiſſima Pelagii doctrina exponitur: *Nos tria iſta diſtinguimus, et certum velut in ordinem digeſta partimur. Primo loco* poſſe *ſtatuimus, ſecundo* velle, *tertio* eſſe. Poſſe *in natura*, velle *in arbitrio*, eſſe *in effectu locamus. Primum illud, id eſt*, poſſe *ad Deum proprie pertinet, qui illud creaturae ſuae contulit: duo vero reliqua, hoc eſt*, velle *et* eſſe *ad hominem referenda ſunt, quia de arbitrii fonte deſcendunt. Ergo in voluntate et opere bono laus hominis eſt; imo et hominis et dei, qui ipſius voluntatis et operis poſſibilitatem dedit, quique ipſam poſſibilitatem* gratiae ſuae adiuuat ſemper auxilio. Huic addi etiam poteſt alius, quem idem Auguſtinus ſeruauit *ibid. c.* 7. qui ita habet: *Hic nos imperitiſſimi hominum putant iniuriam diuinae gratiae facere, qui dicimus, eam ſine voluntate noſtra nequaquam in nobis perficere ſanctitatem: quaſi Deus gratiae ſuae aliquid imperaverit, et non illis, quibus imperauit, etiam gratiae ſuae auxilium ſubminiſtret, vt quod per liberum homines facere iubentur arbitrium, facilius poſſent implere per gratiam, quam nos non, vt tu putas, in lege tantummodo, ſed et* in Dei adiutorio *eſſe confitemur. Adiuuat enim nos Deus per doctrinam et reuelationem ſuam, dum cordis noſtri oculos aperit, dum nobis, ne praeſentibus occupemur, futura demonſtrat, dum diaboli pandit inſidias, dum nos* multiformi et ineffabili dono gratiae caeleſtis illuminat. His ſimillima ſunt, quae eodem Auguſtino *ibid. c.* 31. teſte, leguntur in *litter.* eius *ad Innoc. Papam*, vbi *ecce*, inquit, *apud beatitudinem tuam epiſtola iſta me purget, in qua pure atque ſimpliciter ad peccandum et ad non peccandum integrum liberum arbitrium habere nos dicimus, quod* in omnibus operibus diuino adiuuatur ſemper auxilio.

24) Quam perſpicue admittit, dum in *explanat. fidei* haec ponit apud Wallium in *Hiſtor. bapt. infant. To.* 1. *pag* 391. *Liberum ſic confitemur arbitrium, ut dicamus, nos ſemper* Dei indigere auxilio: *et tam illos errare, qui cum Manichaeo dicunt, hominem peccatum vitare non poſſe, quam illos, qui cum Iouiniano adſerunt, hominem non poſſe peccare.* Multo tamen apertius eam profitetur in loco apud Auguſtin. *de grat. Chr. l.* 1. *c.* 2. *To. X. Opp. p.* 230. vbi haec eius verba recitantur: *anathema, qui vel ſentit vel dixit, gratiam Dei qua Chriſtus*

arbitrio hominis tribuere [25]), ille quidem tam exiliter de eo iudicauit, vt fere totum tollere videretur. Adeo nimirum post lapsum primorum parentum naturam hominis deprauatam esse statuit, vt illud liberum eius arbitrium iam non amplius valeat ad bonum amplectendum atque sequendum, sed peccato potius ac diabolo sit subiectum ac seruum [26]), hincque, nisi ab isto seruitio iterum liberetur, non possit non malum adpetere atque exequi [27]), ideoque homo totus a Deo eiusque auxilio pendeat [28]), et absque eo plane non possit

---

venit in hunc mundum peccatores saluos facere, non solum per singulas horas aut per singula momenta, sed etiam per singulos actus nostros *non esse* necessariam. Quaenam autem fuerit illa gratia, quam necessariam iudicauit, ea, cum tanta sit huius vocabuli ambiguitas, altioris sane indaginis quaestio est, quam excutere cum non sit nostri nunc consilii, cfrri de ea poterit Walchii *Histor. der Ketzer. Vol. IV. pag.* 742. *sq.* et 748. *sq.*

25) Quod diserte in ipso eiusque affectis reprehendit *lib.* 1. *contr. duas Pelag. epist. c.* 24. *n.* 42. itemque *Oper. imperf. contr. Iulian. l. III. n. CIII.* et *l. VI. n.* 18.

26) Quod *l. II. contr. duas epist. Pelag. c.* 5. *n.* 9. *Opp. To. X. p.* 436. his e. c. verbis tradit: *Peccato Adae arbitrium liberum de hominum natura periisse non dicimus: sed ad peccandum valere in hominibus subditis diabolo; ad bene autem pieque viuendum non valere, nisi ipsa voluntas hominis Dei gratia fuerit liberata, et ad omne bonum actionis, sermonis, cogitationis adiuta.*

27) In quam rem haec habet *ibid. l. III. c.* 8. n. 24. *pag.* 464. *Liberum arbitrium* captiuatum *non nisi ad peccatum valet; ad iustitiam vero, nisi diuinitus liberatum adiutumque non valet.* itemque *lib. III. Oper. imperf. contr. Iul. n.* 110. *To. X. p.* 1096. *Verum dicis: hoc est liberum arbitrium; tale omnino accepit Adam: sed quod datum est a conditore, et a deceptore vitiatum, vtique a saluatore sanandum:* cum quo loco consentit etiam alius in *lib. de correpti. et grat. c.* 12. §. 35. *To. X. pag.* 770. vbi, *illi ergo,* inquit, *sine peccato vllo data est, cum qua conditus est: voluntas libera, et eam fecit seruire peccato: horum vero cum fuisset voluntas serua peccati, liberata est per illum, qui dixit: si vos Filius liberauerit, tunc vere liberi eritis.*

28) Cum in eo, vt a peccati isto seruitio liberetur, tum vt in virtutis etiam studio adiuuetur; quod diserte docet in *libr. de correpti. et grat. c.* 1. §. 2. *pag.* 751 vbi haec habet: *Liberum itaque arbitrium et ad malum et ad bonum faciendum constituendum est nos habere: sed in malo faciendo liber est quisque iu-*

boni aliquid vel cognoſcere aut cogitare [29]), vel velle [30]) atque perficere [31]), inque eo [32]) perſeuerare [33]). Iam

---

ſtitiae ſeruusque peccati, in bono autem liber eſſe nullus poteſt, niſi fuerit liberatus ab eo, qui dixit ſi vos filius liberauerit, tunc vere liberi eritis. *Nec ita, vt cum quisque fuerit a peccati dominatione liberatus iam non indigeat liberatoris auxilio: ſed ita potius vt ab illo audiens,* ſine me nihil poteſtis facere, *dicat et ipſe,* Adiutor meus eſto, ne derelinquas me. Hinc de vtriusque auxilii diu. neceſſitate alibi etiam ſaepe loquitur, v. c. *Serm. CLVI. c. II. To. V. Opp. P. I. p.* 750. et *lib. II. de peccat. merit. §.* 31. *To. X. pag.* 56.

29) De quo haec habet *de nat. et grat. contr. Pelag. c.* 40. *n.* 47. *To. X. p.* 147. *Si enim poſſibilitas naturalis per liberum arbitrium et ad cognoſcendum quomodo viuere debeat et ad bene viuendum ſufficit ſibi; ergo Chriſtus gratis mortuus eſt, ergo euacuatum eſt ſcandalum crucis:* itemque *de lib. arbitr. l. III. c.* 18. *n.* 52. *To. I. pag.* 751. *Nec mirandum eſt, quod vel ignorando non habet liberum arbitrium voluntatis ad eligendum, quid recte faciat, vel reſiſtente conſuetudine, quae violentia mortalis ſucceſſionis quodammodo naturaliter inoleuit, videat, quid recte faciendum ſit, et velit, nec poſſit implere. Illa eſt enim peccati poena iuſtiſſima, vt amittat quisque quo bene vti noluit, cum ſine vlla poſſet difficultate ſi veliet: id eſt autem, vt qui sciens recte non facit, amittat ſcire, quid rectum ſit, et qui recte facere cum poſſet, noluit, amittat poſſe, cum velit;* quem locum repetiit etiam in eodem *libr. de nat. et grat. c.* 67. huicque ſimillimus legitur quoque in *libr. de grat. Chr. contr. Pelag. et Coeleſt. c.* 14. *n.* 15. *To. X. p.* 237. in quo haec leguntur: *Quis autem non videat, et venire quenquam* (ad Chriſtum) *et non venire arbitrio voluntatis? Sed hoc arbitrium poteſt eſſe ſolum, ſi non venit: non autem poteſt niſi adiutum eſſe, ſi venit, et ſic adiutum, vt non ſolum quid faciendum ſit ſciat, ſed quod ſcierit etiam faciat.*

30) Qua de re haec tradit *Oper. imperf. contr. Iul. l. VI. n.* 11. *p.* 1304. *Sunt enim, quos peccare ita delectat, vt nolint oderintque iuſtitiam: quam nec* velle *aliquis poteſt niſi paretur voluntas a Domino, vt ad perficiendam iuſtitiam praecedat deſiderium voluntatis et paulatim effectus poteſtatis accedat:* itemque *l.* 1. *contr. duas epiſt. Pelag. c.* 3. *§.* 7. *p.* 415. vbi, *nec poteſt,* inquit, *homo boni aliquid velle, niſi adiuuetur ab eo, qui malum non potest velle.* Hinc negat etiam in Epiſt. CLXXXVIII. *n.* 7. *Opp. To. II. p.* 695. bonam voluntatem in homine eſſe poſſe niſi proprium eius arbitrium Dei gratia iuuetur.

31) In quam rem haec leguntur in *libr. de Spir. et litt. c.* 3. *n.* 5. *To. X. pag.* 87. *Nos autem dicimus humanam voluntatem ſic diuinitus adiuuari ad faciendam iuſtitiam, vt praeter quod creatus eſt homo cum libero arbitrio voluntatis, praeterque doctrinam, qua ei praecipitur, quemadmodum viuere debeat, accipiat Spiritum ſanctum, quo fiat in animo eius dele-*

vero aperte ſibi in verborum *libertatis* et *liberi* luſu quodam placens [34]), ſcriptorumque ſacrorum varium in vocabulis iſtis vſurpandis vſum [35]) reſpiciens talia ſaepenumero poſuit, quae ſibi plane videntur repugnare, vt nimirum liberum hominis arbitrium Adami peccato cum amiſſum eſſe [36]), tum vero etiam adhuc ſuper-

---

ctatio dilectioque ſummi illius atque incommutabilis boni, quod Deus eſt, etiam nunc cum per fidem ambulatur, nondum per speciem — Nam neque liberum arbitrium quidquam niſi ad peccandum valet, ſi lateat veritatis via: et cum id, quod agendum et quo nitendum eſt, coeperit non latere, niſi etiam delectet et ametur, non agitur, non ſuscipitur, non bene viuitur. Vt autem diligatur, caritas Dei diffunditur in cordibus noſtris non per arbitrium liberum, quod ſurgit ex nobis, ſed per Spiritum S. qui datus eſt nobis: itemque *Oper. imperf. contr. Iul. l. III. n. CVIII. pag.* 1094. vbi haec monet adu. Iulian. qui verba eius non ſatis fideliter recitauerat: *Ego enim dixi, non eſſe liberum quendam ad agendum bonum ſine adiutorio Dei. Tu autem dicis, fateri me quidem liberum arbitrium, non tamen vt quisquam homo liber ad agendum bonum credatur: nec addis, quod ego addidi, ſine adiutorio Dei.* De quibus verbis ſuis videnda etiam ſunt, quae paulo poſt monet *n. CX.* et *CXII.*

32) Quod et ipſum eſſe donum Dei, inprimis docuit in *libr. de dono perſeuerantiae, To. X. Opp. p.* 821.

33) Hinc in *libr. de grat. Chr. c.* 25. *n.* 26. *To. X. pag.* 241. hanc gratiam non tantum propter Pelagianorum *illorum trium* (not. 23.) *unum, id eſt, propter poſſibilitatem bonae voluntatis, ſed etiam propter voluntatem et operationem bonam* dicit praedicandam eſſe, damnatque *Epiſt. CCXVII. c.* 2. *n.* 4. *To. II. pag.* 800. ſententiam eorum, qui dicant gratiam Dei non ad ſingulos actus dari.

34) Quem luſum multa ex locis iam allatis perſpicue produnt.

35) Ex quo nimirum *liber* is etiam eſſe dicitur, qui nullo cum aliqua re vinculo tenetur, aut ſe teneri amplius putat, hincque commemoratur vel libertas a peccatis, (Jo. 8, 36.) vel a virtute et probitate. (Rom. 6, 20) Hunc igitur ſcriptorum ſacrorum vſum imitans noſter et ipſe commemorat cum liberos ad bonum vel in bono, tum etiam liberos a iuſtitia, vt fit v. c. *lib.* 1. *contr. duas epiſt. Pelag. c.* 2. itemque *Oper. imperf. contr. Iul. l.* 1. *n.* 94. loquiturque multis in locis de arbitrio *liberato.*

36) Quod fit v. c. in *Epiſt. CCXVII.* (ol. 107.) *c.* 4. *Opp. To. II. p.* 803. vbi, *liberum,* inquit *arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate* perdidimus: itemque in *Enchir. ad Laurent. c. XXX. Libero arbitrio male vtens homo et ſe perdidit, et ipſum. Sicut enim, qui ſe occidit, vtique viuendo ſe occidit; — ita cum libero peccatur arbitrio, victore peccato*

esse [37]), defenderet: quae facile adparet, non posse vno eodemque, sed diuerso potius sensu [38]) ab illo dicta censeri. Vbi nimirum id amissum esse dixit, aperte hoc voluit, eam, quae vere dici poterit libertas moralis inque bono atque honesto perficiendo cernatur, periisse [39]); vbi vero id etiamnum superesse defendit, id cogitauit, hominem neque ad bonum, neque ad malum ab vllo cogi, adeoque nunquam inuitum aut nolentem vel recte,

---

amissum est et liberum arbitrium; atque in *lib. XIV. de civ. Dei c.* 11. vbi haec leguntur: *arbitrium igitur voluntatis tunc est vere liberum, cum vitiis peccatisque non seruit. Tale datum est a Deo, quod* amissum *proprio vitio, nisi a quo dari potuit,* reddi *non potest.* Hinc et alibi de reddendo libero arbitrio loquitur, dum *Oper. imp. contr. Iul. l. III. n.* 69. haec dicit Iuliano: *Liberum arbitrium vos opprimitis, cui reddendo vel adiuuando Dei gratiam denegatis.*

37) Quod praeter locum *not.* 26. laud. tradit v. c. *lib. I. contr. duas epist. Pelag. c.* 2. *n.* 5. *To. X pag.* 414. his verbis vsus: *Liberum arbitrium vsque adeo in peccatore* non periit, *vt per illud peccent maxime omnes, qui cum delectatione peccant, et amore peccati hoc eis placet, quod eis libet;* atque in *libr. de grat. et lib. arbitr. c.* 4. *n.* 8. *To. X. p.* 722. vbi *Numquid,* inquit, *tam multa, quae praecipiuntur in lege Dei, ne fornicationes et adulteria committantur, indicant aliud quam liberum arbitrium? Neque enim praeciperentur, nisi homo haberet propriam voluntatem, qua diuinis praeceptis obediret.*

38) Quem bene assecutus est Petauius in *dogm. theolog. de opif. sex dier. lib. IV. c. VII. To. III. p.* 249. *sq.*

39) Quod praeter loca *not.* 26. et 36. laudata luculenter etiam docet alius, qui in *lib. I. contr. duas epist. Pelag. c.* 2. *n.* 5. legitur, praeceditque verba nota penultima allata, habetque sic: *Quis autem nostrum dicat quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum, sed illa, quae in paradiso fuit habendi plenam cum immortalitate iustitiam, propter quod natura humana diuina indiget gratia, dicente Domino,* si vos filius liberauerit, tunc vere liberi eritis: *vtique liberi ad bene iusteque viuendum.* De eodem igitur libero arbitrio etiam ibi cogitauit, vbi id per gratiam dicit restitui, quod praeter alia plura docet v. c. locus *Epist. CCXVII. n.* 8. vbi *si vere,* inquit, *volumus defendere liberum arbitrium, non oppugnemus, vnde fit liberum. Nam qui oppugnat gratiam, qua nostrum ad declinandum a malo et faciendum bonum, liberatur arbitrium, ipse arbitrium suum adhuc vult esse captiuum.* Cfr. etiam *de Spir. et litter. c.* 30.

vel male agere [40]): quod tamen, vtrum de eo iure dici poterit, qui non modo a voluntate ſua, quae nihil, niſi quod prauum ſit, adpetere queat, ad malum abripiatur, ſed ipſam adeo boni adpetendi voluntatem a Deo nanciſcatur, alii viderint acutiores. Nobis enim iam non amplius vacat, diligentius haec excutere, cum vel ex paucis illis, quae ex eo attulimus, abunde perſpici poſſit, id, quod caeteri doctores chriſtiani libero hominis arbitrio, ei tamen a diuina gratia ſuffulto atque adiuto, conſtanter vindicauerint, id nimirum ad bonum ſequendum atque perficiendum in homine valere, Auguſtinum quidem [41]) a diuina gratia vince repetiiſſe, eique totum in acceptis retuliſſe [42]), et, quam illi vel boni vel mali eligendi facultatem liberi arbitrii nomine inſigniuerint, hunc in facultatem, non niſi bonum adpetendi atque ſequendi, transmutaſſe.

Nunc vero miſſis his, quae ad Auguſtinum eiusque παιδείας τρόπον pertinent, ad id potius peruenendum eſt, cuius cauſa haec omnis diſputatio a nobis inſtituta eſt, vt nimirum quaeratur, vtrum illud liberum

---

40) Hoc enim diſerte tradit in *lib.* 1. *contr. duas epp. Pelag. c.* 18. *n.* 36. *To. X. p.* 427. *Nec ex Dei*, inquiens, *potentia vel in malum, vel in bonum inuitum aliquem cogi, ſed Deo deferente pro meritis ire in malum et Deo adiuuante ſine meritis conuerti ad bonum. Non enim eſt homo bonus ſi nolit, ſed gratia Dei ad hoc etiam adiuuatur, vt velit.*

41) Quem tamen olim, inprimisque cum aduerſus Manichaeos diſputaret, id ipſum quoque defendiſſe, dudum a multis iam eſt obſeruatum: e quorum numero conferendi inprimis ſunt Beauſobre in *Hiſt. des Manich. et du Manicheiſ. To. II. l. VII. c.* 2. *pag.* 433. et Jo. Geo. Arn. Oelrichs in *Comment. de ſcript. eccleſ. lat. prior. VI. ſaec. pag.* 458. *ſeq.*

42) Hinc etiam ipſe non modo liberum hominis arbitrium *parum eſſe* dicit *ad bonum perficiendum, de corrupt. et grat. c. VI. n.* 31. et *de perfect. iuſt. c.* 9. *n.* 21.) ſed diſerte etiam profitetur, a Deo quidquid boni ſit, donari. (*Tractat. LXXXV. in Ioan. n.* 3.)

hominis arbitrium, quod non modo graecae ecclesiae doctores, sed latinae etiam, qui ante Augustinum vixere, omnes defendisse ostendimus, ex Platonica, vt nonnullis visum est [43]), Philosophia ab iis fuerit arreptum, an vero aliunde susceptum aliisque, quam ob scholae illius auctoritatem, de causis probatum. Hic autem profecto mirum est, eiusmodi sententiam ex peculiari aliqua schola philosophica dici translatam, quae cum virtutis honestatisque studio tam arcte nexa est, vt, ea non admissa, id plane non possit locum habere, fueritque hinc ab omnibus fere Philosophis atque Theologis inter prima doctrinae moralis capita, quae cuilibet sint tenenda atque probanda, relata, ideoque, vt Origenes quidem docet [44]), in ipsa etiam veterum Christianorum ecclesiastica praedicatione fuisse reperiatur. At enimuero tantum abfuerunt nostri, vt Platoni hanc sententiam a se deberi concederent, vt hunc potius ipsum a Mose eam mutuatum esse defenderent [45]); sibi vero eius fidem locorum scripturae sacrae, quorum complura commemorant [46]), auctoritate potius factam esse de-

---

43) In quorum numero sunt v. c. Jac. Basnage in *Histoire de l'eglis. To. I. l. XI. c.* 6. §. 2. *pag.* 638. *sq.* Ehreg. Dan. Colberg in *Platonisch-hermet. Christenth. Vol. II. pag.* 221. Jo. Jac. Hottingerus in *Fat. doctr. de praedest. et grat. Dei salut. l. I. §.* 48. *p.* 59. *sq.* et inter recentiores Jo. Horn. in *Comment. de sententiis eorum Patrum, quorum auctoritas ante Augustinum plurimum valuit de peccato originali, pag.* 101. *sq.*

44) In *Praef. l.* 1. *de princ. Est et illud*, inquiens, *definitum in ecclesiastica praedicatione, omnem animam rationabilem esse liberi arbitrii et voluntatis.*

45) Quae Iustini Martyr. saltem est sententia, qui in *Apol. I. §.* 44. *pag.* 70. edit. Mar. *ὥστε καὶ Πλάτων*, inquit, *εἰπὼν αἰτία ἑλομένου, θεὸς δὲ ἀναίτιος, παρὰ Μωσέως τοῦ προφήτου λαβὼν εἶπε. πρεσβύτερος γὰρ Μωσῆς καὶ πάντων τῶν ἐν Ἕλλησι συγγραφέων.*

46) Quod praeter eundem Iustin. Mart. in *l. l. pag.* 69. fecerunt etiam Origenes *lib. III. de princ. c.* 1. *§.* 6. *To. I. Opp. p.* 11. *sq.* atque Jo. Damasc. in *Parall. sacr. Opp. To. II. pag.* 314. edit. Le Quien.

clarant [47]). Tum vero admodum etiam credibile eſt, aliis quoque, quae ad hanc ſententiam confirmandam in medium proferuntur, argumentis, ipſis de illius veritate fuiſſe perſuaſum. Haec enim maximam partem adeo commoda ſunt atque idonea, vt non potuerint non iis penſitandis ad firmiſſimam de ea perſuaſionem adduci, fuerintque hinc pleraque etiam a recentioribus Philoſophis eam in rem laudata. Ecquis enim non et ipſe in aſſenſum abripiatur, ſi haec commemorari videat, nullas homini, niſi libero hoc arbitrio gaudeat, leges proponi poſſe, neque vllam apud eum ob neglectam legem culpam locum habere, nullamque aut laudem aut vituperationem, neque praemium aut poenam in eum cadere, hincque omnem virtutem atque vitium omneque inter bonos et malos diſcrimen tolli, et inanes fore omnes ad bonum ſectandum adhortationes, et quae his ſunt ſimilia? Haec enim fere ſunt, quae in ſententiae illius confirmationem a noſtris identidem laudantur, nuncque paucis tantum attinguntur, nunc vero etiam latius tractantur, argumenta [48]), quibusque interdum etiam ar-

---

47) Id ſaltem diſerte profeſſus eſt Clemens Alex. *Strom. l. II. §.* 14. *p.* 434. *Pott.* vbi ἡμεῖς δὲ, inquit, οἱ τὴν αἵρεσιν καὶ φυγὴν δεδόσθαι τοῖς ἀνθρώποις ἀυτοκρατορικὴν παρὰ τȣ̃ Κυρίȣ διὰ τῶν γραφῶν παρειληφότες, ἀμεταπτώτῳ κριτηρίῳ τῇ πίςει ἐπαναπαυώμεθα, τὸ πνεῦμα πρόθυμον ἐνδειξάμενοι, ὅτι εἱλόμεθα τὴν ζωὴν, καὶ τῷ Θεῷ διὰ τῆς ἐκείνȣ φωνῆς πεπιςεύκαμεν· καὶ ὁ τῷ λόγῳ πιςεύσας, οἶδεν τὸ πρᾶγμα ἀληθές.

48) In quam rem haec potiſſimum eorum loca inſpici poterunt: Iuſtin. Martyr. *Apol. I. §.* 43. *pag.* 69. edit. Mar. et *Apol. II. §.* 7. *pag.* 93. Athenagor. *legat. pro Chriſt. §.* 24. *pag.* 302. edit. Mar. Clem. Alex. *Strom. l. I. §.* 17. *p.* 368. Pott. Recogn. Clement. *l. III. §.* 21. Origen. *contr. Celſ. l. IV. §.* 3. *To. I. Opp. pag.* 504. itemque *Comment. in Gen. I*, 14. *To. II. p.* 4. atque *Tom. X. Comment. in Matth. §.* 11. *To. III. pag.* 453. Euſeb. *Praep. evang. l. VI. p.* 244. Macar. *Hom. XXVII. §.* 21. *p.* 390. *ſq.* Cyrill. *Hier. catech. IV. §.* 21. *pag.* 62. edit. Toutt. Ven. Serap. *contr. Manich. §.* 9. in Galland. *Bibl. PP. To. V. pag.* 54. Tit. Boſtr. *l. II. contr. Manich.* apud eundem Galland. *To. V. p.* 298. Gregor. Nyſſ. in *Orat. catech. c.* 31. *To. III. Opp. p.* 91. edit. Par. Chryſoſt. *Hom. XXII. in Gen.*

gumentum a cuiusque experientia repetendum [49]) addunt.

Quodſi vero tamen quis concedere nolit, noſtris horum argumentorum vi ac pondere de illius ſententiae veritate vere fuiſſe perſuaſum, ſed ab aliis potius eos illam mutuatos eſſe audacter defendat; et hanc doctrinam a Iudaeis potius, quam a Platone eos accepiſſe dixerimus, cum et hi eam iam ante illos probaſſe, inque religionis capitibus profuiſſe reperiantur. Quanquàm enim Joſephus quidem hanc ſententiam inter Phariſaeorum atque Sadducaeorum dogmata referat [50]); tamen minime fuit his ſectis vnice propria, ſed aliis etiam Judaeorum probata, inque vulgus, vt videtur, apud eos nota. Certe auctor Eccleſiaſtici hanc doctrinam de arbitrii humani libertate perſpicue profitetur, eamque commode ad confutandos eos, qui peccatorum ſuorum culpam in Deum deuoluant, transfert, dum Cap. XV, 14—17. haec ponit: *αὐτὸς ἐξ ἀρχῆς ἐποίησεν ἄνθρωπον καὶ ἀφῆκεν αὐτὸν ἐν χειρὶ διαβουλίου αὐτοῦ. Ἐὰν θέλῃς συντηρήσῃς ἐντολάς, καὶ πίστιν ποιῆσαι εὐδοκίας. παρεθήκε σοι πῦρ καὶ ὕδωρ, ὃ ἐὰν θέλῃς ἐκτενεῖς τὴν χεῖρα σου. Ἔναντι ἀνθρώπων ἡ ζωὴ καὶ ὁ θάνατος, καὶ ὃ ἐὰν εὐδοκήσῃ δοθήσεται αὐτοῖς.* Ean-

---

To. II. p. 216. itemque *Serm. I. de verb. Ierem. To. III. p.* 792. Theodoret. *graec. affect. curat. diſp. V. To. IV. Opp. p.* 845. edit. Hal. Nemeſ. *de nat. hom. c.* 39. *pag.* 314. et 316. edit. Matth. et *c.* 41. *p.* 324. *ſq.* atque Tertull. *l. I. adv. Marc. c.* 5. *Opp. To. I. pag.* 69. *ſq.* edit. Hal. et *cap.* 6. *p.* 72.

49) Quod tractatur v. c. ab Origene *de Orat. §.* 6. *Opp. To. I. pag.* 206. *ſq.* et Euſebio in *Praep. euang. l. VI. c.* 6. *p.* 245.

50) De illis quidem haec habens *de bell. iud. l. II. c.* 8. §. 14. *To. III. pag.* 420. edit. Oberth. *εἱμαρμένῃ τε καὶ Θεῷ προσάπτουσι πάντα, καὶ τὸ μὲν πράττειν τὰ δίκαια, καὶ μὴ, κατὰ τὸ πλεῖστον ἐπὶ τοῖς ἀνθρώποις κεῖσθαι, βοηθεῖν δὲ εἰς ἕκαστον καὶ τὴν εἱμαρμένην,* de his autem *ibid.* haec ſcribens: *φασὶ δὲ ἐπ' ἀνθρώπων ἐκλογῇ τὸ τε καλὸν καὶ τὸ κακὸν προκεῖσθαι, καὶ τὸ κατὰ γνώμην ἑκάτερον τούτων ἑκατέρῳ προσιέναι.*

dem vero auctor quoque Targum Hierof. in locum Gen. IV, 6. intulit, dum locum hunc ita παραφράζει: ברם בידך מסרית רשותיה דיצרא בישא ואת תהוי שליט ביה ביו למזכי בין למחטי *Veruntamen in manum tuam tradidi potestatem concupiscentiae malae: et tu dominare ei, siue ad bonum, siue ad malum;* eodemque modo Philo etiam eandem de arbitrii libertate persuasionem plus vno in loco professus est[51]), hincque nec mirum esse poterit, seriores quoque Iudaeos eidem addictos deprehendi[52]).

Cum igitur haec doctrina a Iudaeis iam fuerit probata et pro religionis capite habita, tanto minus profecto mirandum est, christianae etiam ecclesiae doctores eam inter illa quoque recepisse, quanto apertius eam cum internis veritatis argumentis, tum scriptorum etiam sacrorum auctoritate commendari atque confirmari videbant.

---

51) In libr. *de immut. Dei, Opp. To. II. p.* 408. edit. Pfeiff. *μόνην γὰρ ἀυτὴν ὁ γεννήσας πατὴρ ἐλευθερίας ἠξίωσε, καὶ τὰ τῆς ἀνάγκης ἀνεὶς δεσμά, ἄφετον εἴασε, δωρησάμενος ἀυτῇ, τὸ πρεπωδεςάτε καὶ οἰκείε κτήματος ἀυτῷ τὸ ἑκσοίς μοῖραν, ἣν ἠδύνατο δέξασθαι. — ὁ ἄνθρωπος ἐθελεργοῦ καὶ ἀυτοκελεύςε γνώμης λαχὼν, καὶ προαιρετικαῖς χρώμενος τὰ πολλὰ ταῖς ἐνεργείαις, εἰκότως ψόγον μὲν ἔσχεν ἐφ' οἷς ἐκ προνοίας ἀδικεῖ, ἔπαινον δὲ, ἐφ' οἷς ἑκὼν κατορθοῖ. — μόνη ἡ ἀνθρώπε ψυχὴ δεξαμένη παρὰ θεὸ τὴν ἑκόσιον κίνησιν, καὶ κατὰ τὸτο ὁμοιωθεῖσα ἀυτῷ, χαλεπῆς καὶ ἀγαλεωτάτης δεσποίνης, τῆς ἀνάγκης, ὡς οἷόν τε ἦν ἐλευθερωθεῖσα, κατηγορίας ἂν δεόντως τυγχάνοι, ὅτι τὸν ἐλευθερώσαντα ἐ περιέπει.* Hinc in libr. *quod deter. potior. insid. p.* 218. *sq. To. II.* negat, Deum malorum autorem esse, sed nostras potius *τὰς ἑκσοίςς τῆς διανοίας πρὸς τὸ χεῖρον τροπὰς* in culpa esse defendit. Esse vero quamlibet animam boni etiam capacem eiusque necessario capacem reddi debuisse, si Deus iustus dici voluisset, *libr. I. Allegor. p.* 140. *To. I.* his verbis tradit: "*Ηδ' ἐςὶν ἡ αἰτία, δι' ἣν ἄγονον μὲν ἐδεμίαν ψυχὴν ἐδημιέργησεν ἀγαθὸ, κἂν ἀδύνατος ἡ χρῆσις ἑνίοις ἦν ἀυτὸ — ὁ μὲν οὖν μὴ ἐμπνευσθεὶς τὴν ἀληθινὴν ζωὴν, ἀλλ' ἄπειρος ὢν ἀρετῆς, κολαζόμενος ἐφ' οἷς ἥμαρτεν, εἶπεν ἂν ὡς ἀδίκως κολάζεται, ἀπειρία γὰρ τὸ ἀγαθὸ σφάλλεσθαι περὶ αὐτό.*

52) De quo praeter alios cferri possunt Jo. Buxtorfius in *Lexic. Rabbin.* sub voc. בחירה *pag.* 267. et Trigland. in *diatr. de secta Karaeor. c. X. n.* 156. *pag.* 288. edit. Wolf.

Cap. IV.

Sect. 8. de corpore humano peccatorum ſede et fomite.

(Comment. XV.)

Pertractatis iam inde a Comment. X. omnibus iis, quae in doctrina de animo humano ex Platonica philoſophia ſuſcepiſſe dicuntur veteris eccleſiae doctores, ad ea nobis nunc progrediendum eſt, quae de corpore hominis ex eadem philoſophia hauſta defendiſſe cenſentur. Referunt autem huc illud potiſſimum, quod corpus humanum praecipuam peccatorum ab hominibus admiſſorum ſedem ac fomitem habuiſſe reperiuntur; quod quo ſenſu ſinguli eorum quoque reſpectu dixerint, primun omnium paulo diligentius erit quaerendum.

Prima vero huius ſententiae inter Chriſtianos defenſae veſtigia apud *Juſtinum Martyr.* deprehenduntur. Is nimirum in fragmento, quod ex libro eius *de reſurrect. carn.* nobis etiamnum ſeruatum eſt, vbi aduerſus illos diſputat, qui de carnis reſurrectione dubitent, illos etiam commemorat, qui vituperent carnem, eamque reſurrectione et vita coeleſti indignam iudicent, cum non modo ſubſtantia eius terrena, ſed et ipſa ſola peccatorum cauſa ſit, ita, vt ſi illa denuo ſit reſtituenda, eius quoque vitia ſimul ſint reſurrectura[1]). Neque diu etiam dubii poterimus haerere, quinam illi fuerint, cum inter omnes ſatis conſtet, a Gnoſticorum nomina-

---

1) *Opp. pag.* 588. edit. Mar. vbi §. 11. haec de iis habet: *κακίζουσιν αὐτὴν, τὰ ἐλαττώματα προφέροντες καὶ αὐτὴν μόνην τῶν ἁμαρτημάτων αἰτίαν ἀποφαίνονται, ὥςε εἰ μέλλει, φασὶ, σὰρξ ἀνίςασθαι, καὶ τὰ ἐλαττώματα συναναςήσεται,* atque §. VII. in qua ad hanc eorum ſententiam refutandam progreditur, eamque his verbis exponit p. 592: *ἑξῆς δὲ λεκτέον πρὸς τὸς ἀτιμάζοντας τὴν σάρκα, καὶ φάσκοντας μὴ ἀξίαν εἶναι τῆς ἀναςάσεως, μηδὲ τῆς ἐρανίς πολιτείας. ὅτι πρῶτον αὐτῆς ἐςιν ἡ ὑσία γῆ, μετέπειτα καὶ μεςὴ γέγονε πάσης ἁμαρτίας, ὥςε καὶ τὴν ψυχὴν ἀναγκάσαι συναμαρτάνειν.*

tim familia hanc de corpore humano, vtpote ex materia formato, pro peccati causa habendo sententiam illa aetate fuisse defensam, propterque eam corporis resurrectionem in dubium ab iis vocatam [2]). Ipse vero Iustinus in responsione ad hanc objectionem non omnino negat carnem peccatis esse obnoxiam, sed hoc tantum impugnat, eam *solam* esse peccatorum causam, et animam quoque in eorum communionem venire monet [3]). Quaenam vero cuiusque ea in re ex sua mente partes sint, id nusquam accuratius exponit.

Paulo vero apertius suam hac de re sententiam professus est *Athenagoras* in simili libello, quem *περὶ ἀναστάσεως νεκρῶν* aduersus Philosophos scripsit. Is enim in ea huius libri parte, in qua Deum iniustum fore ostendit, si solam hominis animam, excluso corpore, velit remunerari aut punire, id ipsum eo studet confirmare, quod vtrumque in recte factorum aeque ac male factorum communionem veniat [4]), simul tamen et hoc monet, animam per corporis, quam dicit, indigentiam et necessitates saepenumero ad peccandum

---

2) Qua de re inprimis legenda sunt quae super Gnosticorum *δόξαις* huc facientibus docte atque perite obseruauit Tellerus in *Fide dogmat. de resurrect. carn. per quat. priora secul. pag.* 142. *sqq.*

3) *§. VIII. p.* 593 vbi *μάτην*, inquit, *κατηγορῶντες αὐτῆς καὶ τὰ τῶν ἀμφοτέρων ἁμαρτήματα μόνῃ περιτιθέντες. Πῶς γὰρ καθ' ἑαυτὴν ἡ σὰρξ ἁμαρτῆσαι δυνήσεται, ἐὰν μὴ τὴν ψηχὴν ἔχῃ προηγεμένην καὶ προκαλεμένην αὐτὴν;*

4) *§. XXI. p.* 333. *edit.* Mar. *κατορθωμάτων τε*, inquiens, *τιμωμένων, ἀδικηθήσεται τὸ σῶμα σαφῶς, ἐκ τοῦ κοινωνῆσαι μὲν τῇ ψυχῇ τῶν ἐπὶ τοῖς σπουδαζομένοις πόνων, μὴ κοινωνῆσαι δὲ τῆς ἐπὶ τοῖς κατορθωθεῖσι τιμῆς, καὶ συγγνώμης μὲν τυγχάνειν πολλάκις τὴν ψυχὴν ἐπὶ τινῶν πλημμελημάτων, διὰ τὴν τοῦ σώματος ἐνδειάν τε καὶ χρείαν, ἐκπίπτειν δὲ αὐτὸ τὸ σῶμα τῆς ἐπὶ τοῖς κατορθωθεῖσι κοινωνίας, ὑπὲρ ὧν τοῦς ἐν τῇ ζωῇ συνδιήνεγκε πόνοις, πῶς ἐκ ἄδικον;*

abripi[5]), et multorum peccatorum causam ac sedem in solo corpore esse[6]), defendit.

Multo plures autem et maiores corpori humano in peccatis committendis partes tribuisse videtur *Irenaeus*, cum illius destructione omnem peccandi occasionem praecisam esse iudicauerit, hincque hac ipsa de causa mortem Adamo eiusque posteris a Deo immissam esse dixerit, vt peccato obex poneretur[7]). Ne tamen hac sententia stabilienda corporis huius resurrectionem noxiam iudicasse, aut eiusdem saltem corporis resurrectionem, cui eum vtique fauisse consiat[8]), in dubium vocasse vi-

5) Qua de re post verba modo allata haec habet: *καὶ μὴν καὶ πλημμελημάτων κρινομένων ἐ σώζεται τῇ ψυχῇ τὸ δίκαιον, εἴγε μόνη τίνοι δίκην ὑπὲρ ὧν ἐνοχλοῦντος τοῦ σώματος καὶ πρὸς τὰς οἰκείας ὀρέξεις ἢ κινήσεις ἕλκοντος, ἐπλημμέλησεν. ποτὲ μὲν κατὰ συναρπαγὴν καὶ κλοπὴν, ποτὲ δὲ κατὰ τινα βιαιοτέραν ὁλκὴν, ἄλλοτε κατὰ συνδρομὴν, ἐν χαριτος μέρει καὶ θεραπείας τῆς τότε συσάσεως*: et paulo post: *εἰ γὰρ τὰ πλεῖςα τῶν τοιούτων γίνεται κακῶν ἐκ τοῦ μὴ κατακρατεῖν τοῦς ἀνθρώπους τῶν ἐνοχλούντων παθῶν· ἐνοχλοῦνται δὲ ὑπὸ τῆς τοῦ σώματος ἐνδείας καὶ χρείας, τῆς περὶ τοῦτο σπουδῆς καὶ θεραπείας· (τούτων γὰρ ἕνεκεν πᾶσα ἡ κτῆσις καὶ πρὸ ταύτης ἡ χρῆσις· ἔτι δὲ γάμος καὶ ὅσαι κατὰ τὸν βίον πράξεις, ἐν οἷς καὶ περὶ ἃ θεωρεῖται, τό τε πλημμελὲς, καὶ τὸ μὴ τοιοῦτον.) πῶ δίκαιον, ἐν οἷς πρωτοπαθεῖ τὸ σῶμα καὶ τὴν ψυχὴν ἕλκει πρὸς συμπάθειαν καὶ κοινωνίαν τῶν ἐφ᾽ ἃ δεῖται πράξεων, αὐτὴν κρίνεσθαι μόνην;*

6) Quorum quippe appetitio in solum corpus cadat, anima vero nullum plane desiderium habeat; in quam rem in loco verbis *super not.* laud. interiecto haec scribit: *ἢ πῶς ἐκ ἄδικον τὴν ψυχὴν κρίνεσθαι καθ᾽ ἑαυτὴν ὑπερ ὧν ὀδ᾽ ἡντινῶν ἔχει, κατὰ τὴν ἑαυτῆς φύσιν, οὐκ ὄρεξιν, ἐ κίνησιν, ἐχ ὁρμὴν· οἷον λαγνείας, ἢ βίας, ἢ πλεονεξίας ἢ ἀδικίας καὶ τῶν ἐπὶ τούτοις ἀδικημάτων*; quibus addenda, quae sub finem paginae in eandem rem pluribus ab eo disputantur.

7) *Libr. III. adv. haer. c.* 23. *n.* 6. *pag.* 222. *Opp.* edit. Mass. vbi de Dei erga Adamum per serpentem ad peccandum abductum misericordia loquens: *quapropter*, inquit, *et eiecit eum de paradiso et a ligno vitae longe transtulit non inuidens ei lignum vitae, quemadmodum quidam audent dicere, sed miserans eius, vt non perseueraret semper transgressor, neque immortale esset, quod esset circa eum peccatum et malum interminabile et insanabile. Prohibuit autem eius transgressionem, interponens mortem et cessare faciens peccatum, finem inferens ei per carnis resolutionem, quae fieret in terra; vti cessans aliquando homo viuere peccato, et moriens ei, inciperet viuere Deo* etc.

8) Qua de re idem, quem *not.* 2. laudauimus, liber Tellerianus inde a *pag.* 95. conferri meretur.

deretur, hoc ſimul monuit, carnem, quae in vitam olim ſit reditura, eandem quidem, qua ſubſtantiam, futuram, quae olim mortua fuerit, ſed prauas cupiditates depoſituram[9]): vnde haud obſcure intelligitur eum, dum ad corpus potiſſimum peccata hominum referret, ex hac nominatim parte id ſpectaſſe, qua prauae per illud cupiditates excitantur atque aluntur.

Simili fere modo de corpore illo iudicaſſe etiam videtur *Clemens Alex.* Quamquam enim diſerte negat, corpus hominis natura malum eſſe, et medium potius eſſe contendit[10]); deteriorem tamen hominis partem eſſe affirmat[11]), cui malae actiones ita tribuantur, vti animae bonae[12]), hincque id ipſe etiam vbique tanquam virtutis impedimentum ſpectat[13]), et *animae vinculum* adpellat[14]), cuius ſolutio non poſſit non ho-

---

9) Vt docet locus *l. V. c.* 12. *n.* 3. *p.* 306. qui ita habet: *οὐ γὰρ ἄλλο τὸ ἀποθνήσκον καὶ ἄλλο τὸ ζωοποιούμενον; ὡς οὐδὲ ἄλλο τὸ ἀπολωλὸς καὶ ἄλλο τὸ ἀνευρισκόμενον, ἀλλ' ἐκεῖνο τὸ ἀπολωλὸς πρόβατον ἦλθεν ὁ κύριος ἀναζητῶν. τί ἓν ἦν τὸ ἀποθνήσκον; πάντως ἡ τῆς σαρκὸς ὑπόστασις, καὶ ἡ ἀπολαβοῦσα τὴν πνοὴν τῆς ζωῆς, καὶ ὄπνους καὶ νεκρὰ γενομένη. ταύτην ἓν ὁ κύριος ἦλθε ξωοποιῶν· ἵνα ὡς ἐν τῷ Ἀδὰμ πάντες ἀποθνήσκομεν, ὅτι ψυχικοὶ, ἐν τῷ Χριστῷ ζήσωμεν, ὅτι πνευματικοὶ, ἀποθέμενοι οὐ τὸ πλάσμα τοῦ θεοῦ, ἀλλὰ τὰς ἐπιθυμίας τῆς σαρκός.*

10) *Strom. l. IV. n.* 26. *Opp. To.* 1. *p.* 639. edit. Potter. *ἔστε ἀγαθὸν ἡ ψυχὴ φύσει, ὄντε ἂν κακὸν φύσει τὸ σῶμα; οὐδὲ μὴν ὃ μὴ ἐστιν ἀγαθὸν, τοῦτο εὐθέως κακόν· εἰσὶ γὰρ οὖν καὶ μεσότητές τινες, καὶ προηγμένα καὶ ἀποπροηγμένα ἐν τοῖς μέσοις.*

11) *Ibid. κρεῖττον μὲν,* inquiens, *τοῦ ἀνθρώπου ὡμολόγηται ἡ ψυχὴ, ἧττον δὲ τὸ σῶμα.*

12) Quod docet v. c. locus, qui legitur *Strom. l. VII. n.* 12. *To. II. p.* 880. vbi ſummam hominis probi virtutem deſcribens, eum dicit *ζῆσαι τὸν ὡρισμένον ἐν τῇ σαρκὶ βίον ὡς ἄσαρκον.*

13) Quod in *eod. loc.* his verbis tradit: *ἀεὶ τοίνυν αἱ ἀγαθαὶ πράξεις ὡς ἀμείνους, τῷ κρείττονι τῷ πνεύματι κυρίῳ προσάπτονται. αἱ δὲ φιλήδονοι καὶ ἁμαρτικαὶ, τῷ ἥττονι τῷ ἁμαρτητικῷ περιτίθενται.*

14) *Strom. l. VII. n.* 7. *To. II. p.* 854. vbi, precantibus nobis, *συναφιεάνειν τῷ λόγῳ,* inquit, *τὸ σῶμα τῆς γῆς πειρώμενοι, μετάρσιον ποιησάμενοι τὴν ψυχὴν ἐπτερωμένην τῷ πόθῳ τῶν κρειττόνων, ἐπὶ τὰ ἅγια χωρεῖν βιαζόμεθα, τοῦ δεσμοῦ καταμεγαλοφροτοῦντες τοῦ σαρκικοῦ.*

mini ad altiora adſpiranti laetitiam parare[15]), quam inde haud dubie iudicauit proficiſci debere, quod in futura vita omnem prauam cupiditatem a carne remotam iri ſtatuit[16]): vnde rurſus vel non monentibus nobis intelligitur, ab his ipſis corporis cupiditatibus omnem eum ipſius nocendi vim repetiiſſe.

Eiusdem vero ſententiae non mirum eſt, Clementis quoque diſcipulum, *Origenem*, fuiſſe. Hic enim quemadmodum et ipſe naturam corporis impuram eſſe negauit[17]), ita tamen etiam peccatum quaſi ſedem ali-

---

15) *Strom. l. IV. n. 3. To. I. p.* 569: vbi de morte haec habet: *ὁ τοίνυν τῶ σώματος ἀπὸ τῆς ψυχῆς χωρισμὸς, ὁ παρ᾽ ὅλον τὸν βίον μελετώμενος, τῷ φιλοσόφῳ προθυμίαν κατασκευάζει γνωσικὴν, εὐκόλως δύνασθαι φέρειν τὸν τῆς φύσεως θάνατον, διάλυσιν ὄντα τῶν πρὸς τὸ σῶμα τῆς ψυχῆς δεσμῶν.*

16) Vt docet locus *Paedag. l. II. c.* 10. *To. I. p.* 230. in quo haec leguntur: *ἰδὲ γὰρ τὸ φθαρτὸν τῶτο ἐπενδύεται ἀφθαρσίαν, ὁπηνίκα ἂν τὸ ἀκόρεσον τῆς ἐπιθυμίας, τὸ εἰς ἀσέλγειαν ῥεῦν, ἐγκρατείᾳ παιδαγωγήσῃ τὸν ἄνθρωπον. ἐν γὰρ τῷ αἰῶνι τῶτῳ γαμοῦσι καὶ γαμίσκονται· καταργήσαντες δὲ τὰ τῆς σαρκὸς ἔργα ἀυτῇ καθαρᾷ τῇ σαρκὶ ἐπενδυσάμενοι τὴν ἀφθαρσίαν τὸ πρὸς μέτρον τῶν ἀγγέλων διώκομεν.* Cum hoc vero loco cfrri etiam poterit alius *Strom. I, III.* n. 17. *To.* 1. *p.* 559. vbi reſpectu ad futurae vitae ſtatum habito, ſeruatorem *ὥσπερ τὴν ψυχὴν, ἔτω καὶ τὸ σῶμα τῶν παθῶν* dicit ſanaſſe, tumque haec addit: *ὀυκ ἄν δὲ, εἰ ἐχθρὰ ἡ σὰρξ ἦν τῆς ψυχῆς, ἐπετείχιζεν ἀυτῇ τὴν ἐχθρὰν δι᾽ ὑγιείας ἐπισκιάζων (ἐπισκευάζων). τῶτο δέ φημι, ἀδελφοὶ, ὅτι σὰρξ καὶ αἷμα βασιλείαν Θεῦ κληρονομῆσαι ἐ δύναται· ἐδὲ ἡ φθορὰ τὴν ἀφθαρσίαν κληρονομεῖν· ἡ γὰρ ἁμαρτία, φθορὰ ἦ ἔσα, ἐ δύναται κοινωνίαν ἔχειν μετὰ τῆς ἀφθαρσίας, ἥτις ἐςι δικαιοσύνη*: itemque is, qui in eiusdem operis *lib. IV. n.* 4. *To. I. p.* 569. legitur, in quo hominis probi in morte ſubeunda alacritatem ita deſcribit: *εἰκότως καλέμενος ὁ γνωσικὸς ὑπακοὺει ῥᾳδίως, καὶ τῷ τὸ σωμάτιον αἰτῶντι φέρων προσδίδωσι, καὶ τὰ πάθη προαποδυόμενος τῶ σαρκὶς ταῦτα, κ. λ.* Hinc etiam *Strom. l. VI. n.* 6. *To. II. pag.* 764. animas a corporibus liberas purius dicit, quae ad ſalutem faciant, perſpicere, *καθαρώτερον*, inquiens, *διορᾶν δυναμένων τῶν σωμάτων ἀπηλλαγμένων ψυχῶν, διὰ τὸ μηκέτι ἐπιπροσθέσθαι σαρκίω. cfr. etiam locus Strom. l. III. n.* 5. *To. I. p.* 329.

17) *Contr. Celſ. l. III. n.* 42. *To. I. Opp. p.* 474. edit. de la Rue, *φύσις δὲ σώματος*, inquiens, *ὀυ μιαρά ἦ ὀυ γὰρ φύσις σώματός ἐστι, τὸ γεννητικὸν τῆς μιαρότητος ἔχει τὴν κακίαν.*

quam ac regnum in eo dixit[18]) habere, idque haud dubie respectu ad cupiditates a corpore suscitatas habito[19]), hincque etiam de corporali quadam peccandi necessitate loquitur[20]), eamque et ipsam aperte a naturalibus, quos dicit, corporis motibus repetit[21]), ex quibus peccata initium capiant[22]). Praeterea vero quam-

---

18) *Comment. in epist. ad Rom. l. VI. n.* 1. *To. IV. p.* 569. vbi de loco ad Rom. VI. 12. disputans, *Nunc autem*, inquit, *non dixit:* non ergo regnet peccatum in morte, *sed ait:* Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum desideriis eius; *docens per hoc sedem quandam et regnum peccatum habere in corpore.*

19) Quod cum sequentia illius loci docent, in quibus ipse pluribus ostendit, quomodo peccatum in corpore regnet, tum confirmat etiam alius eiusdem libri locus, qui inferius legitur *n.* 9. *pag.* 586. vbi *Motus corporis*, ait, *et desideria carnis legem membrorum dicit, quae captiuam ducit animam et peccati legibus subdit. Certum est namque quod desideria carnis animam trahant ad peccatum, et eam legibus eius subdant: et sicut lex mentis, quae consentit cum lege Dei, si animam potuerit obtinere, adducit ad legem Dei: ita et lex, quae in membris est, et* concupiscentia carnis, *si seduxerit animam, peccati eam legibus subdat.*

20) *De princ. l. III. c.* 2. *n.* 2. *To. I. pag.* 139. vbi iis, qui dicant, *quodsi diabolus non esset, nemo hominum omnino delinqueret*, haec opponit: *Nos vero rationem dilucidius intuentes, haec ita esse non arbitramur, considerantes ea, quae manifeste ex* corporali necessitate *descendunt.*

21) Id quod bene iam vidit Münter in *Handb. der ältest. christl. Dogmengesch. Vol. II. Part. I. p.* 222. docetque rursus omnis, quae sequitur, sententiae illius, quam *super. not.* recitauimus, illustratio, ex qua nunc quidem haec tantum adscribere iuuat: *sicut in bonis rebus humanum propositum solum per se ipsum imperfectum est ad consummationem boni, adiutorio namque diuino ad perfecta quaeque perducitur: ita etiam in contrariis initia quaedam et velut semina peccatorum a his rebus, quae in vsu naturaliter habentur, accipimus. Cum vero indulserimus vltra, quam satis est, et non restiterimus aduersus primos intemperantiae motus, tunc primi huius delicti accipiens locum virtus inimica instigat et perurget omnibus modis.* Et paulo post n. 3. *Quod autem sint quaedam peccata, quae non a contrariis virtutibus veniant, sed ex naturalibus* corporis motibus *initium sumant, manifestissime declarat Apostolus Paulus in eo, dum dicit:* Caro concupiscit aduersus spiritum etc.

22) Atque hinc aperte etiam pendet, quod quamdiu in hac vita simus, negat nos a peccatis prorsus liberos esse posse, quod in *Homil. VIII. in Lev. n.* 4. *To. II. pag.* 230. his verbis tradit:

libet etiam animam, quarum προὔπαρξιν eum defendiſſe, nos ſupra[23]) oſtendere meminimus, quae carne fuerit induta, hoc ipſo iniquitatis et peccati ſordibus pollui ſtatuit[24]). Has autem ſordes minime ab ipſa carnis natura, quam vt diximus modo, ab omni impuritate alienam declarauit, ille repetiit[25]), ſed a concubitu potius ei adhaerere, videtur exiſtimaſſe[26]); pro-

---

In quo (mundo) *donec ſumus in carne poſiti, ad liquidum puri eſſe non poſſumus, niſi octaua venerit dies, id eſt. niſi futuri ſaeculi tempus affuerit. In quo tamen die qui maſculus eſt, et viriliter egerit, ſtatim in ipſo aduentu futuri ſaeculi purgatur, et ſtatim munda efficitur mater, quae genuit eum. Purgatam namque vitiis carnem ex reſurrectione recipiet.*

23) *Comment. X. pag.* 654. *ſqq.*

24) *Hom. VIII. in Lev. n.* 3. *To. II. p.* 230. *Quodſi placet audire, quid etiam alii ſancti de iſta natiuitate ſenſerint, audi David dicentem*: in iniquitatibus, *inquit*, conceptus ſum, et in peccatis peperit me mater mea: *oſtendens quod* quaecunque anima in carne naſcitur, iniquitatis et peccati ſorde polluitur — *ei propterea dictum eſſe illud, quod iam ſuperius memorauimus*: quia nemo mundus a ſorde. nec ſi vnius diei ſit vita eius: idemque *Hom. XIV. in Luc. To. III. pag.* 948. vbi *omnis*, inquit, *anima quae humano corpore ſuerit induta*, habet ſordes ſuas.

25) Quod ſtatuiſſe videntur Münſcherus in *Handb. der chriſtl. Dogmengeſch. Vol. II. p.* 150. edit. 2dae et Münterus *l. l. pag.* 223.

26) In quam rem locus inprimis perſpicuus extat in *Hom. VIII. in Lev. n.* 2. *To. II p.* 228. vbi de praecepto Moſaico Lev. XII, 1. diſputans, *conſideremus*, inquit, *ſecundum hiſtoriam, ſi non videtur quaſi ex ſuperfluo additum*, mulier, quae ſuſceperit ſemen et pepererit maſculum, *quaſi poſſit aliter maſculum parere, niſi ſemine concepto. Sed non ex ſuperfluo additur. Ad diſcretionem namque illius, quae ſine ſemine concepit et peperit, iſtum ſermonem pro caeteris mulieribus legislator adiecit, vt non omnem mulierem, quae peperiſſet, deſignaret immundam, ſed eam, quae* concepto ſemine *peperiſſet. — Haec ergo dicta ſunt nobis de eo, quod obſeruauimus ſcriptum, quia non ſuperfluo addidit legislator*, mulier ſi conceperit ſemen, et pepererit filium: *ſed eſſe exceptionem myſticam, quae ſolam Mariam a reliquis mulieribus ſegregaret, cuius partus non* ex conceptionis ſeminis, *ſed ex praeſentia ſancti ſpiritus et virtutis altiſſimi fuerit*: cui ſimillimus eſt alius locus, qui in *Hom. XII. n.* 4. *pag.* 251. legitur, vbi *omnis*, ait, *qui ingreditur hunc mundum, in quadam contaminatione effici dicitur. Propter quod et ſcriptura dicit*: Nemo mundus a ſorde, nec ſi vnius diei fuerit vita eius. *Hoc ipſo ergo quod* in vulua matris eſt poſitus, *et quod materiam*

pterque hoc generationis, vt conſtanter adpellat[27]), myſterium natiuitatisque humanae ſordes cum neminem

---

corporis ab origine paterni ſeminis *ſumit, in patre et in matre contaminatus dici poteſt. — Omnis ergo homo in patre et in matre pollutus eſt, ſolus vero Ieſus Dominus meus in hanc generationem mundus ingreſſus eſt, in matre non eſt pollutus. Ingreſſus eſt enim corpus incontaminatum. Ipſe enim erat, qui et dudum per Salomonem dixerat:* Magis autem cum eſſem bonus, veni ad corpus incoinquinatum. *Non eſt ergo contaminatus in matre, ſed ne in patre quidem. Nihil enim Ioſeph in generatione eius praeter miniſterium praeſtitit et affectum.* Cum vtroque vero loco cfrdus etiam alius non minus perſpicuus in *Comment. in epiſt. ad Rom. lib. V. n.* 9. *To. IV. pag.* 565. in quo inter alia haec leguntur: *Sed et de Saluatore quodam loco dicit, quia venerit* in ſimilitudinem carnis peccati, *vt* de peccato *damnaret* peccatum in carne. *In quo oſtendit, quod noſtra quidem caro, peccati ſit caro; Chriſti autem caro ſimilis ſit carni peccati. Non enim* ex ſemine viri *concepta eſt, ſed Spiritus ſanctus venit ſuper Mariam et virtus altiſſimi obumbrauit ei. — Corpus ergo peccati eſt corpus noſtrum, quia nec Adam ſcribitur* cognouiſſe Euam *vxorem ſuam et genuiſſe Cain, niſi poſt peccatum. — Sciebant enim illi, quibus myſteriorum ſecreta commiſſa ſunt diuinorum, quod eſſent in omnibus genuinae ſordes peccati, quae per aquam et Spiritum ablui deberent; propter quas etiam corpus ipſum corpus peccati nominatur: non (ut putant aliqui eorum, qui animarum transmigrationem in varia corpora introducunt) pro his, quae in alio corpore poſita anima deliquerit, ſed pro hoc ipſo, quod* in corpore *peccati et corpore mortis atque humilitatis* effecta ſit.

27) Quo nomine vtitur v. c. in *Comment. in Matth. Tom. XV. n.* 23. *To. III. pag.* 685. aliisque pluribus in locis. Neque vero myſterii tantum nomine eam rem adpellat, ſed vt tale etiam tractat. Vnde in laud. *Hom. VIII. in Lev.* loco, poſtquam monuerat, quaerendum etiam eſſe, *quid cauſae ſit; quod mulier, quae in hoc mundo naſcentibus miniſterium praebeat, non ſolum cum ſemen ſuſceperit, immunda fieri dicatur, ſed et cum pepererit,* haec ſubiicit *no.* 3. *pag.* 229. *Ego in talibus nihil audeo dicere, ſentio tamen occulta in his quaedam myſteria contineri, et eſſe aliquid latentis arcani, pro quo et mulier, quae conceperit ex ſemine et pepererit, immunda dicatur. — Et vt ſcias eſſe in hoc grande neſcio quid, et tale, quod nulli ſanctorum ex ſententia venerit, nemo ex omnibus ſanctis inuenitur diem feſtum, vel conuiuium magnum egiſſe in die natalis ſui, nemo inuenitur habuiſſe laetitiam in die natalis filii vel filiae ſuae. — — Neque enim tantus ac talis propheta (Ieremiam dico, qui in vtero matris ſanctificatus eſt, et propheta in gentibus conſecratus,) libris in aeternum manſuris aliquid inaniter condidiſſet, niſi ſecretum quid con-*

a ſordibus mundum [28]), vel peccati immunem [29]) eſſe ſtatuit, hancque immunditiem praeputium dixit homini congenitum, idque neceſſario praecidendum [30]), tum vero etiam non modo olim iam putauit victimam piacularem pro recens natis offerri debuiſſe [31]), ſed et nunc pueros ad ſordes illas abluendas baptismo eſſe ſubiiciendos, plus vna vice profeſſus eſt [32]). Quae cum ita ſint, facile iam poterit

---

tineret et ingentibus myſteriis plenum, vbi dicit: maledictus dies, in quo natus ſum etc. Simili vero modo etiam in altero loco *Comment. in epiſt. ad Rom. lib. V. §.* 9. haec habet: *Sic ergo Paulus per ineffabilem Dei ſapientiam, quae data eſt ei, arcanum neſcio quid intuens et reconditum, corpus noſtrum* corpus peccati *et* corpus mortis *et* corpus humilitatis *appellat. Sed* et *David de eodem Spiritu ſecretorum coeleſtium gnarus dicebat de corpore*: et in puluerem mortis deduxiſti me, *et iterum:* humiliata eſt in puluere anima noſtra. *Ieremias quoque ſimilis myſterii per Dei Spiritum conſcius, in Lamentationibus ſuis dicit, quia vincti terrae ſint omnes homines, corporis ſcilicet cauſa.*

28) *Comment. in Matth. Tom. XV. n.* 23. *T. III. pag.* 685. vbi *τάχα δὲ*, inquit, *καὶ κατὰ μὲν τὴν γένεσιν ἐδεὶς ἐςι καθαρὸς ἀπὸ ῥύπε κ. λ.*

29) *Οὐ καθαρὸν ἀπὸ ἁμαρτίας*, vt dicit *contr. Celſ. l. VII. n.* 50, *To. I. pag.* 730.

30) *Hom. V. in Ierem. n.* 14. *To. III. pag.* 160. vbi de loco Ier. IV, 4. diſputans, haec ponit: *οὐκοῦν ἐςὶ τις ἀκροβυςία τῆς καρδίας, καὶ ταύτην δεῖ περιτέμνεσθαι — ἡ ἀκροβυςία συγγεννᾶται, ἡ περιτομὴ ἐπίκτητός ἐςι, καὶ ὅπερ ἐκ γενέσεως ἐλήλυθε, τοῦτο περιαίρει ἡ περιτομὴ. εἰ τοίνυν περιαιρεῖσθαι κελεύει ὁ λόγος τὴν ἀκροβυςίαν τῆς καρδίας, ὀφείλει τι εἶναι συγγεγεννημένον τῇ καρδίᾳ, ὃ λέγει ἀκροβυςίαν, ὅπερ περιαιρεθῆναι δεῖ, ἵνα τις περιτέτμηται τὴν ἀκροβυςίαν τῆς καρδίας. ἐὰν τις νοήσῃ τό· ἤμεθα τέκνα φύσει ὀργῆς ὡς καὶ οἱ λοιποί. ἐὰν τις νοήσῃ τό· σῶμα τῆς ταπεινώσεως ἐν ᾧ γεγεννήμεθα· ἐὰν τις νοήσῃ τό· οὐδεὶς καθαρὸς ἀπὸ ῥύπε, οὐδὲ, εἰ μία ἡμέρα εἴη ἡ ζωὴ αὐτε· ἀριθμητοὶ δὲ μῆνες αὐτε· ὄψεται τίνα τρόπον γεγεννήμεθα μετὰ ἀκαθαρσίας καὶ ἀκροβυςίας τῆς καρδίας ἡμῶν.*

31) Quod in plerisque fere locis iam laudatis ab eo commemoratur, nominatim *contr. Celſ. l. VII. n.* 50. *To. I. pag.* 730. *Hom. VIII. in Lev. n.* 3. *To. II. pag.* 229. et *Hom. XII. n.* 4. *pag.* 251. itemque in *Comment. in epiſt. ad Rom. l. V. n.* 9. *To. IV. pag.* 565.

32) E. c. *Hom. VIII. in Lev. n.* 3. *To. II. p.* 230. *Hom. XIV. in Luc. pag.* 948. et *Comment. in epiſt. ad Rom. l. l.*

iudicari, quemnam reſpectum habens quaque cauſa[33]) ductus, omnes homines iam a natura ad peccandum pronos eſſe dixerit[34]), fierique poſſe negauerit, vt vllus praeter Chriſtum reperiatur homo, qui nunquam peccarit[35]).

Hunc vero Origenem quanquam *Methodius* quidem hoc ipſo nomine taxauet[36]), quod corpus hominis peccatorum cauſam dixerit, quod is tamen nuspiam diſerte profeſſus fuiſſe deprehenditur, ipſe tamen ab eadem ſententia amplectenda tam parum ſibi cauit,

---

33) Quam profecto non ſatis recte aſſecuti eſſe videntur Münſcherus *l. l. pag.* 149. itemque Münterus *l. l.* atque Hornius in *Comment. de ſententiis eorum Patt. quorum auctoritas ante Auguſtin. plurimum valuit, de peccato originali. pag.* 45. dum Origenem in his ſententiis proponendis rationem habuiſſe defendunt peccatorum ab animabus olim iam, cum nondum eſſent in corpora demiſſae, admiſſorum. Huic enim coniecturae cum locus ſupra *not.* 26. laud. tum vero et illud videtur obſtare, quod, vt vel ex paucis illis, quae nos *Comment. X. pag.* 656. *ſq.* ſuper hac Origenis ſententia obſeruauimus, intelligi poteſt, inter animas illas, quae humanis corporibus fuerint incluſae, eiusmodi etiam eſſe putauit, quae nullo peccato ſe contaminaſſent, ſed altioris potius virtutis ſibi comparandae cauſa in hunc exercitii locum fuerint deductae, hinsque plane non potuit omnium hominum peccata inde repetere.

34) *Contr. Celſ. l. VII. n.* 66. *To. I. pag.* 491. vbi σαφῶς γὰρ, inquit, φαίνεται, ὅτι πάντες μὲν ἄνθρωποι πρὸς τὸ ἁμαρτάνειν πεφύκαμεν, ἔνιοι δὲ ὁ μόνον πεφύκασιν, ἀλλὰ καὶ εἰθισμένοι εἰσὶν ἁμαρτάνειν.

35) *Contr. Celſ. l. III. n.* 62. *To. I. pag.* 488. et *n.* 69. *pag.* 493. itemque *Hom. II. in Luc. To. III. pag.* 934. atque *Comment. in epiſt. ad Rom. l. V. n.* 9. *pag.* 563. cuius poſtremi loci haec ſunt verba: *Chriſtus enim ita ſemel mortuus eſt peccato, vt peccatum omnino non fecerit, nec dolus inuentus ſit in ore eius. Quod in alio homine ex integro inueniri omnino non poterit.* Nemo *enim* mundus a peccato, nec ſi vnius diei fuerit vita eius. *Idcirco ergo ipſa quidem morte, qua Ieſus mortuus eſt peccato, vt peccatum omnino non fecerit, nos non poſſumus mori, ut omnino neſciamus peccatum: ſimilitudinem tamen habere poſſumus, vt imitantes eum et veſtigia eius ſequentes abſtineamus nos a peccato.*

36) Vt intelligitur ex fragm. libr. eius *de reſurrect.* apud Phot. *cod. CCXXXIV. pag.* 907. repetito illo in Gallandi *Biblioth. PP. To. III. p.* 782. *ſſ.*

ut non dubitaret talia defendere, ex quibus ea non poſſet non prona conſecutione intelligi. Nam partim corpori noſtro prauas poſt Adami peccatum a diabolo cupiditates inditas[37]), partim vero etiam mortem homini ideo a Deo immiſſam eſſe declarauit, vt ne cupiditas illa ſemper repullulans immortalis in eo eſſet, peccandique finis fieret[38]). Qui vero hoc docet, corpore extincto omnem peccandi materiam atque occaſionem praeciſam eſſe, is qui tandem in hoc ipſo corpore non praecipuam peccati cauſam agnoſcat?

---

37) Quod in eodem fragmento a Photio ſeruato *pag.* 915. et apud Galland. *pag.* 788. admodum perſpicue profeſſus eſt, vbi peccatum hoc modo docet ſedem in homine occupaſſe: *ὄντω γὰρ ϛάσις ἐνέπεσε, σμᾶϛος μῶν τε καὶ λογισμῶν ἀνοικείων ἐπληρώθημεν· κενωθέντες μὲν τῆ ἐμφυσήματος τῆ Θεῆ, πληρωθέντες δὲ ἐπιθυμίας ὑλικῆς; ἣν ὁ πολύτροπος ἐνεφύσησεν εἰς ἡμᾶς ὄφις. — ὅθεν ὁ Ἀπόϛολος· οἶδα γὰρ ὅτι οὐκ οἰκεῖ ἐν ἐμοὶ, τουτέϛιν, ἐν τῆ σαρκί μου· τὸ ἀγαθὸν, λέγων· τὴν ἀπὸ τῆς παραβάσεως διὰ τῆς ἐπιθυμίας εἰσοικισθεῖσαν εἰς ἡμᾶς ἁμαρτίαν βάλεται μηνύειν. ἧς δὴ καθάπερ βλαϛήματα νέα, οἱ φιλήδονοι περὶ ἡμᾶς ἀεὶ λογισμοὶ συνίϛανται. διοσὰ γὰρ ἐν ἡμῖν λογισμῶν γένη. τὸ μὲν ἀπὸ τῆς ἐπιθυμίας τῆς ἐμφωλευούσης ἐν τῷ σώματι συνιϛαμένον, ἥτις ἐξ ἐπινοίας, ὡς ἔφην, συνέϛη τῆ ὑλικῆ πνεύματος. τὸ δὲ ἀπὸ τῆ νόμου τῆ κατὰ τὴν ἐντολὴν, ὃν ἔμφυτον ἔλαβομεν ἔχειν καὶ φυσικὸν νόμον, πρὸς τὸ καλὸν ἡμῶν ἐξεγείροντα τὸν λογισμόν·* hinceque paulo poſt Paulum in hoc loco tres dicit: *νόμους* commemoraſſe, vnum quidem, quem dixerit *νόμον νοός*; alterum vero *τὸν ἐκ προσβολῆς συνιϛάμενον τῆ πονηρῆ καὶ εἰς τὰς ἐμπαθεῖς ἐξέλκοντα πολλάκις φαντασίας τὴν ψυχὴν, ὃν ἐπιϛρατεύεσθαι τῷ νόμῳ τῆ νοὸς ἔφη*, tertium denique *κατὰ τὴν ἁμαρτίαν ἐκ τῆς ἐπιθυμίας σκηνώσαντα ἐν τῆ σαρκὶ, ὃν ἁμαρτίας νόμον οἰκοῦντα ἐν τοῖς μέλεσιν ἐκάλεσεν.*

38) Quod cum in loci modo allati particula a nobis omiſſa his paucis declarauit: *διὸ καὶ θάνατον ὁ θεὸς πρὸς ἀναίρεσιν τῆς ἁμαρτίας ὑπὲρ ἡμῶν ἀνείρατο· ἵνα μὴ ἐν ἀθανάτοις ἡμῖν ἀνατείλασα, ὡς ἔφην, ἀθάνατος ᾖ*, docuitque etiam alio eiusdem libri loco, cuius ſummam Photius *l. l. pag.* 909. apud Galland. *pag.* 784. his verbis recitat: *ἐκριζωθῆναι δὲ φησι καὶ τὸ τὰ κακὰ ἐνθυμεῖσθαι διὰ τῆς τῆ φυσικῆ θανάτου παρουσίας· ἐπεὶ καὶ διὰ τοῦτο ὁ θάνατος ἐδόθη παρὰ θεῆ τῷ ἐξημαρτηκότι, ἵνα μὴ ἀθάνατον μείνῃ τὸ κακόν*; tum vero pluribus perſecutus eſt in longiore huius eiusdem libri fragmento a Gallando inde a *pag.* 772. exhibito *n.* 4. 5. *et* 6. *pag.* 773. *ſq.* vbi inter alia haec habet *n.* 5. *ζῶντος γὰρ ἔτι τῆ σώματος, πῶς τῆ τεθνήξασθαι, συζῆν ἀνάγκη καὶ τὴν ἁμαρτίαν. ἔνδον τὰς ῥίζας ἀυτῆς ἐν ἡμῖν ἀποκρύπτουσαν*, itemque in *Conuiu. X. virgg. Orat. IX. n.* 2. apud Gallandum *l. l. pag.* 731.

Neque minus perſpicue *Baſilius* etiam cauſam peccati ideo a corpore inprimis repetiit, quoniam cupiditates per illud excitatae peccandi materiam praebeant. Hinc enim animam hominis tum dicit a bono declinari, cum fruendarum voluptatum cauſa carni ſe adiunxerit[39]), atque peccatorem vbique tanquam talem deſcribit, qui ſecundum carnem viuat, corporeisque cupiditatibus volutetur[40]), malasque cogitationes ex carnis cupiditatibus in animis hominum dicit generari[41]), et quanto pinguius ſit corpus, tanto grauiorem ſtatuit animae carcerem ſtrui, tantoque largiorem peccandi occaſionem ſuppeditari[42]), hincque identidem monet, non eſſe corpori obſequendum, ſed id potius macerandum atque contemnendum[43]), Deumque propterea vult

---

39) *Hom. quod Deus non eſt auct. mal. n.* 6. *To. II. Opp. pag.* 79. edit. Garn. *τῆτο δὲ* inquiens, *συμβαίνει ἀυτῇ* (nimirum, vt a bono declinet anima) *ὅτὰν κόρον λαβῆσα τῆς μακαρίας τέρψεως καὶ οἷον νυσαγμῷ τινι βαρυνθεῖσα καὶ ἀποῤῥυεῖσα τῶν ἄνωθεν τῇ σαρκὶ διὰ τὰς αἰσχρὰς τῶν ἡδονῶν ἀπολαύσεις ἀναμιχθῇ.*

40) Vt fit v. c. *Hom. in Pſ. VII. n.* 3. *To.* 1. *pag.* 100 vbi *τῆ μὲν*, inquit, *δικαίᾳ ἡ ψυχὴ χωριζομένη τῆς πρὸς τὸ σῶμα συμπαθείας, τὴν ζωὴν ἔχει κεκρυμμένην σὺν τῷ χρισῷ ἐν τῷ θεῷ. — τῆ δὲ ἁμαρτωλῆ καὶ κατὰ σάρκα ζῶντος καὶ συμπεφυρμένης τᾶις τῆ σώματος ἡδοναῖς ἡ ψυχὴ οἷον ἐν βορβόρῳ τοῖς πάθεσι τῆς σαρκὸς ἐγκεκύλισται.* His ſimilia leguntur etiam in *Hom. in Pſ. XLVIII. n.* 11. *pag.* 188.

41) *Homil. in Pſ. I. n.* 5. *pag.* 95. *ἐπανατέλλεσι γὰρ*, inquiens, *λογισμοὶ πονηροὶ ἐκ τῶν παθῶν τῆς σαρκὸς ταῖς ψυχαῖς ἡμῶν ἐκτικτόμενοι.*

42) In quam rem *Hom. in Pſ. XXXII. n.* 6. *pag.* 130. haec habet: *ἢ ἀγνοεῖς ὅτι ὅσῳ παχυτέραν τὴν σάρκα σεαυτῷ ποιεῖς, τοσῆτῳ βαρυτερον τῇ ψυχῇ κατασκευάζεις τὸ δεσμωτήριον; κ. λ.* Cfr. etiam Hom. in illud. attende tibi n. 3. To. II. p. 19.

43) Quod fit v. c. in eodem illo, quem modo excitauimus loco, in quo paucis interiectis haec dicit: *διὰ τῆτο τοίνυν ἐκτήκω με τὴν σάρκα, καὶ ἀφειδῶ τῆ αἵματος ὅπερ εἰς σάρκα πέφυκε μεταπήγνυσθαι, ἵνα μηδέν μοι ᾖ πρὸς ἐξομολόγησιν ἢ πρὸς τὴν τῆς ἀληθείας κατανόησιν ἐμποδίζον;* itemque in *Serm. de legend. libr. gent. n.* 7. *To. II. pag.* 181. vbi *οὐ δὴ ἓν*, inquit, *τῷ σώματι δελευτέον, ὅτι μὴ πᾶσα ἀνάγκη· ἀλλὰ τῇ ψυχῇ τὰ βέλτιστα ποριστέον, ὥσπερ ἐκ δεσμωτηρίε τῆς πρὸς τὰ τε σώματος πάθη κοινωνίας αὐτὴν διὰ φιλοσοφίας λύοντας, ἅμα δὲ καὶ τὸ σῶμα τῶν παθῶν κρεῖττον ἀπεργαζομένης.*

mortem nostram non prohibuisse, vt ne immortalem in nobis aegritudinem conseruaret[44]).

Eodem modo *Gregorium* etiam *Nazianz.* cum de corpore plurimum queritur[45]), idque non modo tanquam cognitionis impedimentum describit[46]), sed limum etiam mentis puritatem inficientem adpellat[47]), eiusque plumbeam molem accusat, quae secum trahat hominem[48]), corpus illud ex hac maxime parte spectasse, qua sensibus est instructum, inde intelligitur, quod mentem per sensuum fraudem atque caliginem diserte ait ad ima ab eo deprimi[49]), ideoque postulat

---

44) *Hom. quod Deus non est auct. mal. n. 7. To. II. pag.* 79. vbi de morte haec tradit: *οὕτως οὐχὶ θεὸς ἔκτισε θάνατον, ἀλλ' ἡμεῖς ἑαυτοῖς ἐκ πονηρᾶς γνώμης ἐπεσπασάμεθα. οὐ μὴν οὐδὲ ἐκώλυσε τὴν διάλυσιν διά τὰς ποιεριημένας αἰτίας, ἵνα μὴ ἀθάνατον ἡμῖν τὴν ἀρρωσίαν διατηρήσῃ.*

45) *Orat. XVI. de paup. amor. To. I. Opp. p.* 242. edit. Col. vbi iniecta *τῇ μογθηρῇ καὶ ταπεινῇ καὶ ἀπίσου σώματος* mentione haec de illo addit: *ᾧ πῶς συνεζύγην, ἐκ οἶδα, καὶ πῶς εἰκών τε εἰμὶ θεῦ, καὶ τῷ πηλῷ συμφύρομαι. — ὅ καὶ ὡς σύνδουλον ἀγαπῶ, καὶ ὡς ἐχθρὸν ἀποστρέφομαι. ὅ καὶ ὡς δεσμὸν φεύγω, καὶ ὡς συγκληρονόμον ἀισχύνομαι. — φείδομαι ὡς συνεργῷ, καὶ ἐκ ἔχω πῶς φύγω τὴν ἐπανάστασιν, ᾗ πῶς μὴ ἀπὸ θεῦ πέσω βαρηθεὶς ταῖς πέδαις κατασπώσαις ἢ κατεχέσαις εἰς ἔδαφος.*

46) *Orat. XXXIV. de Theolog. II. To. I. pag.* 544. vbi *διὰ τῦτο*, inquit, *μέσος ἡμῶν τε καὶ Θεῦ, ὁ σωματικὸς ὗτος ἵσταται γνόφος, ὥσπερ ἡ νεφέλη τοπάλαι τῶν Αἰγυπτίων καὶ τῶν Ἑβραίων*, pauloque post haec addit: *ἡμῖν δ' οὖν ἐκεῖνο γνώριμον τοῖς δεσμίοις τῆς γῆς, ὅ φησιν ὁ θεῖος Ἱερεμίας, καὶ τὸ παχὺ τῦτο σαρκίον προβεβλημένοις, ὅτι κ. λ.*

47) *Orat. XIX. To. I. p.* 288. vbi de patre suo mortuo haec dicit: *μᾶλλον ἐγγίζει Θεῷ, τὰς σωματικὰς πέδας ἀποσεισάμενος, καὶ τῆς ἐπιθολέσης τὸν νῦν ἰλύος ἀπηλλαγμένος, καὶ γυμνῷ γυμνὸς ἐντυγχάνων τῷ πρώτῳ καὶ καθαρωτάτῳ νοῖ.*

48) *Orat. XXXI. in dictum Matth. XIX. To. I. pag.* 506. vbi postquam dixerat: *χαρίζε μοι τὸ βέλεσθαι τά βελτίονα*, haec subiicit: *χαρίζῃ δὲ ἐὰν σαρξ γενόμενος πνευματικὸς γένῃ, ἐὰν τῇ μολιβίδι τῆς σαρκὸς ἑλκόμενος πτερωθῇς ὑπὸ τῦ λόγε, — ἐὰν σαρκὶ συνδεθεὶς ὑπὲρ σάρκα φανῇς.*

49) *Carm. Iamb. XVIII. To. II. pag.* 205. vbi animae esse dicit *v.* 64. *sqq.*

Ἄνω φέρεσθαι καὶ συνάπτεσθαι θεῷ
Ἀεί τε πάντῃ πρὸς τὸ συγγενὲς βλέπειν,
Ἥκιστα πάθει σώματος δεδεμένη,

etiam, vt qui beate viuere velit, vltra ſenſus ſe attollat, et extra corpus quaſi ac mundum ponat[50]). Hinc profecto iam non amplius mirum eſſe poterit, et hunc mortem Adamo immiſſam peccati dixiſſe praeciſionem, lucrumque in ea agnouiſſe, quoniam id per eam fuerit effectum, vt ne malum eſſet immortale[51]).

Eandem vero de mortis conſilio ſententiam cum *Gregorius* quoque *Nyſsen.* fuerit profeſſus[52]), ſponte cogitur, et hunc ſimilem de corpore peccati ſede perſuaſionem tenuiſſe. Id autem qua parte tum ſpectaverit, is, ſi quis alius, inprimis perſpicue docuit. Etenim ab initio quidem hominem affectibus plane deſtitutum fuiſſe[53]), ſed Adami peccato id effectum eſſe

---

Ῥέοντος εἰς γῆν, καὶ καθέλκοντος κάτω
Τὴν τε γλυκείαν τῶν ὁρωμένων πλάνην
Πέμποντος ἔισω καὶ τὸ τῶν αἰσθήσεων
Σκοτῶδες, ὑφ' ἃ μὴ λόγῳ κρατεμένη
Ψυχὴ ῥέουσα κατ' ὀλίγον πίπτει κάτω.

50) *Orat. XXIX. de conſtit. Epiſcop. To. I. p.* 486. *οὐδὲν*, inquiens, *μοι δοκεῖ τοιοῦτο, οἷον μύσαντα τὰς αἰσθήσεις, ἔξω σαρκὸς καὶ κόσμου γενόμενον, μηδενὸς τῶν ἀνθρωπίνων προσαπτόμενον, ὅτι μὴ πᾶσα ἀνάγκη ἑαυτῷ προσλαβόντα καὶ τῷ Θεῷ ζῆν ὑπὲρ τὰ ὁρώμενα καὶ ἀεὶ τὰς θείας ἐμφάσεις καθαρὰς ἐν ἑαυτῷ φέρειν κ. λ.*

51) *Orat. XXXVIII. in natiu. Chr. To. I. pag.* 619. vbi, poſtquam de Adami delicto dixerat, *ὁμοῦ δε*, pergit, *τοῦ τῆς ζωῆς ξύλου καὶ τοῦ παραδείσου, καὶ τοῦ θεοῦ, διὰ τὴν κακίαν, ἐξόριστος γίνεται καὶ τοῦς δερμαντίνους ἀμφιέννυται χιτῶνας. ἴσως τὴν παχυτέραν σάρκα καὶ θνητὴν καὶ ἀντίτυπον· — κερδαίνει μέν τι κἂν ταῦθα τὸν θάνατον καὶ τὸ διακοπῆναι τὴν ἁμαρτίαν, ἵνα μὴ ἀθάνατον ᾖ τὸ κακὸν καὶ γίνεται φιλανθρωπία ἢ τιμωρία*, quae eadem his ipſis verbis repetita leguntur etiam in *Orat. XLII. in Paſch. pag.* 681.

52) In *Orat. catech. c. VIII.* in quo vniuerſo capite conſulto docet, inſigne Dei beneficium in morte eſſe agnoſcendum, et inter alia haec habet *To. III. Opp. pag.* 59. edit. Paris. 1638. *τότε ἔνεκεν οἷον τι σκεῦος ὀξράκινον πάλιν ὁ ἄνθρωπος εἰς γῆν ἀναλύεται. ὅπως αὖ τῆς νῦν ἐναπειλημένης αὐτῷ ὑπαρίας ἀποκριθείσης, εἰς τὸ ἐξ ἀρχῆς σχῆμα διά τῆς ἀνάσασεως ἀναπλασθείη.*

53) Quod cum pluribus in locis obiter monet, v. c. *Orat. catech. c.* 6. *To. III. pag.* 56. tum vero etiam iterum conſulto tradit in *libr. de virgin. c. XII. T. III. pag.* 147, vbi ſtatim ab initio *ὁ ἄνθρωπος*, inquit, *ὃ κατὰ φύσιν οὐδὲ συνεσιωμένον ἔσχεν ἐν ἑαυτῷ παρὰ τὴν πρώτην γένεσιν τὸ παθητικόν τε καὶ ἐπίκηρον.*

putauit, vt non modo morti, ſed affectibus etiam ſit expoſitus[54]), quibus corpus, vtpote ſedes eorum, fuerit corruptum[45]) atque ſordibus quaſi inquinatum, quae ſint neceſſario purgandae atque abluendae[56]), ita, vt qui rectam velit viuendi rationem tenere, omni corporearum voluptatum genere ſe debeat abdicare[57]).

Denique *Chryſoſtomus* etiam, quanquam ſaepe et acriter impugnat eorum ſententiam, qui corpus accuſent, idque malum eſſe diſerte negat, et medium potius inter virtutem et vitium eſſe defendit[58]), tamen

---

54) In quam rem haec v. c. habet in *l. l. Orat. catech. pag.* 59. *διὰ τοῦτο τῆς κατὰ τὸ ἀπαθὲς νοεμένης μακαριότητος ἐκπεσόντες, πρὸς τὴν κακίαν μετεμορφώθημεν.*

55) Quo faciunt v. c. quae in eadem *Orat. catech.* leguntur, *pag.* 60. *ἔτως καὶ ὁ τῆ ἡμετέρε σκεύες πλάσης τῷ αἰσθητῷ μέρει, τὸ κατὰ τὸ σῶμά φημι, τῆς κακίας καταμιχθείσης, διαλύσας τὴν παραδεξαμένην τὸ κακὸν ὕλην, πάλιν ἀμιγὲς τῆ ἐναντίε διὰ τῆς ἀναςάσεως ἀναπλάσας, πρὸς τὸ ἐξ ἀρχῆς κάλλος ἀναςοιχειώσει τὸ σκεῦος.*

56) De quarum ſordium purgatione loquitur v. c. *cap. XII. libr. de virgin.* vbi in allegorica narrationis parabolicae Luc. XIV, 8. interpretatione verſans haec ponit *To. III. pag.* 150. *κόπρον δὲ χρὴ νοεῖν, ὡς οἶμαι τὴν τῆς σαρκὸς ὑπαρίαν, ἧς ἀποσαρωθείσης καὶ ἀνακαθαρθείσης διὰ τῆς ἐπιμελείας τῆ βίε, ἔκδηλον τὸ ζητέμενον γίνεσθαι κ. λ.*

57) Quod docet eiusd. *libr. de virgin.* integro *Cap. XXI. To. III. pag.* 169. Eodem vero etiam facit locus *cap. IV.* de *orat. domin. To. I. pag.* 747. vbi monet, ne quis ſerpenti, per cupiditatum illecebras ſe inſinuanti, aditum in animo ſuo aperiat. Qui autem fiat, quod per ſenſuum fraudem animus hominis ab honeſto et bono abducatur, commode oſtendit in *Orat. de mortuis To. III. pag.* 630. his quidem verbis vſus: *ἐπειδὴ γὰρ ἡ τελεία τῆς ψυχῆς δύναμις ἀχώρητός ἐςιν ἐπὶ τῷ νηπιάζοντι σώματι· ἡ δε τῶν αἰσθητηρίων ἐνέργεια, ἐυθὺς τελεία τῷ βρέφει συναποτίκτεται· τέτε γάριν προλαμβάνεται ὑπὸ τῆς αἰσθήσεως ἡ διάνοια ἐν τῇ τῆ καλῆ κρίσει καὶ τὸ τοῖς αἰσθητηρίοις φανὲν ἤδη καὶ νομισθὲν εἶναι καλὸν, καὶ διὰ συνηθείας προειλημμένον, ἀβασανίςως δέχεται ἡ ψυχὴ ἐκεῖνο, καλὸν εἶναι πεισθεῖσα, ὅπερ ἂν προλαβῆσα προσμαρτυρήσῃ ἡ αἴσθησις, ἐν χρώμασί τισι καὶ χυμοῖς καὶ τοῖς τοιέτοις ληροις τὸ καλὸν θεωρῆσα.*

58) Quod diſerte dicit *Hom. XI. in epiſt. ad Rom. cap. VI. Comment. in N. T. To. IV. pag.* 136. edit. Duc. Franc. itemque *Hom. III. in epiſt. ad Rom. c. VIII. eiusd. To. pag.* 180. in quo poſteriori loco, *τὰ μὲν*, inquid, *ἐςιν ἀγαθὰ, τὰ δὲ κακὰ, τὰ δὲ μέσα. οἷον ψυχὴ καὶ σὰρξ τῶν μέσων ἐςὶ, καὶ τῆτο κἀκεῖνο γίνεσθαι δυναμένη.*

vim et robur idem peccato ait conciliare eo, quod hoc facile nos per corpus debellet[59]), hancque vim et ipse aperte dicit[60]) ἐκ τȣ̃ παθητὸν αὐτό γενέσθαι proficisci.

Neque vero a Graecae tantum ecclesiae doctoribus defensa est haec sententia, sed Latinorum etiam nonnullis probata. Inter hos tamen *Tertullianus* quidem facile videri posset ab hac sententia alienus fuisse, cum diserte negasse reperiatur, corpus natura sua malum et prauum esse[61]), atque animam potius esse defenderit, quae in omnia agat atque impellat, corporis autem obsequium esse iudicauerit[62]), hincque id etiam instrumentum modo esse professus fuerit, quo anima ad

---

59) De quo pluribus disputat in laud. loc. *Hom. XI. in epist. ad Rom. pag.* 137. *sq.*

60) *Hom. XIII. in epist. ad Rom. pag.* 172. vbi de verbis Cap. VII, 24. disputans, haec inter alia ponit: διόπερ ὀδὲ αὐτὸς τȣ̃ σώματος ὀυσθῆναι βέλεται, ἀλλὰ τȣ̃ θνητȣ̃ σώματος, αἰνιττόμενος ὁ πολλάκις ἔφην, ὅτι ἐκ τȣ̃ παθητὸν αὐτὸ γενέσθαι καὶ εὐεπιχείρητον γέγονε τῇ ἁμαρτίᾳ. Prauas vero cupiditates infensissimos dicit hominis inimicos, Serm. XXXVI. de resurr. mort. T. I. Opp. p. 454. d.

61) In quam rem haec v. c. habet in libr. *de resurr. carn. c.* 10. *Opp. To. III. pag.* 229 edit. Seml. *Nam etsi negat* (Apostolus) *habitare boni quicquam in carne sua: etsi adfirmat eos, qui in carne sint, deo placere non posse, quia concupiscat aduersus spiritum: et si qua alia ita ponit, vt carnis non tamen substantia, sed actus inhonoretur: dicemus quidem alibi nihil proprie carni exprobrari oportere, nisi in animae sugillationem, quae carnem ministerio sibi subigit*: itemque in libr. *de anim. c.* 40. *To. IV. pag.* 298. vbi haec leguntur: *Etsi caro peccatrix, secundum quam incedere prohibemur, cuius opera damnantur concupiscentiis aduersus spiritum, ob quam carnales notantur infamia, non tamen suo nomine caro infamis.*

62) In eodem libr. *de resurr. carn. c.* 16. *pag.* 237. vbi haec sunt verba eius: *Et illi quidem delinquentias carnis enumerant: ergo peccatrix tenebitur supplicio. Nos vero etiam virtutes carnis opponimus: ergo et bene operata tenebitur praemio. Et si anima est, quae agit et impellit in omnia, carnis obsequium est.* Hinc carnem per semetipsam nihil agere dicit, quod non animae deputetur, de resurr. carn. c. 7. p. 225. et c. 16. p. 238. atque in carne et cum carne et per carnem omnia ab anima agi defendit, ib. c. 15. p. 236.

peccandum vtatur[63]). Verum et hunc aliquam tamen, eamque ſatis iniquam corpori in animam hominis vim conceſſiſſe, inde videtur intelligi poſſe, quod hanc corporis dixit carcere premi[64]), exque carnis ſocietate ignominiam recipere[65]), eoque ipſo peccati tyrannidem atque turpitudinem a corpore potiſſimum proficiſci declarauit. Multo vero apertius *Cyprianus* peccati ſedem in corpore agnouit[66]), neque minus perſpicue

63) Quod *adv. Marc. l. V. c.* 10. *To. I. pag.* 419. his verbis tradit: *Corpus carnalium operum vas eſt, anima eſt autem, quae in illo venenum alicuius mali facti temperat.* cf. etiam locum de reſurr. carn. c. 16. p. 238. et 240.

64) *Apolog. c.* 17. *To. V. p.* 47. *Vultis ex animae ipſius teſtimonio comprobemus? Quae licet* carcere corporis preſſa, *licet inſtitutionibus prauis circumſcripta, licet libidinibus ac concupiſcentiis euigorata, licet falſis diis exancillata, cum tamen reſipiſcit — et ſanitatem ſuam patitur, deum nominat. etc.*

65) In eodem illo, quem *not.* 61. ex *libr. de anim. c.* 40. excitauimus loco, in quo, *peccatrix autem*, inquit, (anima) *quia immunda recipiens ignominiam ex carnis ſocietate.*

66) Quod e duobus maxime locis eius intelligi poteſt, quorum alter in *lib. ad Donat. de grat. Dei* legitur *pag.* 2. edit. Brem. ita habens: *Ego cum in tenebris atque in nocte coeca jacerem, cumque in ſalo jactantis ſeculi nutabundus ac dubius veſtigiis oberrantibus fluctuarem, vitae meae neſcius, veritatis ac lucis alienus, difficile prorſus ac durum, pro illis tunc moribus, opinabar, quod in ſalutem mihi diuina indulgentia pollicebatur, vt quis renaſci denuo poſſet; vtque in nouam vitam lauacro aquae ſalutaris animatus, quod prius fuerat, exponeret, et* corporis licet manente compage, *hominem animo ac mente mutaret. Qui poſſibilis, aiebam, eſt tanta conuerſio, vt repente ac perniciter exuatur, quod vel genuinum* (genitum) *ſitu materiae naturalis obduruit, vel vſurpatum diu ſenio vetuſtatis inoleuit?* alter autem in *libr. de Orat. Domin. pag.* 145. his verbis perſcriptus eſt: *Fieri autem petimus voluntatem Dei vt in coelo et in terra, quod vtrumque ad conſummationem noſtrae incolumitatis pertinet et ſalutis. Nam cum corpus e terra, et ſpiritum poſſideamus e coelo, ipſi terra et coelum ſumus; et in vtroque, id eſt, et corpore et ſpiritu, vt Dei voluntas fiat oramus. Eſt enim inter carnem et ſpiritum colluctatio, et diſcordantibus aduerſus ſe inuicem quotidiana congreſſio, vt non quae volumus ipſa faciamus, dum ſpiritus coeleſtia et diuina quaerit, caro terrena et ſecularia concupiſcit: et ideo petimus impenſe inter duo iſta, ope et auxilio Dei concordiam fieri: ut dum et in ſpiritu et in carne voluntas Dei geritur, quae per eum renata eſt anima ſeruetur.*

hanc eandem ſententiam ſecutus etiam eſt *Lactantius*. Ex huius enim ſententia homo ex duobus repugnantibus compactus eſt, anima et corpore, quorum alterum e coelo et a Deo, alterum vero e terra atque diabolo eſt, quorumque alteri bonum, alteri malum adhaeret[67]), hincque ex ipſius quidem opinione nemo eſſe ſine delicto poteſt, quamdiu indumento carnis oneratus eſt[68]). Ab eadem ſententia non multum quoque abſuiſſe videtur *Prudentius*, qui corpus eodem haud dubie, quo Graecorum plures id dixere, ſenſu animae carcerem adpellauit[69]), cuius illa vinculis detineatur[70]); multoque minus dubium eſſe poterit, eam *Leoni* quoque *M.*

---

67) Quam ſententiam *Inſtit. diu. l. II. c.* 12. *To. I. Opp. pag.* 252. his verbis profitetur: *Conſtat enim* (homo) *ex anima et corpore, id eſt, quaſi e coelo et terra; quandoquidem anima, qua viuimus, velut e coelo oritur a Deo, corpus e terra, cuius e limo diximus eſſe formatum.* Quibus paulo poſt *ſect.* 10. haec ſubiungit: *In hac igitur ſocietate coeli atque terrae, quorum effigies in homine expreſſa eſt. ſuperiorem partem tenent ea, quae ſunt Dei, anima ſcilicet, quae dominium corporis habet: inferiorem autem ea, quae ſunt diaboli, corpus vtique, quod quia terrenum eſt, animae debet eſſe ſubiectum, ſicut terra coelo. Eſt enim quaſi vaſculum, quo tanquam domicilio temporali ſpiritus coeleſtis vtatur. Vtriusque officia ſunt, vt hoc, quod eſt ex coelo et Deo, imperet; illud vero, quod ex terra et diabolo eſt, ſeruiat.* Eiusdem argumenti eſt etiam alius locus in libr. *de ira Dei, c. XV. To. II. pag.* 1068. ita habens: *Sic et nos ex duobus aeque repugnantibus compacti ſumus, anima et corpore, quorum alterum coelo adſcribitur, quia tenue eſt et intractabile, alterum terrae, quia comprehenſibile eſt; alterum ſolidum et aeternum eſt; alterum fragile atque mortale. Ergo alteri bonum adhaeret, alteri malum; alteri lux, vita, inſtitia; alteri tenebrae, mors, iniuſtitia. Hinc exſtitit in hominibus naturae ſuae deprauatio.*

68) *Inſtit. diu. l. VI. c. XIII. To. I. pag.* 774. *Eo accedit, quod nemo eſſe ſine delicto poteſt, quamdiu indumento carnis oneratus eſt; cuius infirmitas triplici modo ſubiacet dominio peccati, factis, dictis, cogitationibus.*

69) *Cathem. hymn. X. v.* 22. et *Hamartig. v.* 918.

70) *Περ. ϛεφ. v.* 1110. in quo animam martyris *abſolutam vinculis* coelum dicit petere.

fuiſſe probatam[71]), eumque in illa fouenda cogitaſſe de corpore ſenſibus inſtructo perque eos prauas cupiditates excitante, cum, quanquam animae vtique principatum tribuerit[72]), ita vt carnem ſine ea nihil deſiderare poſſe [73]), atque ne imputari quidem huic motus ſuos defenderet[74]), niſi animi aſſenſus mentisque comprobatio acceſſerit, hincque animam corpori ita ſtatuerit praeeſſe poſſe atque debere, vt regat id atque gubernet imperiique ſui dignitatem tueatur[75]); tamen animam quoque putauerit a corpore eiusque ſenſibus et cupiditatibus, aut, vt ſaepe etiam adpellat, concupiſcentiis vel deſideriis et affectibus, corrumpi poſſe[76]), tamque arctam

---

71) Quod merito obſeruatum iam eſt. Griesbachio in *Locis theol. collectis ex Leone M. pag.* 99.

72) Quem diſerte commemorat *Serm. II. c.* 4. *To. I. Opp. pag.* 52. edit. Quesn. II vbi monet ſuos, vt ne *concupiſcentiis carnis mens* principatus ſui oblita, *conſentiat.*

73) *Serm. XVIII. c.* 1. *To. I. pag.* 67. quem locum paulo inferius integrum exhibebimus.

74) *Serm. XCII. c.* 1. *pag.* 177. vbi de animae prauis deſideriis loquens, haec habet: *Quamuis enim his affectibus motus quoque corporis ſeruiant, ad originem tamen ſuam cuncta reſpiciunt, et ibi cenſetur qualitas actionis, vbi inuenitur initium voluntatis, quam reuocare a prauis deſideriis, optimum maximumque ieiunium eſt.*

75) *Serm. XLI. c.* 1. *pag.* 104. *praeceptis,* inquiens, *Apoſtoli obedire curemus,* emundantes nos ab omni inquinamento carnis ac ſpiritus: *vt caſtigatis colluctationibus, quae ſunt inter vtramque ſubſtantiam, animus, quem ſub Dei gubernaculis conſtitutum, corporis ſui decet eſſe rectorem, dominationis ſuae obtineat dignitatem:* itemque *Serm. XXXVIII. c.* 2. *pag.* 100. vbi de iisdem certaminibus internis loquens, *in qua diſſenſione,* ait, *ſi cupiditates corporeae fuerint fortiores, turpiter animus amittet propriam dignitatem et perniciosiſſimum erit eum ſeruire, quem decuerat imperare. Si autem mens rectori ſuo ſubdita et ſupernis muneribus delectata, terrenae voluptatis incitamenta calcauerit et in ſuo mortali corpore regnare peccatum non ſiuerit, ordinatiſſimum tenebit ratio principatum, et munitiones eius nulla ſpiritalium nequitiarum labefactabit illuſio.*

76) In quam rem haec tradit *Serm. LXXXVIII. c.* 1. *pag.* 173. *Habet hoc in ſe generaliter humana natura, non a creatore inſitum, ſed a praeuaricatore contractum et in poſteros*

utriusque coniunctionem agnouerit, vt nihil diceret corporis ſenſibus vel concedi vel negari, quod non ad utrumque pertineat[77]), hincque de perpetua utriusque pugna fuerit locutus[78]), in qua difficillimum quidem ſit perſectam victoriam reportare[79]), ſed id tamen vt fiat, operam maximam dandam eſſe[80]), omnibusque viribus efficiendum, vt a corporis cupiditatibus libera reddatur anima[81]).

---

generandi lege transfuſum, vt de corruptibili corpore etiam, quid animam corrumpere poſſit, oriatur. Hinc de carnalitate etiam cupiditatum dominio loquitur *Serm. LXIX. c. 5. pag.* 149. *Recte dicimur,* inquiens, *in carne non eſſe, ſi carnales nobis non dominentur affectus: et merito eius rei deponimus nuncupationem, cuius non ſequimur voluntatem.*

77) *Serm. XCII. c. 1. pag.* 177. vbi ieiunia commendans, *nihil,* inquit, *corporeis ſenſibus vel conceditur, vel negatur, quod non ſicut ad ſeruientem, ita pertineat ad iubentem. Cum itaque unusquisque homo duplicem in ſe legem habeat continentiae, nihilque actionum noſtrarum ad ſolum corpus, multa autem ad ſolum referenda ſint animum: prudenter debemus aduertere, quam indecens quamque iniuſtum ſit, ſi quod a ſuperiore indicitur, ab inferiore negligatur.*

78) Quam vel regeneratis etiam hominibus dicit ineundam eſſe in loc. *not.* 76. ex *Serm. LXXXVIII.* laud. in quo poſt verba quae ibi excitauimus, haec ſequntur: *Hinc interior homo, tametſi iam in Chriſto regeneratus et a vinculis captiuitatis eſt erutus; aſſiduos habet cum carne conflictus, et dum cohibet concupiſcentem, patitur repugnantem.*

79) De quo in eodem illo loco verbis modo recitatis haec ſubiicit: *In qua diſcordia non facile obtinetur tam perfecta victoria, vt etiam quae ſunt abrumpenda, non illigent, et quae ſunt interficienda, non vulnerent. Quamtumlibet ſapienter et prouide iudex animus ſuis exterioribus praeſit, inter ipſas tamen curas atque menſuras regendae carnis et alendae, nimis ei vicina ſemper tentatio eſt.*

80) Cuius rei adiuuandae cauſa ieiunia inprimis, vt alio, volente Deo, tempore docebimus, commendat.

81) Qua de re haec habet in loc. *not.* 73. laudato. *Quamuis enim ſine anima nihil caro deſiderat, et inde accipiat ſenſus, vnde ſumit et motus; eiusdem tamen eſt animae, quaedam ſubditae ſibi negare ſubſtantiae, et interiori iudicio, ab inconvenientibus exteriora fraenare, vt a corporeis cupiditatibus ſaepius libera, in aula mentis poſſit diuinae vacare ſapientiae.* Eandem libertatem praedicat etiam *Serm. XXXVIII. c. 2. p.* 100. *tunc,* inquiens, *eſt vera pax hominis et vera libertas, quando et caro animo iudice regitur, et animus Deo praeſide gubernatur.*

Cap. IV.

Sect. 9. De fontibus hujus sententiae.

(Comment. XVI.)

Illam igitur, quam superiori libello exposuimus, veterum doctorum christianorum de peccati sede in corpore hominis quaerenda sententiam cum ex Platonica philosophia susceptam inque doctrinam christianam volunt deriuatam; veremur profecto, vt orthodoxae, quae dicitur, ecclesiae doctorum sententiam a Gnosticorum aliorumque haereticorum opinione satis distinxerint. Hi enim corpus humanum, quippe materia constans, natura sua malum iudicarunt, hacque ipsa de causa peccati fontem duxerunt. Hanc vero sententiam etsi nos quidem minime dixerimus, haereticos istos ex Platonis philosophia proxime hausisse, eam tamen negari non potest, cum huius Philosophi decretis multum similitudinis habere. Etenim et hic materiam informem omnium malorum atque turbarum causam iudicauit, hincque etiam corpus hominum ex illa conflatum pro peccatorum fonte habuit[1]), idque constanter tanquam sapientiae et virtutis impedimentum grauissimum descripsit[2]), ac animae adpellauit carcerem[3]). At enim-

---

1) De qua sententia eius videnda, quae obseruarunt Diet. Tiedemann in: *Geist der spekulativen Philosophie*, *Vol. II. pag.* 175. itemque Tennemann in *Syst. der Platonisch. Philos. Vol. III. p.* 189. coll. eum Eiusd. *Geschichte der Philos. Vol. II. p.* 427. *sq.* atque Platnerus noster in *Philosoph. Aphorism. Vol. II. p.* 231. edit. recent.

2) In quam rem inprimis legenda sunt, quae scripsit in Phaed. *Opp. To. I. p.* 148. edit. Bip. itemque *p.* 188. atque Timaeo, *To. IX. pag.* 328—332. et 422—424.

3) Cuius generis loca plura laudauit iam Clemens Alex. *Strom. l. III. pag.* 518. *sq.* edit. Pott.

uero hanc ſententiam catholicae quidem eccleſiae doctores aperte improbarunt, atque, vt multorum exemplo ſuperiori libello docuimus, corpus humanum natura ſua malum et prauum eſſe diſerte negarunt, idque homini hactenus modo noxium et perniciofum fieri iudicarunt, quod per ſenſuum vim vehementiores ex illius motibus cupiditates et affectus oriantur, quae hominem facile in peruerſum abripiant, ab eoque, quod honeſtum et rectum eſt, abducant. Quanquam vero et hoc a Platonis decretis non omnino alienum dici poterit[4]); nobis tamen doctores illi chriſtiani neutiquam ex huius Philoſophi ſchola id petiiſſe videntur, ſed et hanc ſententiam proxime quidem e Iudaica theologia in chriſtianae religionis doctrinam putamus transiiſſe, hincque noſtros doctores eam a primis ſtatim ſuis in religione magiſtris tanquam vel religionis ipſius aliquod caput, vel cum ea ſaltem arctiſſime nexum ſibi traditam accepiſſe. Id enim profecto admodum credibile redditur eo, quod non modo et ipſi cum aliis religionis capitibus eam coniunxiſſe, ſed plurium etiam ſcripturae ſacrae locorum auctoritate muniiſſe reperiuntur. Fuiſſe autem hanc ſententiam iam ante religionis chriſtianae primordia a Iudaeis defenſam, pluribus ſane argumentis poteſt doceri, cum non modo in apocryphis V. T. libris, ſed apud Ioſephum etiam atque Philonem eiusdem vel ſimilium ſaltem ſententiarum haud obſcura veſtigia adpareant. Ex apocryphis quidem V. T. libris commemorandus inprimis eſt Sapientiae liber, cuius auctor[5]) corpus humanum diſerte dicit animam, cuius id ſit domicilium, oneris inſtar grauare, eamque deprimere, quo minus

---

4) Ut ex locis *not.* 2. laud. facile poterit intelligi.

5) Si quidem vnus eſt illius libri auctor, quod non contemnendis argumentis in dubium vocauit Car. Gottl. Bretſchneider in *Diſſertt. III. de libri Sapientiae parte priore Cap. I—XI. e duobus libellis diuerſis conflata, Viteb.* 1804. 4.

poſſit conſilia Dei eiusque voluntatem perſpicere [6]). Ioſephus vero eiusmodi ſententiam Eſſenis nominatim tribuit in loco, quem nos ſupra [7]) iam exhibere meminimus, in quo haec de ipſorum placitis refert [8]): ἔῤῥωται παρ' αὐτοῖς ἤδε ἡ δόξα, φθαρτὰ μὲν εἶναι τὰ σώματα καὶ τὴν ὕλην ἐ μόνιμον αὐτοῖς, τὰς δὲ ψυχὰς ἀθανάτȣς ἀεὶ διαμένειν, καὶ συμπλέκεσθαι μὲν, ἐκ τȣ̃ λεπτοτάτȣ φοιτώσας ἀιθέρος, ὥσπερ εἱρκταῖς τοῖς σώμασιν ἰύγγι τινι φυσικῇ καταεσπωμένας [9]). ἐπειδὰν δὲ ἀνεθῶσι τῶν κατὰ σάρκα δεσμῶν, οἷα δὴ μακρὰς δȣλείας ἀπηλλαγμένας, τότε χαίρειν καὶ μετεώρȣς φέρεσθαι; ex quibus verbis, vt bene iam obſeruauit Vitringa [10]), profecto intelligitur, ſtatuiſſe eos, animabus quidem nihil vitii inhaerere, ſed omne malum et prauum a corpore potius deriuandum eſſe. Atque eandem ſententiam Philo etiam ipſe ſuam fecit, dum corpus hominum ſaepius animae carcerem [11]) vel

---

6) Cap. IX, 15. φθαρτὸν, inquiens, σῶμα βαρύνει ψυχὴν καὶ βρίθει τὸ γεῶδες ȣκῆνος νὲν πολυφροντίδα, quod de cognoſcendae voluntatis atque conſiliorum Dei difficultate, vt diximus, inprimis intelligendum eſſe, contextus loci, maximeque v. 13, et 14. luculenter oſtendunt. Cfr. eiusdem, quem modo laudauimus, Bretſchneideri *Syſtem. Darſtell. der Dogm. u. Moral der apocryph. Schriften des A. T. Vol. I. pag.* 279. *ſq.*

7) *Comment. XI. pag.* 673.

8) *De bell. iud. l. II. c.* 8. *§.* 11. Eadem, leui tantum, quam poſt notabimus, mutatione admiſſa, habet etiam Porphyrius in libr. *de abſtinent. ab eſu anim. l. IV. §.* 13. *pag.* 342. edit. Jac. de Rhoer, exque hoc recitauit etiam Euſebius in *Praepar. euang. l. IX. c.* 3. *pag.* 407.

9) Pro his omnibus, quae inde a voce ὥσπερ vsque ad καταεσπωμένας leguntur, Porphyrius atque Euſebius haec tantum habent: ῥύμῃ φυσικῇ καταεσπωμένας; et paulo poſt pro οἷα Porphyrius quidem οἷον exhibet; Euſebius vero cum noſtro in plurali οἷα ſeruando conſentit.

10) *Obſeru. SS. lib. III. c.* 8. *§.* 4. *pag.* 618.

11) Quod legitur v. c. *leg. allegor. l. III. To. I. Opp. p.* 268. edit. Pfeiff. itemque libr. *de ebriet. To. III. p.* 217. et *de migr. Abrah. To. III. pag.* 415.

ſepulchrum[12]) adpellauit, maloque cognatum[13]) dixit, idque hoc aperte reſpectu, quod voluptatibus ſuis atque cupiditatibus, quae ex illo oriantur[14]), mentem opprimat[15]). Fuiſſe tamen hanc non ſingularum modo ſectarum aut virorum doctorum ſententiam, ſed communem eam inter Iudaeos opinionem factam eſſe et ad poſteros quoque translatam, inde videtur admodum perſpicue intelligi poſſe, quod eam, vt ia pluribus iam eſt demonſtratum[16]), vel poſt Chriſti etiam tempora a magiſtris eorum defenſam deprehendimus. Hinc profecto non obſcurum aut dubium eſſe poterit, vnde haec eadem ſententia ad Ieſu quoque Apoſtolos, inprimisque Paulum, nobiliſſimi Iudaeorum illa aetate magiſtri, Gamalielis, diſcipulum peruenerit. Etenim et hunc corpus hominum pro pec-

---

12) *Τὸν τῆς ψυχῆς οἶκον, ἢ τύμβον, ἢ ὅτιῶν χρὴ καλεῖν.* vt dicit in libr. *quod Deus ſit immut. To. II. pag.* 452. Cfratur etiam locus in libr. *de creat. princ. pag.* 728. edit. Pariſ. vbi animus humanus ei dicitur *ἐντετυμβευμένος θνητῷ σώματι, ὅ κυρίως ἂν τις σῆμα καλέσειε.*

13) *Quis rer. diu. haer. T. IV. p.* 120. *παντὸς*, inquiens, *φαύλε συγγενὲς τὸ σώματος χωρίον, ἐν ᾧ μελετᾷ κατοικεῖν, ἐ παροικεῖν*, quibus mox haec ſubiicit: *ὅτι δελεῖαν καὶ κάκωσιν καὶ δεινὴν, ὡς ἀυτὸς ἔφη, ταπείνωσιν ἐπάγοντα τῇ ψυχῇ τὰ κατὰ γῆν ἔστιν ὀικίδεια.*

14) Quod in eodem illo, quem modo excitauimus, loco diſerte de iis dicit, dum poſt verba vltima haec addit: *νόθα γὰρ καὶ ξένα διανοίας τὰ σώματος ὡς ἀληθῶς πάθη, σαρκὸς ἐκπεφυκότα, ἢ προσερρίζωνται.*

15) In quam rem locus inprimis perſpicuus legitur *de migrat. Abrah. To. III. pag.* 416. vbi de Exodi libro, etymologiam huius vocabuli reſpiciens, haec habet: *ἅτε γὰρ παιδευτικὸς ὢν καὶ πρὸς νουθεσίαν καὶ σωφρονισμὸν ἑτοιμότατος, τὸν οἷόν τε νουθετεῖσθαι καὶ σωφρονίζεσθαι πάντα τῆς ψυχῆς λεῶν, ἀπὸ τῆς Αἰγυπτίας χώρας, τῶ σώματος καὶ τῶν οἰκητόρων ἀυτῆς ἐξελεῖν διανοεῖται· χαλεπώτατον καὶ βαρύτατον ἄχθος ἡνεμένος ὁρατικὴν διάνοιαν πρὸς σαρκὸς ἡδονῶν πεισθῆναι, καὶ ἐπιτάγμασιν ὑπηρετεῖν, ἅτε ἂν αἱ ἀνηλεεῖς προστάττωσιν ἐπιθυμίαι;* hincque etiam paulo ante *pag.* 414. *τὰς ἡδονὰς καὶ ἐπιθυμίας τῶ σώματος* dixerat huius carceris animae *εἱρκτοφύλακας.*

16) Inter quos referendi inprimis ſunt Vitringa *l. l. p.* 617. *ſq.* Ammonius in *Comment. de veſtigiis Theolog. iudaic. in epiſt. Pauli ad Roman.* inſerta *Nov. Opuſc. theol. pag.* 77. *ſq.*

cati ſede habuiſſe, multa epiſtolarum eius loca tam perſpicuum reddunt, vt vix poſſit a iudice nulla praeconcepta opinione praepedito in dubium vocari, fueritque hinc iam a pluribus dudum obſeruatum [17]). Atque profecto, ſi quis vel vnum Cap. VII. epiſt. ad Romanos cognouerit, de hac eius opinione abunde ſibi perſuaſum ſentiet [18]). Diſerte enim negat, ἐν τῇ σαρκὶ αὐτȣ

---

17) Quorum ex numero iterum commemorandus eſt Vitringa. *l. l. Cap. X. pag.* 638. in quo toto de cauſis diſputat, *cur placuerit ſcriptoribus ſacr. concupiſcentiae ſedem dare carnem ſ. corpus*, harumque plures, eas tamen vix omnes iſtis ſcriptoribus perſpectas, commemorat. Hunc tamen in illa re agnoſcenda ab initio quidem nemo, quantum nobis certe conſtat, ſecutus eſt, praeter vnum Ioh. Lochium, qui in Animadv. Paraphraſi ſuae epiſt. ad Rom. ad Cap. VI, 12. et VII, 18. 24. ſubiectis diſerte admonuit, ſedem peccati in corpore humano a Paulo poni. At recentioribus temporibus multo plures extiterunt, qui hoc agnoſcerent. Horum primi fere fuerunt tres celeberrimi nuper academiae Gottingenſis doctores, Koppius in *annot. ad Gal. V*, 13. atque *Excurſ. IX.* huic epiſtol. ſubiecto, ad *n. V. p.* 142. *ſq.* edit. II. (qui huius tamen ſententiae in interpretando Cap. VII. epiſt. ad Rom. non amplius memor ſatis fuiſſe videtur,) Gottfr. Leſs in *Prol. de σωματι τȣ θανατȣ, ad Rom. VII*, 24. *Goett.* 1791. 4. et Io. Dav. Michaelis in *Animadv. ad Rom. VI.* 12. et *Gal. V*, 16. *To. III. Animadverſſ. in verſ. germ. libr. N. T. pag.* 55. et 433. hisque eodem tempore acceſſit etiam Io. Chriſt. Doederlein in *Inſtit. Theol. chriſt. Part. II. §.* 182. *Obſ.* 4. *pag.* 36. et *§.* 185. *Obſ.* 1. *pag.* 58. edit. recentiſſ. Hos vero in eadem ſententia defendenda his noſtris temporibus exceperunt deinde Storrius in *Doctr. chriſt. parte theoret. §.* 56. *not.* 1. *p.* 178. eiusdemque *verſ. germ. p.* 438. Imm. Bergerus in *Verſuch einer moral. Einleit. in das N. T. Vol. III. pag.* 47. *ſq.* Chr. Frid. Ammon in *Bibl. Theolog. Vol. I. pag.* 335. edit. II. et in *Exc. E.* nuperae editioni *Vol. IV. edit. N. T. Koppianae pag.* 388. *ſq.* ſubiecto, Geo. Lor. Bauer in *Bibl. Theolog. des N. T. Vol. IV. p.* 383. *ſq.* itemque *Bibl. Moral des N. T. Vol. I. p.* 31. et *p.* 253. *Vol. II. p.* 4. atque in *Breviar. theol. bibl. pag.* 117. Gottl. Wilh. Meyer in *Entwickel. des Paulin. Lehrbegr. p.* 195. et Io. Geo. Fr. Leun in *Grundr. der neuteſt. Chriſtol. p.* 127. et *Reine Auffaſſ. des Urchriſtenth. in den Paulin. Brief. pag.* 27 *ſq.* Neque huius rei obſeruatio neglecta eſt a Reinhardo in *Syſt. der chriſtl. Moral. To. I. §.* 81. *pag.* 288. et §. 99. *pag.* 361. edit. III. atque Schleusnero in *Lex. N. T.* ſub voc. σαρξ *To. II. pag.* 770. edit. I.

18) Cuius rei tamen contrarium accidit Io. Geo. Hoffmanno in Obſeruatt. ad laud. paraphraſ. Lockianae epiſt ad Rom. locum, *Vol. II.* verſ. germ. (*Joh. Locks paraphr. Erklär. und Anmer-*

οἰκεῖν τὸ ἀγαθὸν, (v. 18.) ſed eſſe potius defendit ἐν τοῖς μέλεσι αὐτοῦ νόμον[19] ἀντιστρατευόμενον τῷ νόμῳ τοῦ νοὸς καὶ αἰχμαλωτίζοντα αὐτὸν τῷ νόμῳ τῆς ἁμαρτίας τῷ ὄντι ἐν τοῖς μέλεσι[20], (v. 23.) hincque ſe τῇ σαρκὶ, ait, δουλεύειν νόμῳ ἁμαρτίας, (v. 25.) et tanquam σαρκικὸν eſſe πεπραμένον ὑπὸ τὴν ἁμαρτίαν, (v. 14.) h. e. *ſeruitio peccati* propter illam ipſam σάρκα *addictum*[21]): quibus omnibus ſatis profecto perſpicue declarat, τὴν σάρκα (in qua de nulla alia re, quam corpore, eum cogitaſſe, inde perquam luculenter

---

kungen über die Briefe an die Galat., Korinth., Röm. und Epheſer. — Aus dem Engliſch. überſ. u. mit Anmerk. verſeh. von Joh. Geo. Hoffmann, Frcf. a. Mayn, 1768. 69. 2 *Voll.* 4.) *pag.* 137. itemque Chr. Frid. Riegero in *Diſſ. de notione vocis* σαρξ *in ſcriptis N. T.* (Tübing. 1778. 4.) *pag.* 24. et nuperrime etiam Eckermanno in *Handb. für das ſyſtem. Studium der chriſtl. Glaubensl. Vol. IV. pag.* 172. qui omnes diſerte negarunt, hanc ſententiam Apoſtolis fuiſſe probatam. At enimuero quae ab iis ea de re motae ſunt dubitationes, eas quilibet profecto intelliget, nullius eſſe ponderis et facillime poſſe remoueri.

19) Cui νόμῳ vocabulo, quod nunc perſpicue ad eiusmodi res transfert, in quas proprie non conuenit, aperte nunc vniuerſa notio *dictaminis*, qua Bengelius iam in eo reddendo vſus eſt, ſubeſt.

20) Haec haud dubie nunc eſt *neceſſitas* ipſa re et actu *peccandi*, quae oritur ex corporis membris per cupiditates ab iis profectas, ex qua, vt dixerat paulo ante v. 19. οὐ ποιεῖ ὁ ἄνθρωπος, ὁ θέλει ἀγαθὸν, ἀλλ' ὃ θέλει κακὸν, πράσσει.

21) Hoc autem Paulum non de ſemetipſo, ſed per μετασχηματισμὸν ſub eiusmodi hominis perſona dicere, qui chriſtianae religionis adiumento nondum gaudeat, neque per eam iam fit emendatus, profecto non eſt, quod multis nunc demonſtremus, cum ex v. 24. et Cap. VIII, 2. cuilibet ſponte in oculos incurrat, fueritque hinc ab omnibus iam antiquioris eccleſiae doctoribus agnitum, vt dudum obſeruauit Dan. Whitby in *Diſſert. de ſcripturaram ſ. interpretatione ſecundum Patrum commentar. pag.* 249. monuitque olim iam Pelagius, licet poſt Auguſtino eiusque ſequacibus aliter ea de re viſum fuerit. Verum et hunc eandem ab initio cum antiquioribus ſententiam defendiſſe, praeter alios, plurimis ſcriptorum eius locis excitandis, luculenter oſtendit Chriſtph. Aug. Heumannus in *Erklär. des N. T. Part. VII. pag.* 267. *ſq.* praeter quem de ſententiarum ſuper ea re diuerſitate ſingulisque earum patronis conferri etiam poſſunt, quae ad h. l. collegerunt Io. Chriſtph. Wolfius in *Cur. philol. et crit. in IV. priores Pauli epp. pag.* 126. et Lor. Frid. Leutwein in *Apoſtol. Briefe, erklärt aus den Religionsmein. des erſt. Jahrh. Vol. II. pag.* 156.

cognoſcitur, quod ei non modo vocabulum σώματος (v. 24.)[22]), atque τὰ μέλη (v. 23.) ſubſtituit, ſed eam etiam τῷ νοῖ (v. 25.) itemque τῷ ἔσω ἀνθρώπῳ[23]) (v. 22. 23.)[24]) opponit) non, vt vulgo credunt, pro ipſa vitioſitate[25]), quam ἁμαρτίας[26]) potius vocabulo significat, ſed pro vitioſitatis magis fonte ac fomite a ſe haberi[27]). Hinc etiam proximi Cap. VIII, 3. de eadem σαρκὶ tanquam virtutis impedimento loquitur[28]), eam-

---

22) Cum quo id ipſum vocabulum proximi etiam Cap. VIII, 13. permutat.

23) Quo eundem hominis νοῦν ſignificari, cum ex ipſa vtriusque vocabuli v. 22. 23. et 25. permutatione cognoſcitur, tum ex loquendi etiam vſu conſtat, de quo praeter alios conferendus inprimis Ioh. Ben. Carpzouius in *Strictur. theol. et critic. in epiſt. S. Pauli ad Roman.* (Edit. II. Hulmſt. 1758. 8.) *pag.* 163

24) Cui nullam aliam hominis partem, niſi corpus vel τὸν ἔξω ἄνθρωπον opponi poſſe, vt res ipſa monet, ita hanc vere etiam ei opponi, docet locus 2 Cor. IV, 16.

25) Quonam enim, quaeſumus, modo haec τῷ νοῖ vel animo hominis poſſit opponi? et nonne tum vitioſitas vitioſitati diceretur v. 18. 20. et 23. inhabitare?

26) Hac enim illam ipſam ad peccandum procliuitatem vel peccandi libidinem indicari, quae homini hactenus ineſt, quod propter corporis naturam non poteſt non ea adpetere, quae ſenſibus grata ſunt atque iucunda, omnis Pauli diſputatio docet, inprimisque v. 8. vbi prauas cupiditates ab hac ἁμαρτίᾳ, quam primum ea per praeceptum aliquod exferendi ſe occaſionem nacta fuerit, gigni dicit.

27) Hoc autem ſi vere ita ſe habet, ipſum quidem vocabulum σαρκὸς non niſi de corpore hominis erit intelligendum, ideoque per *corpus* etiam vertendum, vt recte factum eſt a recentiſſimo librorum N. T. interprete latino, Schotto noſtro, minime vero, vt vel ab eorum adeo nonnullis factum vidimus, qui hanc ipſam Apoſtolorum ſententiam probe perſpexerunt, e. c. Schleusnero in *Lex. N. T. l. l.* de *corrupta hominis natura*, vt a Reichardo vertitur, aut vt legitur in verſione Iaspiſii, de *vitioſa eius indole*, vel ipſa adeo *vitioſitate* explicandum. Etenim haec vitioſitas ex mente quidem Pauli per accidens tantum e corpore, vt docuimus, oritur, non vero ei, tanquam tali, ineſt, hincque nec vocabulo, quod ei ſignificando inſeruit, eſt inferenda.

28) Dum vim legis Moſaicae per eam fractam fuiſſe dicit, quo minus potuerit illa homines ad obedientiam ipſi praeſtandam perducere.

que σάρκα ἁμαρτίας adpellat [29]), et πνεύματι [30]) opponit: (v. 1. 4. 5. ſq.) atque vt hic de pugna aliqua, quae in ſe, vno eodemque homine, (VII, 18. 23.) locum habeat [31]), loquitur [32]), ita et alibi (Gal. V, 17.

---

29) Cuius loco Cap. VII, 6. dixerat σῶμα τῆς ἁμαρτίας, cui in loco Coloſſ. II, 11. reſpondet σῶμα τῶν ἁμαρτιῶν, quam formulam ita ibi intelligendam eſſe, vt ea declaretur corpus, quod homines ad peccandum incitat et allicit, quoque ipſo etiam ad peccandum vtuntur, ſatis perſpicue declaratur eo, quod iſtae ἁμαρτίαι diſerte dicuntur ἁμαρτίαι τῆς σαρκός.

30) Quo Paulum quidem Spiritum diuinum, (hunc enim eum in animo nunc habuiſſe, v. 9. 11. et 14. perſpicue docent,) omnis honeſtatis atque virtutis principium et auctorem ſibi cogitaſſe, inprimis luculenter oſtendit Koppius in *Exc. V. epiſt. ad Gal. pag.* 117. *ſq.* ſubiecto.

31) Quam in eo ponit, quod qua mentem quidem non modo delectetur lege diuina, (v. 22.) eamque vt recto et honeſto conſentaneam probet (v. 16.) ſed eam lubenter etiam exequi cupiat, (v. 18. 19. 25.) at propter corporis naturam exque eo oriundam peccandi libidinem non modo huic voluntati ſuae ſatisfacere minime valeat, (v. 18.) ſed contrarium adeo, quod nolit, perficere cogatur, atque ſic, vt ſub finem loci dicit, τῷ μὲν νοῖ legi diuinae obedire cupiat, τῇ δὲ σαρκὶ dietamini ἁμαρτίας ſubiectus ſit.

32) De qua pugna inde a v. 14. pluribus deſcripta cum v. 25. ſummatim exponat ſic, vt, quae ante per partes de ea diſputauerat, omnia paucis comprehendat, ſaepe iam, (vt per hanc occaſionem obiter hoc moneamus,) mirati ſumus, neminem adhuc, quantum nos quidem nouimus, hunc verſum incommodo loco poſitum ſuſpicatum eſſe. Aperte enim cum v. 23. et toto loco ſuperiore arctiſſime cohaeret, adeoque huic etiam verſui proxime erat ſubiiciendus, cum vniuerſi loci illius ſummam, vt diximus, contineat. Hac vero diſputatione abſoluta dolet iam Apoſtolus de hac miſera conditione ſua, optatque vt ab ea poſſit liberari, tumque laetus recordatur, id per religionem chriſtianam iam effectum eſſe, idque ipſum Cap. ſeq. pluribus perſequitur; vnde rurſus arctiſſimus huius Capitis cum v. 24. nexus, iſto v. 25. peſſime perturbatus, cognoſcitur. Fuiſſe autem eiusmodi ſingulorum commatum transpoſitionis in veterum ſcriptis, nominatimque etiam N. T. libris interdum admiſſas, et vnde eae ortae ſint, vniuerſe quidem docuit Everw. Waſſenbergh in *Diſſ. de transpoſitione critica ſeu ſaluberrimo in ſanandis veterum ſcriptis remedio, quo loca confuſa, facta transpoſitione, reſtituuntur. Franeck.* 1786. 4. (cum quo libello, quod loca N. T. in eo tractata attinet, conferenda ſunt *Stromata — herausgegeben von H. A. Grimm und Ph. L. Muzel, Vol. I. part. I. pag.* 34. *ſq.*) de N. autem T. nominatim libris oſtendit Io. Dav. Michaëlis in *Introd. in libr.* N. *T. Vol. I. pag.* 321. *ſq.* edit. IV.

ſq.) pugnam τῆς σαρκὸς et τȣ̃ πνεύματος commemorat[33]), vulque, vt qui virtutis ſint ſtudioſi, non κατὰ σάρκα, ſed κατὰ πνεῦμα vitam inſtituant, (Rom. VIII, 1. 4. 12.) iſtamque σάρκα exuant[34]), neque ei amplius obediant, (Rom. VI, 12.) ideoque etiam corpus mortem atque interitum ſibi afferre[35]) defendit. Haec omnia autem non alia eum de cauſa profeſſum eſſe, quam quod per ſenſuum inſtrumenta, quibus corpus hominis inſtructum eſt, prauas nouerat in eo cupiditates[36]) excitari, hasque ſummam in eo vim exſerere (Rom. VII, 5.)[37]), hoc argumento eſt, quod diſerte

33) Hanc vero etſi in eo tantum cerni defendit, quod vtrumque contraria adpetat atque poſtulet, eius tamen ſaepe hoc eſſe dicit conſequens, vt quae homines, πνεύματι ducti, agere conſtituerant, propter τὴν σάρκα neutiquam poſſint perficere, ſed per eam contrarium potius facere cogantur.

34) Sic enim, ipſo Paulo ad Coloſſ. II, 11. praeeunte, omnium optime exprimi poterit id, quod Gal. V, 24. dicit ſαυρȣ̃ν τὴν σάρκα et Rom. VIII, 13. adpellat θανατȣ̃ν τὰς πράξεις τȣ̃ σώματος, quodque ipſum poſtulat etiam, cum Rom. VI, 6. vult καταργεῖσθαι τὸ σῶμα τῆς ἁμαρτίας.

35) Quod diſerte docet, cum Rom. VIII, 6. ſtudium earum rerum, quae corpus adpetat, mortem tradit adferre, ideoque eos, qui κατὰ σάρκα vitam inſtituant, μέλλεσθαι dicit ἀποθνήσκειν, hincque ſe, dum prauis cupiditatibus, quae vim ſuam in membris ipſius exſererent, locum daret, τῷ θανάτῳ ait καρποφορῆσαι, Rom. VII, 5. Hinc vero facile iam iudicari poterit, qua de cauſa τὸ σῶμα τȣ̃ ἀνθρώπȣ dixerit Rom. VIII, 10. νεκρὸν (quod idem nunc eſt, ac θνητὸν, cum quo vocabulo v. 11. ſtatim permutatur,) δι' ἁμαρτίαν, quidque ſibi velit τὸ σῶμα τȣ̃ θανάτȣ Rom. VII, 24. commemoratum. Id nimirum nullum aliud eſſe poterit, niſi corpus, quod, dum peccandi neceſſitati hominem ſubiicit, eumque ad peccata impellit, morti eum obnoxium reddit; quem huius formulae ſenſum bene aſſecutus eſt Leſsius in *Prol. not.* 17. *laud.* caeteris interpretibus omnia alia plerumque cogitantibus. In morte autem illa de phyſica hominis morte ex mente quidem Pauli cogitandum eſſe, vt recte iam vidit Geo. Henr. Langius in *Comment. ad Gloſſar. N. T. Tellerianum. (Zur Beförder. des nützl. Gebrauchs des W. A. Tellerisch. Wörterbuchs des N. T.) Vol. I. p.* 294. ita omnis etiam doctrinae Apoſtolicae ratio et nexus aperte poſtulant, etſi non ſit huius loci, id pluribus demonſtrare.

36) Quas Rom. VII, 5. τὰ παθήματα τῶν ἁμαρτιῶν adpellat, hisque ipſis ἐπιθυμίαις Gal. V, 24. arctiſſime iungit.

37) Quod ſuboluit iam Hug. Grotio, dum ad Rom. VII, 18. σάρκα hic affectus etiam includere moneret, hincque Paulum τὸ·

ἐπιθυμίας τῆς σαρκὸς, (Gal. V, 16. Eph. II, 3.) aut, vt alibi etiam dicit, ἐπιθυμίας τοῦ σώματος, (Rom. VI, 12.) commemorat[38]), et ab his quodlibet peccatum dicit, (Rom. VI, 12. et VII, 8.)[39] proficiſci[40]). Easdem vero ἐπιθυμίας σαρκικὰς Petrus quoque 1. ep. II, 11. dicit στρατεύεσθαι κατὰ τῆς ψυχῆς, hincque ſedulo fugiendas declarat, omninoque hominem ſceleſtum atque impium Apoſtoli conſtanter tanquam talem deſcri-

---

ἐν ἐμοὶ interpretari diceret *de carne et affectibus ex ea orientibus*, neque effugit etiam nouiſſimum huius epiſtolae explanatorem, Chriſt. Frid. Boehmium, qui ad eundem loc. de verbis ἐν τῇ σαρκὶ μου haec obſeruat: *i. e. in ea parte naturae humanae, quae nos pronos reddit ad res quascunque inhoneſtas ſtudioſe ſectandas, quam nos vocamus ſenſu quidem morali; ſed odioſo, die Sinnlichkeit;* cum quo loco conferri etiam poterunt, quae *pag.* 95. ad v. 25. monentur.

38) Quarum reſpectu corpori hominis tropice etiam tribuit φρόνημα, (Rom. VIII, 6. h. e. *ſtudium*, (ita enim hoc vocabulum recte iam hic vertit Caſtalio, explicandumque etiam eſſe docuit Grotius, praeter quem videnda etiam ſunt, quae de eodem obſervauit Doederlein *l. l. Part. II. §.* 319. *Obſ.* 2. *pag.* 620. *ſq.*) itemque θέλημα (Eph. II, 3.) atque νοῦν. (Col. II, 18.)

39) In quo conſentientem etiam habet Iacobum in notiſſimo illo loco Cap. I, 14.

40) Quae cum ita ſint, intelligitur iam, hanc Pauli de corpore peccati ſede ſententiam eodem plane redire cum illorum Theologorum atque Philoſophorum doctrinae formula, qui omnem hominis vitioſitatem a nimia ſenſuum vi rationis vim ſuperante repetunt, quae, licet a multis noſtrae aetatis Philoſophis acriter fuerit impugnata, tamen, ſi recte fuerit definita, multa profecto habet, quibus defendi poſſit, in quam rem conferenda inprimis, quae praeter alios plures monuerunt Io. Dav. Michaëlis in *Gedanken über die Lehre der heil. Schrift von Sünde u. Genugth.* §. 51—56. *pag.* 475. *ſq.* edit. II. itemque Reinhardus *l. l. Vol. I. pag.* 358. *ſq.* atque Ammonius in *Bibliſch. Theol. Vol. I. pag.* 337. et Bauerus in *Bibliſch. Theol. Vol. IV. pag.* 388. *ſq.* Quanquam vero ſecundum haec ipſi concedimus, τὴν σάρκα Paulo caeterisque Apoſtolis eandem fere eſſe cum illa, quam nos dicimus ſenſuum vim rationi praeualentem, (*herrſchende Sinnlichkeit,*) vt dudum iudicarunt Tellerus in *Gloſſar. N. T.* ſub voc. *Fleiſch. pag.* 144. edit. III. et Hetzel in *Entwickel. der ſchwer. bibliſch. Begriffe Geiſt und Fleiſch*, (Gieſſ. 1792. 8.) *pag.* 73. *ſq.* tamen non putauerimus, licere interpreti, ſi quidem accurati et diligentis interpretis laudem velit tueri, hanc ipſam notionem in reddendo vocabulo illo exprimere, vt in recentiſſimis N. T. verſionibus verbaculis a Stolzio, Bolteno et Seilero nuper editis factum vidimus.

bunt, qui ſuas unice cupiditates ſequatur, hisque ſolis regi ſe patiatur[41]). Atque hinc, nisi magnopere fallimur, haud dubie etiam pendet, quod Ieſus quoque, qui et ipſe Matth. XXVI, 41. animum quidem hominis ad quaelibet honeſta adpetenda atque explenda promtum paratumque, corpus vero debilius eſſe profitetur, quam quod poſſit peccandi tentationibus ſatis reſiſtere[42]), Ioh. III, 6. negat, ex nativitate σαρκικῇ alium hominem prodire poſſe, quam qui et ipſe ſit σαρκικὸς, neque tanquam talis πνευματικὸς, hincque nec felicitate regni Meſſiani dignus[43]), cum in oculos incurrat, corpus illud ſenſibus inſtructum, vtique per naturalem naſcendi ordinem ac legem ab vno ad alterum propagari et non poſſe non propagari.

His igitur librorum ſacrorum locis permotos, ſuorumque potius in religione doctorum auctoritate, quam Platonicae philoſophiae ſtudio ductos veteris eccleſiae Patres illam, quam ſuperiori libello ex eorum ſcriptis propoſuimus ſententiam, nos quidem dixerimus amplexos, deque eius veritate ſibi perſuaderi paſſos eſſe. Hac enim, nec alia haud dubie de cauſa non modo in illa ſententia

---

41) Vt ſit v. c. Epheſ. II, 3. 2 Petr. II, 18. et Iud. v. 18.

42) Hoc enim respectu τὴν σάρκα ἀσθενῆ ab eo nunc dici, bene vidit et contra G. A. Tellerum aſſeruit Langius in *Comment. ad* illius *Gloſſar. N. T. Vol. I. pag.* 224. *ſq.*

43) Hanc enim eſſe ſimpliciſſimam verborum: τὸ γεγεννημένον ἐκ τῆς σαρκὸς, σάρξ ἐστι, ſententiam, vt ex homine corpore inſtructo non niſi hominem, qui et ipſe corpore praeditus ſit, gigni poſſe, tradatur, plerique fere nunc melioris notae interpretes agnoſcunt, hancque eorum interpretationem praeiuit iam Chryſoſtomus *Hom. XXV. in Ioann. To. II. Explanat. in N. T. pag.* 160. *ſq.* recentioribus vero temporibus eam inprimis aſſeruerunt Toellnerus in *Theolog. Unterſuch. Vol. I. part. II. p.* 139. *ſq.* et Langius *l. l. pag.* 295. Attamen hunc ipſum hominem σαρκικὸν, qui non poſſit non ex phyſica natiuitate prodire, Ieſum ex hac ſimul parte nunc ſpectaſſe, quod tanquam talis non ſit ea indole praeditus, qua praeditum eſſe oporteat eum, qui regni ſui felicitate potiri cupiat, vel vno verbo πνευματικὸς, omne horum verborum conſilium et proximum comma iis adiectum, perſpicue declarant.

defendenda ad illa ipſa ſcriptorum ſacrorum loca ſaepius reperiuntur prouocaſſe, ſed in eorum quoque ſcriptis interpretandis eam inde repetiiſſe, inque ipſa interpretatione ſecuti eſſe: quorum prius quidem ex variis eorum locis in ſuperioribus a nobis excitatis iam intelligi potuit [44]), poſſetque, ſi quidem opus eſſet, pluribus etiam confirmari; poſterius vero cum perpetui eorum in libros iſtos ſacros commentarii aut homiliae [45]), tum ſingulorum etiam locorum explicationes in aliis eorum ſcriptis ſubinde propoſitae teſtantur [46]).

---

44) Conferantur e. c. Origenis, Methodii atque Tertulliani loca *not.* 21. 26. 37. et 61. ſuper. *Comment.* a nobis laudata.

45) E quibus Origenis potiſſimum commentarii in epiſtolam ad Romanos et Chryſoſtomi in eandem epiſtolam homiliae conferri merentur.

46) Cuius generis ſunt, quae leguntur e. c. apud Clementem Alex. *Strom. l. III. n.* 3. *To. I. Opp. p.* 518. Pott. vbi de illorum, qui animas in corpora tanquam in ſepulchri atque ſupplicii locum immiſſas eſſe ſtatuant, ſententia loquens, *καὶ μή τι*, inquit, *συνᾴδει τῷ θείῳ Παυλῴῳ, λέγοντι· ταλαίπωρος ἐγὼ ἄνθρωπος· τίς με ῥύσεται ἐκ τοῦ σώματος τοῦ θανάτου τούτου;* (Rom. VII, 24.) *εἰ μὴ τὴν ὁμοφροσύνην τῶν εἰς κακίαν ὑποσεσυρμένων, σῶμα θανάτου τροπικῶς λέγει:* itemque quae locum Rom. VIII, 3. reſpiciens habet Tertullianus *adv. Marc. l. V. c.* 14. *To. I. Opp. pag.* 435. *Hunc ſi* pater miſit in ſimilitudinem carnis peccati, *non ideo phantasma dicetur caro, quae in illo videbatur. Peccatum enim carni ſupra adſcripſit, et illam fecit legem peccati habitantem in membris ſuis, et aduerſantem legi ſenſus: ob hoc igitur miſſum filium in ſimilitudinem carnis peccati, vt* peccati carnem *ſimili ſubſtantia* redimeret, *id eſt carnea, quae peccatrici carni ſimilis eſſet, cum peccatrix ipſa non eſſet.*

Cap. V.

DE VIRTVTIS CVLTV.

Sect. 1. De prima virtutis laude in corporis caſtigatione a Patribus poſita.

(Comment. XVII.)

Cum illis veterum doctorum chriſtianorum ſententiis, quas eos de animo et corpore hominis fouiſſe in ſuperioribus demonſtrauimus, eorundem de virtutis cultu ſummoque eius fine doctrina, ad quam nobis, ex ordine capitum diſputationis noſtrae ab initio conſtituto[1]), nunc eſt progrediendum, arctiſſime nexa erat, et, ſi non tota, maximam ſaltem partem ab iis ſuspenſa. Cum nimirum animi humani originem, ex diuina, vt in Comment. XII. oſtendimus, ſubſtantia repeterent, eumque per emanationem ex illa progreſſum eſſe ſtatuerent, corpus autem, quo ille his quidem in terris indutus eſt, quippe ſenſuum inſtrumentis praeditum atque inſtructum, pro praecipua peccatorum ab hominibus admiſſorum ſede ac fonte haberent[2]); pronum profecto erat et in promtu poſitum, vt ei, qui ad virtutem velit adſpirare, hoc inprimis agendum eſſe ſtatuerent, vt corporis voluptates omnes fugeret, quamque minime fieri poſſet, ab vlla ſenſuum cupiditate regi ſe pateretur, atque omnem in eo operam ipſi ponendam, vt animum ab iſtis corporis tentationibus liberum ſeruaret, eumque ad illam, e qua profectus fuiſſet, originem rurſus eueheret et quaſi reduceret. Hinc omnem virtutis cultum in eo fere poſuerunt, vt ſummum animo et ſeuerum in corpus

---

1) Comment. I. p. 471.

2) Qua de re in duobus proxime ſuperioribus libellis diſputauimus.

imperium concilietur, ita, vt ab omnibus, quae huic non ſint per naturam ſuam neceſſaria, quaeque hinc non poſſit non adpetere, quantum fieri poſſit, abstineat homo, eiusque deſideria non ſolum non expleat, ſed cohibeat etiam atque adeo prorſus exſtinguere ſtudeat, ac praeterea ipſum etiam corpus quouis modo caſtiget atque excruciet: cui ſententiae conſtat poſt omnem fere Monachorum doctrinam moralem et aſceticam diſciplinam fuiſſe ſuperſtructam[3]). Finem autem eius totum in eo cerni ſtatuerunt, vt Deo vel hac iam in vita ſimilem ſe reddat, arctiſſimamque cum eo coniunctionem ineat homo, usque dum ab omnibus corporis ſordibus, extincto eo, perpurgatus, in intimam eius conſuetudinem atque adeo ſocietatem denuo fuerit adductus. Haec vero omnia, quanquam ex iis, quarum mentionem modo iniiecimus, eorum opinionibus ſponte, vt diximus, fluunt, adeoque, ſi hae non fuerint, vt in ſuperioribus planum a nobis factum eſſe putamus, ex Platonica ab iis philoſophia arreptae, nullo modo ex hac repeti poterunt; tamen fuerunt, qui hanc iis originem adſignarent, eaque omnia inde profecta eſſe iudicarent. Id vero quam parum recte ab iis fuerit defenſum, cum iam pro inſtituti noſtri ratione ſeparatim a nobis fit demonſtrandum; primum omnium et hic pro more noſtro paulo diligentius erit declarandum, quaenam ea de re a veteris quidem eccleſiae doctoribus tradita fuerint, et quidnam ſinguli eorum docuerint, deinceps exponendum.

Iam vero *Patres* quidem *apoſtolici*, qui dicuntur, et *ſcriptores apologetici* illam de virtutis ſtudio in corporis potiſſimum caſtigatione ſenſuumque deſideriis

---

3) De quo videnda inprimis, quae obſeruarunt Moshemius in *Commentar. de rebus Chriſtianorum ante Conſtant. M. p.* 310. *ſq.* et Lud Aug. Paetz in *Comment. de vi, quam religio chriſtiana per tria priora ſecula ad hominum animos, mores ac vitam habuit,* (Goett. 1799. 4.) *p.* 85. *ſq.*

coërcendis atque reprimendis collocando ſententiam nuspiam vniuerſe profeſſi fuiſſe reperiuntur, quanquam ſingula continentiae illius genera, quae cum ea arctiſſime nexa ſunt, et de quibus in ſequentibus ſeparatim a nobis diſputabitur, vtique, vt tum pluribus docendi locus erit, commendauerint. Contra vero *Irenaeus* ſatis perſpicue hoc ab eo, qui vitam agere cupiat virtuti conſentaneam, poſtulat, vt, non quidem ipſam carnem exuat, ſed eius tamen cupiditates cohibeat, et opera fugiat[4]). Multo tamen apertius *Clemens* Alex. hanc de virtutis cultu in corporis potiſſimum cupiditatum cohibitione omnisque voluptatis per ſenſus percipiendae fuga

---

4) Quod inprimis fit Lib. V. c. 9—12. vbi in loco Paulino 1 Cor. XV, 50. σὰρξ καὶ αἷμα βασιλείαν θεοῦ κληρονομῆσαι οὐ δύνανται interpretando, aut in ſenſum potius moralem transferendo, verſatur, et inter alia haec ponit *cap. X. n. 2. pag.* 304. edit. Maſſuet.: *Quemadmodum oleaſter inſerta, ſubſtantiam quidem ligni non amittit, qualitatem autem fructus immutat, et aliud percipit vocabulum, iam non oleaſter, ſed fructifera oliua exiſtens edicitur: ſic et homo per fidem inſertus, et aſſumens Spiritum Dei, ſubſtantiam quidem carnis non amittit, qualitatem autem fructus operum immutat, et aliud accipit vocabulum, ſignificans illam, quae in melius eſt transmutationem; iam non caro et ſanguis, ſed homo ſpiritalis edicitur.* Et paulo poſt haec ſubiicit: *Et rurſus in ea epiſtola, quae eſt ad Romanos, ait:* ſi enim ſecundum carnem viuitis, incipietis mori: *non conuerſationem, quae eſt in carne repellens ab eis; etenim ipſe in carne cum eſſet, ſcribebat eis: ſed concupiſcentias abſcindens carnis, eas, quae mortificant hominem. Et propter hoc intulit:* Si autem Spiritu opera carnis mortificatis, viuetis. Quicunque enim ducuntur Spiritu Dei, hi ſunt filii Dei. Quibus ſimillima ſunt, quae leguntur *cap. XII. n.* 3. *p.* 306. *ſq. Hanc* (carnis ſubſtantiam) *itaque Dominus venit vi viuificaturus: vti quemadmodum in Adam omnes morimur, quoniam animales, in Chriſto viuamus, quoniam ſpirituales: deponentes non plasma Dei, ſed concupiſcentias carnis, et aſſumentes Spiritum ſanctum, ſicut Apoſtolus in epiſtola, quae eſt ad Coloſſenſes ait:* Mortificate itaque membra veſtra, quae ſunt ſuper terram. *Quae ſunt autem haec, ipſe expoſuit:* Fornicationem, immunditiam, paſſionem, concupiſcentiam malam, et auaritiam, quae eſt idololatria. *Horum depoſitionem Apoſtolus praeconatur, et eos, qui talia operantur, velut carnem et ſanguinem tantum exſiſtentes, non poſſe ait regnum coelorum poſſidere. Anima enim ipſorum declinans in peius et in terrenas concupiſcentias deſcendens, eiusdem cuius et illa ſunt, participauit appellationis.*

ponendo ſententiam expoſuit. Is enim, quanquam aliquam quidem corporis, quod, vt in ſuperioribus oſtendimus[5]), natura ſua malum minime iudicauit, curam cum propter ipſius conſeruationem[6]), tum ob animi etiam ſalutem[7]), ſtatuit habendam eſſe; eam tamen hactenus tantum ei vult impendi, quatenus ex his ipſis, quas modo commemorauimus, cauſis fit neceſſaria[8]), hincque etiam in hominem quidem perfectum, quem Gnoſticum is adpellat[9]), non niſi eas docet appetitiones cadere, quae ad corporis conſeruationem ſpectent[10]), et vel has etiam magno ab eo dicit animo deſpici[11]), ideoque iuſtis ſemper ab eo finibus contine-

---

5) *Comment. XV. p.* 730.

6) Quam diſerte commemorat *Strom. l. VI. c.* 9. *To. II. Opp. p.* 775. edit. Pott. verbis, quae infra not. 10. recitandi locus erit. His vero iungenda ſimul ſunt quae paulo poſt ſequuntur *p.* 777. vbi de Gnoſtico dicit: *ἐκ ἔτι συγχρῆται τῷ σώματι· μόνον δὲ αὐτῷ ἐπιτρέπει χρῆσθαι τοῖς ἀναγκαίοις, ἵνα μὴ τὴν αἰτίαν τῆς διαλύσεως παράσχῃ.*

7) Nam et huius cauſa corporis curam habendam eſſe diſerte dicit *Strom. L. IV. c.* 5. *To. I. p.* 573. *ἡ δὲ τȣ̃ σώματος*, inquiens, *ἐπιμέλεια διὰ τὴν ψυχὴν γίνεται, ἐφ᾽ ἣν ἡ ἀναφορά.* Quaenam vero corporis ad eam ſit relatio, ante iam monuerat *cap.* 4. *pag.* 571. vbi aduerſus eos diſputans, qui mortem de induſtria quaerant, *ἐπεὶ δ᾽ οἱ ψευδώνυμοι*, ait, *οὗτοι τὸ σῶμα διαβάλλȣσι, μαθέτωσαν ὅτι καὶ ἡ τȣ̃ σώματος ἐναρμοσία συμβάλλεται τῇ διανοίᾳ πρὸς τὴν ἐνφυΐαν, κ. λ.*

8) Huius enim neceſſitatis terminis diſerte vult hanc curam corpori impendendam circumſcribi, quod *Strom. l. VI. c.* 12. *pag.* 790. his verbis tradit: *τὰς ἐπιθυμίας ὁ γνωστικὸς περιγράφει κατά τε τὴν κτῆσιν, κατά τε τὴν χρῆσιν· οὐχ ὑπερβαίνων τὸν τῶν ἀναγκαίων ὅρον.*

9) Cuius imaginem, omnibus, quae in ſcriptis eius ad illam pertinentia occurrunt, in vnam ſummam collectis, bene adumbrauit Staeudlin in *Geſchichte der Sittenlehre Jeſu, Vol. II. pag.* 209. *ſq.*

10) In loco *not.* 6. iam excitato, vbi haec ſunt verba eius: *τοιȣ̃τος γὰρ ὁ γνωστικός, ὡς μόνοις τοῖς διὰ τὴν μονὴν τȣ̃ σώματος γινομένοις πάθεσι περιπίπτειν, οἷον πείνῃ, δίψει καὶ τοῖς ὁμοίοις.*

11) Quod *Strom. l. VII. c.* 12. *To. II. p.* 880. his verbis tradit: *τάς τε προσπαθείας τὰς σαρκικὰς πολὺ τῆς ἡδονῆς τὸ φίλτρον ἐχȣ́σας μεμίσηκεν, καὶ καταμεγαλοφρονεῖ πάντων τῶν εἰς δημιȣργίαν καὶ τροφὴν τῆς σαρκὸς οἰκείων.*

ri[12]), reliquas vero omnes ab eo ita abesse defendit, vt quavis cupiditate[13]) ac quouis affectu[14]), inprimis vero voluptate, quam cupiditatis fomitem dicit[15]), prorsus vacuus[16])

---

12) In quam rem haec habet *Strom. l. II. cap.* 20. *To. I. pag.* 486. εἴη δ' ἄν, inquiens, τοῦτο μελέτη θανάτου, εἰ μόναις ταῖς κατὰ φύσιν μεμετρημέναις ὀρέξεσι, μηδὲν ὑπεροριζόσαις τῶν κατὰ φύσιν, ἐπὶ τὸ μᾶλλον ἢ παρὰ φύσιν, ἔνθα τὸ ἁμαρτικὸν φύεται, ἀρκεῖσθαι βουλόιμεθα.

13) Eiusmodi enim ab omni cupiditate vacuitatem ab eo postulari, perspicue docet locus *Strom. l. VI. c.* 9. *To. II. pag.* 777. vbi: ἐξαιρετέον ἄρα, inquit, τὸν γνωστικὸν ἡμῶν καὶ τέλειον, ἀπὸ παντὸς ψυχικοῦ πάθους· — ἀπάθειαν δὲ καρπεῦται παντελῆς τῆς ἐπιθυμίας ἔκκοπή: itemque alius *lib. VII. c.* 12. *pag.* 875. vbi de iis, qui ad perfectionem velint adspirare, Christoque similes fieri, dicit: ἀνεπιθύμητοι γενέσθαι βιάζονται.

14) Nam et hunc, si vel maxime in se bonus sit, tamen ab homine perfecto alienum esse debere, aliquoties monet *Strom. l. VI. cap.* 9. *pag.* 776. κἂν γὰρ, inquiens, μετὰ λόγου γινόμενα τὰ προειρημένα ἀγαθά τις ἐκδέχηται, ἀλλ' ἓν γε ἐπὶ τοῦ τελείου ὃ παραδεκτέον· ὅς ἔτε θαρσεῖν ἔχει· — οὐδὲ ἐυθυμίας χρεία ἔςιν — οὐδὲ μὲν θυμοῦται· — ἀλλ' οὐδὲ ζηλοῖ· — ὅτ' οὖν ἐπιθυμία καὶ ὀρέξει τινι περιπίπτει· — ὥςε ἐξομοιοῦσθαι βιάζεται τῷ διδασκάλῳ εἰς ἀπάθειαν· et paulo post *p.* 777. verbis *not.* 13. laudatis haec subiicit: ἀλλ' οὐδὲ ἐκείνων τῶν θρυλλεμένων ἀγαθῶν, τουτέςι τῶν παρακειμένων τοῖς πάθεσιν παθητικῶν ἀγαθῶν, μεταλαμβάνει ὁ γνωστικός· οἷον ἐυφροσύνης — καὶ κατηφείας — καὶ ἐυλαβείας· — ἀλλ' οὐδὲ θυμοῦ, κ. λ.

15) Quod *Strom. l. II. c.* 20. *To. I. pag.* 485. profitetur, vbi postqaam dixerat, nos a Domino admonitos fuisse, vt cupiditatem exscinderemus, haec addit: γένοιτο δ' ἂν τελείως τοῦτο, εἰ τοῦ ὑπεκκαύματος τῆς ἐπιθυμίας, τῆς ἡδονῆς λέγω, ἀνυποκρίτως καταγνοίημεν. De eadem vero voluptate post *pag.* 491. haec habet: καθόλου γὰρ ἐκ ἀναγκαῖον τὸ τῆς ἡδονῆς πάθος, ἐπακολούθημα δὲ χρείαις τισὶ φυσικαῖς, πείνῃ, διψῃ, ῥίγει, γάμῳ· εἰ γὲν ταύτης δίψα πιεῖν οἷον τε ἦν, ἢ τροφῆς προσίεσθαι, ἢ παιδοποιεῖν, ἐδείχθη ἂν ὀδεμία ἑτέρα χρεία ταύτης· οὔτε γὰρ ἐνέργεια, οὔτε διάθεσις, οὐδὲ μὴν μέρος τι ἡμέτερον ἡδονή· ἀλλ' ὑπουργίας ἕνεκα παρῆλθεν εἰς τὸν βίον, — ἡ δὲ, ἀφηνιάσασα καὶ τοῦ οἴκου κατακρατήσασα, πρώτην ἐπιθυμίαν γεννᾷ, ἔφεσιν καὶ ὄρεξιν ὄσαν ἄλογον τοῦ κεχαρισμένου αὐτῇ.

16) Cuius generis ab affectibus vacuitatem non modo Deo et Christo summam, iisque tanto quidem perfectionis gradu solis propriam, tribuit, sed Apostolus etiam post Christi saltem e mortuis resurrectionem affecutos esse dicit. De Deo quidem haec tradit *Strom. l. IV. c.* 23. *To. I. p.* 632. Θεὸς δὲ ἀπαθὴς, ἄθυμος τε καὶ ἀνεπιθύμητος, hincque etiam de Gnostico suo saepe monet, eum ad istam ἀπαθείας, quae in Deo sit, perfectionem se, quantum fieri possit, attollere studere, vt fit v. c. eodem *Strom. l. IV.*

ſit, in quo[17]) ἀπάθειαν[18]) Gnoſtici ſui ponit,

---

p. 581. vbi ὅτ᾽ ἂν τοίνυν, inquit, ἐνδιατρίψῃ τῇ θεωρίᾳ, τῷ Θείῳ καθαρῶς ὁμιλῶν, ὁ γνωσικῶς μετέχων τῆς ἁγίας ποιότητος, προσεχέστερον ἐν ἕξει γίνεται ταυτότητος ἀπαθοῦς. Similiter vero etiam de Chriſto haec habet *Paedag. l. I. c.* 2. *To. I. pag.* 99. ὅυπερ (Θεὸς) ἐστιν υἱὸς ἀναμάρτητος, ἀνεπίληπτος καὶ ἀπαθὴς τὴν ψυχήν· — ὁ μὲν ἀπόλυτος εἰς τὸ παντελὲς ἀνθρωπίνων παθῶν, διὰ τοῦτο γὰρ καὶ μόνος κριτὴς, ὅτι ἀναμάρτητος μόνος; itemque *Strom. lib. VII. c.* 12. *pag.* 875. vbi εἷς μὲν ἐν, inquit, μόνος ὁ ἀνεπιθύμητος ἐξ ἀρχῆς ὁ Κύριος ὁ φιλάνθρωπος, ὁ καὶ δι᾽ ἡμᾶς ἄνθρωπος. His vero ſimillima cum de eodem profeſſus etiam eſſet *Strom. l. VI. c.* 9. *p.* 775. his quidem verbis vſus: αὐτὸς δὲ ἀπαξαπλῶς ἀπαθὴς ἦν, εἰς ὃν οὐδὲν παρεισδύεται κίνημα παθητικὸν, οὔτε ἡδονὴ, οὔτε λύπη, de Apoſtolis etiam haec ſubiungit: οἱ δὲ Ἀπόστολοι, ὀργῆς καὶ φόβῳ, καὶ ἐπιθυμίας διὰ τῆς κυριακῆς διδασκαλίας γνωσικώτερον κρατήσαντες, καὶ τὰ δοκοῦντα ἀγαθὰ τῶν παθητικῶν κινημάτων, οἷον θάρσος, ζῆλον, χαρὰν, ἐπιθυμίαν, οὐδὲ αὐτὰ ἀνεδέξαντο, ἐμπέδῳ τινὶ τῆς διανοίας καταστάσει μηδὲ καθοτιοῦν μεταβαλλόμενοι· ἀλλ᾽ ἐν ἕξει ἀσκήσεως, ἀεὶ μένοντες ἀναλλοίωτοι, μετά γε τὴν τοῦ Κυρίου ἀνάστασιν.

17) Id quod omnia fere loca inde a *not.* 13. laudata confirmant, in quibus plerumque huius ſimul ἀπαθείας mentio fit, eaque in hac ipſa quam diximus, cupiditatum et affectuum vacuitate ponitur.

18) De qua conſtat multum inter viros doctos fuiſſe diſceptatum, vtrum eam in vacuitate ab *omnibus* omnino cupiditatibus et affectibus, vt poſt Barbeyracium in *Traité de la Morale des Peres de l'egliſe, cap. V. §.* 46. *ſq. pag.* 62. *ſq.* et alios nominatim etiam defendit Io. Geo. Walchius *Miſcell. Sacr. lib. III. Exerc. II. c. III. ſect. III. §.* 4. *pag.* 571. an vero, vt Potterus in *Nott. ad Paedag. l. I. c.* 2. *To. I. p.* 99. ſtatuit, tantum in vacuitate ab affectibus *prauis*, vel etiam in *ſtudio, eos*, quantum per humanam quidem imbecillitatem fieri poterit, *moderandi*, cerni voluerit, vt cum Rem. Ceillierio in *Apologie de la Morale des Peres de l'egliſe, cap.* 11. *p.* 64. *ſq.* plures viri docti ecclesiae Romanae ſacris addicti oſtendere ſtuduerunt, inque his nominatim etiam Dan. Tobenz in *Exam. Tract. Barbeyraci de doctr. Pattr. morali, §.* 105. *p.* 115. *ſq.* et Gottfr. Lumper in *Hiſtor. theol. critic. de vita, ſcriptis atque doctr. SS. Pattr. aliorumque ſcriptor. eccleſiaſt. trium primor. ſecull. Part. V. pag.* 114. *ſq.* qui idem illum etiam libri Tobenziani locum *ibid. pag.* 507. *ſq.* integrum exhibuit. De hac autem controuerſia quidnam ſit iudicandum ex iis, quae hucusque ex ſcriptis Clementis in medium protulimus, ſponte poterit intelligi. Clementem nimirum vtique poſtulaſſe vacuitatem ab omnibus cupiditatibus et affectibus, non modo loca hactenus laudata oſtendunt, ſed et hoc confirmat, quod huic ἀπαθείᾳ diſerte opponit μετριοπάθειαν vel affectuum moderationem, dum *Strom. l. VI. c.* 9. *To. II. pag.* 777. haec ponit: ἡ κατάστασις δὲ ἡ τοιάδε, ἀπάθειαν ἐργάζεται, ἢ μετριοπάθειαν, hincque et poſt *c.* 15. *pag.* 798. non dicit, virtutis ſtudioſum cupiditatibus

quamque cupiditatum etiam mortem[19]) adpellat: vnde continentiam quoque virtutum fundamentum praedicat[20]), eamque talem, quae non tantum factis contineatur,

---

ſuis frenum debere iniicere, ſed iis dominari, ἀρχικὸν εἶναι καὶ ἡγεμονικὸν et κατακυριεύειν. Alibi vero *Strom. l. II. §.* 19. *To. I. p.* 480. eum dicit βασιλεύοντα τῶν παθῶν. Hanc vero affectuum libertatem ad prauorum inprimis affectuum fugam pertinere debere, cum res ipſa docet, tum poſtulat etiam illa τῆ πάθεος definitio, quam ipſe affert *Strom. l. II. c.* 13. *pag.* 460. πάθος δὲ, inquiens, πλεονάζουσα ὁρμὴ, ἡ ὑπερτείνουσα τὰ κατὰ τὸν λόγον μέτρα· ἡ ὁρμὴ ἐκφερομένη, καὶ ἀπειθὴς λόγῳ· παρὰ φύσιν ἓν κίνησις ψυχῆς κατὰ τὴν πρὸς τὸν λόγον ἀπείθειαν, τὰ πάθη. Similiter vero etiam ἐπιθυμίαν vitioſam dicit adpetitionem ad voluptatem ſpectantem ac intemperantem, eamque hoc nomine ab ὀρέξει discernit, dum *Strom. l. IV. c.* 18. *To. I. p.* 617. haec tradit: ὄρεξιν ἓν ἐπιθυμίας διακρίνουσιν οἱ περὶ ταῦτα δεινοί· καὶ τὴν μὲν, ἐπὶ ἡδοναῖς καὶ ἀκολασίᾳ τάττουσιν, ἄλογον οὖσαν· τὴν δὲ ὄρεξιν, ἐπὶ τῶν κατὰ φύσιν ἀναγκαίων, λογικὴν ὑπάρχουσαν κίνησιν: hincque et alibi *Strom. l. IV. c.* 6. *pag.* 581. τοὺς εἰς ἐπίγνωσιν τῆ Θεῆ ἀφικνουμένους diſerte vult eſſe καθαρὸς κατὰ τὰς σωματικὰς ἐπιθυμίας, καὶ τῆς ἁγίας διαλογισμοῦς. Neque tamen hac vna tantum prauorum affectuum fuga iſtam ἀπάθειαν voluit contineri, ſed quamcunque cupiditatem ab ea alienam iudicauit, quae amplius quid, quam quod ſit neceſſarium, deſideret; id quod praeter loca iam laudata etiam ea, quae infra *not.* 21. et 22. afferentur, confirmant. Hominem tamen iſtam tantam perfectionem vel ex ipſius Clementis perſuaſione non ſtatim, neque repente, ſed temporis demum ſucceſſu aſſequi poſſe, vel inde iam cognoſcitur, quod vbique ἄσκησιν commemorat, idque eum operam dare debere monet, vt ad illam cum Deo et Chriſto ſimilitudinem propius accedat, illamque hominis internam pacem et libertatem non aliter obtineri poſſe defendit, *Strom. l. II. c.* 20. *pag.* 492. niſi διὰ τῆς ἀπαιθείας καὶ ἀναπαυδήτου πρὸς τὰς τῶν παθῶν ἡμῶν ἀντιμαχήσεις.

19) Quod ſit v. c. *Strom. l. IV. c.* 22. *pag.* 626. vbi de homine perfecto haec habet: τούτῳ τέθνηκεν ἡ σὰρξ, ζῇ δὲ αὐτὸς μόνος, ἀφιερώσας τὸν τάφον εἰς ναὸν ἅγιον Κυρίῳ, itemque *Strom. l. VI. c.* 10. *pag.* 777. vbi de eodem haec tradit: ἐξήγαγεν δὲ τὴν ψυχὴν τῶν παθῶν· — ζῇ τε ἂν νεκρώσας τὰς ἐπιθυμίας καὶ οὐκ ἔτι συγχρῆται τῷ σώματι. Hinc etiam illud ipſum eiusmodi ἀπαθείας ſibi comparandae ſtudium *mortis* dicit *meditationem*, cuius rei praeter locum *not.* 12. laud. teſtis etiam eſt alius *Strom. l. IV. c.* 3. *pag.* 569. vbi ὁ τοίνυν τῆ σώματος, inquit, ἀπὸ τῆς ψυχῆς χωρισμὸς, ὁ παρ' ὅλον τὸν βίον μελετώμενος, τῷ φιλοσόφῳ προθυμίαν κατασκευάζει γνωστικὴν, ἐυκόλως δύνασθαι φέρειν τὸν τῆς φύσεως θάνατον.

20) *Strom. l. II. c.* 20. *pag.* 484. πάσης τοίνυν, inquiens, ἀρετῆς μεμνημένος ὁ θεῖος νόμος, ἀλείφει μάλιστα τὸν ἄνθρωπον ἐπὶ τὴν ἐγκράτειαν· θεμέλιον ἀρετῶν κατατιθέμενος ταύτην.

ſed ab ipſam etiam cupiditatem pertineat[21]), ſitque in hoc ipſo poſita, vt nihil praeter rectam rationem adpetatur[22]), et quonam quis modo eam ſibi poſſit comparare, ſubinde etiam oſtendit[23]). Similiter vero *Origenes* etiam corporis caſtigationem neceſſariam iudicauit[24]), eiusque cupiditates, quoad quidem non verſentur in rebus neceſſariis[25]), frangendas et minuendas eſſe

---

21) In quam rem haec habet *Strom. l. III. c.* 7. *pag.* 537. *ἡ μὲν ἐν ἀνθρωπίνῃ ἐγκράτεια, ἡ κατὰ τὲς φιλοσόφυς, λέγω τὲς ἑλλήνων, τὸ διαμάχεσθαι τῇ ἐπιθυμίᾳ, καὶ μὴ ἐξυπηρετεῖν ἀυτῇ εἰς τὰ ἔργα ἐπαγγέλλεται· ἡ καθ' ἡμᾶς δὲ, τὸ μὴ ἐπιθυμεῖν, ὄχ ἵνα τις ἐπιθυμῶν καρτερῇ, ἀλλ' ὅπως καὶ τὲ ἐπιθυμεῖν ἐγκρατεύηται.* His conſentiunt etiam, quae leguntur in *eod. lib. c.* 1. *p.* 511. *ἔςι δὲ καὶ περὶ τὴν γλῶσσαν, καὶ περὶ τὴν κτῆσιν, καὶ περὶ τὴν χρῆσιν, καὶ περὶ τὴν ἐπιθυμίαν ἐγκράτεια.*

22) Hanc enim ipſe *Strom. l. II. c.* 18. *pag.* 470. continentiae huius definitionem affert: *ἡ ἐγκράτεια διάθεσις ἐςιν ἀνυπέρβατος τῶν κατὰ τὸν ὀρθὸν λόγον φανέντων. ἐγκρατεύεται δὲ ὁ κατέχων τὰς παρὰ τὸν ὀρθὸν λόγον ὁρμάς· ἢ ὁ κατέχων ἀυτὸν, ὥςε μὴ ὁρμᾶν παρὰ τὸν ὀρθὸν λόγον.* Neque ab his multum recedunt, quae de eiusdem continentiae natura habet in laud. modo *Strom. l. III. c.* 1. *pag.* 511. loco, vbi, *ἐγκράτεια τοίνυν,* inquit, *σώματος ὑπεροψία, κατὰ τὴν πρὸς θεὸν ὁμολογίαν. ἐ μόνον γὰρ περὶ τὰ ἀφροδίσια, ἀλλὰ καὶ περὶ τὰ ἄλλα, ἃ ἐπιθυμεῖ ἡ ψυχὴ κακῶς, ὐνκ ἀρκεμένη τοῖς ἀναγκαίοις, ἡ ἐγκράτεια ἀναςρέφεται.*

23) In quam rem per totum Stromatum librum plura praecepta huc facientia occurrunt, inprimis *l. II. c.* 19. *pag.* 480. *ſq.*

24) Vt docet locus *Hom. IX. in Numer. §.* 7. *Opp. To. II. pag.* 299. edit. de la Rue, qui ita habet: *Quae neceſſaria quidem ſunt ad cuſtodiam eorum, quae ſeruantur intrinſecus, frangenda, quandoque tamen et ſine dubio diſſoluenda ſunt. Vt ſi verbi gratia dicamus, abſtinentia ciborum et caſtigatio corporis, donec ſumus in corpore iſto corruptibili et paſſibili, ſine dubio neceſſaria eſt. Cum autem confractum fuerit ac reſolutum, et reſurrectionis tempore incorruptibile ex corruptibili redditum atque ex animali ſpiritale: non iam labore afflictionis, nec abſtinentiae caſtigatione, ſed qualitate, nulla iam corpori corruptela dominabitur. Sic ergo et nunc neceſſaria abſtinentiae ratio videtur, et poſtmodum non quaerenda.*

25) Illas enim, quae res neceſſarias ſpectent cupiditates, minime damnandas neque fugiendas eſſe diſerte monet *Comment. in epiſt. ad Rom. lib. VI. §.* 14. *To. IV. pag.* 592. vbi in loco Cap. VIII, 12. 13. interpretando verſans, haec ponit: *Sed fortaſſe dicat aliquis: quomodo carnis non ſumus debitores, cum et victum ei et indumentum prouidere naturae neceſſitate coga-*

ſtatuit[26]), idque quonam modo et per quaenam admini-

---

mur? Sed vt oſtendat non carni aliquid conferre, ſed ipſam vitam carni mancipare culpabile haberi, ideo addit: Si enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini. *Quid autem ſit ſecundum carnem viuere, ſaepe iam dictum eſt. Hoc eſt carnis deſideriis indulgere. In hoc ergo negat: nos eſſe carnis debitores, ſicut et alibi dicit:* Et carnis curam ne feceritis in concupiſcentiis: *non vtique negans curam carnis habendam in neceſſariis, ſed in concupiſcentiis.*

26) Id quod per varias potiſſimum locorum V. T. hiſtoricorum interpretationes allegoricas vel morales potius ſignificauit: qualis legitur v. c. *Hom.* 1. *in Lev.* §. 3. *To. II. pag.* 187. vbi, poſtquam Lev. c. 1. grammatice primum expoſuerat, haec deinde ſubiicit: *Verum ſi haec etiam ad moralem locum inclinare velis, habes et tu vitulum, quem offerre debeas. Vitulus eſt, et quidem valde ſuperbus, caro tua: quam ſi vis munus Domino offerre, vt eam caſtam pudicamque cuſtodias, adduc eam ad oſtium tabernaculi, id eſt, vbi diuinorum librorum ſuſcipere poſſit auditum. Maſculinum ſit munus tuum, foeminam neſciat, concupiſcentiam reſpuat, fragilitatem refugiat, nihil diſſolutum requirat aut molle. Impone etiam manum tuam ſuper hoſtiam tuam, vt ſit accepta Domino, et iugula illam contra Dominum, hoc eſt, impone ei continentiae frenum, et manum diſciplinae ne auferas ab ea, ſicut impoſuit manum carni ſuae ille qui dicebat:* Macero corpus meum et ſeruituti ſubiicio. ne forte cum aliis praedicauero, ipſe reprobus efficiar. *Et iugula eam contra Dominum, mortificans ſine dubio membra tua, quae ſunt ſuper terram*, etc. Cui interpretationi ſimillima eſt adplicatio narrationis Ioſ. XI. 9—11. quae legitur *Hom. XV. in libr. Ioſu.* §. 3. *To. II. pag.* 432. his verbis perſcripta: *Sed et ſi paſſiones corporis, id eſt, libidinem, laſciuiam, vel ſuperbiam ac leuitatem, quibus infelix anima velut equitans vectatur, et fertur ad praecipitia, equos nunc dici et currus intelligamus, et ipſos eſſe qui ex praecepto Dei ſubneruari iubentur, non erit rationi noſtrae contraria intelligentia. Subneruatur equus quippe quando ieiuniis et vigiliis, et omni abſtinentiae afflictione corpus humiliatur. — Ideo ergo et falſus equus dicitur ad ſalutem, ſi motus corporis noſtri ferri permittamus infrenes, nec abſtinentiae iugo laſciva carnis et ſuperba colla ſubdamus. — Quomodo autem in nobismet ipſis complebimus et hoc, quod dicit, vt non remittatur vllus, qui reſpiret? Videndum eſt quis ſit, qui nec reſpirare per praeceptum Domini iubetur. Verbi cauſa, ſi ira aſcenderit in cor meum, poteſt fieri vt opera quidem iracundiae non impleam, vel metu deterritus, vel etiam futuri iudicii timore cohibitus: ſed non, inquit, hoc ſufficit, agendum tibi potius eſt, quatenus ne ipſa quidem commotio iracundiae locum habeat intra te. Si enim efferueſcit animus et conturbatur, etiamſi non impleuerit opus, ipſa tamen perturbatio indecens eſt ei, qui ſub Ieſu militat duce. Similiter et de concupiſcentiae vitio et de triſtitiae,*

cula effici possit, simul docuit[27]). Ad eundem porro modum *Basilius* etiam *M.* non modo exiguam corporis rationem habendam[28]), idque non nisi hoc consilio curandum esse statuit, vt ad animae ministerium conser-

---

caeterisque omnibus sentiendum est. De quibus cunctis ita agendum est discipulo Iesu, vt nihil omnino horum in eius corde respiret: ne forte si parui alicuius vitii aut consuetudo aut cogitatio relinquatur in corde, processu temporis conualescat, et paulatim vires latitando conquirat, etc.

27) Quod inprimis fit in laud. *not.* 25. loco *Comment. in epist. ad Rom.* vbi ea de re haec habet: *Mortificat autem quis actus carnis hoc modo. Fructus est Spiritus charitas, odium ergo per charitatem mortificatur et exstinguitur. Gaudium similiter fructus est Spiritus, tristitia vero huius saeculi, quae mortem operatur, carnis est actus: haec ergo exstinguitur, si sit in nobis gaudium Spiritus. Pax fructus est Spiritus: dissensio et discordia carnis est actus: sed certum est, discordiam mortificari posse per pacem. Sic et patientia spiritus, impatientiam carnis exstinguit, et bonitas malitiam perimit, et mansuetudo ferociam, et continentia intemperantiam, et castitas impudicitiam necat, talique ordine qui per Spiritum actus carnis mortificauerit, viuet. — Sed et illud scire debemus, quod ista mortificatio actuum carnis per patientiam fiat, et non ad subitum, sed paulatim. Primo languescere eos necesse est in his, qui incipiunt: tum deinde cum ardentius proficere coeperint et abundantiore Spiritu repleri, actus carnis non solum languescere, sed et tabescere incipient: vbi vero ad perfectum iam venerint, ita vt nulla in eis prorsus vel in facto, vel in dicto, vel in cogitatu peccati oriantur indicia, tunc plane actus carnis mortificasse, et ad integrum morti tradidisse censendi sunt.*

28) Quod duo potissimum scriptorum eius loci testantur, quorum vnus legitur in *Homil. in ill. attende tibi*, §. 3. *Opp. To. II. pag.* 18. edit. Garn. ita habens: *τί ἐν φησὶν ὁ λόγος; μὴ τῇ σαρκὶ πρόσεχε, μηδὲ τὸ ταύτης ἀγαθὸν ἐκ παντὸς τρόπε δίωκε ὑγείαν, καὶ κάλλος, καὶ ἡδονῶν ἀπολαύσεις, καὶ μακροβίωσιν· μηδὲ χρήματα καὶ δόξαν καὶ δυναστείαν θαύμαζε· μηδὲ ὅσα σοι τῆς προσκαίρου ζωῆς τὴν ὑπηρεσίαν πληροῖ, ταῦτα μεγάλα νομίσας, τῇ περὶ ταῦτα σπουδῇ τῆς προηγουμένης σεαυτοῦ ζωῆς καταμέλει· ἀλλὰ πρόσεχε σεαυτῷ, τουτέστι, τῇ ψυχῇ σου*: alter vero in *Hom. quod mund. adhaer. non sit*, §. 6. *To. II. p.* 167. extat, estque hic: *ὁ μὲν ἓν ἄριστα βαλευόμενος τῆς ψυχῆς ὅτι μάλιστα φροντίσει, καὶ τοῦτο διὰ πάντων πειράσεται σώζειν εἰλικρινές τε καὶ γνήσιον· τῆς σαρκὸς δὲ ἢ λιμῷ τηκομένης, ἢ κρυμοῖ καὶ θάλπει προσπαλαιούσης ἢ νόσοις ἀλγυνομένης, ἢ πασχούσης τι παρὰ τίνων βίαιον, ὀλίγον ποιήσεται τὸν λόγον, κ. λ.*

vetur[29]), ſed id etiam caſtigari atque coërceri voluit[30]), eiusque cupiditates mentis imperio ſubiici[31]), hancque abſtinentiam et temperantiam aeque ac a Clemente Alex. factum fuerat, pro virtutum fundamento et fonte foe-

---

29) Quod diſerte tradit in loco, quem vltimum excitauimus, vbi paulo poſt verba modo allata haec addit: *εἰ δέ τις ἐθέλοι φειδέσθαι καὶ τȣ̃ σώματος, ὡς μόνȣ κτήματος ἀναγκαίȣ ψυχῇ, καὶ συνεργȣ̃ντος ἀυτῇ πρὸς τὸ ζῆν ἐπὶ γῆς, μικρὰ πρȣ̃ς τὰς τȣ̃τȣ χρείας ἐπιςραφήσεται καὶ ὥςε συνέχειν μόνον ἀυτὸ, καὶ τῇ τῆς ψυχῆς ὑπηρεσίᾳ διὰ μετρίας ἐπιμελείας ἐρρωμένον τηρεῖν, μὴ μέν τοί γε ἐπιτρέπειν ὑπὸ κόρȣ σκιρτᾶν.*

30) Qua de re in *Serm. de legend. libr. gentil. §. 7. To. II. p.* 182. haec habet: *ἑνὶ δὲ λόγῳ παντὸς ὑπερπτέον τȣ̃ σώματος τῷ μὴ ὡς ἐν βορβόρῳ ταῖς ἡδοναῖς ἀυτȣ̃ κατορωρύχθαι μέλλοντι, ἢ τοσȣ̃τον ἀνθεκτέον ἀυτȣ̃, ὅσον, φησὶ Πλάτων, ὑπηρεσίαν φιλοσοφίᾳ κτωμένȣ, ἐοικότα πȣ λέγων τῷ Παύλῳ, ὃς παραινεῖ μηδεμίαν χρῆναι τȣ̃ σώματος πρόνοιαν ἔχειν εἰς ἐπιθυμιῶν ἀφορμήν. — πᾶν μὲν ἓν τȣ̃ναντίον κολάζειν ἀυτὸ καὶ κατέχειν, ὥσπερ θηρίȣ τὰς ὁρμὰς, προσῆκε, καὶ τȣ̀ς ἀπ᾽ ἀυτȣ̃ θορύβȣς ἐγγινομένȣς τῇ ψυχῇ ὁιονεὶ μάςιγι τῷ λογισμῷ καθικνȣμένȣς κοιμίζειν, ἀλλὰ μὴ πάντα χαλινὸν ἡδονῆς ἀνέντας περιορᾶν τὸν νȣ̃ν.* Neque tamen hanc corporis caſtigationem talem eſſe voluit, vt corpus ad animae miniſterium per eam prorſus inutile reddatur, quod diſerte tradit in *libr. de virgin. §.* 11. *To. III. pag.* 599. vbi poſtquam de verbis Pauli 1 Cor. IX, 27. diſputauerat, eorumque ſenſum expoſuerat, haec ſubiungit: *ὁ δὲ εἰς τοσȣ̃τον τύπτων ταῖς ἐνδείαις τὸν δȣ̃λον, ὥςε μὴ μόνον ἄχρηςον πρὸς τὴν ὑπηρεσίαν τȣ̃ δεσπότȣ γενέσθαι, ἀλλὰ καὶ ἑαυτῷ ἀδυνατεῖν ἐπαρκεῖν, τί ἄλλο ἢ δȣ̃λον ἑαυτὸν τȣ̃ δέλȣ πεποίηκεν; ἀνάγκη γὰρ μηκέτι μὲν δυναμένȣ δȣλεύειν τȣ σώματος, ὑπ᾽ ἀσθενείας δὲ παρειμένȣ, τὸν δεσπότην τȣ̃τῳ δȣλεύειν, ἀεὶ περὶ τὴν ὑπηρεσίαν ἀυτȣ̃ τῆς ἀσθενείας πονȣ̃μενον, καὶ ἔκτι μὲν τῶν καθ᾽ ἑαυτὸν ἔργων μνήμην ποιȣ̃σθαι συγχωρȣ̃μενον, πάντα δὲ τὸν βίον τȣ̃τȣ προσδαπανῶντα.* Hinc per totum *cap. IV. Conſtitt. monaſt. To. II. pag.* 544. docet, hanc corporis caſtigationem et abſtinentiam corporis cuiusque viribus eſſe metiendam.

31) De quo *Homil. in princ. Proverb. §.* 15. *To. II. p.* 111. haec monet: *πάλιν καὶ πρὸς ἕτερα χρήσιμον ἡμῖν ἐςι τὸ ἐκ τῆς κυβερνήσεως ἀγαθὸν. οἶδα γὰρ καὶ ἄλλα κύματα καὶ κλύδωνα φȣβερὸν ἐπανιςάμενον τῇ ψυχῇ, τὸν ἐκ τῶν παθῶν τῆς σαρκός. θυμοὶ γὰρ καὶ φόβοι καὶ ἡδοναὶ καὶ λύπαι, οἷον ἔκ τινος ζάλης βιαίας τȣ̃ τῆς σαρκὸς φρονήματος προσπεσόντες, πολλάκις τὴν ἀκυβέρνητον ψυχὴν κατεπόντισάν. δεῖ τοίνυν τὸν νȣ̃ν ὥσπερ τινὰ κυβερνήτην ἄνω καθήμενον τῶν παθῶν, καὶ οἱονεὶ πλοίȣ τῆς σαρκὸς ἐπιβάντα, καὶ ἐμπείρως τȣ̀ς λογισμȣ̀ς οἷον οἴακας περιςρέφοντα καταπατεῖν μὲν γενναίως τὰ κύματα. κ. λ.*

cundissimo habuit[32]). Neque minus perspicue *Gregorius* etiam *Nazianz.* corporis castigationem pulchrum quid declarauit[33]), et, si quis, licet corpori alligatus, tamen non vixerit modo ei consentaneo, angelicum esse iudicavit[34]), hincque etiam, vt in superioribus iam ostendimus[35]), vt extra corpus quasi et mundum se ponat homo, postulauit. Eodem modo *Gregorius* etiam *Nyss.*, cum virtutis studium rerumque corporearum amorem nullo modo inuicem consistere posse sibi persuasisset[36]), hominem probitatis studiosum ab omni corporearum voluptatum genere se voluit abdicare[37]). Tum

---

32) De quo in laud. *cap. IV. Constitt. Monast.* statim ab initio haec habet: *παθῶν δὲ κόλασις, ἀταραξία καὶ γαλήνη ψυχῆς· γαλήνη δὲ ψυχῆς ἀρετῶν γονιμωτάτη πηγή.*

33) *Orat. XVI. To. I. Opp. p.* 240. edit. Col. *καλὸν*, inquiens, *ὑποπιεσμὸς σώματος, καὶ πειθέτω σὲ Παῦλος, ἑαυτὸν ἔτι παιδαγωγῶν καὶ φοβῶν διὰ τὸ Ἰσραὴλ τὸς ἑαυτοῖς θαρρέντας καὶ ἐπαφιέντας τῷ σώματι, καὶ Ἰησοῦς ἀυτὸς νηςεύων καὶ πειραζόμενος καὶ νικῶν τὸν πειράζοντα.*

34) *Orat. XXX. To. I. pag.* 503. vbi haec sunt verba eius: *πῶς γὰρ ἐκ ἀγγελικὸν, τὸ σαρκὶ συνδεδεμένην, μὴ κατὰ σάρκα ζῆν, ἀλλ' εἶναι τῆς φύσεως ὑψηλοτέραν, ἡ σὰρξ τῷ κόσμῳ προσέδησεν, ἀλλ' ὁ λογισμὸς πρὸς Θεὸν ἀνήγαγεν. ἡ σὰρξ ἐβάρησεν, ἀλλ' ὁ λογισμὸς ἐπτέρωσεν. ἡ σὰρξ ἔδησεν, ἀλλ' ὁ πόθος ἔλυσεν.*

35) *Comment. XV. p.* 740. *not.* 50.

36) Quod haec loca eius testantur: *de Virg. cap. V. To. III. Opp. p.* 132, edit. Paris. 1638. vbi *πᾶσα γάρ ἐςι*, inquit, *σπουδὴ τοῦ τοιούτου βίου, ὅπως μὴ τὸ ὑψηλὸν τῆς ψυχῆς διὰ τῆς ἐπιπαυσάσεως τῶν ἡδονῶν ταπεινωθῇ, καὶ ἀντὶ τοῦ μετεωροπορεῖν, καὶ εἰς τὰ ἄνω βλέπειν τὴν διάνοιαν ἡμῶν, πρὸς τὰ σαρκὸς καὶ αἵματος κατενεχθεῖσαν πάθη πεσεῖν. πῶς γὰρ ἔτι δύναται πρὸς τὸ συγγενὲς τε καὶ νοητὸν φῶς ἐλευθέρῳ ἀναβλέπειν τῷ ὄμματι ἡ προσηλωθεῖσα κάτω τῇ ἡδονῇ τῆς σαρκὸς καὶ τὴν ἐπιθυμίαν πρὸς τὰ ἀνθρώπινα πάθη ἀπασχολήσασα, ὅταν πρὸς τὰ ὑλώδη σχῇ τὴν ῥοπὴν ἐκ μοχθηρᾶς τινος καὶ ἀπαιδεύτου προσλήψεως*: atque *cap. XX. eiusd. libr. pag.* 167. vbi haec leguntur: *κατὰ τὸν αὐτὸν λόγον καὶ τὸ ἐπιθυμητικὸν ἡμῶν φύσιν οὐκ ἔχει ὁμοῦ ταῖς σωματικαῖς ἐξυπηρετεῖν ἡδοναῖς, καὶ τὸν πνευματικὸν μετιέναι γάμον.*

37) Vt loca *Comment. XV. p.* 741. *not.* 57. iam laudata abunde declarant.

eadem *Chryſoſtomus* etiam praecepit. Cum enim et hic peccata hominum e corporis maxime cupiditatibus proficiſci ſtatueret; ab his homini omni modo voluit caveri, quoniam nihil animam eius magis conturbet, quam mundanarum rerum cura et multiplicis cupiditatis turba[38]), ideoque hoc potiſſimum a virtutis ſtudioſis poſtulauit, vt non modo omnium rerum terrenarum curam abiicerent[39]), ſed inprimis etiam corpus animi imperio ſubmitterent, tumque nemini putauit de lucta pro virtute ſubeunda et victoria reportanda illius cauſſa eſſe deſperandum[40]). Ipſius tamen corporis caſtigationi non videtur magnum pretium tribuiſſe, cum alicubi dicat[41]), id quod nonnulli corpore macerando conſequi ſtudeant, virtutis ſtudio poſſe obtineri.

---

38) Quae ſunt ipſa verba eius in *Hom. II. in Matth. To. I. Commentt. in N. T. pag.* 22. edit. Duc. Franc. vbi *ἐδὲν γὰρ*, inquit, *ὅυτω λιπεῖ ψυχῆς ὀφθαλμὸν, καὶ θολοῖ, ὡς ὁ τῶν βιοτικῶν φροντίδων ὄχλος, καὶ ὁ τῶν ἐπιθυμιῶν ἐομός.*

39) Quod inprimis docet *Cap. XII. libr. III. adv. vituper. vit. monaſt. To. IV. Opp. pag.* 429. *ſq.* in quo id agit, vt oſtendat, ſcripturam velle, *ἅπαντας τὸν τῶν μοναχῶν βίον ζῆν*, et, poſtquam hoc per ſingula eundo pluribus demonſtrauit, haec deinde ſubiicit: *ὥςε εἰ καὶ τῦτο μόνον ἔιρητο, ἱκανὸν τεμήριον ἦν, τῦ τὰ ἀυτὰ ἀπαιτεῖσθαι τὲς βιωτικὲς τοῖς μοναχοῖς. ὁ γὰρ σύνδεσμος καὶ ἡ ῥίζα τῆς πολλῆς ἀρετῆς ἀυτή ἐςι· νυνὶ δὲ καὶ κατὰ μέρος ἀυτὴν τίθησι. τί τοίνυν μεῖζον ταύτης τῆς φιλοσοφίας ζητήσειεν ἄν τις· ὅταν γὰρ καὶ ὀργῆς καὶ θυμῦ καὶ κραυγῆς, καὶ χρημάτων ἐπιθυμίας, καὶ γαςρὸς καὶ πολυτελείας, καὶ δόξης κενῆς καὶ τῶν ἄλλων τῶν βιωτικῶν ἀνώτερα εἶναι κελεύῃ, καὶ μηδὲν κοινὸν ἔχειν πρὸς τὴν γῆν· ὅταν νεκρῶσαι τὰ μέλη προςτάττῃ, εὔδηλον, ὅτι τὴν ἀιτὴν ἡμᾶς ἀκρίβειαν ἀπαιτεῖ, ὅσην τὲς μαθητὰς ὁ χριςὸς, καὶ πρὸς τὰ ἁμαρτήματα ἔτως εἶναι βέλεται νεκρὲς, ὡς τὲς ἀποθανόντας καὶ ταφέντας ἤδη.*

40) Qua de re inprimis diſputat *Hom. LXXIV. in Ioa. To. II. Commentt. in N. T. pag.* 479. vbi *μὴ τοίνυν*, inquit, *μηδὲ σὺ λέγε, σάρκα περίκειμαι· ἐ δύναμαι περιγενέσθαι, ἐδὲ τῶν ὑπὲρ ἀρετῆς ἱδρώτων λαβέσθαι*, quibus haec deinde ſub finem addit: *ταύτην τοίνυν ἐγκόψωμεν, καὶ μὴ κατηρορῶμεν τῦ σώματος, ἀλλ' ὑποτάξωμεν ἀυτὸ τῇ ψυχῇ, κ. λ.*

41) *Hom. XXXVIII. in Ioa. To. II. p.* 251. *ἄλλοι*, inquiens, *δι' ἀγρυπνίας καὶ χαμευνίας καὶ μυρίας ταλαιπωρίας ἐξαλείφεσι τὰ ἁμαρτήματα. σοὶ διὰ ἐυκολωτέρας ὁδῦ, τῦ μὴ μνησικακεῖν λέγω, πάντα ἐξεειν ἀφανίσαι τὰ πλημμεληθέντα.*

Haec eadem vero Latinorum etiam ſcriptorum ecclefiaſticorum ii, quibus illa, quam ſupra commemorauimus, de corpore peccati ſede ſententia probata fuerat, ſtatuiſſe atque praecepiſſe reperiuntur. Et *Tertullianum* quidem, cum non exiguam, vt nuper oſtendimus[42]), corpori in animum hominis vim tribueret, non mirum eſt, non modo cupiditates ab illo profectas, omni modo fugiendas[43]), ſtatuiſſe, ſed ipſum etiam corpus tanquam crucem aliquam noſtram cum Chriſto tolli voluiſſe[44]), eiusque afflictionem Deo acceptiſſimam iudicaſſe[45]). Simili modo *Lactantius* etiam ſenſuum voluptates, quae vnice e corpore proficiſcuntur, quasque ille quidem omnes vitioſas ac mortiferas iudicavit, virtute dixit ſuperandas atque opprimendas, vel ad ſuam etiam rationem reuocandas[46]); idque ipſum in

---

42) *Comment. XV. pag.* 743.

43) In quam rem haec v. c. habet in *libr. de patient. cap.* 7. *To. IV. Opp.* 87. edit. Seml. *Si detrimento rei familiaris animus concitatur, omni pene in loco de contemnendo ſeculo ſcripturis dominicis commonetur: nec maior ad pecuniae contemtum exhortatio ſubiacet, quam quod ipſe dominus in nullis diuitiis inuenitur. — Quod ergo nobis appetere minime opus eſt, quia nec dominus appetiuit, detruncatum vel etiam ademtum non aegre ſuſtinere debemus. Cupiditatem omnium malorum radicem Spiritus Domini per Apoſtolum pronuntiauit.*

44) Quod in *libr. de idolol. cap.* 12. *To. IV. pag.* 163. his verbis tradit: *Si vis Domini diſcipulus eſſe, crucem tuam tollas, et Dominum ſequaris neceſſe eſt, id eſt, anguſtias et cruciatus tuos, vel corpus ſolum, quod in modum crucis eſt.*

45) Cuius opinionis eius luculentiſſimus teſtis eſt locus *libr. de patient. c.* 13. *pag.* 98. vbi, poſtquam de eo dicere inceperat, patientiam non in animo tantum ſubſiſtere debere, ſed ad corpus etiam eſſe transferendam, haec ſubiicit: *Quae igitur negotiatio patientiae in corpore? In primis adflictatio carnis hoſtia Domino placatoria per humiliationis ſacrificium, quum ſordes cum anguſtia victus Domino libat, contenta ſimplici pabulo puroque aquae potu, quum ieiunia coniungit, quum cineri et ſacco inoleſcit. Haec patientia corporis precationes commendat, deprecationes adfirmat: haec aures Chriſti, Dei aperit, ſeueritatem diſpergit, clementiam elicit.*

46) Quod ſit *Inſtitt. div. lib. VI. c.* 20. *To. I. pag.* 811. edit. Bünem. vbi ſtatim ab initio capit. *Reſtat*, inquit, *vt contra*

adfectibus quoque, in quibus Deum vitiorum materiam ait posuisse[47]), fieri voluit, eoque id effici declarauit, vt ne peccet homo, in quo ipso totum virtutis officium cernatur[49]). Ipsius tamen corporis castigationem atque vexationem, quae Tertulliano tantopere probabatur, nuspiam commendasse deprehenditur. Contra vero *Hieronymum* huic non parum tribuisse, cum reliqua eius de virtutis ac probitatis summa eiusque sibi comparandae adminiculis iudicia[50]) probabile reddunt, tum inde etiam satis perspicue cognoscitur, quod ei non modo veniam peccatorum, sed praemia etiam diuina promittit[51]). Multo tamen adhuc copiosius de ea dispu-

---

quinque sensuum voluptates dicam breuiter. — Quae omnes, quoniam vitiosae ac mortiferae sunt, virtute superari atque opprimi debent; vel (quod paulo ante dicebam de adfectibus) ad rationem suam reuocari. Id autem quomodo fieri possit ac debeat, per totum hoc reliquum et duo proxime sequentia Capp. ostendit.

47) In quam rem haec leguntur in eodem *Instit. div. libr. VI. c. 15. s. 9. pag. 782. Deus itaque, quum hominem primum fingeret, mirabili prouidentia ingenerauit ei prius istas animi commotiones, vt posset capere virtutem, sicut terra culturam; posuitque materiam vitiorum in adfectibus, virtutis in vitiis;* ad quem loc. videnda, quae in nota obseruauit Bünem.

48) Qua de re, vt ipse monet in loco *not.* 46. laud. in superioribus iam disputauerat, *Cap.* nimirum *XVI. p.* 786. *sq.*

49) Quod fit *eiusd. libr. c. V. s.* 13. *sq. p.* 723. vbi haec habet: *Virtus est, iram cohibere, cupiditatem compescere, libidinem refraenare. Id est enim, vitium fugere. Nam fere omnia, quae fiunt iniuste atque improbe, ab his oriuntur adfectibus. — Ergo vniuersa scelera, et flagitia, his commotionibus sedatis, ex hominum vita moribusque tollentur. Quae sedatio commotionum et adfectuum hanc habet rationem, vt omnia recta faciamus. Omne igitur virtutis officium est, non peccare.*

50) De quibus videnda inprimis, quae obseruauit Engelstoft in libello lectu dignissimo: *Hieronymus Stridonensis interpres, criticus, exegeta, apologeta, historicus, doctor, monachus,* (Havn. 1797. 8.) *Sect. VII. p.* 149. *sq.*

51) Vt docet locus *Comment. in Lament. Ierem. l. II. c.* 3. vbi ad v. 20. haec obseruat: *Qui enim semet ipsum diligenter inspicit et pro peccatis suis carnem macerare et desideria*

tauit, neque minus etiam honorifice de illa ſtatuit *Auguſtinus;* cuius tamen ea de re ſententia in proxima demum commentatione vberius poterit explicari.

Cap. V.

Sect. 2. Praeter Auguſtinum haereticorum etiam nonnulli ita docuerunt.

(Comment. XVIII.)

Auguſtinus igitur, in cuius ſententia de virtutis cultu enarranda nuper ſubſtitimus, quanquam peccati cauſam non ex corpore hominis, ſed animo repeteret[1]), atque omne peccatum ex hoc proficiſci iudicaret[2]); tamen putauit, ex primorum hominum peccato[3]) ipſi etiam

---

mortificare non deſpicit: non ſolum veniam delictorum, ſed et ſupernum praemium a vero Saluatore et clementiſſimo iudice ſperare debebit, qui omnes homines vult ſaluos facere.

1) Quam ſententiam diſerte profitetur *lib. XIV. de civ. Dei cap. III.* toto, *Opp. To. VII. p.* 351. edit. Bened. Venet. vbi ſtatim ab initio Capitis haec habet: *Quod ſi quisqam dicit, carnem cauſam eſſe in malis moribus quorumcunque vitiorum, eo quod anima carne affecta ſic viuit: profecto non vniuerſam hominis naturam diligenter aduertit. Nam corpus quidem corruptibile aggrauat animam. — Veruntamen qui omnia animae mala ex corpore putant accidiſſe, in errore ſunt.* Quibus *ſect.* 2. nonnullis interiectis haec addit: *Nam corruptio corporis, quae aggrauat animam, non peccati primi eſt cauſa, ſed poena, nec caro corruptibilis animam peccatricem, ſed anima peccatrix fecit eſſe corruptibilem carnem.*

2) Quod *Serm. XLVI. in Ezech.* 34. *To. V. p.* 223. *n.* 8. his verbis tradit: *Coinquinatio carnis, quae cauenda eſt, non huc exit, niſi de coinquinatione ſpiritus, et ſic coinquinat carnem.*

3) Ab hoc enim peccato iſtam, quam dicit, corporis corruptionem conſtanter repetit; quod praeter alia permulta loca teſtatur v. c. locus *l. X. de Gen. ad litter. c.* 12. *n.* 21. *To. III. p.* 264. vbi, poſtquam de eadem fuerat locutus, diſerte addit, venire eam *de vindicta illius peccati, vnde propaginem ducimus, ſecundum quam omnes ante gratiam filii ſunt irae.*

corpori hominis[4]) terrenos quosdam adpetitus adhaesisse[5]) propter quos homo iam ante natiuitatem suam peccati contagio fit affectus[6]), hincque omnium, qui naturali modo nascantur, corpus caro peccati fit censenda[7]), solo Christi corpore excepto[8]). Ex hac vero

---

4) Quod in *libr. de ver. relig. c.* 15. *To. I. pag.* 757. *ante peccatum in suo genere optimum* fuisse dicit. In quonam vero hoc positum fuerit, et quaenam post ex eius mente secuta sit peruersitas, optime intelligi poterit ex loco *libr. VI. Oper. imperf. contr. Iulian. To. X. P. II. p.* 1314. vbi haec leguntur: *Nos autem dicimus tam beatum fuisse illum hominem ante peccatum, tamque liberae voluntatis, vt Dei praeceptum magnis viribus mentis obseruans, resistentem sibi carnem nullo certamine pateretur, nec aliquid omnino ex aliqua cupiditate sentiret, quod nollet; voluntatemque eius prius fuisse vitiatam venenosa persuasione serpentis, vt oriretur cupiditas, quae sequeretur potius voluntatem, quam resisteret voluntati, perpetratoque peccato iam poena infirmatae mentis etiam carnis concupiscentia repugnaret. Ac per hoc nisi prius homo faceret peccando, quod vellet, non pateretur concupiscendo, quod nollet.*

5) Quod in libr. *de vtilit. ieiun. cap. IV. n.* 5. *To. VI. p.* 617. his ipsis fere verbis tradit, *habet ergo*, inquiens, *caro ex conditione mortali quosdam terrenos appetitus: in hos tibi ius freni concessum est.*

6) In quam rem *Oper. imperf. contr. Iul. l. III. n.* 48. *To. X. p.* 575. haec habet: *Verum si tu non es Epicureus, qui ex illo aliquam partem in voluptatis laude sumsisti: quanto minus ego, qui de voluptate carnis hoc sentio, quod sentit Ambrosius; inimicam scilicet esse iustitiae, et quod homo concupiscentiae voluptate concretus, prius quam nascitur, subeat contagia delictorum.*

7) Cuius persuasionis eius permulta extant testimonia, e quibus haec tantum nunc commemorasse sufficiat: *libr. I. de nupt. et concupisc. c.* 12. *n.* 13. *To. X. p.* 287. *Oper. imperf. contr. Iul. l. II. n.* 218. *To. X. p.* 1041. et *lib. IV. n.* 79. *pag.* 1177. itemque *n.* 106. *seq. pag.* 1194. *sq.*

8) Quem hinc in omnibus illis, quae modo excitauimus locis, tantum *ex similitudine carnis peccati*, non vero ex *carne peccati* natum esse defendit, et de quo *lib. II. Oper. imperf. contr. Iul. n.* 180. *To. X. p.* 1026. *procul dubio*, inquit, *Dominus Christus non habuisset similitudinem carnis peccati, nisi aliorum omnium hominum esset caro peccati;* quod ita esse, ex hac ipsa formula de Iesu vsurpata probat eiusd. *Oper. l. VI. n.* 25. *pag.* 1368. In eandem rem etiam *libr. II. contr. Iul. c.* 4. *To. X. p.* 531. haec habet: Deus, *qui genuit Filium sibi coaeternum — etiam*

corporis corruptione vitiorum iam incitamenta quaedam et praua defideria exfiſtere ſtatuit[9]), per quae corpus animo hominis peccandi ſit illecebra[10]), eumque diabolus tentet[11]) ita quidem, vt iam non poſſit non mala concupiſcere[12]), licet non omnia eius peccata inde oriantur[13]), hincque corpus animam dixit aggrauare, eique oneri eſſe[14]), vnde animi et corporis diſcordia quaedam orta ſit in naturam verſa[15]), ideoque hoc non modo

---

ipſum creauit hominem ſine vitio, non ex ſemine hominis per virginem natum, etc.

9) De qua re in loco *not.* 1. laud. verbis ibi recitatis haec ſubiicit. *Ex qua corruptione carnis licet exſiſtant quaedam incitamenta vitiorum, et ipſa deſideria vitioſa: non tamen omnia vitae iniquae vitia tribuenda ſunt carni, ne ab his omnibus purgemus diabolum, qui non habet carnem.*

10) Quod *Enarr. in Pſ. XLVIII. Serm.* 1. *n.* 6. *To. IV. pag.* 429. ſic tradit, vt, poſtquam dixerat, *per carnem labi hominem*, haec addat: *Eua nobis interior caro noſtra eſt.*

11) De quo in *Enarr. in Pſ. CXLIII. n.* 5. *To. IV. pag.* 1601. haec habet: *Non enim tentat diabolus, vel angeli eius, niſi quod in te carnale dominatur. Nam quomodo vincimus illos hoſtes, quos non videmus, niſi quia carnales interiores motus noſtros ſentimus.*

12) In quam rem in loco *not.* 3. excitato haec leguntur ante verba ibi laudata: *Congruentius dicitur caro concupiſcere, quando anima non ſolum carni animalem vitam praebet, verum etiam ſecundum ipſam carnem aliquid concupiſcit: quod in poteſtate non eſt ne concupiſcat, quamdiu ineſt peccatum in membris, id eſt, violenta quaedam carnis illecebra in corpore mortis huius.*

13) Quod diſerte negat in locc. *not.* 1. et 9. recitatis.

14) Cuius rei praeter eundem illum locum, quem *not.* 1. iam laudauimus, teſtis etiam eſt alius, qui legitur *Oper. imperf. contr. Iul. l. III. n. XLIV. To. X. pag.* 1071. ita habens: *Quod autem tibi placet, vt dicat Deus:* Iniquiſſimum et ſtolidum eſt, vt mea res, mea imago, alienis grauetur operibus: *cur non quaeris, vnde ſit iuſtum, vt anima carne de parentibus tracta, et ipſius Dei grauetur operibus? Corpus enim corruptibile aggrauat animam. Et puto te agnoſcere, Dei opus eſſe etiam corruptibile corpus.* At paulo poſt *n.* 45. negat, id iam ante peccatum locum habuiſſe; id quod infra etiam repetit *l. IV. n.* 75. *p.* 1175.

15) De qua haec leguntur *lib. II. contr. Iulian. c.* 3. *To. X. p.* 533. *Vides, vnde caro concupiſcat aduerſus ſpiritum, vides*

illi docuit ſubiiciendum eſſe[16]), ſed quouis etiam modo caſtigandum, vt iſta perniciosa eius vis frangatur, animusque aliqua ſaltem oneris iſtius parte liberetur[17]). Hanc igitur corporis caſtigationem, quam eius mortifi-

---

vnde ſit lex in membris repugnans legi mentis. Vides vertiſſe in naturam animae carnisque diſcordiam, et per has inimicitias nobis abundare miſerias, non niſi Dei miſericordia, Tum huc etiam pertinet alius locus *Oper. imperf. contr. eund. l. VI. ib. pag.* 1313. in quo, poſtquam de eadem corporis et animi diſcordia fuerat locutus, docet ſimul, ante Adami peccatum pacem potius inter vtrumque obtinuiſſe, *Nullus quippe ſanctorum*, inquiens, *eſt, qui non velit facere, ne caro aduerſus Spiritum concupiſcat, quamuis ei reſiſtat, ne concupiſcentiam carnis ſua conſenſione perficiat, eundem Apoſtolum audiens, vbi ait*, Dico autem Spiritu ambulate, et concupiſcentias carnis ne perfeceritis. *Non ait: Concupiſcentias aduerſarias ne habueritis, quoniam videbat perfectam pacem carnis et ſpiritus non poſſe in corpore mortis huius impleri: ſed ait: Concupiſcentias carnis ne perfeceritis; vbi certamen nobis potius, quod contra carnem aduerſantem debeamus exercere, propoſuit, vt concupiſcentias eius non perficiamus conſentiendo, ſed reſiſtendo vincamus. Pax vero, vbi non eas aduerſantes repugnantesque patiamur, fuit in corpore vitae illius, quam natura vitiata primi hominis praevaricatione perdidimus. Nam ſi nec ibi fuit ante peccatum pax carnis et ſpiritus, falſumque eſt, quod ait, Ambroſius, utriusque diſcordiam per praeuaricationem primi hominis in noſtram vertiſſe naturam: vera erit, quod abſit, iſta ſententia*, etc.

16) Qua de re multis in locis exponit, e. c. *lib. VI. de Muſic. c.* 5. *n.* 13. *T. I. pag.* 519. *Enarr. in Pſ. CXLIII n.* 6. *To. IV. p.* 1602. itemque *in Pſ. CXLV. n.* 5. *ib. p.* 1626. atque *Serm. CXXVIII. de verb. Euang. Io.* 5. *n.* 5. *To. V. p.* 628. et de *vtil. ieiun. c.* 4. *n.* 5. *To. VI. p.* 617. in quo vtroque loco poſteriori ſimul docet, ſi anima velit corpori imperare, ei parendum eſſe Deo, in priori quidem haec ſcribens: *Vis ſeruiat caro tua animae tuae? Deo ſeruiat anima tua. Debes regi, vt poſſis regere*; in poſteriori autem iſta: *Regat te praepoſitus, vt poſſit a te regi ſubiectus. Infra te eſt caro tua, ſupra te eſt Deus tuus: cum vis, vt ſeruiat tibi caro tua, admoneris, quomodo te oporteat ſeruire Deo tuo*; etc.

17) In quam rem locus notatu inprimis dignus legitur in eodem, quem vltimum excitauimus, *libr. de vtil. iei. c.* 2. *pag.* 616. vbi, *Si ergo*, inquit, *caro in terram vergens onus eſt animae, et ſarcina praegrauans praeuolantem: quantum quisque delectatur ſuperiore vita ſua, tantum deponit de terrena ſarcina ſua. Ecce quod agimus ieiunantes.*

cationem plerumque adpellat[18]), vti identidem commendauit[19]), atque modum etiam, quo ea perfici possit,

---

18) Quod praeter alia loca mox laudanda inprimis docet *Serm. CLVI. c.* 9. *To. V. p.* 754. vbi locum Pauli Rom. VIII., 13. e quo haec ipsa loquendi formula ducta est, explicans, haec habet: *Hoc est opus nostrum in hac vita, actiones carnis spiritu mortificare, quotidie affligere, minuere, frenare, interimere. Quam multa enim proficientes non iam delectant. quae antea delectabant. Quando ergo delectabat et non ei consentiebatur, mortificabatur: quia iam non delectat, mortificatum est.* Quasnam vero carnis actiones vel cupiditates inprimis mortificandas esse statuat, ex iis, quae paulo post sequuntur, cognoscitur, in quibus sic pergit: *Cum ergo dixisset Apostolus,* Si autem spiritu actiones carnis mortificaueritis, viuetis: *id est, illas concupiscentias carnis, quibus non consentire magna laus est, quas non habere, perfectio est: si has actiones carnis morbidas et de morte habentes contentionem, spiritu mortificaveritis, viuetis.*

19) E. c. *Serm. XIII. c.* 1. *Opp. To. V. pag.* 78. vbi de verbis Ps. 2, 10. *erudimini omnes, qui iudicatis terram*, disputans, *terram iudicare*, inquit, *est corpus domare. Audiamus Apostolum iudicantem terram:* non sic pugno, *inquit*, tanquam aerem caedens, sed castigo corpus meum et in seruitutem redigo, ne forte aliis praedicans, ipse reprobus efficiar. — *Audiant ergo iudices terrae; corpus castigent, libidinem frenent, ament sapientiam, vincant concupiscentiam; et vt hoc faciant, erudiantur:* itemque *Serm. de cant. nov. c.* 3. *To. VI. pag.* 592. vbi haec sunt verba eius: *Habes viam, ambula, sollicitus tamen doma iumentum tuum, carnem tuam, ipsi enim insidet anima tua. Quomodo si in hac via mortali iumento insideres, quod te gestiendo vellet praecipitare; nonne vt securus iter ageres, ciharia ferocienti subtraheres, et fame domares, quod freno non posses? Caro nostra iumentum nostrum est: iter agimus in Ierusalem: plerumque nos rapit caro, et de via conatur excludere. Tale ergo iumentum cohibeamus ieiuniis*, etc. Quorum simillima leguntur etiam in *Serm. de vtil. iei. c.* 3. *To. VI. p.* 616. Commendat autem hanc corporis castigationem inprimis hoc nomine, quod per eam mundum regere possimus, in quam rem in *libr. de agon. christ. c.* 6. *To. VI. p.* 248. vbi iniecta eiusdem loci Paulini 1 Cor. IX, 26. 27. quem in priori loco commemorabat, mentione, *Imitemur ergo et nos*, inquit, *illum, sicut hortatur, et castigemus corpus nostrum et in seruitutem redigamus, si mundum volumus vincere. Quia per illicitas delectationes suas et pompas et perniciosam curiositatem nobis dominari potest hic mundus, id est, ea, quae in hoc mundo perniciosa delectatione colligant amatores rerum temporalium, et diabolo atque angelis eius seruire cogunt: quibus omnibus si renuntiauimus, redigamus in seruitutem corpus nostrum.*

descripsit[20]); ita plurimum etiam huic, quam dicit, continentiae in virtutis studio tribuit[21]), eamque Deo admodum gratam esse declarauit[22]), ideoque etiam ei, qui illam fugiat, poenas a Deo metuendas denunciavit[23]). At illam cupiditatum et affectuum vacuitatem,

---

20) Quod sit v. c. in *libr. de contin. c.* 13. *To. VI. p.* 315. vbi haec eam in rem monet: *Quid ergo vult, vt mortificent, opere scilicet continentiae, nisi motus ipsos adhuc in sua quadam interpellatione, sine nostrae mentis consensione, sine membrorum corporalium operatione viuentes? Et quomodo isti mortificantur opere continentiae, nisi cum eis mente non consentitur, nec exhibentur eis arma corporis membra, et, quod est maius, atque vigilantia continentiae maiore curandum, ipsa etiam nostra cogitatio, quamuis eorum quodam modo suggestione et quasi susurratione tangatur, tamen ab eis, ne oblectetur, auertitur, et ad superna delectabilius cogitanda conuertitur; ob hoc ea nominans in sermonibus, ne habiteiur in cis, sed fugiat ab eis? Quod fit, si efficaciter audiamus, ipso adiuuante, qui hoc per Apostolum suum praecipit.* Quae sursum sunt, quaerite, vbi Christus est in dextera Dei sedens; quae sursum sunt sapite, non quae super terram.

21) Quod inprimis fit in *libr. de contin.* in cuius *c.* 3. e. c. inter alia de loco Gal. 5, 22. haec monet: *Verumtamen, quod in eis bonis, quae commemorauit, vltimo loco posuit continentiam, de qua nunc disputare suscepimus, et propter quam multa iam diximus, praecipue voluit eam nostris mentibus inhaerere. Ipsa quippe in hoc bello valet plurimum, in quo aduersus carnem spiritus concupiscit, quoniam ipsa carnis concupiscentias quodammodo crucifigit. Vnde cum haec dixisset Apostolus, continuo subiicit,* qui autem Iesu Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum passionibus et concupiscentiis. *Haec est actio continentiae: sic opera carnis mortificantur.* Tum huc etiam pertinet locus *libr. XXI. contr. Faust. c.* 5. *To. VIII. p.* 354. vbi *rationalis*, inquit, *anima castigat corpus suum et seruituti subiicit, ne immoderato adpetitu terrenorum impediatur a perceptione sapientiae.* His similia de continentiae vi in virtutis studium leguntur etiam in *lib.* 1. *de doctr. christ. cap.* 24. *To. III. P.* 1. *p.* 12.

22) Quod *l. X. de civ. Dei c.* 7. *To. VII. p.* 243. his verbis dicit: *Corpus etiam nostrum, cum per temperantiam castigamus, si hoc, quemadmodum debemus, propter Deum facimus, vt non exhibeamus membra nostra arma iniquitatis peccato, sed arma iustitiae Deo, sacrificium est.*

23) *Serm. CCLXXVII. c.* 2. *To. V. P. II. p.* 1114. *Ibi cum corpore*, inquiens, *torquebuntur, qui corpori pepercerunt. Timendo enim tormenta corporis, corpori pepercerunt et parcendo corpori, Christum negauerunt, et negando Christum*

quae Clementi Alex. ἀπάθεια dicebatur, diſerte negauit in hominem, hac ſaltem in vita degentem, quocunque etiam ſenſu dicatur, cadere poſſe[24]); cum contra *Leo M.* animam vtique a corporis cupiditatibus, quantum fieri poſſit, liberam reddi voluerit[25]).

---

poenas aeternas etiam corpori diſtulerunt. Si diſtulerunt, numquid abſtulerunt?

24) In quam rem locus iuprimis notabilis extat *libr. XIV. de civ. Dei c.* 9. *n.* 4. *To. VII. p.* 360. vbi de vario, quo ἀπάθεια iſta dici poſſit, ſenſu haec diſputat: *Nam omnino non dolere, dum ſumus in hoc loco miſeriae, profecto ſicut quidam etiam apud ſaeculi huius literatos ſenſit et dixit, non ſine magna mercede contingit, immanitatis in animo, ſtuporis in corpore. Quo circa illa, quae ἀπάθεια graece dicitur, quae ſi latine poſſet, impaſſibilitas diceretur, ſi ità intelligenda eſt,* (*in animo quippe, non in corpore accipitur*), *vt ſine his affectionibus viuatur, quae contra rationem accidunt, mentemque perturbant, bona plane et maxime optanda eſt; ſed nec ipſa eſt huius vitae. Non enim qualiumcunque hominum vox eſt ſed maxime piorum, multumque ſanctorum*, Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, et veritas in nobis non eſt. *Tunc itaque ἀπάθεια iſta erit, quando peccatum in homine nullum erit. Nunc vero ſatis bene viuitur, ſi ſine crimine: ſine peccato autem qui ſe viuere exiſtimat, non id agit, vt peccatum non habeat, ſed vt veniam non accipiat. Porro ſi ἀπάθεια illa dicenda eſt, cum animum contingere omnino non poteſt vllus affectus, quis hunc ſtuporem non omnibus vitiis iudicet eſſe peiorem? Poteſt ergo non abſurde dici, perfectam beatitudinem ſine ſtimulo timoris et ſine vlla triſtitia futuram: non ibi autem futurum amorem gaudiumque quis dixerit, niſi omni modo a veritate ſecluſus? Si autem ἀπάθεια illa eſt, vbi nec metus vllus exterret, nec angit dolor, auerſanda eſt in hac vita, ſi recte, hoc eſt, ſecundum Deum viuere volumus; in illa vero beata, quae ſempiterna promittitur, plane ſperanda eſt.* Quidnam vero de iis ſtatuat, qui affectibus ſuis ita imperare ſtudeant, vt ab iis prorſus vacui reperiantur, ex iis cognoſcitur, quae paulo poſt ſequuntur *n.* 6. *pag.* 361. vbi, *Et ſi quos*, inquit, *ciues habet*, (ſocietas impiorum), *qui moderari talibus motibus et eos quaſi temperare videantur: ſi impietate ſuperbi et elati ſunt, vt hoc ipſo in eis ſint maiores timores, quo minores dolores. Et ſi nonnulli tanto immaniore, quanto rariore vanitate hoc in ſe ipſis adamauerint, vt nullo prorſus erigantur et excitentur, nullo flectantur atque inclinentur affectu, humanitatem totam prorſus amittunt, quam veram aſſequuntur tranquillitatem.* Simili modo etiam *Tract. LX. in Ioa. n.* 3. *To. III. P. II. pag.* 665. contra eandem Stoicorum ἀπάθειαν diſputans, *animum hominis deſperatius* dicit *aegrotare, quando et doloris amiſerit ſenſum.*

25) Id quod ſupra iam oſtendimus *Comment. XV. pag.* 746.

Neque tamen orthodoxae tantum, quae dicebatur, ecclesiae doctoribus propria fuit haec de virtute colenda sibique comparanda doctrina, sed cum multis etiam haereticorum eam communem habuere, licet hi alia, quam isti, via ad eam essent deducti. Et *Gnostici* quidem cum omnes fere, vt supra iam monuimus[26]), corpus hominis natura sua malum iudicarent, non poterant aliter, quam vt durissime id habendum esse statuerent, quo mens, malo fato cum eo sociata, tanto maiori libertate ac res coelestes meditandi facultate frueretur. Huic sententiae *Saturninum* primum fauisse, inde adparet, quod non modo Iesum corpore vero destitutum et fictitio tantum indutum fuisse[27]) putauit, sed corporis etiam humani resurrectionem negauit[28]); hincque diserte etiam abstinentiam a coniugio et ab esu animalium commendasse deprehenditur[29]). Haec eadem vero *Basilidem* etiam statuisse necesse foret, si quidem

---

26) Comment. XV. pag. 728.

27) Quod diserte tradunt Irenaeus *adv. haer. l.* 1. *c.* 24. *§.* 2. *pag.* 100. *Opp.* edit. Mass. itemque Theodoretus *haer. fabul. l.* 1. *c.* 3. *Opp. To. IV. p.* 290. edit. Schulz. atque Epiphan. *haer. XXIII. §.* 1. Tom. I. *p.* 65. edit. Petav. quibuscum consentiunt etiam Tertull. siue potius Auctor adpend. ad libr. eius *de praescript. haeret. c.* 46. *To. II. Opp. p.* 61. edit. Seml. et Philastrius *de haer. c.* 31. *p.* 64. edit. Fabric.

28) Quam tamen sententiam inter scriptores modo allatos vnus tantum Tertullianus ei tribuit *l. l.*

29) De qua re Irenaeus quidem l. l. haec habet: *Nubere autem et generare, a Satana dicunt esse. Multi autem ex iis, qui sunt ab eo, et ab animalibus abstinent, per fictam huiusmodi continentiam seducentes multos.* Quibus simillima sunt, quae leguntur apud Theodoretum *l. l.* τὸν δὲ γάμον ἔτος πρῶτος τῆ διαβόλῳ διδάσκαλίαν ὠνόμασε. νομοθετεῖ δὲ καὶ ἐμψύχων ἀπέχεσθαι, itemque Epiphanium, haec ea de re tradentem: τὸ γαμεῖν δὲ καὶ τὸ γεννᾶν ὁ αὐτὸς ἀγίρτης ἐκ τῆ Σατανᾶ ὑπάρχειν λέγει, ὅθεν καὶ οἱ πλείοι αὐτῶν ἐμψύχων ἀπέχονται, ὅπως διὰ τῆς προσποιητῆς δῆθεν πολιτείας αὐτῶν τινας ἐπαγάγωνται εἰς τὴν αὐτῶν ἀπάτην. De ipsa vero hac viri sententia videnda simul, quae obseruauit Moshemius in *Comment. de rebus Christ. ante Constant. M. pag.* 341. *sq.*

vera habenda essent, quae Irenaeus[30]) et alii[31]) de eo tradunt, eum nimirum et ipsum fictitium tantum Christo corpus vindicasse ac mortuorum resurrectionem negasse[32]). Verum cum Clemens Alex. talia ex ipsis scriptis eius recitet, quae illi sententiae aperte repugnent, ea vix poterit admitti[33]). Accedit vero et hoc, eum corporis castigationem et vexationem nuspiam deprehendi a suis postulasse, imo abstinentiae a coniugio nominatim non admodum magnum pretium tribuisse[34]), omninoque perquam sobrie de virtute iudicasse[35]). Hanc vero hominis istius morum doctrinam cum sectatores eius perperam forsitan intellexissent, ideoque ea male vsi fuissent, non mirum esse poterit, eos vitam dici admo-

---

30) *L. L. §. 4. pag.* 101. haec eum defendisse narrans: *neque passum eum, sed Simonem quendam Cyrenaeum angariatum portasse crucem eius pro eo, et hunc secundum ignorantiam et errorem crucifixum transfiguratum ab eo, vti putaretur ipse Iesus: et ipsum autem Iesum Simonis accepisse formam et stantem irrisisse eos.*

31) Iidem nimirum, quos *not.* 27. de Saturnino laudauimus, Theodor. *haer. fabul. l.* 1. *c.* 4. *To. IV. pag.* 292. Epiph. *haer. XXIV. §.* 3. *pag.* 70. auct. adpend. libr. Tertull. *de praescr. haer. l. l. p.* 62. et Philastr. *c.* 32. *pag.* 68.

32) Quam sententiam Theodoretus saltem et auct. adpend. libr. Tertull. *ll. ll.* diserte ei tribuunt.

33) Qua de re, quae nostrae non est nunc indaginis, videnda, quae disputarunt Beausobre in *Histoire des Manich. et du Manich. To. II. p.* 24. *sq.* itemque Moshemius *l. l. pag.* 354. atque Chr. Guil. Franc. Walchius in *Histor. haer. To.* 1. *pag.* 287. *sq.* et *p.* 298. *sq.* a quorum tamen sententia ex parte saltem recessit Semlerus in *Introd. hist. ad Baumg. Polem. Vol.* 1. *pag.* 138.

34) Vt ex illo eius loco cognoscitur, quem Clemens Alex. seruauit *Strom. l. III. Vol.* 1. *p.* 508. *sqq.* edit. Pott. cuiusque mentem bene exposuit Beausobre *l. l. pag.* 43.

35) Vt docent plura illius loca ab eodem Clem. Alex. ex scriptis eius in medium prolata *Strom. l. II. n.* 20. *pag.* 488. temque *l. IV. n.* 12. *pag.* 599. *sq. et n.* 25. *pag.* 634. inque vnam summam collecta a Moshemio *l. l. pag.* 357. et Staeudlino in *Gesch. der Sittenl. Jesu. Vol. II. p.* 463.

dum flagitioſam egiſſe[36]); in qua tamen re Clemens quidem Alex.[37]) eos aperte monet a ducibus et magiſtris ſuis aberraſſe[38]): quod idem, ſi non in *Carpocrate*[39]), in *Valentino*[40]) certe et ipſum locum habuiſſe videtur. Quod ſi tamen vel maxime horum nonnulli corporis libidinibus magis indulſerint, quam eas coërcere ſtuduerint[41]); tanto certius conſtat, *Tatianum* et caeteros *Encratitas* corporis caſtigationi plurimum tribuiſſe, ideoque, vt in ſequentibus vberius a nobis demonſtra-

---

36) Quam quidem culpam diſerte in eos contulerunt Irenaeus *l. l.* §. 5. *p.* 102. Epiphan. *l. l.* §. 3. *p.* 71. Cyrill. Hieroſ. *catech. VI.* §. 17. *pag.* 97. ed. Toutt. atque Hieronym. *l. II. contr. Iouin. c.* 16.

37) *Strom. l. III.* §. 1. *pag.* 510. vbi non modo et ipſe prauam eorum vitam notat, ſed modum etiam, quo eam defendere, vel innoxiam ſaltem declarare ſtuduerint, deſcribit, dum, recitatis quibusdam Baſilidis ac diſcipuli eius, Iſidori, locis *ταύτας*, inquit, *περιθέμην τὰς φωνὰς εἰς ἔλεγχον τῶν μὴ βιώντων ὀρθῶς Βασιλειδιανῶν, ὡς ἤτοι ἐχόντων ἐξουσίαν καὶ τὸ ἁμαρτεῖν διὰ τὴν τελειότητα, ἢ πάντως γε σωθησομένων φύσει, κἂν νῦν ἁμάρτωσι, διὰ τὴν ἔμφυτον ἐκλογὴν· ἐπεὶ μηδὲ ταῦτα αὐτοῖς πράττειν συγχωροῦσιν οἱ προπάτορες τῶν δογμάτων.*

38) Cui quidem maiorem caeteris hac in re fidem habendam eſſe, iure ſuo contenderunt Beauſobre *l. l. p.* 45. et Chr. Guil. Franc. Walchius *l. l. p.* 301.

39) Huius enim diſcipuli, Epiphanis, ipſa verba quaedam ex libro eius de iuſtitia Dei ducta recitat Clemens Alex. *Strom. l. III.* §. 2. *pag.* 512. in quibus admodum peruerſas de legibus diuinis morumque ratione inſtituenda ſententias defendit, vnde profecto non poteſt ab omnibus impietatis accuſationibus, quibus plures veterum ſcriptorum eum onerarunt, liberari, quanquam nec hic deſuerunt, qui haec eius praecepta, cum non poſſent illius vere ea eſſe prorſus negare, mitigare ſaltem atque excuſare conarentur, quorum in numerum referendi inprimis ſunt Moshemius in libro, quem ſaepe iam laudauimus, *pag.* 367. *ſqq.* et Staeudlin *l. l. pag.* 467. *ſq.* quibus nec plane refragati ſunt Schroeckhius in *Chriſtl. Kircheng. Vol. II. pag.* 356. edit. 2. et Walchius in *hiſt. haer. l. l. pag.* 318. et 323. *ſq.*

40) Qua de re legenda inprimis ſunt, quae iidem, quorum honorificam modo mentionem iniecimus, Moshemius *pag.* 387. *ſq.* et Staeudlinus *l. l. pag.* 472. *ſq.* obſeruarunt.

41) Quod quomodo per illa ipſa morum praecepta, quibus iſti homines regebantur, fieri potuerit bene docuit Walchius *l. l.* 240. mireque confirmat locus Iſidori *not.* 37. laud.

bitur, non modo ab esu carnis et vini vsu, sed a coniugio etiam abstinuisse, (quam eandem abstinentiam *Marcion* quoque commendasse deprehenditur), similique modo *Montanistas* etiam ieiunia admodum frequentia celebrasse, neque minus *Manichaeos* quoque vniuersi corporis castigationem admodum seueram et latissime patentem postulasse[42]).

Hanc itaque de virtutis disciplina in corporis potissimum castigatione affectuumque cohibitione ponenda doctrinam, quae temporis deinde successu Ascetis maxime et Monachis itemque Mysticis propria haesit, ex Platonica a Christianis cum orthodoxis tum heterodoxis, philosophia susceptam esse[43]), posset quidem hoc saltem respectu cum aliqua verisimilitudinis specie defendi, quod Platonem vtique hoc a suis constat postulasse, vt mentem et animum, quantum fieri possit, a corpore auocent, et ab omnibus affectibus cupiditatibusque corporeis purgare studeant[44]). At enimuero si et hic doceri possit, Iudaeos iam ante Christi et Apostolum aetatem de virtutis cultu ita statuisse, vt eam corpore potissimum coërcendo atque castigando obtineri posse iudicarent, profecto et hanc opinionem ab his ad Christianos proxime translatam fuisse dixerimus, hisque non potuisse non tanto magis probari, quanto apertius eam cum Iesu et Apostolorum praeceptis consentire deprehenderent. Id autem vtique doceri posse, nemini profecto, qui opinionum iudaicarum vel parum peritus est, dubium esse poterit. Ut enim

---

42) Qua de re iterum legenda inprimis sunt, quae ex veterum scriptis, maximeque Augustini libr. de moribus Manich. collegit Moshemius *l. l. pag.* 848. *sq.*

43) Quod vel nostris iterum temporibus defendit Diet. Tiedemann in *Dialog. Platon. argument. p.* 23.

44) Quod praeter historiae philosophicae enarratores inprimis ostendit Io. Franc. Buddeus in *Diss. de καθαρσει Pythagoraeo-Platonica*, *Hal.* 1701. 4.

nihil iam dicamus de antiquissimo Nasiraeorum instituto[45]), qui corpore durius habendo et ab omni potu delicatiore retinendo Deo se probari sibi persuadebant, ecquem tandem Essenorum et Therapeutarum[46]), qui iam ante Iesu et Apostolorum tempora exorti fuerant, morum seueritas[47]), quam multis illi modis, inprimisque corporis castigatione, declarabant, inque summae virtutis loco ponebant[48]), lateat? aut quem Pharisaeos insignem illam, qua in gente sua, apud vulgus maxime, valebant, auctoritatem nulla alia re sibi conciliasse fugiat, quam summo, quod prae se saltem ferebant, continentiae vitaeque seuerae studio[49])? Simili vero modo etiam Philo de virtute ita statuisse deprehenditur, vt eius summam hanc esse diceret, a corpore se eiusque cupiditatibus alienare, animumque totum auertere[50]). Haec

---

45) In quo Lessius iam prima vitae monasticae vestigia sibi detexisse visus est in *Prol. super lege Mosaica de Nasiraeatu, Num. VI. prima eaque antiquissima vitae monasticae improbatione*, Goett. 1789. 4.

46) Quos et ipsos in Essenorum quidem theoreticorum numero habendos esse, post alios idoneis nuper argumentis iterum defendit Staeudlin. *l. l. Vol.* 1. *pag.* 474. *sq.*

47) Quam diserte iis tribuit Iosephus *de bell. iud. l. II. c.* 8. *§.* 2. vbi eorum sectam *σεμνότητα* dicit *ἀσκεῖν*.

48) Quod idem Iosephus *l. l.* his verbis tradit: *ἔτοι τὰς μὲν ἡδονὰς ὡς κακίαν ἀποστρέφονται, τὴν δὲ ἐγκράτειαν καὶ τὸ μὴ τοῖς πάθεσιν ὑποπίπτειν, ἀρετὴν ὑπολαμβάνουσι.*

49) De quo non modo plura Euangelistarum loca testantur, sed Iosephus etiam loquitur, dum *Antiqq. iud. l. XVIII. c.* 1, *§.* 5. *οἱ τε φαρισαῖοι*, inquit, *τὴν δίαιταν ἐξεντελίζεσιν, ὁδὸν εἰς τὸ μαλακώτερον ἐνδιδόντες.*

50) In cuius rei testimonium duos potissimum eius locos commemorasse sufficiat, quorum alter legitur *lib.* 1 *Alleg. leg. Opp. Vol.* 1. *pag.* 178. *sq.* edit. Pfeiff. vbi *εἰς ἀρετῆς*, inquit, *ἀνάληψιν τε καὶ χρῆσιν ἑνὸς μόνου δεῖται τοῦ λογισμοῦ. τὸ δὲ σῶμα ἐκ δίου ἐ συνεργεῖ πρὸς τοῦτο. ἀλλὰ καὶ κωλυσιεργεῖ· σχεδὸν γὰρ σοφίας ἔργον τοῦτ' ἐστιν, ἀλλοτριοῦσθαι πρὸς τὸ σῶμα καὶ τὰς ἐπιθυμίας αὐτοῦ*, alter vero in *libr. de migrat. Abrah. Vol. III. p.* 412. occurrit inque verbis Gen. XII, 1. sq. allegorice interpretandis versatur, haecque de iis monet: *ὡς μὲν τοίνυν γῆν μὲν τὸ σῶμα καλεῖ, συγγένειαν δὲ τὴν αἴσθησιν, οἶκον δὲ πατρὸς τὸν λόγον,*

igitur cum Iudaei iam defenderent, profecto non mirum esse poterit, eadem post Christianis etiam probata fuisse, praesertim cum haec ipsa Iesum quoque eiusque Apostolos defendisse sibi persuasissent. Neque enim in Iesu praeceptis de sui abnegatione colenda carneque crucifigenda, itemque Pauli ad Rom. VI, 12. VIII, 12. Col. III, 5. aliisque pluribus huius generis dictis quicquam aliud, quam hanc ipsam virtutis sibi comparandae disciplinam sibi reperire videbantur[51]); cumque hinc eam hac ipsa Iesu et Apostolorum auctoritate confirmatam esse statuerent, non poterant profecto non eam in ipsius religionis suae capitum numero ponere[52]). Vnde non modo in vniuersum suum ipsi calculum adiecisse, sed singula etiam continentiae, quae ista virtutis disciplina postulabat, genera probasse atque commendasse reperiuntur: id quod in proximis, si quidem Deo ita placuerit, commentationibus pluribus sumus demonstraturi.

δεδηλώκαμεν τὸ δὲ Ἄπελθε ἐκ τέτων, ἐκ ἔσθ' ὅμοιον τῷ διαζεύχθητι κατὰ τὴν ἐσίαν· ἐπεὶ θάνατον ἦν διαγορεύοντος ἡ πρόσταξις· ἀλλ' ἴσον τῷ τὴν γνώμην ἀλλοτριώθητι, πρὸς μηδενὸς περισχεθεὶς ἀντῶν· ὑπεράνω ςῆθι πάντων· ὑπήκοοί σε ἐισι, μηδέποτε ὡς ἡγεμόσι χρῶ· βασιλεὺς ὢν ἄρχειν ἀλλὰ μὴ ἄρχεσθαι πεπαίδευσο· — Ἄπελθε οὖν ἐκ τε περὶ σεαυτὸν γεώδες, τὸ παμμίαρον, ᾧ οὕτως ἐκφυγὼν δεσμωτήριον, τὸ σῶμα, καὶ τὰς ὥσπερ εἱρκτοφύλακας ἡδονὰς καὶ ἐπιθυμίας ἀντε, παντὶ σθένει καὶ πάσῃ δυνάμει μηδὲν τῶν εἰς κάκωσιν παρεὶς, ἀλλὰ πάντα ἀθρόα συλλήβδην ἐπανατεινάμενος.

51) Id quod multa eorum loca in superiori Comment. a nobis allata testantur, in quibus haec ipsa librorum N. T. dicta in huius sententiae suae confirmationem laudasse reperiuntur.

52) Qua eadem via eos in huius doctrinae defensionem deductos fuisse statuerunt etiam Planckius in *Einleit. in die theol. Wissensch. Vol. II. p.* 569. itemque auctor anonymus libri sic inscripti: *Versuch einer Gesch. der christl. Moral Ascet. und Myst. Vol.* 1. *pag.* 155. *sq.*

Cap. V.

Sect. 3. De moderatione in cibis ſumendis et prudentia in eorum delectu inſtituendo.

(Comment. XIX.)

Quam in duobus ſuperioribus libellis, ante hos octo annos in lucem emiſſis, veteris eccleſiae doctores commendaſſe oſtendimus virtutis diſciplinam in corporis potiſſimum caſtigatione et affectuum cohibitione ponendam; eam primum omnium in alimentis corpori vel praebendis, vel denegandis conſpicuam fieri debere illos voluiſſe, ſponte profecto poteſt intelligi, cum corporis quidem conditio, quam ſummam illi ad virtutem vim habere ſtatuerunt, a nulla re magis ſit ſuſpenſa, quam ab iis, quibus alitur atque nutritur, eiusque vigor ac robur ſuſtentatur. Hinc cum in cibis ſumendis moderationem inque eorum delectu habendo prudentiam, tum vero etiam omnium ciborum per certum aliquod tempus abſtinentiam ab omnibus, qui in virtutis ſtudio proficere vellent, poſtulaſſe reperiuntur.

Et moderationem quidem, quam in cibis ſumendis adhiberi voluerunt, his potiſſimum limitibus circumſcribendam iudicarunt, vt vſus eorum in ſola corporis neceſſitate ſubſiſtere debeat, ideoque non modo omnem in iis appetendis auiditatem atque voracitatem propter incommoda animo inde metuenda vitare iuſſerunt, ſed voluptati etiam in iis adhibendis quicquam dare turpe et prauum habuerunt, hincque nec niſi ſimplicem eorum apparatum probarunt. Hanc enim ciborum ſumendorum regulam plures cum graecae tum latinae eccleſiae doctores, nominatim Clemens Alex.[1]), Origе-

1) *Paedag. l. II. cap.* 1. *et* 2. in quibus ex profeſſo, vt aiunt, ea de re diſputat, priore quidem capite oſtendens, quomodo circa alimenta verſari oporteat hominem chriſtianum, poſte-

nes[2]), Cyrillus Hierosolym.[3]), Basilius M.[4]),

---

riore autem, quomodo in potu sumendo gerere se debeat, summamque in vtroque moderationem suadet, non viuendum esse monens, vt comedamus, sed comedendum, vt viuamus, tumque, ἐκ δυοῖν, addens, τὸ ζῆν τοῦτο, ὑγιείας τε καὶ ἰσχύος σύγκειται· οἷς μάλιστα κατάλληλον τῆς τροφῆς τὸ εὔκολον. Tum huc etiam pertinet locus *Strom. l. VI.* §. 9. *Tom.* 1. *Opp. pag.* 779. edit. Potter. vbi de gnostico suo haec habet: διαίτῃ λιτῇ καὶ αὐταρκίᾳ συνειθισμένος, σωφρόνικος, ἐυσαλής, μετὰ σεμνότητος ὑπάρχει, ὀλίγων τῶν ἀναγκαίων πρὸς τὸ διαζῆν δεόμενος· μηδὲν περιττὸν πραγματευόμενος· ἀλλὰ μηδὲ ταῦτα ὡς προηγούμενα, ἐκ τε τῆς κατὰ τὸν βίον κοινωνίας, ὡς ἀναγκαῖα τῇ τῆς σαρκὸς ἐπιδημίᾳ, εἰς ὅσον ἀνάγκη, προσιέμενος.

2) *Comment. in epist. ad Rom. l. IX. §.* 42. *Opp. To. IV. pag.* 666. edit. de la Rue, *Vera*, inquiens, *obseruantia est, vbi ita sumitur cibus, et ita aguntur omnia, vt non de talibus dicatur:* quorum Deus venter est. *Abstinere enim conuenit ab omni cibo, quem concupiscentia et libido praesumit, quem deliciae parant, quem luxus excogitat. Videndum namque est non solum quali, sed et quanto cibo, et quo in tempore, et quam parco vtamur.* Similia leguntur etiam *lib. VIII. contr. Cels. §.* 30. *To.* 1. *pag.* 763. e quo loco et ipso intelligitur, eum quemlibet cibi vsum damnasse, qui non ex consilio sanitati corporis eiusque curationi consulendi proficiscatur, et ad quem vel gulae vel voluptatis studium hominem compellat.

3) *Homil. in paralyt. ad piscin. §.* 18. *pag.* 344. *Opp.* edit. Toutt. vbi in loco Rom. VIII., 5. explicando et ad vsum practicum transferendo versans, ὁ γὰρ, inquit βέλεται ἡμᾶς ὁ ἀπόστολος τελείως ἑαυτὸς ἐξαγαγόντας ἐκ τοῦ κόσμου μὴ ἐργάζεσθαι φαύλων· ἀλλ᾽ ἐν σαρκὶ ὄντας ἡμᾶς καταδελῶσαι τὴν σάρκα καὶ μὴ ἄρχεσθαι ὑπ᾽ αὐτῆς· μὴ δελωθῶμεν, ἀλλ᾽ ἄρξωμεν· τροφῇ χρησώμεθα συμμέτρῳ, μὴ τῇ γαστριμαργίᾳ καταφερόμενοι, ἀλλὰ χαλινοῦντες τὴν γαστέρα, ἵνα καὶ τῶν ὑπὸ γαστέρα ἄρξωμεν.

4) Apud quem plura eam in rem praecepta et sententiae admodum graues occurrunt, qualis legitur v. c. in *Homil. in Ps. XXXII.* §. 6. *Opp. To.* 1. *pag.* 130. edit. Garn. vbi τί περιέπεις, inquit, τὸ μικρὸν ὕστερον φθαρησόμενον; τί καταπιαίνεις σεαυτὸν καὶ περισαρκοῖς; ἢ ἀγνοεῖς ὅτι ὅσῳ παχυτέραν τὴν σάρκα σεαυτῷ ποιεῖς, τοσούτῳ βαρύτερον τῇ ψυχῇ κατασκευάζεις τὸ δεσμωτήριον; Similes reperiuntur etiam in *Comment. in Es. cap.* 1. §. 31. *To.* 1. *pag.* 404. itemque in *Constit. monast. cap. VI. §.* 4. *To. II. pag.* 552. atque in *epist. XXII.* §. 1. *To. III. pag.* 99. vbi haec sunt verba eius: ὅτι οὐ δεῖ οἴνῳ δεδελῶσθαι· οὔτε περὶ κρέας ἐμπαθῶς ἔχειν· καὶ καθόλου περὶ ἐδέν βρῶμα ἢ πόμα φιλήδονον εἶναι. ὁ γὰρ ἀγωνιζόμενος πάντα ἐγκρατεύεται, et paulo post §. 3. *pag.* 101. haec habet: ὅτι ὁ δεῖ ἀπατᾶσθαι χορτασίᾳ κοιλίας, δι᾽ ἧς γίνονται φαντασίαι νυκτεριναὶ. Praeterea vero sunt etiam loca, in quibus consulto ea de re praecipit, quo pertinet v. c. *regul. fus. tract. interrog. XIX. To. II. pag.* 362.

Chryſoſtomus[5]), Cyrillus Alex.[6]), Hieronymus[7]), Ambroſius[8]), Auguſtinus[9]), atque

---

in qua continentiae modum pluribus deſcribit, docetque in cibis ſumendis neglecta omni ſuauitate hunc vnum ſcopum eſſe perſequendum, vt neceſſitati ſatisfiat, itemque *regul. brev. tract. interr. LXXI. ib. pag.* 440. qua eos, qui in cibis appetendis ſuavitatem magis, quam copiam conſectentur, perinde dicit aegrotare, atque illos, qui copiam magis, quam ſuauitatem ſatietatis cauſa exoptent, hincque poſt *interrog. CXXVI. pag.* 458. docet etiam, quam rationem quis ingredi debeat, quo minus ab eduliorum voluptate capiatur.

5) Qui in *Homil. IV. de ieiun. et temper. Opp. To. VI. pag.* 594. edit. Duc. ſimillima habet iis, quae ex Clemente Al. laudauimus *not.* 1. *τοσοῦτον τοίνυν*, inquiens, *ἑαυτὸς ἐθίσωμεν ἐσθίειν, ὅσον πρὸς τὸ ζῆν μόνον, ἐκ ὅσον διασπᾶσθαι καὶ βαρύνεσθαι· ἐ γὰρ διὰ τοῦτο ἐγενόμεθα καὶ ζῶμεν, ἵνα φάγωμεν καὶ πίωμεν, ἀλλὰ διὰ τοῦτο ἐσθίομεν, ἵνα ζῶμεν. ἐ γὰρ τὸ ζῆν διὰ τὸ φαγεῖν, ἀλλὰ διὰ τὸ ζῆν τὸ φαγεῖν γέγονεν ἐξ ἀρχῆς· πρὸς χρείαν, ἀδελφοὶ, ἐ πρὸς ἡδονὴν ἡ ζωὴ συμμέτρηται· τὸ ἓν περιττὸν τῆς φύσεως ἀποθέμενοι, τὸ ἀναγκαῖον μόνον ἀσπασώμεθα.* Cur autem in iis, quae neceſſaria ſint, acquieſcere debeant, in *Orat. in ſacr. Paſch. ibid. pag.* 541. his verbis docet: *τί γὰρ ὄφελος, εἶπε μοι, ὑπὲρ τὴν χρείαν διαῤῥηῦσθαι, καὶ τὴν συμμετρίαν ὑπερβαίνειν; τοῦτο καὶ τὸ σῶμα λυμαίνεται, καὶ τῆς ψυχῆς τὴν ἐυγένειαν προδίδωσιν· ἀλλὰ τῆς ἀυταρκείας καὶ τῆς χρείας γενώμεθα, ἵνα καὶ ψυχῇ καὶ σώματι τὸ προσῆκον ἀποπληρώσωμεν.*

6) *Homil. IX. de feſt. paſch. Opp. To. V. P. II. pag.* 129. edit. Aub. haec monens auditores ſuos: *ὀλιγοσιτίαις μὲν σωφρόνως ἀρκέμενοι, καὶ ἀκαρνκεύτου περιεργίας ἐλευθέραν τῶν ἐδωδίμων τηροῦντες τὴν μέθεξιν, ἵνα καὶ τὸν τῆς διανοίας ἀπολεπτύνομεν ὀφθαλμὸν*, itemque *lib. VII. contr. Iulian. To. VI. pag.* 242. de Chriſtianis haec tradens: *ὡς βέβηλον δὲ παραιτέμεθα τῶν ὄψων ἐδὲν, κατεννάζοντες δὲ ταῖς ἐπιεικείαις τὰς σωματικὰς ἡδονὰς, καὶ τὸ τῆς φιλοσαρκίας ἀπαμβλυνόντες κέντρον ὀλιγοσιτεῖν εἰθίσμεθα, καὶ τὸ τρυφᾶν ὅλως ἐ τῶν ἀρίζων εἶναι φαμὲν.*

7) In *epiſt. II. ad Nepotian. de vit. cleric. Opp. To. I. pag.* 11. edit. Frft. 1684. eos, qui ab aqua et pane abhorreant his verbis taxans: *Audio quosdam contra rerum hominumque naturam aquam non bibere, nec veſci pane, ſed ſorbitiunculas delicatas et contrita olera betarumque ſuccum non calice ſorbere, ſed concha. Proh pudor non erubeſcimus iſtiusmodi ineptiis, nec taedet ſuperſtitionis? Inſuper etiam famam abſtinentiae in deliciis quaerimus. Fortiſſimum ieiunium eſt, aqua et panis. Sed quia gloriam non habet, et omnes pane et aqua viuimus, quaſi publicum et commune, ieiunium non putant;* atque *lib. II. adv. Iovin. To. II. pag.* 54. contra eos, qui ciborum copiam virtutis ſtudio non obeſſe exiſtiment, ita diſputans: *Quod ſi quis exiſtimat et abundantia ciborum potionumque ſe*

Gregorius M.[10]), diſerte ſcripſerunt, aliisque eam

---

perfrui et vacare poſſe ſapientiae, hoc eſt et verſari in deliciis et deliciarum vitiis non teneri, ſe ipſum decipit. Cum enim procul ab his remoti ſaepe capiamur naturae illecebris, et cogamur ea cupere, quorum copiam non habemus, quanto magis, ſi circumdati retibus voluptatum, eſſe nos liberos arbitremur? pauloque poſt haec addens: *Adeſſe ergo debet ratio, vt tales ac tantas ſumamus eſcas, quibus non oneretur corpus, nec libertas animae praegrauetur: quia et comedendum eſt et deambulandum et dormiendum, et poſtea, inflatis venis, incentiua libidinum ſuſtinenda. — Ne tales accipiamus cibos, quos aut difficulter digerere, aut comeſos, magno partos et perditos labore doleamus. Holerum, pomorum ac leguminum et facilior apparatus eſt, et arte impendiisque cocorum non indiget, et ſine cura ſuſtentat humanum corpus, moderate ſumtus, (quia nec auide deuoratur, quod irritamenta gulae non habet), leuiori digeſtione concoquitur.*

8) *Hexaem. lib. III. cap. VII. Opp. To. I. pag.* 43. edit. Bened. vbi de eo loquens, quod prius pecori pabulum, quam homini cibus a Deo fuerit creatus, id ideo dicit factum eſſe, *quia*, quae ſunt verba eius, *ſimplicem victum et naturalem cibum reliquis cibis debuit anteferre. Hic enim ſobrietatis eſt cibus, reliqui deliciarum atque luxuriae: hic communis omnibus animantibus cibus, ille paucorum. Exemplum itaque frugalitatis, magiſterium parſimoniae, herbae ſimplicis victu olerisque vilis aut pomi contentos eſſe omnes oportere, quem natura obtulit, quem liberalitas Dei prima donauit*, etc.

9) Qui *contr. Fauſt. lib. XXII. c. 4. Opp. To. VIII. pag.* 386. edit. Bened. Venet. cibi et potus conſilium non niſi ad ſanitatem conſervandam ſpectare defendit, *nam et hanc*, (ebrietatem), inquiens, *lex aeterna condemnat; quia cibum et potum ad ordinem naturalem non niſi gratia conſeruandae ſalutis admittit;* ideoque etiam in vtriusque appetitione non vltra hunc naturalem neceſſitatis ordinem progredi vult, atque ſi fiat, libidinis id eſſe defendit *lib. IV. contr. Iulian. Pelag. §.* 67. *To. X. pag.* 616. in hunc modum diſputans: *Cum ergo natura quodam modo poſcit ſupplementa quae deſunt, non vocatur libido, ſed fames aut ſitis: cum vero ſuppleta neceſſitate amore edendi animum ſollicitat; iam libido eſt, iam malum eſt, cui cedendum non eſt, ſed reſiſtendum;* hincque ante iam *lib. III. §.* 41. *pag.* 572. ſummam iii vtriusque vſu parſimoniam commendauerat his verbis: *Qua* (creatura panis et vini) *ideo parcius et reſtrictius eſt vtendum, ne ipſa quoque concupiſcentia, quod malum intus ac noſtrum eſt, mentem corruptibili corpore ex abundantiore materia multo amplius aggrauante, aduerſus nos vehementius et inuictius concitetur.* Hanc igitur parſimoniae legem ſemet ipſum ſibi etiam ſcripſiſſe teſtatur *Confeſſ. lib. X. cap.* 31. *To.* 1. *pag.* 185. *Nunc autem*, inquiens, *ſuauis mihi eſt iſta neceſſitas*, (reficiendi quotidianas ruinas corporis edendo et bibendo), *et aduerſus iſtam ſuauitatem pugno, ne capiar;*

vita exprimendam commendarunt, ita tamen, vt eorum nonnulli certe non omnibus omnino ciborum deliciis iis interdictum vellent, ſed nimiam tantum et frequentem earum appetitionem improbarent[11]).

---

et quotidianum bellum gero in ieiuniis ſaepius in ſeruitudinem redigens corpus meum. Sed mox tamen addit, ſibi in hoc ipſo ſtudio ſaepe *concupiſcentiae laqueum inſidiari*, doletque ſe ab hac concupiſcentia nonnunquam tamen ſuperari, licet quotidie adverſus eam certet, his verbis vſus, §. 47. *Quis eſt, Domine, qui non rapitur aliquantulum extra metas neceſſitatis. Quisquis eſt, magnus eſt, magnificet nomen tuum. Ego autem non ſum, quia peccator homo ſum:* ſimilique modo et ante §. 45. dixerat iam: *ebrietas longe eſt a me: miſereberis, ne appropinquet mihi. Crapula autem nonnunquam ſubrepit ſeruo tuo: miſereberis, vt longe fiat a me.*

10) In *Ezech. lib. II. hom. VII.* §. 19. *Opp. To.* 1. *pag.* 1388. edit. Bened. vbi de ciborum iuſto modo obſeruando haec habet: *Et caro nobis aliquando adiutrix eſt in bono opere, aliquando autem ſeductrix in malo. Si igitur ei plus, quam debemus, tribuimus, hoſtem nutrimus. Et ſi neceſſitati eius, quae debemus, non reddimus, eiuem necamus. Satianda itaque eſt caro, ſed ad hoc vsque, vt in bono nobis opere famulari ſufficiat. Nam quisquis ei tantum tribuit, vt ſuperbiat, ſatiari penitus ignorat. Ars itaque magna eſt ſatiari, ne vnusquisque per ſatietatem carnis ad iniquitatem prorumpat turpitudinis* etc.

11) Quibus nos quidem annumerandos potiſſimum deprehendimus *Clementem Alex.* qui, quanquam in loco Paedag. *not.* 1. laud. non niſi parco et viliori cibo vtendum eſſe monet, tamen *cap.* 1. *pag.* 169. *μὴ γὰρ*, inquit, *ἀφαιρῶμεν τὴν συμπεριφορὰν· ἀλλὰ τὸν ὄλισθον τῆς συνηθείας, ὡς συμφορὰν ὑποπτεύομεν· διὸ παραιτητέον τὴν λειχνείαν, ὀλίγων τινῶν καὶ ἀναγκαίων μεταλαμβάνοντας*: itemque *Chryſoſtomum*, qui poſt verba ex *Orat. in ſacr. paſch.* ſupra *not.* 5. laudata, haec ſubiungit: *μὴ γὰρ κολύω ἀπολαύειν τροφῆς καὶ ἀνίεσθαι· ὁ κολύω τοῦτο, ἀλλὰ παραινῶ τῆς χρείας γίνεσθαι, καὶ τὴν πολλὴν τροφὴν ἐκκόπτειν, καὶ μὴ τὸ μέτρον ὑπερβαίνοντας, λυμαίνεσθαι τῆς ψυχῆς τὴν ὑγείαν· οὐδὲ γὰρ ἡδονῆς λοιπὸν ἀπολαύσεται ὁ τοιοῦτος ὑπερβὰς τῆς χρείας τοὺς ὅρους·* atque *Auguſtinum*, qui cum probe ſciret, ipſam naturam poſtulare, vt cum ciborum vſu ſuauitas quaedam ſit coniuncta, id ipſum tradit in loco eum, quem ex *libr. IV. contr. Iulian. Pelag. not.* 9. attulimus, praecedenti, his verbis vſus: *Alimentorum ſuſtentaculis indigemus: ſi ſuauia non ſint, quae ore ſumuntur, nec ſumi poſſunt, et nauſeando ſaepe reſpuuntur, et perniciosa ſunt cauenda faſtidia: non ſolum ergo cibo, ſed etiam cibi ſapore indiget infirmitas corporis noſtri, non propter exſaturandam libidinem, ſed propter tuendam ſalutem;* ideoque etiam in *Serm. LXI. de verb. euang. Matth. VII.* §. 12. *To. V*

Quod vero ciborum delectum attinet, omnes fere, Iesu et Apostolorum institutionem atque exemplum secuti, constanter defenderunt, nullum cibum ab homine christiano impurum aut illicitum esse iudicandum, ideoque nonnullorum a quibusdam abstinentiam tanquam superstitiosam reprehenderunt atque oppugnarunt[12]); at nihilominus tamen aliis de causis eorum delectum quendam habendum esse statuerunt, ad ipsam ciborum conditionem atque indolem, et, quam in corpus atque animum hominis habeant, vim potissimum referendum, ita quidem, vt illos maxime cibos eligi vellent, a quibus neque corpori neque animo quicquam damni fit metuendum, sed vtriusque potius sanitati bene sperandum:

P. I. p. 356. haec monet: *Neque ita hoc dixi, vt diuites cogam epulis et cibis pauperum vesci. Viantur diuites consuetudine infirmitatis suae: sed doleant, aliter se non posse.* Contra vero *Gregorius Nyssen.* tam morosus fuit, vt omnem ciborum voluptatem sperni atque vel eam etiam, quae per ipsam rei naturam cum illorum vsu coniuncta est, posthaberi vellet, ideoque in libr. *de Virgin. cap.* 21. *Opp. To. III. pag.* 170. edit. Morell. hanc moderandae vitae rationis regulam scripsit: *μήποτε προσθέσθαι τινὶ κατὰ ψυχὴν, ᾧ δέλεαρ τι ἡδονῆς καταμέμικται· πρόγε πάντων τὴν ἐπὶ τῆς γεύσεως ἡδονὴν διαφερόντως φυλάσσειν*, et paulo post haec addidit: *ὡς ἂν ἧν μάλιστα γαληνιαῖον ἡμῖν διαμένοι τὸ σῶμα, μηδενὶ τῶν ἐκ τοῦ κόρου παθημάτων ἐπιθολούμενον, προνοητέον τῆς ἐγκρατεστέρας διαγωγῆς, μέτρον μὲν καὶ ὅρον τῆς ἀπολαύσεως ἐ τὴν ἡδονὴν, ἀλλὰ τὴν ἐφ' ἑκάστῳ χρείαν ὁρίζειν· εἰ δὲ τῇ χρείᾳ καὶ τὸ ἥδος πολλάκις συγκαταμέμικται· πάντα γὰρ οἶδεν ἐφηδύνειν ἡ ἔνδεια, τῷ σφοδρῷ τῆς ὀρέξεως τὸ πᾶν χρείᾳ παρευρεθὲν ἅπαν καταγλυκαίνουσα· ἐκ ἀπωστέον τὴν χρείαν διὰ τὴν ἐπακολουθοῦσαν ἀπόλαυσιν· ἔτε μὴν κατὰ προηγούμενον μεταδιωκτέον τὴν ἡδονὴν· ἀλλ' ἐκ πάντων ἐκλεγομένους τὸ χρήσιμον, ὑπερορᾶν προσήκει τοῦ τὰς αἰσθήσεις εὐφραίνοντος.*

12) Quod haec v. c. loca eorum testantur: Clem. Alex. *Paedag. lib. II. cap.* 1. *To. I. pag.* 175. et *Strom. lib. III. §.* 6. *To. I. pag.* 535. seq. Origen. *Comment. in epist. ad Rom. lib. IX. §.* 42. *To. IV, p.* 665. itemque *lib. X. §.* 3. *pag.* 668. sq. Cyrill. Hierosol. *catech. IV. de dec. dogm. c.* 27. *pag.* 65. Epiphan. *haer. XXX. §.* 22. *To. I. Opp. pag.* 147. edit. Petav. Augustin. *lib. I. de morib. eccles. cath. §.* 71. sq. *To. I. pag.* 711. sq.

quam in rem apud Clementem Alex.[13]) potiſſimum, Baſilium M.[14]) et Gregorium M.[15]) plura eaque ſat ampla praecepta occurrunt, a reliquis vero nonnulla ſparſim monentur[16]). Inprimis vero de carnium eſu admodum ſolliciti fuerunt, inque eo vel admittendo vel reiiciendo in varias ſententias abierunt. Quamquam enim catholica quidem eccleſia iis haereticorum[17]), qui

---

13) In illo nominatim, quod ſupr. *not.* 1. iam commemorauimus, *cap.* 1. *lib. II. Paedag.* in quo de hoc ciborum delectu vberius diſputat, poſtulatque, vt neque nimis varii cibi ſumantur, neque delicatiores et pretioſi aut ex remotis regionibus allati, vel eiusmodi, qui ſenſus titillent et ad voluptatem incitent, vel etiam non eſurientes comedere cogant, appetitiones eorum veluti praeſtigiis quibusdam fallentes, ſed adhibeantur potius viliores et paratiores, quibus ſtatim et vel absque igne vti liceat.

14) In *regul. fuſ. tract. interrog. XIX. §.* 2. *To. II. pag.* 363. vbi ſimillima occurrunt iis, quae leguntur apud Clement. Alex. *l. l.* hisque reſpondent etiam ea, quae in libr. *de virgin.* falſo ipſi tributo traduntur *§.* 8. *To. III. pag.* 596.

15) *Moral. l. XXX. in cap. XXXIX. Iob. §.* 60. *ſq. To. I. pag.* 983. vbi haec primum tradit de diuerſis modis, quibus gulae vitium homines tentet: *Aliquando namque indigentiae tempora praeuenit: aliquando vero tempus non praeuenit, ſed cibos lautiores quaerit: aliquando quaelibet, quae ſumenda ſint, praeparari accuratius expetit, aliquando autem et qualitati ciborum et tempori congruit, ſed in ipſa quantitate ſumendi menſuram moderatae refectionis excedit. Nonnunquam vero et obiectius eſt, quod deſiderat: et tamen ipſo aeſtu immenſi deſiderii deterius peccat:* tumque quomodo culibet eorum ſit occurrendum pluribus exponit.

16) Quale praeter ea, quae ex Hieronymo iam attulimus *not.* 7. eſt v. c. illud, quod legitur apud Ambroſ. *lib. II. de virg. cap.* 2. *To. II. pag.* 176. *eſcis omnibus, quae calorem gignant membris parce vtendum eſſe.*

17) Quos inter apud veteres quidem haereſiologos nominatim commemorantur Ebionitae, Marcionitae, Tatiani cum reliquis Encratitis, Manichaei, Euſthatiani, Priſcillianiſtae, Patriciani et Aëriani, licet non ab omnibus haereſium enarratoribus haec ſententia ſingulis tribuatur, ſed nonnullis ab vno tantum alteroue ea adſcribatur, cuius generis quid obſeruatum iam eſt Auguſtino in libr. *de haereſ. cap.* 53. *To. VIII. pag.* 18. de Aërianis haec ſcribenti: *Ab eſca tamen carnium non eos abſtineri dicit Epiphanius: Philaſter vero et hanc eis tribuit abſtinentiam.* Utrum vero cum his, tum caeteris recte an ſecus ea fuerit tributa, non eſt huius loci pluribus quaerere. Montaniſtas certe non perpetuam, ſed ieiuniorum tantum temporibus adſtrictam carnis abſtinentiam

earum vſum variis de cauſis[18]) improbarent penitusque reiicerent, ita repugnauit, vt et hanc eorum ſententiam haereticis annumeraret; tamen inter ipſos etiam illius eccleſiae doctores nonnulli fuerunt, qui vel et ipſi eum auerſarentur, vel ab illo ſaltem eſſent alienióres. His vero e Graecis quidem vnus tantum Clemens Alex. eſt annumerandus. Huic enim quanquam carnium vſus non adeo damnabilis viſus eſt, vt eum nunquam absque peccato admitti poſſe ſtatueret, tam parum tamen ille placuit, vt non modo carnem edere ferarum eſſe diceret[19]), ſed illius eſu hominis etiam animam putaret

---

poſtulaſſe perſpicue docet Tertullianus. ipſe Montaniſta, in libr. *de ieiun. adv. pſych. cap.* 15. *Opp. To. II. pag.* 418. edit. Seml. vbi haec ſunt verba eius: *Reprobat etiam* (Apoſtolus) *illos, qui iubeant cibis abſtinere, ſed de prouidentia Spiritus ſanctus* (ſancti) *praedamnans iam haereticos perpetuam abſtinentiam praecepturos ad deſtruenda et deſpicienda opera creatoris: quales inueniam apud Marcionem, apud Tatianum, apud Iouem hodiernum de Pythagora haereticum, non apud paracletum. Quantula eſt enim apud nos interdictio ciborum? duas in anno hebdomadas xerophagiarum, nec totas, exceptis ſcilicet ſabbatis et dominicis, offerimus deo, abſtinentes ab eis, quae non reiicimus, ſed differimus.*

18) Ebionitae v. c. teſte Epiph. *haer. XXX,* §. 15. *To. I. pag.* 139. *διὰ τὸ ἐκ συνουσίας καὶ μίξεως σωμάτων εἶναι αὐτά,* Encratitae vero eodem Epiphanio teſte *haer. XLVII,* §. 1. *pag.* 400. *κατὰ φύβον καὶ ἰνδαλμὸν τοῦ μὴ καταδικασθῆναι ἀπὸ τῆς τῶν ἐμψύχων μεταλήψεως*, quod ipſum ſtatuiſſe etiam videtur Marcion, quem idem Epiph. *haer. XLII. To. I. pag.* 330. narrat docere *ἐμψύχων μὴ μεταλάμβανειν, φάσκοντα ἐνόχους εἶναι τῇ κρίσει τοὺς τῶν κρεῶν μεταλήπτορας, ὡς ἂν ψυχὰς ἐσθίοντας*, qui Epiphanii locus commode profecto laudatus eſt ad ſimillimum locum *Conſtitutt. Apoſt. libr. VI. cap.* 10. *in* edit. PP. App. Coteler. *To. I. pag.* 342. et ipſum non parum ſane facientem ad illorum hominum ſententiam apertius declarandam, cum et hic ſermo ſit de haereticis, qui iubeant *κρεῶν ἀπέχεσθαι, ἐχ ὡς ἀλόγων ζώων, ἀλλ' ὡς λογικὴν ἐχόντων ψυχὴν, καὶ φόνου δίκην εἰσπράσσεσθαι μέλλοντων τῶν ταῦτα κατατολμώντων σφάζειν.* Manichaei contra et Patriciani, narrante quidem Auguſtino libr. *de haer. cap.* 61. et in pluribus libris contra Manichaeos ſcriptis, propterea a carnibus abſtinuerunt, quoniam non a Deo, ſed diabolo carnem conditam putarunt.

19) In loco *Paed. libr. II. cap.* 1. ſaepius iam laud. vbi de notiſſimo Pauli dicto Rom. XIV., 21. *καλὸν μὲν ἓν τὸ μὴ φαγεῖν κρέα, μηδὲ οἶνον πιεῖν*, diſputans *pag.* 170. diſerte dicit *θηρίων*

onerari[20]), eumque ad corporis quoque luxuriem facere[21]) defenderet. Quod autem latinae ecclesiae Patres attinet, Tertullianum primum carnium abstinentiam ieiuniorum saltem temporibus necessariam iudicasse, et officii nomine postulasse[22]), non est profecto, quod

---

γὰρ μᾶλλον τοῦτο γε, simul vero haec addit: εἰ δὲ τις καὶ τούτων μεταλαμβάνει, οὐχ ἁμαρτάνει· μόνον ἐγκρατῶς μετεχέτω· μὴ ἐξεχόμενος, μηδὲ ἀπηρτημένος αὐτῶν, μηδὲ ἐπιλαιμαργῶν τῷ ὄψῳ.

20) *Strom. l. VII. §. 6. To. II. pag.* 849. vbi εἰ δὲ τις, inquit, τῶν δικαίων ὐκ ἐπιφορτίζει τῇ τῶν κρεῶν βρώσει τὴν ψυχὴν, λόγῳ τινὶ εὐλόγῳ χρῆται. Quaenam vero sit illa idonea ratio et vnde oriatur istud animi onus, optime videtur intelligi posse ex iis, quae *pag. seq.* in eandem rem disputat, vbi de carnium esu, quem hominibus paulo ante non in omnibus saltem animalibus, sed ἀέργοις tantum concessum esse dixerat, haec habet: διὸ τοῖς μὲν ἀσκοῦσι τὸ σῶμα, χρησιμεύει· τοῖς δὲ αὐτὴν τὴν ψυχὴν αὔξειν ἐπιχειροῦσι, διὰ τὴν νωθρίαν τὴν ἀπὸ τῆς κρεοφαγίας ἐγγινομένην, ὐκ ἔτι.

21) *L. L. pag.* 850. vbi post verba, quae modo exhibuimus, haec statim subiiciuntur: τάχ᾽ ἄν τις τῶν γνωσικῶν καὶ ἀσκήσεως χάριν σαρκοφαγίας ἀπόσχοιτο, καὶ τοῦ μὴ σφριγᾶν περὶ τὰ ἀφροδίσια τὴν σάρκα.

22) Id vero eum cum partium suarum sectatoribus vtique fecisse, luculenter cognoscitur ex libr. *de ieiun. cap. 2. To. II. pag.* 392. vbi psychicos vel Catholicos de sua caeterorumque Montanistarum xerophagiae necessitatem per ieiuniorum tempus defendentium doctrina ita statuere narrat: *Xerophagias vero nouum affectati* officii *nomen et proximum ethnicae superstitioni, quales castimoniae Apim, Isidem et magnam matrem certorum eduliorum exceptione purificant, cum fides libera in Christo ne Iudaicae quidem legi abstinentiam quorundam ciborum debeat; semel in totum macellum ab Apostolo admissa detestatore eorum, qui sicut nubere prohibeant, ita iubeant cibis abstinere a Deo conditis: et ideo nos esse iam tum praenotatos in nouissimis temporibus abscedentes a fide, intendentes spiritibus, mundi seductoribus, doctrinis mendaciloquorum, inustam habentes conscientiam;* de quo loco quae conferantur dignissima profecto sunt, quae disputauit Io. Dallaeus in libr. *de ieiuniis et quadragesima, cap. VI. pag.* 257. *sq.* Tum vero consulenda etiam sunt, quae ipse Tertullianus contra hanc Xerophagiarum, quae dicebantur, nouitatem aut vanitatem disputat *cap.* 9. eiusd. libr. *pag.* 404. quibusque efficere studet, *tam antiquissimae*, quae ipsa sunt verba eius, *quam efficacissimae religionis esse operationem.* Cuiusnam vero generis fuerint istae Xerophagiae Montanisticae, ex *cap.* 1. intelligi potest, vbi de iisdem psychicis *arguunt nos*, ait, — *quod Xerophagias obseruemus, siccantes cibum ab omni carne et omni iurulentia, et vuidioribus quibusque pomis.*

miremur, cum eum Montaniſtarum partibus addictum fuiſſe conſtet. Magis contra eſt, quod miremur, Hieronymum etiam atque Iſidorum Hiſpal. carnium vſu chriſtianis omnino interdictum eſſe, defendiſſe[23]). Statuit enim vterque, eſum illarum ante diluuii quidem tempus illicitum adhuc fuiſſe, poſt diluuium vero ob hominum duritiem iis conceſſum; at poſtquam Chriſtus veniſſet, et ad priſtinam iterum omnia conditionem reduxiſſet, eum iis rurſus ademtum eſſe; quae quidem ſententia in vtriusque viri ſcriptis planiſſimis verbis propoſita[24])

---

23) Quam vtriusque viri ſententiam iure ſuo tanquam peculiarem iisque propriam notauit iam Staeudlin in *Geſchichte der Sittenlehre Ieſu*, *Vol. III. pag.* 191. maiori tamen eam admiratione dignam iudicans in poſteriore, quam in priore, monachorum quippe regulis adſtricto.

24) Apud Hieronymum quidem ampliſſime exponitur in *lib. I. adv. Iuſtin. To. II. Opp. pag.* 23. vbi haec ſunt verba eius: *Quod autem nobis obiicit, in ſecunda Dei benedictione comedendarum carnium licentiam datam, quae in prima conceſſa non fuerat: ſciat quomodo repudium iuxta eloquium Saluatoris ab initio non dabatur, ſed propter duritiem cordis veſtri per Moyſen humano generi conceſſum eſt: ſic et eſum carnium vsque ad diluuium ignotum fuiſſe: poſt diluuium vero, quaſi in eremo murmuranti populo coturnices, ita dentibus noſtris neruos et virulentias carnis ingeſtas. — Poſt diluuium cum datione legis, quam implere nullus potuit, carnes ingeſtae ſunt ad veſcendum. — Poſtquam autem Chriſtus venit in fine temporum et ω reuoluit ad α et extremitatem retraxit ad principium, nec repudium nobis dare admittitur, — nec comedimus carnes, dicente Apoſtolo:* bonum eſt vinum non bibere, et carnes non comedere; de quo loco videnda ſunt, quae obſervauit Staeudlinus *l. l. pag.* 97. *ſq.* Tum vero idem etiam ab eodem Hieronymo traditur *libr. II. adv. Iovin. To. II. pag.* 56. Iſidorus vero Hiſp. *lib. I. de eccleſ. offic. cap.* 45. *To. V. Opp.* edit. Areval. ea de re haec habet: *Carnes autem et vinum poſt diluuium hominibus in vſum conceſſo ſunt, nam ab initio permiſſum non fuerat, niſi tantum illud, vt ſcriptum eſt:* Lignum fructiferum et herbam ſeminalem dedi vobis in eſcam. *Poſtea vero per Noë data ſunt in eſum cuncta animalia, vinique tunc attributa licentia eſt. Sed poſtquam Chriſtus, qui eſt principium et finis, apparuit, hoc, quod in principio ſuſpenderat, etiam in temporum fine retraxit, loquens per Apoſtolum ſuum:* Bonum eſt non manducare carnem et non bibere vinum. Hoc tamen praeceptum non ideo datum eſſe, quoniam carnes in ſe malae ſint, ſed quoniam vſus earum moribus hominum facile damnum inferat, ſtatim ipſe docet §. 2. ita pergens: *Non igitur quia*

deprehenditur[25]). Minus vero dubii eiusdem catholicae ecclesiae doctores de vini vsu fuisse reperiuntur, a quo tamen et ipso nonnulli haereticorum penitus abstinendum esse iudicarunt[26]). Hunc enim omnes, notissimi illius dicti, quo vinum ad animum hominis laetitia replendum a Deo conditum esse pronuntiatur (Ps. CIV,

---

carnes malae sunt, ideo prohibentur, sed quia earum epulae carnis luxuriam gignunt, fomes enim ac nutrimentum omnium vitiorum esca ventri, et venter escis, quia scriptum est: Deus hunc et has destruet. Quod vero Hieronymus dicit, hominibus post diluuium propter animi eorum duritiem carnium vsum concessum esse, id simile est ei, quod Theodoretus *Quaest. in Gen. cap. IX. interr.* 55. *To. I. Opp. pag.* 68. edit. Hal. ea de re tradit his verbis vsus: *προορῶν γὰρ θεὸς ὅτι ταῦτα πάντα θεοποιήσουσιν οἱ εἰς ἐσχάτην ἀλογίαν ἐκπεπτωκότες, συγχώρει τὴν βρῶσιν, ἵνα τὴν ἀσέβειαν παύσῃ· ἀβελτερίας γὰρ ἐσχάτης, τὸ ἐσθιόμενον προσκυνεῖν.*

25) Huiusmodi vero sententiae patroni aperte videntur Ambrosii animo obversati fuisse, cum in libr. *de Noë et arc. cap.* 25. *To. I. pag.* 265. contra illos disputaret, qui Deum hominibus ab initio rerum creatarum non nisi olera ad escam concessisse, carnium vero vsum denegasse defenderent, eosque erroris sui commincere studeret. Similem vero sententiarum hac de re diuersitatem seculo etiam V. adhuc obtinuisse, docet Theodoreti locus in *Interpr. epist. ad Rom. cap. XIV. To. III. pag.* 142. vbi postquam huius ipsius sententiarum diuersitatis mentionem iniecerat, haec addit: *τοῦτο γάρ τοι καὶ μέχρι τοῦ παρόντος ἐν ταῖς ἐκκλησίαις τὸ ἔθος μεμένηκε· καὶ ὁ μὲν ἀσπάζεται τὴν ἐγκράτειαν, ὁ δὲ πάντων ἀδεῶς μεταλάμβανει τῶν ἐδωδίμων*: idque profecto, tanto minus mirandum est, quanto apertius Isidori saltem Hisp. exemplo constat, vel proximo adhuc seculo contrariam hunc reliquorum sententiis fuisse professum.

26) Quod de Encratitis quidem perspicue tradit Epiph. *haer. XLVII. To. I. pag.* 410. *οἶνον δὲ ὅλως ἐ μεταλαμβάνεσι· ἀσκοντες εἶναι διαβόλικον· καὶ τὸς πίνοντας καὶ τὸς χρομένες ἀνόμες εἶναι καὶ ἁμαρτάδας*, et de Seuerianis Augustin. in libr. *de haer. c.* 24. *To. VIII. pag.* 9. *Vinum*, inquiens, *non bibunt, eo quod fabulosa vanitate de Satana et terra germinasse asserant*, itemque de Manichaeis, de quibus eiusd. libr. c. 46. *pag.* 16. haec scribit: *Nam et vinum non bibunt, dicentes fel esse principum terrarum, cum vescantur vuis: nec musti aliquid, vel recentissimi sorbent;* et *libr. XX. contr. Faust. cap.* 8. *To. VIII. pag.* 342. *Manichaeis*, ait, *vinum gustare non religio, sed sacrilegium est*, quosque ipse Augustinus hoc ipso nomine in pluribus scriptis contra illos editis impugnauit, maxime in libr. *contr. Adimant. Manich. cap.* 2. *To. VIII. pag.* 128. *sq.*

15.) et praecepti Paulini 1 Tim. V, 23. memores, atque vtrumque in ſuae plerumque ſententiae defenſionem laudantes, licitum iudicarunt, vnumque hoc, quod ſponte poteſt expectari, in eo caueri voluerunt, vt ne peruerſus aut intemperans eius vſus admittatur, ideoque id ipſum in ſcriptis ſuis ſibi potiſſimum agendum putarunt, vt cum immoderatum atque inhoneſtum eius vſum, argumentis a damno, maxime repetitis virtuti atque honeſtati inde metuendo, ſuis diſſuaderent, tum vero etiam rectum et probabilem eius vſum, commodorum inprimis ad mentem et vitam inde redundantium facta mentione, commendarent: in quam rem apud eosdem, quos ſaepius iam laudauimus, ſcriptores, Clementem nimirum Alex.[27]), Baſilium M.[28]), Chryſoſtomum[29]), itemque

---

27) In *Paedag. lib. II. cap.* 2. in quo, vt monuimus iam *not.* 1. de iis, quae in potu ſumendo ſint obſeruanda, conſulto differit, et naturalem quidem atque neceſſarium ſitientibus potum aquam eſſe monet, attamen nec a vini vſu vult abſtineri, modo in eo ſumendo omnia caveantur, quae ſobrietati et temperantiae ſint contraria. Hinc non modo viua pretioſiora et e regionibus longe remotis advecta vult vitari, ſed nec merum, imo aqua potius temperatum vinum adhiberi. Tum vero pueros etiam atque puellas ab eius vſu dicit arcendas, eumque iis potius relinquendum, qui vel ad ſanitatem tuendam, tanquam medicamine aliquo, eo indigeant, vel aetate ſint prouectiores, hisque vel hilariorem etiam illius potum ad excitandam quaſi frigidam aetatem concedi poſſe defendit. Praeterea vero et hoc ſuadet, vt ſub veſperam potiſſimum et coenae tempore adhibeatur, vbi nulla amplius diuinis meditationibus atque lectionibus opera danda ſit, atque aëre etiam frigidiore facto deficiens tepor introducto calore ſit fouendus. Inprimis vero temperantiae atque decori curam in eo ſumendo docet habendam eſſe; ideoque multus eſt in deſcribendis intemperantiae atque ebrietatis damnis ac incommodis.

28) Qui cum vinum Dei donum ad infirmitatis ſolamen ſobriis datum iudicaret, vt dicit in *Hom. XIV. in ebrioſ. §.* 1. *Opp. To. II. pag.* 122. (*οἶνος, τὸ παρὰ θεῦ δῶρον εἰς παραμυθίαν τῆς ἀσθενείας δεδομένον τοῖς σωφρονοῦσιν*·) eiusque modum vna corporis neceſſitate vellet circumſcribi, *μέτρον*, inquiens, (*Hom.* 1. *de ieiun. §.* 10. *To. II. pag.* 9.) *ὅριζον τῆς τοῦ οἴνου χρήσεως ἡ χρεία τοῦ σώματος*, facile poteſt intelligi quinam ipſi eius abuſus viſus fuerit, quem in vniuerſa illa, quam modo commemorauimus, homil. in ebrioſos ſcripta pluribus perſequitur.

29) De vini conſilio et vſu ita iudicantem in *Hom. XIX. in epiſt. ad Ephes. cap. V. To. V. Commentt. in N. T. pag.* 1013. *βούλει μαθεῖν πῶς καλὸς ὁ οἶνος; ἄκουε τῆς γραφῆς λεγούσης· ὅτε*

Hieronymum[30]) et Ambrosium[31]) multa occurrunt vtilissime praecepta et admonita.

Quanquam vero secundum haec in vniuersum quidem cum carnis, tum vini vsus a plerisque saltem catholicae ecclesiae doctoribus fuit probatus et contra aduersarios defensus, aliquam tamen vtriusque abstinentiam, certo tantum tempori adstrictam atque exercitationis causa subinde admissam, pro insigni virtutis adminiculo

---

οἶνον τοῖς ἐν λύπῃ καὶ μέθην τοῖς ἐν ὀδύνῃ. εἰκότως· τὸ γὰρ τραχὺ καὶ σκυθρωπὸν οἴδε μαλάττειν, καὶ τὸ συννεφὲς ἀπάγειν. Οἶνος ἐυφραίνει καρδίαν ἀνθρώπε, φησὶ· πῶς ἓν ἐκ τȣ̃ οἴνȣ ἡ μέθη; ὁ γὰρ ἕνι τὸν αὐτὸν τὰ ἐναντία ἐργάζεσθαι ἑαυτῷ· ἐκ ἄρα ἐκ τȣ̃ οἴνȣ ἡ μέθη, ἀλλ᾽ ἐκ τῆς ἀμετρίας. ὁ οἶνος δὶ ὀδὲν ἕτερον ἡμῖν δέδοται ἢ δι᾽ ὑγιείαν σώματος· ἀλλὰ καὶ πρὸς τȣ̃το ἐμποδίζει ἡ ἀμετρία: hacque ipsa de causa modicum eius vsum studiose commendantem *Hom. XII. de ingluv. et ebriet. To. VI. Comment. in V. T. pag.* 656.

30) Qui et vini, aeque ac carnium, vsum hominibus post diluvium demum concessum esse defendit, loc. *not.* 24. ex *lib. I. adv. Iustin.* laud. *et vinum*, inquiens, *cum carnibus post diluvium dedicatum est*, neque tamen a Christo cum carnium vsu iterum ademtum, sed permissum potius, ita tamen, vt prudentia sit moderandus, id quod diserte docet in *epist. II. ad Nepot. de vit. cleric. To. I. pag.* 11. haec monens: *Quicquid inebriat, et statum mentis euertit, fuge similiter vt vinum. Nec hoc dico, quod Dei a nobis creatura damnetur,* (*siquidem et Dominus vinipotator est appellatus, et Timotheo dolenti stomachum, modica vini sorbitio relaxata est*): *sed modum pro aetatis et valitudinis et corporum qualitate exigimus in potando. Quodsi absque vino ardeo adolescentia, et inflammor calore sanguinis, et succulento validoque sum corpore, libenter carebo poculo, in quo suspicio veneni est.*

31) In *libr. de Noë et arc. c. XXIX. §.* 111. *To. I. pag.* 272. vbi hanc moderationis in vini vsu adhibendae legem proponit: *ebriosi est omne absorbere vinum, et intemperantis evacuare, quod sumserit: continenti autem vtendum mensura legitima est.* Ne vero huius ebrietatis e nimio vini vsu oriundae culpa in ipsum Deum, vini largitorem, videretur transferenda, diserte monet *Hexaëm. libr. IV. cap.* 17. *§.* 72. *To. I. pag.* 62. Deum vitem quidem generasse, Noachum vero eam plantasse, tumque haec addit: *Cultor ergo, non auctor est vitium. Deus autem, qui sciret, quod vinum sobrie potatum sanitatem daret, augeret prudentiam, immodice sumtum ad vitia causas daret, creaturam dedit, abundantiam humano arbitrio reseruauit; vt parsimonia naturae esset magisterium sobrietatis, abundantiae noxiam lapsumque temulentiae sibi adscriberet humana conditio.*

habuerunt, inque praecipua laude poſuerunt, neque olim etiam praemio deſtitutam fore ſperarunt: qualem ſpem Cyrillus certe Hieroſ. diſerte profeſſus eſt[32]). Neque tamen, vt vel ex hoc ipſo Cyrilli loco cognoſcitur, haec ſingulorum modo fuit perſuaſio, ſed communi fere omnium Chriſtianorum eccleſiae catholicae conſenſu probata opinio. In ſolennibus enim ieiuniis, quae conſtat mox poſt initia rei chriſtianae inter Chriſtianos celebrari coepta fuiſſe, plerique fere, non quidem ex diſerta lege, quae ſerius demum ſcripta eſt[33]), ſed antiquo tamen more et pro cuiusque arbitrio[34]), a carnium et vini vſu ſolebant abſtinere, idque ipſo ieiunii conſilio neceſſarium quodammodo reddi aut ſuaderi ſaltem ſtatuebant.

---

32) *Catech. IV. de dec. dogm. cap.* 27. *pag.* 65. *νηστεύομεν γὰρ*, inquiens, *οἶνε τε καὶ κρεῶν ἀπεχόμενοι, ἐχ ὡς βδελύγματα μισοῦντες, ἀλλὰ τὸν μισθὸν προσδοκῶντες· ἵνα αἰσθητῶν ὑπεριδόντες ἀπολαύσωμεν πνευματικῆς καὶ νοητῆς τραπέζης· καὶ ἵνα νῦν σπείροντες ἐν δάκρυσιν, ἐν ἀγαλλιάσει θερίσωμεν ἐν τῷ μέλλοντι αἰῶνι*, pauloque poſt haec ſubiiciens: *ἀπεχόμενος τοίνυν τούτων, μὴ ὡς βδελυκτῶν ἀπέχε, ἐπεὶ μισθὸν ἐκ ἔχεις· ἀλλ' ὡς καλῶν ὄντων ὑπερφρόνει, διὰ τὰ προκείμενα νοητὰ καλλίονα.*

33) Quod accurate demonſtrauit Dallaeus *l. l. cap. VI. et VII. pag.* 256. *ſq.*

34) Quod diſerte docent Tertullianus in libr. *de ieiun. adv. pſych. cap.* 13. haec de iis tradens: *denique reſpondetis, haec ex arbitrio agenda, non ex imperio*, itemque Auguſtinus, apud quem haec leguntur *lib. XXX. contr. Fauſt. cap. V. To. VIII. pag.* 447. *Audi ergo, quod confiteris, te non videre, qua mente aut conſilio hoc aduerſum vos capitulum proferamus: non quod a carnibus abſtineatis, nam hoc a quibusdam et primi patres noſtri fecerunt, ſicut commemoras: non tamen ea damnandi, ſed ſignificandi gratia, quod non intelligitis, et vnde iam quantum ſufficere videbatur, in ſuperioribus partibus operis huius locutus ſum: et Chriſtiani, non haeretici, ſed catholici, edomandi corporis cauſa propter animam in orationibus amplius humiliandam, non quod illa eſſe immunda credant, non ſolum a carnibus, verum a quibusdam etiam terrae fructibus abſtinent, vel ſemper, ſicut pauci, vel certis diebus atque temporibus, ſicut per quadrageſimam fere omnes, quanto magis quisque vel minus ſeu voluerit, ſeu potuerit.*

Cap. V.

Sect. 4. De ieiuniis patrum Graecorum decreta.

(Comment. XX.)

Ieiuniis igitur cum primi Christiani e Iudaismo, vnde plerique eorum egressi fuerant, iam assueti essent, iisque cum publicis tum priuatis[1]); non mirum est, eos et ipsos mox coepisse similia ieiunia publice priuatimque agere. Et publici quidem, aut communis saltem, ieiunii in memoriam mortis Iesu Christi die parasceues celebrandi occasionem secundo iam seculo, Tertulliano teste[2]), arripuerunt ex ipsius Iesu dicto, quo Pharisaeis Matth. IX, 15. declarasse traditur, discipulis suis tum demum fore ieiunandum, vbi sponsus ab iis fuerit ablatus, cum id, quanquam praeter mentem Iesu[3]), de ieiunio proprie dicto intelligerent, hincque tale illo, quo diximus, die instituendum esse censerent, licet alii ieiunium ex huius dicti auctoritate servandum post diem potius ascensionis ipsius in coelum abitusque ex his terris celebrandum iudicarent, ideoque id in vel post Pentecostes festum transferrent[4]), aliis contra isto dicto in

---

1) De quibus Iudaeorum ieiuniis videndus inprimis est Relandus in *Antiquitat. sacr. vett. Hebr. Part. IV. cap. X. pag.* 309. edit. Vogel.

2) *De ieiun. cap.* 2. *Opp. Vol. II. pag.* 391. edit. Seml. de psychicis vel Cathol. haec tradente: *Certe in euangelio illos dies ieiuniis determinatos putant, in quibus ablatus est sponsus: et hos esse iam solos legitimos ieiuniorum christianorum, abolitis legalibus et propheticis vetustatibus.*

3) Quam multo rectius perspexit Theophylactus, haec ad illum locum monens: *ἔσται ἐν καιρὸς, φησὶ, ὅτι ἐμοῦ παθόντος καὶ ἀναληφθέντος νηστεύσουσι λιμῷ καὶ δίψει διωκόμενοι.*

4) Quod de Montanistis narrat Hieronymus in *Commentar.* ad illum Matth. locum, *Tom. IX. Opp. pag.* 23. haec scribens: *Ex huius occasione testimonii, Montanus, Prisca et Maximilla etiam post Pentecosten faciunt quadragesimam, quod ablato sponso filii sponsi debeant ieiunare. Ecclesiae autem consue-*

contrariam plane partem vtentibus, ex eoque Chriſtianis, qui Chriſto etiamnum gaudeant Domino ſuo, vel plane non, vel certe non ob hanc ſponſi ablati cauſam ieiunandum eſſe demonſtrantibus[5]). Praeter hoc vero ieiunium eodem adhuc ſeculo ſecundo et alia ſubinde ieiunia publica ab epiſcopis in publicis chriſtianorum calamitatibus vel imminentibus adhuc, vel eos iam vrgentibus, extra ordinem fuiſſe indicta, idem Tertullianus teſtatur[6]). His vero tertio et ſequentibus ſeculis acceſſe-

---

tudo ad paſſionem Domini et reſurrectionem per humilitatem carnis venit, vt ſpirituali ſaginae ieiunio corporis praeparemur. Eodem tamen modo multos etiam Catholicorum iudicaſſe, Iſidorus Hiſpal. tradit *l. I. de offic. cap.* 38. *Opp. To. VI. pag.* 407. edit. Arev. de ieiunio Pentecoſtes haec habens: *Hoc ieiunium a plerisque ex auctoritate euangelii poſt Domini aſcenſionem completur, teſtimonium illud Domini hiſtorialiter accipientibus, vbi dicit:* Numquid poſſunt filii ſponſi lugere, quamdiu cum illis eſt ſponſus? Veniet autem dies, quum auferetur ſponſus ab eis, et tunc ieiunabunt. *Dicunt enim poſt reſurrectionem Domini quadraginta illis diebus, quibus cum diſcipulis poſtea legitur conuerſatus, non oportere ieiunare, nec lugere, quia in laetitia ſumus. Poſtea vero quam tempus illud expletur, quo Chriſtus aduolans ad coelos, praeſentia corporali, receſſit, indictum ieiunium eſt, vt per cordis humilitatem et abſtinentiam carnis mereamur e coelis promiſſum accipere Spiritum ſanctum.*

5) Ita certe ſtatuit auctor *Homil. X. in Leuit.* quae inter Opera Origenis edita deprehenditur *To. II. pag.* 246. edit. Ruae. cuius locum miramur effugiſſe Dallaeum *de ieiun. et quadrag. l. III. cap.* 15. *pag.* 589. *ſſ.* et Joſ. Binghamum in *Antiquitt. eccleſ. l. XXI. c.* 1. *§.* 9. *Vol. IX. pag.* 194. verſ. lat. Hal. de illa ipsa ieiuniorum a veteribus actorum ratione, quae ex iſto loco fuit repetita, diſputantes. Ibi enim poſtquam huius dicti Ieſu mentionem iniecerat, haec ſubiungit: *Illi ergo ieiunent, qui perdiderunt ſponſum,* (in quibus haud dubie cogitauit de Iudaeis, quos paulo ante dixerat Chriſtum crucifixiſſe), *nos habentes nobiscum ſponſum ieiunare non poſſumus.* Id tamen eum non ſic voluiſſe intellectum, vt Chriſtianis nec vlla alia de cauſa ieiunandum eſſe exiſtimaret, ſequentia docent, de quibus paulo poſt a nobis diſputabitur.

6) *De ieiun. cap.* 13. *pag.* 416. *Vol. II. Bene autem,* inquiens, *quod et epiſcopi vniuerſae plebi mandare ieiunia aſſolent, non dico de induſtria ſtipium conferendarum, vt veſtrae capturae eſt, ſed interdum et ex aliqua ſollicitudinis eccleſiaſticae cauſa. Itaque ſi et ex hominis edicto et in vnum omnes ταπεινοφρόνηαιν agitatis, quomodo in nobis ipſam quoque vnitatem ieiunationum et xerophagiarum et ſtationum denotatis?*

runt deinde ieiunium quadragesimale[7]), itemque quarti et sexti cuiusque hebdomadis diei, aliaque plura et ipsa stata[8]) ac publica, de quibus tamen vberius nunc exponere non fert nostri instituti ratio[9]), ex qua nobis nunc de priuatis potius Christianorum ieiuniis est dicendum.

His autem primi quidem Christiani nondum videntur multum tribuisse, sed iudaicum potius ritum in iis agnouisse, qui a Christianis, ad cultum Dei internum magis et spiritualem obstrictis, non amplius sit obseruandus. Tale quid haud obscure professus saltem est *Barnabas*, si quidem is auctor est epistolae, quae ipsi tribuitur, dum Iudaeis quidem ieiunia proprie dicta et ad corpus pertinentia, licet Deo parum accepta iniuncta fuisse, a nobis vero Christianis spirituale potius ieiunium in scelerum et peccatorum fuga virtutisque studio illud positum, postulari defendit[10]); similiterque

---

7) Hoc enim ieiunium tribus prioribus seculis nondum fuisse celebratum, post Dallaeum bene demonstrauit I. G. Koernerus in Diss. *Ieiunium Christi nec legem esse nec exemplum propositum* §. *XXI–XXXI. pag.* 34. *ff.*

8) Quae tamen omnia non immerito, vt videtur, tanquam Iudaismum redolentia ab Aërio improbata fuisse narrat Epiphanius *haer. LXXV. To. I. Opp. pag.* 907.

9) Plura vero de iis cognoscere cupientibus praeter classicum Dallaei librum aliquoties iam laudatum adeundus inprimis est Ios. Binghamus *Antiqq. eccles. l. XXI.* integro.

10) In *epist. cathol. cap.* 2. *et* 3. quae ex antiqua tantum versione restant, et in quibus inter alia haec occurrunt *cap.* 2. *To. I. PP. App. p.* 57. edit. Cotel. *Adaperuit enim nobis per omnes Prophetas, quia non vtitur nostris hostiis, neque victimis, neque oblationibus, haec dicens:* (Ies. 1, 11.) Quo mihi multitudinem sacrificiorum vestrorum dicit Dominus? — Neomenias vestras et Sabbata et diem magnum non sustineo: ieiunium et ferias et dies festos vestros odit anima mea. *Haec ergo vacua fecit, vt noua lex Domini nostri Iesu Christi, quae sine iugo necessitatis est, humanam habeat oblationem*: iisque haec deinde subiiciuntur *cap.* 3. *Dicit ergo iterum de his ad illos:* (Ies. 58, 4.) Vt quid mihi ieiunatis, vt hodie audiatur vox vestra in clamore? Non tale ieiunium elegi, dicit Dominus, vt quis humiliet animam suam sine causa. Neque si curuaueris quasi circulum collum tuum, et saccum te circumdederis et cinerem straueris: nec sic celebrabis

Iustinus etiam *Mart.*[11]) et *Clemens Alex.*[12]) non nisi hoc ieiunium spirituale aut, si malueris, morale, norunt atque commendant. Diuersam tamen ab his *Hermas*, aut, qui alius est, auctor *Pastoris* huius viri nomine inscripti, sententiam secutus fuisse deprehenditur. Is enim quanquam et ipse bene vidit, solum illud, quod diximus, ieiunium morale veri ieiunii uomine dignum esse habendum, tamen nec a ieiunio proprie dicto prorsus abhorruit, idque in partibus cultus diuini officii necessitatem excedentibus posuit, ideoque non posse non Deo probari praemiisque ab illo ornari statuit. Hinc enim, cum ieiunium a se agi significasset angelo, quem in isto opere secum loquentem fiktit, iubet quidem eum

---

ieiunium acceptum. *Ad nos autem sic dicit:* (Ies. 58, 6.) Cum ieiunaueritis, solue omnem nodum iniustitiae et omnem consignationem iniquam dele, resolue suffocationes impotentium commerciorum, dimitte quassatos in remissionem et omnem cautionem malignam dissipa. Frange esurienti panem tuum, et egenos sine tecto induc in domum tuam; cum videris nudum vesti, et domesticos seminis tui non despicies. — *In hoc ergo, fratres, providens est et misericors Deus, quia in simplicitate crediturus esset populus, quem comparauit dilecto suo, atque ante ostendit omnibus nobis, vt non incurramus, tanquam proselyti, ad illorum legem.*

11) In *dialog. c. Tryph.* §. 15. *pag.* 115. edit Bened. vbi Iudaeis, eodem, quem ex Barnaba *not. super.* exhibuimus, Ies. 58, 1 ff. loco vsus verum illud ieiunium Deo vnice probatum commendat, *τὴν ἀληθινὴν ἔν*, inquiens, *τῷ Θεῷ νηστειαν μάθετε νηστεύειν, ὡς Ἠσαΐας φησὶν, ἵνα τῷ Θεῷ ἐυαρεστῆτε*, idque post §. 40. *pag.* 137. a Christianis dicit obseruari.

12) *Strom. l. VI. §.* 12. *To. II. Opp. pag.* 791. ed. Potter. vbi facta loci Tob. XII, 8. in quo *ἀγαθὸν* dicitur *νηστεία μετὰ προσευχῆς* mentione, haec subiungit: *νηστεῖαι δὲ ἀποχὰς κακῶν μηνύουσιν πάντων ἁπαξαπλῶς, τῶν τε κατ' ἐνέργειαν καὶ κατὰ λόγον καὶ κατὰ τὴν διάνοιαν αὐτὴν*: et *Strom. l. VII. §.* 12. *pag.* 877. solenne adeo tum iam quarti et sexti diei ieiunium in sensum moralem transfert, hincque de Gnostico suo haec habet: *οἶδεν αὐτὸς καὶ τῆς νηστείας τὰ αἰνίγματα τῶν ἡμερῶν τούτων, τῆς τετράδος, καὶ τῆς παρασκευῆς λέγω. ἐπιφημίζονται γὰρ ἡ μὲν Ἑρμῆ, ἡ δὲ Ἀφροδίτης. αὐτίκα νηστεύει κατὰ τὸν βίον φιλαργυρίας τε ὁμῶ καὶ φιληδονίας. ἐξ ὧν αἱ πᾶσαι ἐκφύονται κακίαι. — νηστεύει τοίνυν καὶ κατὰ τὸν νόμον ἀπὸ τῶν πράξεων τῶν φαύλων, καὶ κατὰ τὴν τῆ ἐυαγγελίᾳ τελειότητα, ἀπὸ τῶν ἐννοιῶν τῶν πονηρῶν:*

primum id ipſum ſibi declarare[13]), eiusmodi ieiunium non eſſe ieiunium verum Deoque probatum, attamen poſt et hoc ſe ab eodem angelo per ſimilitudinem aliquam dicit edoctum fuiſſe[14]), licere etiam praeter ea, quae

---

13) *Lib. III. Similit. V. §.* 1. *To. I. pag.* 105. vbi haec leguntur: *Neſcitis, inquit, Deo ieiunare, neque eſt ieiunium hoc, quod ieiunatis, Deo nihil proficientes. Quare, inquam, Domine, ita dicis? Dico certe, inquit. non eſſe ieiunium hoc, quod putatis vos ieiunare: ſed ego te docebo, quod ſit ieiunium plenum acceptumque Deo. Audi, inquit, Dominus non deſiderat tale ieiunium ſuperuacaneum: ſic enim ieiunando nihil praeſtas aequitati. Ieiuna certe verum ieiunium tale. Nihil in vita tua nequiter facias; ſed mente pura ſerui Deo, cuſtodiens mandata eius et in praeceptis eius ingrediens; neque admiſeris deſiderium nocens in animo tuo. Crede autem Domino; ſi haec feceris, timoremque eius habueris, atque abſtinueris ab omni negotio malo, Deo te victurum. Haec ſi feceris, ieiunium magnum conſummabis acceptumque Domino.*

14) *Ibid. §. III. pag.* 106. vbi poſtquam angelum rogauerat, vt mentem etiam ſimilitudinis ſibi ab illo propoſitae explicaret, is ei haec dicitur reſpondiſſe: *Omnia exponam tibi, quaecunque locutus fuero tecum aut oſtendero tibi. Mandata Domini cuſtodi et eris probatus, et ſcriberis in numero eorum, qui cuſtodiunt mandata eius.* Si autem praeter ea, quae mandauit Dominus, aliquid boni adieceris, maiorem dignitatem tibi conquires, et honoratior apud Dominum eris, quam eras futurus. *Igitur ſi cuſtodieris mandata Domini et adieceris etiam ad ea ſtationes has, gaudebis maxime, ſi ſecundum mandatum meum ſeruaueris ea. — Sic ergo facies. Peractis, quae ſupra ſcripta ſunt, illo die quo ieiunabis, nihil omnino guſtabis, niſi panem et aquam; et computata quantitate cibi, quem caeteris diebus comeſturus, ſumptum diei illius, quem facturus eras, repones, et dabis viduae, pupillo aut inopi, et ſic conſummabis humilitatem animae tuae, vt qui ex eo acceperit, ſatiet animam ſuam et pro te adeat Dominum Deum oratio eius. Si igitur ſic conſummaueris ieiunium tuum quemadmodum praecipio tibi; erit hoſtia tua accepta Domino, et ſcribetur hoc ieiunium tuum. — Haec tu ſi ſeruaueris cum liberis tuis et tota domus tua; cuſtoditis his, felix eris. Et quicunque haec audita cuſtodierint, felices erunt; et quicquid petierint a Domino, obtinebunt.* Haec poſterior autem ſententia, per eiusmodi ieiunia, quicquid quis a Deo petierit, poſſe obtineri, alio etiam eiusdem ſcriptoris loco illuſtratur, *lib. I. viſ. III. §.* 10. *pag.* 80. vbi cum de nonnullis ad viſionem ante ſibi oblatam pertinentibus accuratius adhuc optaſſet edoceri, hoc reſponſum tuliſſe dicitur: *Omnis rogatio humilitate eget. Ieiuna ergo, et percipies a Domino quod poſtulas*; tumque haec ab illo adduntur: *Ieiunaui ergo diem vnam. Eadem nocte apparuit mihi iuuenis et alii etc.*

Deus iuſſerit, boni aliquid facere, eoque ipſo cum maiorem ſibi apud Deum honorem parare, tum eius etiam fauorem conciliare[15]). Poſt vero plerique de ieiuniis ita coeperunt ſtatuere, vt diuinum quidem non amplius cultum in iis agnoſcerent, ſed ad virtutis potius diſciplinam ea referrent, hocque maxime nomine commendarent, attamen tantum ſimul pretii iis tribuerent, vt a meriti cuiusdam, quod iis inſit, perſuaſione[16]) difficillime poſſent abduci, ideoque praemia etiam illorum cauſa a Deo reportanda expectarent; atque de his vt pluribus iam a nobis exponatur, praeſentis conſilii noſtri ratio vtique poſtulat.

His autem *Origenes* primum foret annumerandus, ſi quidem certa ſatis eſſet Homiliarum eius in Leviticum et Numeros, quae a Rufino, vt probabile eſt, latine verſae extant, fides[17]). In illis enim, quanquam ieiunii

---

15) Quam huius viri ſententiam dubitamus iure fuiſſe a duumviris doctiſſimis hoc nomine laudatam, quod verum religionis chriſtianae, cultum Dei purum commendantis, ſenſum ſpiret, Münſchero nimirum in *commentat.: Ueber den Zuſtand der chriſtl. Sittenlehre in den erſten Zeitaltern nach dem Tode der Apoſtel*, inſerta Henckii *Magaz. für Religionsphiloſ. Exegeſ. u. Kirchengeſch. Vol. VII. pag.* 347. *ſq.* et Staeudlino in *Geſchichte der Sittenl. Ieſu Vol. II. pag.* 39. *ſq.* cum tamen ab vtroque concedi debuerit, et tale quid ei ineſſe, quod perſuaſionem de operibus quibusdam ſuperabundantibus, vt poſt adpellari conſueuerunt, ſuperſtitione pleniſſimam haud obſcure redoleat. Saltem hoc ſimul moneri debuiſſet, id modo, quod ſuperſtitionis huic ſententiae fuerit admixtum, Hermae proprium fuiſſe, quod vero probi ei inſit, eum cum aequalibus ſuis commune habuiſſe, atque ex V. T. libris petiiſſe; quod miramur, neutri horum duumuirorum fuiſſe obſervatum.

16) Quam eorum perſuaſionem neſcimus, vtrum feliciter ſatis emollire ſtuduerit Dallaeus in libr. *de ieiun. et quadrag. lib. II. cap.* 15. *p.* 335. *ſſ.* Certe non omnia, vt ex ſequentibus adparebit, illorum ſcriptorum loca mitiorem illam, quam iis ſubiicit, ſententiam admittere nobis videntur.

17) Quam pluribus quidem contra eos, qui de illa dubitarunt, afferere ſtuduerunt Petr. Dan. Huetius in *Origenian. l. III. ſect. III. §. III. et IV.* et Car. Vincent. Ruaeus in *Admonit.* vtrique libro praemiſſa *Tom. II. Opp. pag.* 179. *et* 269. ſed quae nihilominus tamen per illa ipſa, quae ab vtroque viro eam in rem ſunt

proprie dicti neceſſitas diſerte impugnatur, et non niſi illud, quod morale diximus, pro chriſtiano ieiunio habendum eſſe defenditur[18]), tamen nec iſtud prorſus improbandum eſſe non minus perſpicue aſſeritur, vbi vel virtutis adiuuandae cauſa fuerit inſtitutum[19]), vel a liberalitatis in pauperes exercendae ſtudio profectum[20]); ſimiliterque etiam in his ieiuniorum quaedam neceſſitas admitti-

---

diſputata, propter nimiam, qua in vertendis atque conſtruendis his libris Rufinus, vt ipſe fatetur, vſus eſt non tam libertate, quam licentia potius, in ſingulis ſaltem locis admodum dubia atque incerta redditur.

18) *In loco Hom. X. not.* 5. iam laud. vbi tota §. 2. contra illos diſputat, qui, vt ab initio ſtatim dicitur, *putant, pro mandato legis ſibi quoque Iudaeorum ieiunium ieiunandum*, et, poſtquam multa contra eos monuit, haec deinde proxime ante illa, quae ibi recitauimus, verba ſubiicit: *Vis tibi adhuc oſtendam, quale te oporteat ieiunare ieiunium? Ieiuna ab omni peccato, nullum cibum ſumas malitiae, nullas capias epulas voluptatis, nullo vino luxuriae concalescas. Ieiuna a malis actibus, abſtine a malis ſermonibus, contine te a cogitationibus peſſimis. Noli contingere panes furtiuos peruerſae doctrinae. Non concupiſcas fallaces philoſophiae cibos, qui te a veritate ſeducant. Tale ieiunium Deo placet. Abſtinere vero a cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, et hoc facere cum his, qui Chriſtum cucifixerunt, acceptum eſſe non poteſt Deo.*

19) In quam rem paulo poſt haec habet: *Nec hoc tamen ideo dicimus, vt abſtinentiae chriſtianae frena laxemus. — Eſt certe libertas Chriſtiano per omne tempus ieiunandi, non obſeruantiae ſuperſtitione, ſed virtute continentiae. Nam quomodo apud eos caſtitas incorrupta ſeruatur, niſi arctioribus continentiae fulta ſubſidiis? Quomodo ſcripturis operam dabunt? Quomodo ſcientiae et ſapientiae ſtudebunt? Nonne per continentiam ventris et gutturis? Quomodo quis ſe ipſum caſtrat propter regnum coelorum, niſi ciborum affluentiam reſecet, niſi abſtinentia vtatur miniſtra? Haec ergo Chriſtianis ieiunandi ratio eſt.*

20) Nam et hanc iuſtam adhuc ieiunii cauſam agnoſcit, dum verbis modo allatis haec ſtatim ſubiungit: *Sed eſt et alia adhuc religioſa, cuius laus quorundam Apoſtolorum literis praedicatur. Inuenimus enim in quodam libello ab Apoſtolis dictum:* Beatus eſt, qui etiam ieiunat pro eo, vt alat pauperem. *Huius ieiunium valde acceptum eſt apud Deum et reuera digne ſatis. Imitatur enim illum, qui animam ſua poſuit pro fratribus ſuis.*

tur, quae a praeſenti corporis noſtri conditione oriatur, in altera autem vita non amplius locum ſit habitura[21]). Multo contra certius inter huius ſententiae patronos referri poterit *Athanaſius*, qui quippe ieiunia, propter commoda ex iis percipienda, eaque ad virtutis potiſſimum adiumentum ſpectantia[22]), ſaepiſſime a Chriſtianis voluit frequentari[23]), ita tamen, vt niſi virtutis ſimul ſtudium iis fuerit adiunctum, omni ea vtilitate deſtitui defenderet[24]). Simili vero modo *Gregorium*

---

21) In *Hom. IX.* §. 7. *Opp. To. II. pag.* 299. quem locum nos ſupra iam *Comment. XVII. pag.* 766. *not.* 24. exhibere meminimus, vbi *Quae neceſſaria quidem*, inquit, *ſunt ad cuſtodiam eorum, quae ſeruantur intrinſecus frangenda, quandoque tamen et ſine dubio diſſoluenda ſunt. Vt ſi verbi gratia dicamus, abſtinentia ciborum et caſtigatio corporis, donec ſumus in corpore iſto corruptibili et paſſibili, ſine dubio neceſſaria eſt. Cum autem confractum fuerit ac reſolutum, et reſurrectionis tempore incorruptibile ex corruptibili redditum, atque ex animali ſpirituale: non iam labore afflictionis, nec abſtinentiae caſtigatione, ſed qualitate, nulla iam corporis corruptela dominabitur. Sic ergo et nunc neceſſaria abſtinentiae ratio videtur, et poſtmodum non quaerenda.*

22) Quae in *tract. de virgin. To. I. Opp. pag.* 1047. his verbis complexus eſt: *ὁρᾶς τί ποιεῖ ἡ νηστεία, καὶ νόσους θεραπεύει, καὶ ῥεύματα σωματικὰ ξηραίνει, καὶ δαίμονας ἐκβάλλει, καὶ λογισμοὺς πονηροὺς ἀποδιώκει καὶ τὸν νοῦν λαμπρότερον ποιεῖ, καὶ καρδίαν καθαρὰν, καὶ σῶμα ἡγιασμένον, καὶ τῷ θρόνῳ τοῦ Θεοῦ παρίστησι τὸν ἄνθρωπον*, et quae plura deinde in huius rei confirmationem addit. Alio vero in loco *Exhort. ad Monach. To. II. pag.* 620. poſtquam haec primum ſcripſerat: *Ieiuniorum quoque non ſit volentibus certa menſura, ſed in quantum poſſibilitas valet, niſi laborantis extenſa, quae praeter dominicam ſemper ſint ſolennia, ſi votiua ſint;* eorum poſt vtilitatem pluribus exemplis ex hiſtoria ſacra petitis ſtudet confirmare.

23) *L. L. tract. de virgin.* in quo paulo, ante verba *ſup. not.* allata haec habet: *ὁ δὲ Χρισὸς ἑδὲν τότων χρῄζει παρὰ σοῦ, εἰ μὴ μόνον καρδίαν καθαρὰν, καὶ σῶμα ἀμόλυντον, ὑποπιαζόμενον ὑπὸ νηστείας. ἐὰν δὲ ἔρχονται τινες καὶ λέγωσί σοι, ὅτι μὴ νήστευε πύκνα· εἰ δὲ μὴ γε ἀσθενεστέρα γενήσῃ, ἐ πιστεύσεις αὐτοῖς, ἐδ' ἐ μὴ ὑπακόσῃς αὐτῶν. ὁ γὰρ ἐχθρὸς αὐτοὺς ὑποβάλλει.*

24) In quam rem in eod. loc. *tract. de virgin.* haec ſubiungit *p.* 1048. *καὶ μὴ νομίσῃς, Ἀγαπητὲ, ὅτι ἔτως ἁπλῶς ἐστιν ἡ νηστεία. εἰ γὰρ ὁ νηστεύων ἀπὸ βρωμάτων, μόνος ἐκεῖνος κατώρθωσεν, ἀλλ' ὁ ἀπεχόμενος ἀπὸ παντὸς πονηροῦ πράγματος, τότῳ*

etiam *Nazianz.* haud exiguum ieiuniis pretium tribuiſſe, inde cognoſcitur, quod cum de ſemet ipſe tradit[25]), ſe, ex quo Chriſtianus factus ſit, non teneri ventris voluptatibus, neque ſaturitate, petulantiae matre, tum de virgine quadam chriſtiana, Iuſtina, quam Cyprianus amoribus olim ſuis petierat, narrat[26]), eam ieiunii potiſſimum pharmacum ipſi obiieciſſe. Multo tamen adhuc apertiorem ieiuniorum fautorem ſe geſſit *Baſilius M.* id quod abunde iam intelligi poterit ex duabus, quae inter Opera eius extant, de ieiunio homiliis[27]), in

---

λογίζεται ἡ νηστεία. ἐὰν γὰρ νηστεύσῃς, καὶ μὴ τηρήσῃς τὸ σῶμα σου, λαλῆσαι λόγον πονηρὸν, ἢ ὀξυχολίαν, ἢ ψεῦδος, ἢ ἐπιορκίαν, ἢ καταλαλήσῃς κατὰ τὸν πλησίον σου, ἐὰν ταῦτα ἐξέλθῃ ἐκ τοῦ σώματος τοῦ νηστεύοντος, οὐδὲν ὠφέλησεν· ἀλλὰ καὶ ὅλον τὸν κόπον αὐτοῦ ἀπώλεσε· κ. λ.

25) In *Orat. in laud. S. Cyprian. To. I. Opp. pag.* 275. ἐγὼ γὰρ inquiens, τἄλλα μὲν ὁμολογῶ παντὸς εἶναι νωθέστερος καὶ πάντα πόθον ἀπεεισάμην, ἀφ' οὗ Χριστῷ συνεταξάμην, καὶ οὐδὲν αἴρει με τῶν ὅσα τερπνὰ τοῖς ἄλλοις καὶ περισπούδαστα· ὁ δὲ πλοῦτος ὁ κάτω συρόμενος καὶ περιτρεπόμενος, ὁ γαστὴρ ἡδονὰ, καὶ κόρος, πατὴρ ὕβρεως, ἐκ ἐσθῆς μαλακὴ τε καὶ περιῤῥέουσα κ. τ. λ.

26) *Ibid. pag.* 279. vbi poſtquam plura alia, narrauerat, quae iſta virgo ad virtutem ſuam tuendam fecerit atque inſtituerit, haec deinde addit: ταῦτα καὶ πλέω τούτων ἐπιφημίζουσα, καὶ τὴν παρθένον Μαρίαν ἱκετεύουσα βοηθῆσαι παρθένῳ κινδυνευούσῃ, τὸ τῆς νηστείας καὶ χαμευνίας προβάλλεται φάρμακον. ὁμοῦ μὲν τὸ κάλλος μαραίνουσα, ὡς ἐπίβουλον, ἵνα ὑποσπάσῃ τοῦ φλογὸς τὴν ὕλην, καὶ δαπανήσῃ τὸ τῶν παθῶν ὑπέκκαυμα, ὁμοῦ δὲ τὸν Θεὸν ἱλεουμένη διὰ τῆς ταπεινώσεως. οὐδενὶ γὰρ ὅτω τῶν πάντων ὡς κακοπαθείᾳ θεραπεύεται Θεὸς, καὶ δάκρυσι τὸ φιλάνθρωπον ἀντιδίδοται.

27) Quarum tamen poſteriorem vere ab illo proſectam eſſe, propter prioris, quam haud obſcure prodat, aemulationem quandam, olim iam dubitauit Erasmus, poſt hunc vero, hoc ipſo potiſſimum argumento ductus, apertius negauit Garnerius in *Praefat. Opp. To. II.* praemiſſae §. 1. adſtipulante iis nuper etiam Schroeckhio in *Chriſtl. Kirchengeſch. Vol. XIII. pag.* 192. licet nobis vtramque homiliam diligenter inuicem comparantibus nondum potuerit de huius ſuſpicionis auctoritate perſuaderi, praeſertim cum ea nullo plane hiſtorico argumento muniatur, ſed ex hiſtoriae fide vterque liber, ipſo Garnerio fatente, pro opere ſat antiquo ſit habendus.

quibus quippe non modo permulta commoda in corpus[28] et animum[29]) hominis, eiusque nominatim virtutem[30]) ac vitam vniuersam[31]) remque etiam familiarem[32]), omninoque salutem cum singulorum[33]), tum populi etiam vniuersi[34]), ex iis redundantia enarrat, sed praemiorum etiam propter illa cum nunc, tum olim reportandorum mentionem subinde iniicit[35]), eaque cuiusuis

---

28) Cfr. *Hom. I. §.* 8. *et* 9. *To. II. pag.* 6. *sq.* et *II. §.* 6. *pag.* 14.

29) In quam rem in *Hom. I.* prima statim §. *pag.* 2. *κόρος μὲν γὰρ*, inquit, *εἰς γαστέρα τὴν χάριν ἴσχησι· νηστεία δὲ πρὸς ψυχὴν ἀναβιβάζει τὸ κέρδος*, idque mox hac similitudine illustrat: *ὥσπερ γὰρ οἱ ἐν τοῖς ἐγκάτοις τῶν παίδων ζωογονέμενοι σκώληκες φαρμάκοις τισι δριμωτάτοις ἐξαφανίζονται, ἕτως ἁμαρτίαν ὑποικουῦσαν τῷ βάθει, ἐναποκτείνει τῇ ψυχῇ ἐπεισελθοῦσα νηστεία, ἤγε ὡς ἀληθῶς τῆς προσηγορίας ταύτης ἀξία.*

30) Quo pertinet v. c. id, quod eiusdem hom. *I. §.* 6. *pag.* 5. postquam ieiunium *ἀθληταῖς γυμνάσιον* esse dixerat, his verbis tradit: *τοῦτο πειρασμοὺς ἀποκρούεται· τοῦτο ἀλείφει πρὸς εὐσέβειαν, νήψεως σύνοικος, σωφροσύνης δημιουργός.*

31) Qua de re haec statim subiicit verbis allatis: *ἐν πολέμοις ἀνδραγαθεῖ, ἐν εἰρήνῃ ἡσυχίαν διδάσκει*, atque *hom. II. §.* 7. *pag.* 15. in eandem rem haec tradit: *παντὶ ἐπιτηδεύματι καὶ πάσῃ σώματος ἕξει τὸ παρ' αὐτῆς ὠφέλιμον ἀπαντᾷ καὶ πᾶσιν ὁμοίως ἐπιπρέπει, τοῖς οἴκοις, ταῖς ἀγοραῖς, ταῖς νυξὶ, ταῖς ἡμέραις, ταῖς πόλεσι, ταῖς ἐρημίαις.*

32) Cfrantur quae eam in rem differit *hom. I.* §. 7. *et* 8. *pag.* 6.

33) Quod per singulas saepe hominum classes eundo docet, v. c. *hom. I.* §. 6. *pag.* 5. *νηστεία*, inquiens, *προφήτας γεννᾶ, δυνατοὺς ῥώννυσι. νηστεία νομοθέτας σοφίζει, τὸν Ναζιραῖον ἁγιάζει, τὸν ἱερέα τελειοῖ κ. λ.* itemque §. 7. *p.* 6. vbi *νήστεια*, inquit, *ἀγαθὴ συνέμπορος ὁδοιπόροις, ἀσφαλὴς ὁμόσκηνος τοῖς συνοίκοις· ἐχ ὑπωπτευει γάμων ἐπιβλὴν ὁ ἀνὴρ, νηστείαις ὁρῶν τὴν γυναῖκα συζῶσαν. ἐ τήκεται ζηλοτυπίαις γυνὴ, τὸν ἄνδρα βλέπουσα νηστείαν καταδεχόμενον.*

34) In quibus commodis enarrandis in posteriori potissimum *hom. §.* 5. *pag.* 13. versatur, consulto docens *δημοσίᾳ πῶς τῷ βίῳ ἡμῶν ἐμπολιτεύεται ἡ νηστεία.*

35) Quo, quod ad huius vitae praemia attinet, pertinere videtur id, quod *hom. I. §.* 7. *pag.* 6. his verbis tradit: *νηστεία προσευχὴν εἰς οὐρανὸν ἀναπέμπει, οἱονὶ πτερὸν αὐτῇ γενομένη πρὸς τὴν ἄνω πορείαν*, itemque *hom. II. §.* 2. *pag.* 11. vbi *ἕτε γὰρ*, inquit, *ἐπήρεια δαιμόνων κατατολμᾷ τοῦ νηστεύοντος, καὶ οἱ φύλα-*

aetatis, ſexus atque conditionis hominibus dicit conuenire[36]), ideoque ea ab omnibus etiam publice priuatimque vult ſuſtineri[37]), ita quidem, vt excuſationibus quoque, quibus multi iis ſe ſubtrahere ſoleant, occurrere ſtudeat[38]), ſimul tamen et hoc identidem inculcat, ea ſemper cum peccatorum abſtinentia, in qua et ipſe verum demum Deoque acceptum ieiunium ineſſe defendit[39]), debere coniungi, atque praeterea et hoc in iis caueri, vt ne maiori ante ipſorum initium ebrioſitati vel voracitati indulgendi occaſio ex iis arripiatur[40]),

---

κες τῆς ζωῆς ἡμῶν ἄγγελοι φιλοπονώτερον παραμένωσι τοῖς διὰ νηςείας τὴν ψυχὴν κεκαθαρμένοις· De futurae autem vitae praemiis aperte intelligendum eſt, quod et ipſum legitur in eiusdem *hom. II.* §. 3. *pag.* 12. his verbis perſcriptum: *ὑφέλωμεν τῆς σαρκὸς τὴν εὐπάθειαν, αὐξήσωμεν δὲ τῶν ψυχῶν τὴν ἰσχύν, ἵνα διὰ τῆς νηςείας κατὰ τῶν παθῶν λαβόντες τὰ νικητήρια, τὰς τῆς ἐγκρατείας ςεφάνως ἀναδησώμεθα:* eodemque ſpectat etiam primae homiliae epilogus, *pag.* 10.

36) In quam rem haec habet *hom. I.* §. 7. *pag.* 6. *νηςεία — νεότητος παιδαγωγός, κόσμος πρεσβύταις, ἀγαθὴ συνέμπορος ὁδοιπόροις, κ. λ.* itemque *hom. II.* §. 5. *pag.* 13. *νηςεία φυλάσσει νήπια, σωφρονίζει τὸν νέον, σεμνὸν ποιεῖ τὸν πρεσβύτην, αἰδεσιμωτέρα γαρ πολιὰ νηςείᾳ κεκοσμημένη. γυναιξὶ κόσμος ἁρμοδιώτατος, ἀκμαζόντων χαλινὸς, συζυγίας φιλακτήριον, παρθενίας τροφός:* hincque etiam poſt §. 7. omnis conditionis hominibus ieiunium commendat.

37) Quamquam enim in vtraque homilia proxime quidem de publicis et communibus ieiuniis ſermo eſt, tamen et priuatorum ſimul rationem ab auctore habitam fuiſſe, ex *hom. II.* §. 2. initio cognoſcitur, vbi *ἔςι μὲν ὃν*, inquit, *πάντα τὸν χρόνον ἡ νηςεία ὠφέλιμος τοῖς αἱρεμένοις αὐτὴν· — πολλῷ δὲ πλέον νῦν, ὅτε εἰς πᾶσαν τὴν οἰκουμένην περιαγγέλλεται τὸ κήρυγμα;* itemque ex §. 5, vbi poſt verba *ſuper. not.* allata haec ſubiiciuntur: *τοιαῦται μὲν αἱ καθ' ἕκαςον οἶκον αὐτῆς ἐπιμέλειαι.*

38) Cuius rei documento v. c. eſt *hom. I.* §. 4. in qua tota occurrit excuſationi ab infirma corporis valetudine et debilitate peti ſolitae.

39) *Hom. I.* § 10. et *II.* §. 7. in quo poſteriori loco *ἐ μὲν τοι*, inquit *pag.* 15. *ἐξαρκεῖ καθ' ἑαυτὴν ἡ ἀποχὴ τῶν βρωμάτων πρὸς τὴν ἐπαινετὴν νηςείαν· ἀλλὰ νηςεύσωμεν νηςείαν δεκτὴν, εὐάρεςον τῷ θεῷ. ἀληθὴς νηςεία ἡ τῶ κακῶ ἀλλοτρίωσις, ἐγκράτεια γλώσσης, θυμῶ ἐποχὴ, ἐπιθυμιῶν χωρισμὸς, καταλαλιᾶς, ψεύδως, ἐπιορκίας.*

40) Quod et ipſum in vtraque homilia feciſſe deprehenditur *I.* §. 10. *pag.* 9. *ſq.* et *II.* §. 4. *pag.* 12.

aut ulla in iis oſtentatio admittatur[41]): neque tamen his ſimilia in aliis etiam ſcriptis eius[42]) genuinis[43]) deſide-

---

41) Contra quam diſputat inprimis *hom. I. §. 2. νηϛείας*, aiens, *δημοσιευομένης κέρδος ἐδὲν·* ſimiliterque in poſter. etiam *hom. §. 3, pag.* 12. haec habet: *μέλλων τοίνυν νηϛεύειν μὴ σκυθρωπάζῃς Ἰεδαϊκῶς, ἀλλ᾽ εὐαγγελικῶς σεαυτὸν καταφαίδρυνον· μὴ πενθῶν τὸ γαϛρὸς τὴν ἔνδειαν, ἀλλὰ συνηδόμενος τῇ ψυχῇ τῶν πνευματικῶν ἀπολαύσεων.* In huius tamen nimiae auſteritatis fugiendae commendatione eum non ſemper ſibi conſtitiſſe, aut ſaltem non admodum ſeuerum vel moroſum fuiſſe, cum ex iis perſpicitur, quae in *Regul. brev. tract. interrog.* 223. *To. II. pag.* 489. tradit, vbi hanc quaeſtionem mouet, quidnam faciendum ſit ei, qui licet ob aliquam rationem Deo probatam voluerit ex mandato Domini Matth. VI, 17. ieiunare ſic, vt non conſpiciatur ab hominibus, tamen vel inuitus conſpiciatur ab aliis, ad eamque ita reſpondet, vt dicat, hoc praeceptum ad eos tantum pertinere, qui hae vna de cauſa ieiuniis operam dent, vt hominum oculos in ſe conuertant, iisque placeant, neutiquam vero ad eos, qui diuino mandato in ieiuniis ſibi imponendis obtemperare ſtudeant, deque iis haec ſubiicit: *ὅτι γε ἡ ἐντολὴ τοῦ κυρίου εἰς δόξαν θεοῦ γενομένη, κατὰ φύσιν ἀνεπιτηδείως ἔχει πρὸς τὸ κρύπτεσθαι παρὰ τοῖς φιλοθέοις, ὁ κύριος ἐδήλωσεν εἰπών· ὁ δύναται πόλις κρυβῆναι ἐπάνω ὄρους κειμένη· ὁ δὲ καίσοι λύχνον, καὶ τιθέασιν αὐτὸν ὑπὸ τὸν μόδιον κ. λ.* tum vero apertius etiam docet locus in *epiſt. II. ad Gregor.* vbi *To. III. pag.* 74. haec ſcribit: *ἔπεται δὲ τῷ ταπεινῷ καὶ καταβεβλημένῳ φρονήματι ὄμμα ϛυγνὸν καὶ εἰς γῆν συννενευκός, σχῆμα ἠμελημένον, κόμη αὐχμηρά, ἐσθὴς ῥυπῶσα· ὥϛε ἃ ποιοῦσιν οἱ πενθοῦντες κατ᾽ ἐπιτήδευσιν, ταῦτα ἐκ τοῦ αὐτομάτου ἡμῖν ἐπιφαίνεσθαι*, quo loco non immerito offenſus eſt Io. Barbeyracius in *Traité de la morale des pères de l'egliſe, cap. XI. §.* 20. *p.* 165. *ſq.*

42) Inprimis vero huius generis plura occurrunt in *Regul. brev. tract.* in quarum *interrog.* 130. quaerit *πῶς χρὴ νηϛεύειν, ὅταν χρεία γένηται νηϛείας πρὸς τι τῶν εἰς θεοσέβειαν ἐπιζητουμένων· ὡς ἀναγκαζόμενον, ἢ μετὰ προθυμίας*, et, vt facile poterat expectari, ſententiam quidem in poſterius pronuntiat, addit tamen *τὸ δὲ νηϛεύειν ἐν καιρῷ χρείας τοιαύτης ἀναγκαῖον.* Neque tamen hoc ieiunandi ſtudium eo vsque progredi debere, vt quis ad omnem laborem perficiendum ob debilitatem inde ortam ineptus reddatur, monet *interr.* 139. *pag.* 462. *καὶ τὴν νηϛείαν*, inquiens, *καὶ τὸ φάγειν μετὰ λόγου τοῦ οἰκείου τῆς θεοσεβείας παραλαμβάνεσθαι χρὴ· ἵνα ὅταν μὲν ἐντολὴν θεοῦ διὰ νηϛείας κατορθωθῆναι δέοι, νηϛεύσωμεν· ὅταν δὲ πάλιν ἡ ἐντολὴ τοῦ θεοῦ βρῶσιν ἐπιζητεῖ ἐνδυναμοῦσαν τὸ σῶμα, φαγῶμεν οὐχ ὡς γαϛρίμαρχοι, ἀλλ᾽ ὡς ἐργάται θεοῦ.*

43) Etenim horum tantum nunc vnice rationem habendam eſſe exiſtimauimus, miſſis iis, quae vel dubiae ſunt fidei, vel aperte ſpuria et in editionis Garner. adpendices omnia coniecta, licet nec in his alia deprehenderimus, quam quae in iſtis tradi docuimus.

rantur. Ad eundem plane modum ipſius etiam frater, *Gregorius Nyſſ.* et ipſe quidem ieiunium pro virtutis fundamento habuit[44]), verum tamen ita ſemper moderandum voluit, vt ne nimia continentia, qua corporis vires debilitentur atque frangantur, in eo locum habeat[45]), atque praeterea et hoc ſtudioſe admonuit, niſi peccati fuga virtutisque ſtudium ei acceſſerint, omni id commodo carere[46]). Neque alia ſunt, quae de iisdem docuit *Chryſoſtomus.* Is enim quanquam et ipſe ieiuniis non minus, quam iſti, fauit[47]), magnumque hominis ornamentum atque praeſidium in iis agnouit[48]), omnem tamen eorum vſum non niſi ad virtutem hominis iuuandam valere, hocque vno conſilio ea a Deo hominibus iniuncta eſſe defendit[49]), hincque etiam, ſi ad hunc

---

44) Quod diſerte de eo praedicat in *Orat. I. de paup. amand. Opp. To. II. pag.* 139.

45) Qua de re conſulto diſſerit in libr. *de virgin. cap. XXII. To. III. pag.* 170.

46) Quod ſibi inprimis demonſtrandum ſumſit in illa ipſa, quam modo excitauimus, *Orat. I. de paup. amand.* quae tota fere huic conſilio eſt deſtinata, vt illud ieiunii et abſtinentiae genus, *quod*, quae ſunt ipſa verba eius latine tantum ſeruata, *a corpore et materia ſeiunctum eſt, cumque animam duntaxat reſpiciat, ea re perficitur, vt a vitiis temperemus, et cuius ieiunii gratia etiam illud indictum ſit, vt a cibis abſtineamus*, pluribus explicetur.

47) Quod in *Hom. X, in Cap. I. Geneſ. Tom. II. Opp. pag.* 79. edit. Fr. Duc. ipſe de ſe profeſſus eſt his verbis: *καὶ ταῦτα λέγω ὁ τὸν τόνον τῆς νηςείας ἐκλύων, μὴ γένοιτο, ἀλλὰ καὶ σφόδρα ἐπαινῶν καὶ ἀποδεχόμενος τὸς νηςεύοντας.*

48) Quo nomine ipſe ieiunium praedicat ſtatim ab initio *Hom. IV. de ieiun. et temper. To. VI. pag.* 592. *βέλη* inquiens, *μαθεῖν ὅσος κόσμος ἄνθρωποις ἡ νηςεία; ὅση ἀσφάλεια καὶ φυλακή; ἐννόησον μοι τὸ μακάριον καὶ θαυμαςὸν γένος τῶν μοναζόντων.*

49) In quam rem haec habet *l. l. διὰ γὰρ τοῦτο τὴν ἀποχὴν τῶν βρωμάτων κελεύει γίνεσθαι ὁ Θεὸς, ἵνα χαλινοῦντες τὰ σκιρτήματα τῆς σαρκὸς εὐήνεον αὐτὴν ἀπεργαζώμεθα, πρὸς τὴν τῶν ἐντολῶν ἐκπλήρωσιν·* et paulo poſt haec ſubiicit: *ἐδὲ γὰρ τὴν ἀποχὴν τῶν βρωμάτων καὶ τὴν νηςείαν ἁπλῶς ἀπαιτεῖ παρ' ἡμῶν γίνεσθαι; ἐδὲ διὰ τοῦτο, ἵνα ἄσιτοι διαμένωμεν μόνον, ἀλλ' ἵνα ἀφιςῶντες ἑαυτὸς ἀπὸ τῶν βιωτικῶν πραγμάτων, πᾶσαν τὴν*

vſum non conuertantur, nec virtutis ſtudio iungantur, non modo omnem eorum honorem [50]), ſed vtilitatem [51]) quoque perire, imo grauius adeo damnum iis contrahi [52]) ſtatuit, contra vero ſi cum illo nexa fuerint, non modo multa ex iis in corpus et animum hominis commoda [53])

σχολὴν ἐν τοῖς πνευματικοῖς ἀναλίσκωμεν. ὡς εἰ μετὰ νηφέσης διανοίας τὴν ἑαυτῶν βίον ᾠκονομᾶμεν, καὶ περὶ τὰ πνευματικὰ πᾶσαν νὴν σπυδὴν ἐπιδεικνύμεθα, καὶ τῇ τροφῇ ἔτω προσίεμεν, ὡς τὴν χρείαν μόνον πληρῶν καὶ ἐν ταῖς ἀγαθαῖς πράξεσιν ἅπαντα τὸν βίον καταναλίσκειν, οὐδὲ χρεία ἦν ἡμῖν τῆς βοηθείας τῆς ἀπὸ τῆς νηςείας. Eadem dixerat iam *Hom. X. in Cap. I. Geneſ. To. II. pag.* 79. hincque etiam *Serm. XXXVII. de reſurr. Chriſt. To. V. pag.* 468. παρῆλθεν, inquit, ἡ νηςεία ἡ σωματικὴ· ἀλλ' ὁ παρῆλθεν ἡ νηςεία ἡ πνευματική· αὕτη βελτίων ἐκείνης, κἀκείνη διὰ ταύτην ἐγένετο.

50) De quo *Hom. III. ad popul. Antioch. To. I. pag.* 45. hunc in modum diſputat: ταῦτα εἶπον, οὐχ ἵνα νηςείαν ἀτιμάζωμεν, ἀλλ' ἵνα νηςείαν τιμῶμεν. τιμὴ γὰρ νηςείας οὐχὶ σιτίων ἀποχὴ, ἀλλ' ἁμαρτημάτων ἀναχώρησις· ὡς ὅγε τῇ τῶν βρωμάτων ἀποχῇ μόνον ὁρίζων τὴν νηςείαν, ἔτος ἐςὶν ὁ μάλιςα ἀτιμάζων αὐτὴν. κ. λ.

51) Qua de re in eadem *Hom. III. ad popul. Antioch. pag.* 44. pluribus diſputat, itemque in *Hom. XVI.* vbi *pag.* 188. οὐδὲν, inquit, ὄφελος τῆς νηςείας ἡμῖν ἂν παρέλθωμεν αὐτὸ ἁπλῶς, εἰκῇ καὶ μάτην, ἂν τὴν τῶν βρωμάτων νηςεύωμεν νηςείαν, καὶ παρελθοῦσῶν τῶν τεσσαράκοντα ἡμερῶν παρέρχεται καὶ ἡ νηςεία. ἐὰν δὲ ἁμαρτημάτων ἀπεχώμεθα, καὶ τῆς νηςείας παρελθούσης ταύτης, ἐκείνη πάλιν μένει, καὶ διηνεκὴς ἔςαι ἐντεῦθεν ἡμῖν ἡ ὠφέλεια, καὶ πρὸ τῆς βασιλείας τῶν ὀρανῶν οὗ μικρὰς ἡμῖν ἐνταῦθα ἀποδώσει τὰς ἀμοιβάς.

52) Quod *Hom. IX. in Cap. I. Gen. To. II. pag.* 93. his verbis monet: εἰ γὰρ μὴ μέλλοιμέν τι κερδαίνειν ἐκ τῆς ἐνταῦθα συνεχοῦς ἐλεύσεως τε καὶ παραινέσεως, καὶ ἀπὸ τοῦ τῆς νηςείας καιροῦ προσφέρειν τι τῶν χρησίμων εἰς τὴν ἑαυτῶν ψυχὴν ταῦτα οὐ μόνον ἡμᾶς ὀδὲν ὠφελήσει, ἀλλὰ καὶ μείζονος ἡμῖν κατακρίσεως ἀφορμὴ γενήσεται, ὅταν, τοσαύτης ἐπιμελείας ἀπολαύοντες, οἱ αὐτοι διαμένωμεν, κ. λ. quibus ſimillima leguntur etiam in *Hom. IV. de ieiun. et temper To. VI. pag.* 592.

53) De quibus in *Hom. X. in Cap. I. Genes. To. II. p.* 81. haec in vniuerſum tradit: ἡ γὰρ νηςεία τὸ μὲν σῶμα κατατείνει καὶ χαλινοῖ τὰ ἄτακτα σκιρτήματα, τὴν δὲ ψυχὴν διαγενεςέραν ἐργάζεται καὶ πτεροῖ, καὶ μετάρσιον καὶ κεφὴν ποιεῖ. Tum vero de his commodis ſeparatim etiam ſubinde exponit, hincque v. c. de commodis ad animum inde redundantibus in *Hom. LIII. de poenit. I. Tom. I. p.* 578. haec habet: ἡ δὲ νηςεία δεδεμένους ἡμᾶς καὶ δεδεμένες εὑροῦσα, ἀνίησι τῶν δεσμῶν, ἀπαλλάττει τῆς τυραννίδος, καὶ πρὸς τὴν ἐλευθερίαν ἐπανάγει τὴν προτέραν. κ. λ.

proficiſci, ſed ad ipſum etiam coelum viam per illa parari[54]) ſibi perſuaſit, ideoque etiam ſuos ſaepe fructum illorum quaerere[55]) admonuit. Inprimis vero cum precibus et eleemoſynis ea coniuncta eſſe[56]) voluit, quoniam ipſi per vtrasque vtilitas eorum multum videbatur adiuuari[57]). Licet vero illorum vſum omnibus aetatibus conuenire iudicaret[58]), eum tamen non niſi ad perfectiores pertinere[59]), neque ſingulis officii loco iniungi poſſe exiſtimauit, ideoque et eos, qui propter corporis imbe-

---

ſimiliterque ſub finem illius hom. *pag.* 584. docet etiam, corporis ſanitatem per ieiunia adiuuari.

54) Quo pertinent, quae in *Hom. III. ad popul. Antioch. pag.* 44. monet, ἄψαι, inquiens, τῆς ὁδοιπορίας τῆς εἰς τὸν οὐρανὸν φερούσης, τῆς τεθλιμμένης καὶ στενῆς, ἄψαι καὶ ὅδευσον. πῶς δὲ δυνήσῃ καὶ ἅψασθαι καὶ ὅδευσαι ἐγ ὑπνωπιάζων σε τὸ σῶμα καὶ θελαγαγῶν. ἐνθα γὰρ ὁδὲ στενοχωρία, μέγα κώλυμα ἡ ἐκ τῆς ἀδηφαγίας πολυσαρκία, κ. λ.

55) Vt factum v. c. eſt *Hom. LVI. de poenit. VIII. T. I. p.* 609. *ſq.* itemque *Hom. IV. de ieiun. et temper. To. VI. pag.* 592.

56) Quod ad loca librorum ſ. Matth. XVII, 2. Act. XIII, 3. 1 Cor. VII, 5. hisque ſimilia pronocans ſaepius poſtulaſſe deprehenditur, v. c. *Hom. XXX. in cap. XI. Genes. To. III. p.* 336. *Hom. in Pſ. CXLV. To. III. pag.* 720. *Hom. de ieiun. et eleemoſ. To. VI. pag.* 531. itemque *Hom. LVIII. in cap. XVII. Matth. To. I. Comment. in N. T. pag.* 627.

57) Qua de re in *Hom. in Pſ. CXLV. To. III. pag.* 720. haec v. c. habet: ἀεὶ μὲν ἐν μεγάλῃ τῆς εὐχῆς ἡ δύναμις· τὸ δὲ μετὰ νηστείας εἶναι εὐχὴν, δυνατωτέραν ποιεῖ τὴν ψυχὴν· νῦν σωφροσύνη λογισμῶν παρ' ἡμῶν πολλὴ, νῦν διεγείρεται διάνοια, καὶ τὰ ἄνω περιβλέπει πάντα ἡ ψυχή κ. τ. λ. atque in *Hom. de ieiun. et eleemoſ. l. l.* μὴ τοίνυν, inquit, ἀρχὴν τὴν νηστείαν ἐπιδείκνυσο· ἐ γὰρ ἀναβαίνει μόνη εἰς τὸν οὐρανὸν ἡ νηστεία, ἐὰν μὴ ἔχῃ τὴν ἀδελφὴν αὐτῆς τὴν ἐλεημοσύνην. ξυνωρὶς γὰρ αὐτῆς ἐστι, καὶ ἐ μόνον ἀδελφότης καὶ ξυνωρὶς, ἀλλὰ ὄχημα· — πτερὸν γὰρ ἐστι τῆς εὐχῆς ἡ ἐλεημοσύνη· ἐὰν ἓν μὴ ποιήσῃς πτερὸν τῇ εὐχῇ ὁ πέταται· ὅταν δὲ πτερωθῇ ἡ ψυχὴ σε, ἵπταται εἰς τὸν οὐρανὸν.

58) Quod *Hom. II. in cap. I. Geneſ. To. II. pag.* 8. his verbis ſignificauit: νηστεία γὰρ ἐστιν ἡ γαλήνη τῶν ἡμετέρων ψυχῶν, ἡ τῶν γεγηρακότων ἐυκοσμία, ἡ τῶν νέων παιδαγωγὸς, ἡ τῶν σωφρονούντων διδάσκαλος, ἡ πᾶσαν ἡλικίαν καὶ φύσιν καθάπερ διαδήματι τινι κατακοσμοῦσα.

cillitatem ieiunare parum valeant, confiliis fuis adiuuare[60]) ftuduit. Simili vero modo *Cyrillus* etiam *Alex.* et ipfe quidem ieiunium cum precibus non modo[61]) fed vniuerfae etiam virtutis ftudio, quod praeter caetera, quae ex illo oriantur, commoda[62]), ipfum quoque per illud plurimum adiuuetur[63]), coniungendum,

---

59) Quam fententiam fuam in *Hom. XXXI. in Matth. Tom. I. Comment. in N. T. pag.* 362. de verbis Iefu Matth. IX, 15. difputans in hunc modum expofuit: *ὁ δὲ λέγει τοιῦτον ἐστι· χαρᾶς ὁ παρὼν καιρὸς καὶ εὐφροσύνης. μὴ τοίνυν ἐπείσαγε τὰ σκυθρωπά. καὶ γὰρ σκυθρωπὸν ἡ νηστεία, ὃ τῇ φύσει, ἀλλ' ἐκείνοις, τοῖς ἀσθενέστερον ἔτι διακειμένοις. ὡς τοῖς γε φιλοσοφεῖν ἐθέλουσι, καὶ σφόδρα ἡδὺ τὸ πρᾶγμα καὶ ποθεινόν.*

60) Cuius generis confilia leguntur v. c. in *Hom. X. in cap. I. Genef. To. II. pag.* 80. vbi *ἂν τοίνυν*, inquit, *ὦσί τινες τῶν ἐνταῦθα συνιόντων ὑπὸ ἀσθενείας σωματικῆς κωλύομενοι; καὶ μὴ δυνάμενοι ἄσιτοι διαμένειν, τούτοις παραινῶ καὶ τὴν ἀσθένειαν τὴν σωματικὴν παραμυθεῖσθαι, καὶ τῆς διδασκαλίας ταύτης τῆς πνευματικῆς μὴ ἀποστερεῖν ἑαυτὰς, ἀλλὰ ταυτῃ μᾶλλον πλείονά τὴν σπουδὴν ἐπιδείκνυσθαι. εἰσὶ γὰρ, εἰσιν ὁδοὶ πολλαὶ μείζους τῆς ἀποχῆς τῶν βρωμάτων, αἱ δυνάμεναι τὰς θύρας ἡμῖν ἀνοίγειν τῆς παῤῥησίας τῆς πρὸς τὸν Θεόν. ὁ τροφῆς τοίνυν μεταλαμβάνων καὶ νηστεύειν μὴ δυνάμενος, δαψιλεστέραν τὴν ἐλεημοσύνην ἐπιδεικνύσθω, εὐχὰς ἐκτενεῖς, τὴν προθυμίαν ἐπιτεταμένην ἐχέτω περὶ τὴν ἀκρόασιν τῶν θείων λογίων· ἐνταῦθα οὐδὲν ἡ τοῦ σώματος ἀσθένεια ἐμπόδιον ἡμῖν γίνεται, κ. λ.* haecque eadem fere repetita etiam funt in *Hom. IV. de ieiun. et temper. To. VI. pag.* 592.

61) Quod poftulat v. c. *Hom. XVIII. de feft. pafch. Opp. To. V. P. II. p.* 240. *fq.* edit. Aubert.

62) Ad quae pertinet v. c. hoc, quod damna, quae ex fercülorum luxurie oriantur, caueat, quo quidem nomine ieiunia, argumento a contrario, vt ipfe dicit, petito commendat *Hom. I. de feft. pafch. To. V. P. II. pag.* 9. *fq.* itemque id, quod *ibid. pag. feq.* commemorat, quod peracto ieiunio maior fit voluptatis oblectatio, *ὅν*, inquiens, *τὸ νηστεύειν ἐκ ἀκριδές, ἵνα καιρῷ καλῶντος ἀπολαύσῃς ἡδύτερον. ἀγαπήσωμεν τοίνυν τὴν νηστείαν, ὡς παντὸς ἀγαθοῦ καὶ πάσης εὐθυμίας μητέρα.*

63) Quod in eadem *Hom. I. de feft. pafch. pag.* 8. his verbis tradit: *ἐχὶ νηστεία πάσης ἡμῖν ἀρετῆς ἰδέαν ἀποτίκτουσα; νηστεία τῆς ἰσαγγελίκ πολιτείας τὸ μίμημα, σώφροσύνης πηγὴ, ἐγκρατείας ἀρχὴ, λαγνείας ἀναίρεσις.* Quomodo autem virtus per ieiunium adiuuetur, docet *Hom. VII. pag.* 82. vbi, poftquam fimillima de eius ad virtutem vi praedicauerat, haec deinde addit: *μάχεται μὲν γὰρ τοῖς ἐκτόποις τοῦ νοῦ κινήμασιν· ἀναιρεῖ δὲ τὸν ἐν τοῖς μέλεσι τοῖς σαρκὸς ἀγριαίνοντα νόμον καὶ τὸν ὄχλον τῶν*

tumque demum in vero ieiunio habendum esse defendit[64]), attamen de vi eius et pretio, quod tum habeat, paulo honorificentius caeteris iudicauit[65]). Denique *Theodoretus*[66]) etiam inter illos fuisse deprehenditur,

---

ἐν ἡμῖν ἀντιθάσσων (ἀντιτασσόντων) ἡδονῶν κατευνάζουσα μονονεχὶ μέγα τι καὶ διαπρύσιον ἀναβοῶσά φησι· παρασήσατε τὰ μέλη ἡμῶν θυσίαν ζῶσαν, εὐάρεστον τῷ Θεῷ, τὴν λογικὴν λατρείαν ἡμῶν.

64) In quam rem plura disputat in *Comment. ad Ioël.* locum huius prophetae cap. 1. 14. explicans, *To. III. pag.* 83. *sq.* itemque in *Hom. IX. de fest. pasch. pag.* 129. atque *Hom. XXII. Tom. V. P. II. pag.* 271.

65) Quod docet certe locus *Comment. in Ioël. To. III. pag.* 219. vbi de vi eius, quam ad placandum Deum habeat, haec tradit: *πλὴν ἐκεῖνο περιαθρεῖν ἀναγκαῖον, ὅση τίς ἐστι τῆς νηστείας ἡ δύναμις. ἐξημεροῖ τὸν δεσπότην, κατευνάζει τὴν ὀργὴν, ἀνατρέπει τὴν κόλασιν. ἑαυτοὺς γὰρ αἰκιζόμενοι μονονεχὶ ἀγριαίνοντα καὶ λελυπτηκότα τὸν θεῖον καθ' ἡμῶν εὖ μάλα θυσωποῦμεν θυμὸν, καὶ τὴν χεῖρα τε καταπαίνοντος εὐκόλως συστέλλομεν. εἰ γὰρ ἐστιν ἀληθὲς, ὅτι καὶ μόνον ὁμολογοῦντες τὰς ἁμαρτίας κατοικτείροντε Θεὸ δικαιούμεθα· πῶς ἂν ἐνδοιάσειε τις ὅτι τοῖς ἐξ ἀσκήσεως πόνοις ἑαυτοὺς καταπήκοντες, καὶ οἱονὶ αἰτοῦντες δίκας παρὰ Θεοῦ τῶν ἡμαρτημένων κερδαινοῦμεν τὴν ἄφεσιν;* Minus offendit, quod *Hom. XX. de fest pasch. To. V. P. II. pag.* 263. *νηστείαν* in vniuersum adpellat *τῆς ἄνωθεν εὐμενείας πρόξενον*, huiusque beneuolentiae diuinae *Hom. XVIII., p.* 240. hoc nominatim documentum praedicat, quod Deus in satis nostris per hanc vitam moderandis benignum se praebeat.

66) Quod confirmatur loco in ipsius *Comment. in Ioël. To. II. Opp. p.* 1386. edit. Hal. vbi de notissimo illo huius prophetae loco cap. I, 14. differens, *διδασκόμεθα δὲ*, inquit, *σαφῶς ἐκ τῶν εἰρημένων, ὡς ἡ νηστεία τῶν κακῶς τὰς ψυχὰς διακειμένων ἀλεξικακον γίνεται φάρμακον, θεραπεύειν τὰ τῆς ἁμαρτίας πάθη δυνάμενον. διὸ καὶ τῇ νηστείᾳ τὴν θεραπείαν προσέτεθεικεν. ἀγιάσετε γάρ φησι νηστείαν, κηρύξατε θεραπείαν.* Neque tamen absolutam eum ieiunii necessitatem admisisse, ex iudicio eius cognoscitur, quod de Marciani, ascetarum celeberrimi, in cibis sumendis versandi ratione in *histor. relig. cap. III.* tulisse legitur. Etenim non modo absque vlla reprehensionis nota refert *To. III. pag.* 1137. *sq.* Marcianum istum hunc morem tenuisse, vt nullo quidem die cibo prorsus abstineret, sed quouis potius die aliquo vteretur, eo tamen tam parco, vt nunquam satiaretur, hocque ieiunium eum multo aptius iudicasse illo, quod per plures dies continuetur, sed et post, cum narrasset, Auitum quendam, et ipsum monachum eumque durissimo vitae generi assuetum, atque in ieiuniis sustinendis maxime exercitatum, hanc eius viuendi rationem ma-

qui in ieiuniis virtutis aliquam diſciplinam agnoſcerent ſic, vt per ea quemque peccatis et vitiis ſuis optime mederi poſſe ſibi perſuaderent; haecque adeo, vt iam ex iis, quae hucusque a nobis ſunt expoſita, ſponte cognoſcitur, conſtans fuit omnium fere graecae quidem eccleſiae doctorum perſuaſio.

Cap. V.

Sect. 5. De ieiuniis Patrum latinorum ſententiae.

(Comment. XXI.)

Inter latinae vero eccleſiae doctores *Tertullianum* primum, vtpote Montaniſtarum partibus addictum, ieiuniis non parum tribuiſſe, ſponte profecto poteſt expectari, cum Montaniſtas ea non modo probaſſe, ſed neceſſaria adeo iudicaſſe, hocque ipſo nomine a catholicis, qui a libero potius cuiusque Chriſtiani arbitrio ea proficiſci debere contendebant, reprehenſos fuiſſe [1]) conſtet. Hinc igitur et ipſe non modo neceſſitatem eorum defendit, ſed ea ab vtilitate etiam ex iis perci-

---

gnopere miratum eſſe, tuliſſeque ab eo hoc reſponſum, ſibi quidem quanquam ieiunium pluris faciat, quam cibum, caritatem tamen ieiunio praeſtantiorem videri, cum illa quidem diuinae legis opus ſit, hoc vero noſtrae poteſtatis, hoc iudicium ſubiicit *p.* 1145. *τίς τοίνυν ἐκ ἂν θαυμάσειε τοῦδε τοῦ ἀνδρὸς τὴν σοφίαν, ὑφ᾽ ἧς κυβερνώμενος ἥδει μὲν νηστείας, ἥδει δὲ φιλοσοφίας καὶ φιλαδελφίας καιρὸν, ἥδει δὲ καὶ τῶν τῆς ἀρετῆς μορίων τὸ διάφορον, καὶ ποῖον ποῖῳ προσήκει παραχωρεῖν, καὶ τίνι κατὰ καιρὸν διδόναι τὰ νικητήρια.*

1) Quod vel vnus ille Tertulliani locus abunde confirmat, quem laudauimus iam *Comment. XIX. pag.* 800. *not.* 34. Attamen non veram, ſed verbis tantum nixam, ſententiarum diuerſitatem inter utrosque hac de re obtinuiſſe, non incommode monuit Gottl. Wernsdorfius in *Comment. hiſtorico-critic. de Montaniſtis Sec. II. vulgo creditis haereticis*, (*Gedan.* 1751 4.) §. 23. *pag.* 61. *ſſ.* cui conſentiri etiam videtur Chriſt. Guil. Franc Walchius in *Entwurf einer vollſtänd. Hiſtor. der Ketzereien*, *Vol. I. pag.* 629. *ſq.*

pienda et commodis per ea obtinendis aliorumque exemplis plurimum commendauit [2]). Et neceſſitatem quidem eorum a neceſſitate expiandi peccati ab Adamo in paradiſo commiſſi [3]) officiique ſanctitate [4]) repetiit; inter commoda autem eorum haec maxime commemorauit, quod non modo animum hominis ad diuina tractanda aptiorem [5]), ipſumque hominem Deo quaſi parem reddant [6]), ſed ad hunc quoque, vbi propter

---

2) Quod argumentum in claſſico hac in re libro *de ieiunio aduerſ. pſychicos*, qui in edit. Opp. Seml. *Vol. II.* exhibetur, eodem fere, quem supra ſignificauimus, ordine perſecutus eſt.

3) Qua de re toto *Cap. III.* illius libri exponit. Hinc vero vtique neceſſitatem aliquam ieiuniorum prodire, ſtatim ab initio capitis his verbis ſignificat: *Itaque nos hoc prius affirmare debemus, quod occulte ſubrui periclitatur, quantum valeat apud Deum inanitas illa* (pulmonum et inteſtinorum): *et ante omnia, vnde ratio ipſa proceſſerit, hoc modo promerendi Deum: tunc enim agnoſcetur obſeruationis* neceſſitas, *cum eluxerit rationis auctoritas a primordio recenſendae.*

4) Hanc officii neceſſitatem in praeceptis de his illisue cibis fugiendis a Deo ſubinde propoſitis, e. c. in praecepto de abſtinentia ſanguinis poſt diluuium dato, itemque in praeceptis de cibis immundis populo Israëlitico iniunctis, Cap. IV. et V. teſtibus, ſibi viſus eſt reperiſſe. Quod vero non ſtatim poſt lapsum primorum parentum eiusmodi praecepta de victu moderando homini fuerint propoſita, imo plerarumque potius rerum cibo ipſi inſeruientium vſus liber ei fuerit permiſſus, in eo; vt ab init. Cap. IV. dicit, diuinae *prouidentiae pro temporibus omnia moderantis* luculentum documentum agnoſcit, pauloque poſt, *non competiſſe*, ait *p.* 369. *onerari hominem aliqua adhuc abſtinentiae lege, qui cum maxime tam leuem interdictionem vnius ſcilicet pomi tolerare non potuit: remiſſum itaque illum libertate corroborandum.*

5) Qua de re Cap. VI. haec habet *pag.* 398. *Ipſa natura enunciabit, quales nos ante pabulum et potum, in virgine adhuc ſaliua exhibere conſuerit, rebus duntaxat ſenſus agendis quo diuina tractantur, ſi multo pollentioris mentis, ſi multo vinacioris cordis, quam cum totum illud domicilium interioris eſcis ſtipatum, vinis inundatum, decoquendis iam ſtercoribus praemeditatorium efficitur latrinarum, in quo plane nihil tam in proximo superſit, quam ad laſciuiam ſapere:* idque pluribus deinde ieiunantium et non ieiunantium exemplis confirmat.

6) Quod ſub finem *eiusd. Cap. pag.* 400. his verbis tradit:

peccata ab homine commiſſa ipſi iraſcatur, ſibi reconciliandum [7]) et omnia, quae velit, ab illo impetranda, imo rerum etiam ignotarum cognitionem ipſi comparandam [8]), itemque ad vexationes religionis cauſa ſubeundas facilius tolerandas [9]) faciant, atque daemonibus etiam malis compeſcendis [10]) inſeruiant, haecque ſingula pluribus ſimul exemplis in libris ſacris obuiis confirmauit atque illuſtrauit. Ipſa autem ieiunia tum iam precibus plerumque iuncta fuiſſe, id et ipſum ex aliquo huius ſcriptoris loco [11]) cognoſcitur. Minus con-

---

Tanta eſt circumſcripti victus praerogatiua, ut Deum praeſtet homini contubernalem, parem re vera pari. Si enim Deus aeternus non eſuriet, ut teſtatur per Eſaiam, hoc erit tempus, quo homo Deo adaequetur, cum ſine pabulo viuit.

7) Quod cum *Cap. VII.* exemplis planum facere conſtituiſſet, iis haec ab initio *Cap.* praemittit: *Proceſſimus itaque iam ad exempla, uti reuoluamus vtilitatis efficacia poteſtates ipſius officii, quod etiam iratum Deum homini reconciliat.*

8) In quam rem in *eod. Cap.* circa finem haec leguntur: *Sed non modo naturae mutationem aut periculorum auerſionem, aut delictorum obliterationem, verum etiam ſacramentorum agnitionem, ieiunia de Deo merebuntur:* quorum vti priora exemplis quibusdam in antecedentibus illustrauerat, ita poſterius etiam exemplo Danielis in sequentibus confirmat, de quo in eandem rem diſputauit etiam in libr. *de anim. Cap.* 43. *To. IV. Opp. pag.* 313. *ſq.*

9) Quam ieiuniorum vtilitatem *Cap. XII.* nominatim tractat, dicitque eam tum locum habere, *cum carcer ediſcendus, et fames ac ſitis exercendae, et tam inediae quam anxii victus tolerantia vſurpanda ſit, vt in carcerem talis introeat chriſtianus, qualis inde prodiſſet, non poenam illic paſſurus, ſed diſciplinam; nec ſeculi tormenta, ſed ſua officia, eoque fidentior proceſſurus ad certamen e cuſtodia abuſus nihil habens carnis, ſic vt nec habeant tormenta materiam, cum ſola et arida ſit cute loricatus, et contra vngulas corneas, praemiſſo iam ſanguinis ſucco, tanquam animae impedimentis, properante iam et ipſa, quae iam ſaepe ieiunans mortem de proximo norit.*

10) Quam in rem *Cap. VIII. cur enim*, inquit, *triſte, quod ſalutare docuit, etiam aduerſus diriora daemonia ieiuniis praeliandum. Quid enim mirum, ſi ex eadem operatione ſpiritus iniquus educitur, qua ſanctus inducitur?*

11) Libr. *de poenit. cap.* 9. *To. IV. pag.* 59. vbi in parti-

tra ieiuniis proprie dictis *Hilarius Pictav.* fauiſſe videtur, cum omne ieiunium in recte factorum decore ponendum eſſe dicat [12]), idque eo deſtitutum prorſus inutile eſſe declaret [13]). Multo vero honorificentius de iisdem iterum ſtatuiſſe reperiuntur Hieronymus atque Ambroſius. Etenim *Hieronymus* quidem certum in iis peccatorum veniae aliorumque bonorum a Deo impetrandorum [14]), nominatimque felicitatis ſibi parandae

---

bus exomologeſeos et haec ponit: *ieiuniis preces alere, ingemiſcere, lachrymari et mugire dies noctesque ad dominum Deum* etc.

12) *Comment. in Matth. cap. V. pag.* 514. *Opp.* edit. Pariſ. 1652. ubi de loco Matth. VI. 16. diſputans de ſenſu eius haec habet: *Ieiuniorum profectum docet extra iactantiam confecti corporis eſſe oportere, neque de iniuriae* (inediae) *oſtentatione fauorem gentium ſectandum, ſed omne ieiunium in ſanctae operationis decore ponendum. Oleum enim fructum miſericordiae eſſe coeleſtis et propheticus ſermo eſt. Ergo bonitatis operibus caput noſtrum, id eſt, vitae noſtrae ſenſus ornandus eſt, quia intelligentia omnis in capite eſt: ſordesque in facie abluendae, ne quid ſit horroris ex vitiis, ſed magis gratia candoris ſit in occurſu: atque ita nos in ſplendorem bonae conſcientiae elutos, et in gratiam miſericordis operis delibutos, Deo ieiunia noſtra commendent. Caeterum fugientes in ieiuniis hominum conſcientiam vnctis capitibus, et ridiculi magis erimus et cogniti.*

13) *Enarrat. in Pſ. CXVIII. pag.* 957. ad *v.* 149. hui. Pſalm. haec monens: *Poſtremo audiri vocem ſuam ſecundum miſericordiam rogat, et miſericordiam ſecundum iudicium Dei poſtulat. Nos ſi ſemel ieiunamus ſatisfeciſſe nos arbitramur: ſi aliquid ex horreo domeſticarum facultatum inopi damus, impleuiſſe nos iuſtitiam credimus. Ieiunantes vt aut placeamus hominibus, aut corpora cibis feſſa releuemus, et inter ipſa ieiunia, ſtupra, iniurias, odii cogitationes, donantes autem exiguum neſcio quid, dum pulſantem fores noſtras inopem non ſuſtinemus, aut dum bonitatis famam inani et otioſa hominum opinione ſectamur: et deberi nobis vt audiamur exiſtimamus. Sed totum de Deo propheta ſperat, totum ex miſericordia eius expectat.*

14) Quod cum locus *Comment. in Zachar. l. II. cap. VII. To. VI. Opp. pag.* 204. edit. Frcf. docet, vbi *Curat enim*, inquit, *vulnera delinquentis abſtinentia et ieiunium, et curatos quosque ſanctificat*, tum vero alius *lib. XVI. Comment. in Eſ. cap. LVIII. To. V. pag.* 183. vbi plura ieiuniorum commoda paucis complexus eſt, quae tamen non niſi tum locum habere poſſe

praesidium [15]) agnouit, vbi cum virtutis studio, cuius primus quasi gradus sint atque fundamentum [16]), fuerint coniuncta [17]), hincque ea studiose commendavit [18]), unumque hoc in iis caueri voluit, vt ne nimia sint atque immoderata [19]); similique modo *Ambrosius*

---

monet, vbi cum peccatorum fuga sint coniuncta: *Et haec dicimus, non quo ieiunia reprobemus, per quae et Daniel vir desideriorum futura cognouit, et Niniuitae iram placauerunt Dei et Helias ac Moyses quadraginta dierum esurie, Dei familiaritate saturati sunt, et ipse Dominus totidem diebus in solitudine ieiunauit, vt nobis solennes ieiuniorum dies relinqueret: sed quo non prosit vacuum portare ventrem, et alia facere, quae Deo displicent, atque vt caetera praetermittam, exterminare facies suas, vt appareant hominibus ieiunare, qui in praesenti gloriam consequentes excludentur a regno Dei, quia receperunt mercedem suam.*

15) Quod *lib. II. adv. Iouian. To. II. pag.* 56. his verbis tradit: *ex quo ostenditur, posse nos per ieiunium redire in paradisum, vnde per saturitatem fueramus eiecti.*

16) Qua de re in *epist. ad Demetr. de virgin. serv. To. I. pag.* 44. haec habet: *Ieiunium non perfecta virtus: sed caeterarum virtutum fundamentum est et santificatio atque pudicitia, sine qua nemo videbit Deum. Gradus praebet ad summa scandentibus, nec tamen, si sola fuerit, virginem poterit coronare,*

17) Ieiunio enim virtutis et sanctitatis studio destituto omne pretium abiudicauit; de quo praeter locum *not.* 14. iam laudat. inprimis exposuit in *Comment. in Ioel.* 1, 15. *To. VI. pag.* 43. his verbis vsus: *Nec sufficit flere vel plangere et habitum lugentis assumere, nisi sanctificent ieiunium, et vocent coetum. Si omne ieiunium placeret Deo, nunquam diceret,* sanctificate ieiunium, *et,* non tale ieiunium elegi, dicit Dominus, etc.

18) Qua in re inprimis vsus est exemplis eorum, qui cum in V. tum N. T. libris vel ieiuniis dicuntur operam dedisse, eoque ipso magna sibi commoda parasse, vel cibo ac potu largiter sumto damna sibi contraxisse; cuius generis locus satis longus legitur in *lib. II. aduers. Iouian. To. II. pag.* 56.

19) Id quod praeter alia loca inprimis studiose admonuit in *Epist. ad Demetr. not.* 16. iam laudat. in qua inter alia, quae eam in rem disputat, haec nominatim monet, quae quantopere multi tum temporis iustos moderationis fines fuerint supergressi, haud obscure declarant: *Sic debes ieiunare, vt non palpites, et respirare vix possis, vt comitum tuarum vel porteris vel traharis manibus, sed vt fracto corporis appetitu nec in lectione, nec in Psalmis, nec in vigiliis solito quid minus facias.*

etiam et ipſe quidem in recta ieiunii agendi ratione conſtituenda laborauit; attamen nec in laudibus eius atque virtutibus praedicandis parcus fuit, imo eas copioſius adhuc, quam ab Hieronymo factum eſſe deprehendimus, eſt perſecutus [20]). Et in illa quidem hoc potiſſimum ſpectari voluit, vt cum precibus et legis diuinae meditatione coniunctum ſit ieiunium [21]) et a iactantia remotum [22]); inter has vero commemorauit quidem nonnulla etiam commoda eius externa atque neceſſaria [23]), inprimis tamen hanc eius vtilitatem lau-

---

Cur vero eiusmodi intemperantia in ieiuniis agendis fugienda ſit, in *epiſt. IV. ad Ruſtic. Mon. To. I. p.* 29. his verbis declaravit: *Quae* (ieiunia) *et ipſa moderata ſint, ne nimia debilitent ſtomachum et maiorem refectionem poſcentia, erumpant in cruditatem, quae parens libidinum eſt.* Nominatim vero in teneris aetatibus eiusmodi immoderata ieiunia improbauit, his verbis vſus in *epiſt. VII. ad Laetam, To. I. pag.* 37.: *Diſplicent mihi in teneris maxime aetatibus longa et immoderata ieiunia, in quibus iunguntur hebdomades, oleum in cibo ac poma vetantur.*

20) Quod inprimis in libr. *de Elia et ieiun. To. I. Opp. pag.* 535. *ſſ.* edit. Bened. ab eo factum eſſe conſtat, in quo virtutes ieiunii cum coniunctim commemorat, (qualis locus legitur v. c. ab init. *cap. III.* et *cap. IX. §.* 31. 32.) tum per ſingula etiam eundo laudes ipſius praedicat exemplisque illuſtrat.

21) *L. L. cap. X. §.* 34. vbi poſtquam locum Ieſ. 58. 3 ſſ. recitauerat, haec ſubiungit: *Vides, quae ſpecies ſit et forma ieiunii, quis mentis habitus: vt orationi vaces et in lege Dei die ac nocte mediteris.*

22) Vnde *l. l. cap. XI. §.* 40. *Noli ergo*, inquit, *te iactare cum ieiunas, noli gloriari, ne nihil tibi proſit ieiunium. Quae enim ad oſtentationem fiunt, non in futurum fructum extendent ſuum, ſed praeſentium mercede conſumunt.* Qualemnam vero ad vitandam eiusmodi iactantiam corporis formam vultusque habitum prae ſe ferre debeant ieiunantes, ante iam docuerat *Cap. X. §.* 35.

23) Quo pertinet v. c. id, quod *l. l. cap.* 9. *§.* 32. his verbis tradit: *Etiam ipſis ieiunium conuiuiis dat gratiam. Dulciores poſt famem epulae fiunt, quae aſſiduitate faſtidio ſunt, et diuturna continuatione vileſcunt. Condimentum cibi ieiunium eſt. Quanto auidior appetentia, tanto eſca iucundior. Ieiunus quidquid hauſerit, transmittit ad ſatietatem, non ad*

dauit, quod virtutis fit disciplina faciatque cum ad corporis lasciuiam coërcendam [24]), tum ad sanctitatis etiam atque probitatis incrementum adiuuandum [24]). Imo vero etiam meriti aliquid [26]) ipsi tribuit, idque eo nominatim retulit, quod et peccatis hominis abluen-

---

iudicium nare suspendit. — Ab ipso mundi conditore didicimus saepe diuersitatibus cumulari gratiam. Patrocinatur ergo et conuiuio fames, vt gratior fiat mensa ieiuniis. Praeterea vero huc referendum etiam videtur, quod *Hexaëm. l. VI. cap. IV. §.* 28. *To. I. pag.* 123. ieiunium optimum medicamentum esse dicit, *Medicamentum*, inquiens, *quaeris et ieiunium fugis, quasi maius aliud remedium reperire possis.*

24) Quo non modo referendum videtur, quod in loco vltimum laudato verbis modo allatis statim subiungit: *Ieiuni hominis sputum si serpens gustauerit, moritur. Vides quanta vis ieiunii sit, vt et sputo suo homo terrenum serpentem interficiat; et merito spiritalem;* sed quod diserte etiam tradit iu *Expos. Evang. sec. Luc. lib. V. §.* 23. *To. I. pag.* 1361. vbi de loco Luc. 5, 34. sqq. disputans. *Non vtique, inquit, hoc ieiunium relegatur, quo conficitur caro, et corporalis luxuria castigatur, hoc enim ieiunium nos commendat*, hincque etiam eiusd. oper. *lib. IV.* §. 24. *pag.* 1340. haec habet: *Disce ergo et tu diabolum vincere. Agit te spiritus, sequere spiritum. Non te reuocet carnis illecebra, spiritu plenus disce contemnere voluptates. Ieiuna, si vis vincere.* Imo *Epist. class. I. epist.* 63. *§.* 7. *To. II. pag.* 1024. aperte etiam reprehendit eos, qui improbent ieiunia, dicantque *delirare eos, qui ieiuniis castigent carnem suam, vt menti subditam faciant.*

25) Qua de re in libr. *de Elia et ieiun. cap. IX. §.* 31. haec leguntur: *Est ergo ieiunium reconciliationis sacrificium, virtutis incrementum. — Ieiunium nescit foeneratorem, non sortem foenoris nouit, non redolet vsuras mensa ieiunantium: non strangulant filium continentis viri paternae centesimae: non vexant viduam oppignorata sobrii viri iura defuncti: non defoenerata excludit haeredem aula ieiuni.*

26) Quo quidem vocabulo ipse in loc. *not.* 24. sub fin. ex epist. eius laud. diserte vtitur, ita tamen, vt *meritum* haud dubie ipsi idem sit, quod praemium, de qua huius vocabuli apud scriptores ecclesiasticos significatione videnda sunt, quae scite obseruauit. Car. Chr. Tittmannus in *Opusc. theol. pag.* 36. Sunt nimirum Ambrosii verba haec: *Audio enim venisse ad vos Sarmationem et Barbitianum vaniloquos homines, qui dicant, nullum esse abstinentiae meritum, nullam frugalitatis, nullam virginitatis gratiam, pari omnes aestimari pretio.*

dis inſeruiat [27]), et vero etiam diuinorum myſteriorum reuelatione dignum ipſum reddat [28]), eumque ad

---

27) In quam rem in *eiusd. epiſt. §.* 16. *quae nobis*, inquit, *ſalus eſſe poteſt, niſi ieiunio eluerimus peccata noſtra, cum ſcriptura dicat: ieiunium et eleemoſyna a peccato liberat.* Eo autem non aliud ipſum voluiſſe ſignificare, niſi hoc, veniam peccatorum per ieiunium parari, luculenter alius locus libr. *de Elia et ieiun. cap.* 4. vbi *§.* 9. in eandem rem haec diſputat: *Gula ergo nudos facit, ieiunia operiunt etiam exutos. Vnde David ait:* operui in ieiunio animam meam. *Bonum operimentum, quod animam tegit, ne a tentatore deprehendatur, ne a tentatore nutetur. Bonus velamen, quod tegit culpam, tegit abſtinentia, tegit gratia. Beati enim, quorum remiſſae ſunt iniquitates, et quorum tecta ſunt peccata. Tegit gratia, dum remittit, et omnem abolet errorem, tegit abſtinentia, dum obumbrat vitium et moeſto abſcondit affectu atque extenuat poenitendo. Etenim ieiunium et eleemoſyna a peccato liberant.* Cum vero in vtroque loco non ſolum ieiunium commemoretur, ſed ipſi eleemoſyna ſimul iungatur, vel hinc iam cognoſcitur, Ambroſium non ſoli ieiunio, tanquam tali, hanc vim remiſſionis peccatorum conciliandae tribuiſſe, ſed tum demum ipſi vindicaſſe, vbi cum aliis virtutibus fuerit coniunctum. Idque apertius etiam declarat alius locus, qui in libr. *de Noe et arca, cap. XIII. To. I. pag.* 244. legitur, habetque ſic: *Recte ergo eodem numero declinandorum peccatorum praecepta tribuuntur, quo poenae culpa eſt perſoluta, vt cognoſcamus, quod de eodem vitae tempore debeat ex correctione laus comparari, quo poteſt punienda culpa remitti. Vnde nunc iam non poenae praeſcripti ſunt dies quadraginta, ſed vitae; vt hoc numero ieiuniis et orationibus crebrioribus noſtrorum leuemus ſupplicia peccatorum, atque ad praeſcripta legis intenti, deuotione ac fide noſtrum corrigamus errorem.* Quod ſi obſeruaſſet Dallaeus, non opus habuiſſet, vt ad emolliendam atque excuſandam hanc Ambroſii ſententiam eo confugeret in libr. ſaepius iam laud. *de ieiun. et quadrageſ. lib. II. cap.* 15. *pag.* 339. vt eum in his locis per ieiunium nil niſi poenitentiam et cor poenitentia contritum, quippe adiunctum ieiunii, intellexiſſe defenderet. Id enim nullo profecto modo poterit concedi, cum in oculos incurrat, ipſi hic vtique de ieiunio proprie dicto ſermonem eſſe.

28) Qua de re in loco *epiſt.* 63. aliquoties iam laud. §. 16. haec leguntur: *Quid etiam ſibi vult Scriptura, quae docet ieiunaſſe Petrum, et ieiunanti atque oranti de baptizandis gentibus reuelatum myſterium, niſi vt oſtenderet, etiam ipſos ſanctos, cum ieiunant, tunc fieri praeſtantiores? Denique Moyſes cum ieiunaret, legem accepit. Et ideo Petrus cum ieiunaret, edoctus eſt N. T. gratiam. Daniel quoque ieiunii merito ora clauſit leonum, futurorumque temporum vidit negotia.*

Deum quasi adducat, eiusque gratiam ipsi conciliet [29]). Verum *Augustinus* ieiunii auctoritatem diserto quidem N. T. praecepto niti statuit [30]), neque tamen aliam eius vim agnouit, nisi hanc, quod ad domandas corporis cupiditates valeat [31]), et nisi hoc consilio agatur, omne ipsi pretium abiudicauit, ideoque quamcunque etiam aliam eius agendi causam improbauit [32]), omneque

---

29) Quod in libr. *de El. et ieiun.* initio *cap. III.* vbi plura ieiunii commoda paucis complexus est, et ipsum inter ea commemoratur, dum haec ibi ponuntur: *Ieiunium refectio animae, cibus mentis est ieiunium, vita est angelorum ieiunium, culpae mors, excidium delictorum, remedium salutis, radix gratiae, fundamentum est castitatis. Hoc ad Deum gradu citius pervenitur: hoc gradu Elias adscendit, antequam curru.*

30) Quod in *epist.* 36. §. 25. *To. II. Opp. pag.* 78, edit. Bened. Venet. his verbis diserte professus est: *Si autem — de hac re sententiam meam quaeris, ego in Euangeliis et Apostolicis litteris, totoque instrumento, quod appellatur Testamentum nouum, animo id reuoluens, video praeceptum esse ieiunium. Quibus autem diebus non oporteat ieiunare, et quibus oporteat, praecepto Domini non inuenio definitum.*

31) Quod inprimis cognoscitur ex sermone eius *de vtilit. ieiun. To. II. pag.* 613. *ss.* in quo hanc vnam eius vtilitatem commemorat, idque hinc statim ab initio sermonis *fraudationem carnis et lucrum mentis* adpellat, hancque virtutis disciplinam, quae in ieiunio insit, §. 3. hunc in modum defendit: *Non vobis ergo videatur leuis res aut superflua, ne quisquam forte hoc faciens ecclesiae consuetudine, cogitet apud se et dicat sibi, aut suggerentem intrinsecus audiat tentatorem; Quid facis, quia ieiunas? Defraudas animam tuam, non ei das, quod iam delectat, tibi ipsi ingeris poenam, tuus ipse tortor et cruciator existis. Deo ergo placet, quia te crucias? Ergo crudelis est, qui delectatur poenis tuis? Responde huiusmodi tentatori: Excrucio me plane, vt ille parcat: do de me poenas, vt ille subneniat, vt placeam oculis eius, vt delectem suauitatem eius. Nam et victima excruciatur, vt in aram imponatur. Minus premet mentem meam caro mea. Et tali dissuasori malo, seruo ventris, responde per hanc similitudinem et dic: Si iumento forte insideres, si equo vtereris, qui te gestiendo posset praecipitare, nonne vt securus iter ageres, cibaria ferocienti subtraheres, et fame domares, quem freno non posses? Caro mea iumentum meum est* etc.

32) Cuius rei testis est locus *Enarrat. in Ps.* 86. §. 9. *To. IV. pag.* 925. vbi, *Magnum*, inquit, *opus, christianum opus ieiunium. Noli cito laudare; quaere causam, negotium ven-*

oſtentationis ſtudium ab eo remotum eſſe voluit [33]). Inprimis vero eo tum opus eſſe iudicauit, vbi grauior aliqua tentatio homini inſtet [34]), cumque hoc per omnem fere vitam locum habere ſoleat, ſemper quoque hominibus ieiunandum eſſe pronuntiauit [35]). In vni-

---

tris agitur, non religionis. Quare ieiunant? Ne ventrem praeoccupent vilia, et non poſſit admittere pretioſa. Ergo negotium gutturis gerit in ieiunio. Magna res vtique ieiunium: contra ventrem et guttur pugnat; aliquando illis militat. Huic vero ſimilis etiam eſt alius, qui legitur in *Enarrat. in Pſ.* 43. §. 16, *pag.* 376. habetque ſic: *Non laudatur in illo ieiunium, qui ad luxurioſam coenam ſeruat ventrem ſunm. Invitantur enim aliquando homines ad coenam magnam, et cum ad eam volunt auidi venire, ieiunant: numquid hoc ieiunium continentiae et non potius luxuriae deputandum eſt?*

33) Vnde in *lib. II. de ſerm. Dom. in monte ſec. Matth.* §. 40. *To. III. P. II. pag.* 216. ad locum Matth. VI, 16–18. progrediens: *Sequitur*, ait, *de ieiunio praeceptum, pertinens ad eandem cordis mundationem, de qua nunc agitur. Nam et in hoc opere cauendum eſt, ne ſubrepat aliqua oſtentatio et apetitus laudis humanae, qui duplicet cor, et non ſinat mundum et ſimplex eſſe ad intelligendum Deum;* itemque poſt §. 80. *pag.* 235. haec habet: *Multi ieiunant et mirabilem abſtinentiam praetendunt eis, quibus iſta difficilia videntur et honore digna exiſtimantur: et huiuscemodi dolis eos capiunt, dum aliud oſtentant ad decipiendum, aliud exſerunt ad depraedandum vel interficiendum eos, qui ſub iſto veſtitu ouino lupos videre non poſſunt.*

34) In quam rem in *Serm. CCX. in quadrag. cap.* 2. *To. V. pag.* 928. haec habet: *Non ergo quia Chriſtus poſt acceptum Ioannis baptiſmum continuo ieiunauit, tanquam regulam obſeruationis dediſſe credendus eſt, vt poſt ipſius Chriſti baptiſmum acceptum continuo ieiunare neceſſe ſit: ſed plane illo exemplo docuit ieiunandum eſſe, quando forte acriore luctamine cum tentatore confligimus. — Siue ergo continuo poſt baptiſmum, ſiue quolibet interuallo interpoſito, quando ſimile proelium tentationis infertur homini, ieiunandum eſt: vt et corpus impleat de caſtigatione militiam, et animus impetret de humiliatione victoriam.*

35) In *eiusd. Serm. cap. pag.* 4. 929. his verbis vſus: *Tentatio eſt vita humana ſuper terram: et in hac ſaeculi nocte circuit leo quaerens, quem deuoret. — — In tam periculoſa et tentationibus plena huius ſaeculi nocte quis non timeat, quis non medullis omnibus contremiſcat, ne dignus iudicetur, qui deuorandus dimittatur in fauces tam crudelis inimici? Vnde ieiunandum et orandum eſt.*

verſum enim tria potiſſimum per huius vitae decurſum hominibus colenda eſſe ſibi perſuaſerat, orationem nimirum, eleemoſynas et ieiunium [36]), ideoque hoc ſemper cum duabus prioribus coniungendum eſſe docuit [37]), idque ſolum neutiquam ſufficere [38]), declara-

---

36) Quam perſuaſionem ſuam in libr. *de perfect. iuſtit. homin. cap. VIII. §.* 18. *To. X. pag.* 173. his verbis profeſſus eſt: *Quamdiu ergo peregrinantes a Domino per fidem ambulamus; non per ſpeciem, vnde dictum eſt, iuſtus ex fide viuit; haec eſt noſtra in ipſa peregrinatione iuſtitia, vt ad illam perfectionem plenitudinemque iuſtitiae, vbi in ſpecie decoris eius iam plena et perfecta caritas erit, nunc ipſius curſus rectitudine et perfectione tendamus, caſtigando corpus noſtrum et ſeruituti ſubiiciendo, et eleemoſynas in dandis beneficiis, et dimittendis, quae in nos ſunt commiſſa peccatis, hilariter et ex corde faciendo in doctrina ſana, qua aedificatur fides recta, ſpes firma, caritas pura. Haec eſt nunc noſtra iuſtitia, qua currimus eſurientes et ſitientes ad perfectionem plenitudinemque iuſtitiae, vt ea poſtea ſaturemur. Vnde Dominus in Euangelio cum dixiſſet, Nolite facere iuſtitiam veſtram coram hominibus, vt videamini ab eis, ne iſtum noſtrum curſum ſine humanae gloriae metiremur, non eſt in expoſitione iuſtitiae ipſius exſecutus, niſi tria iſta, ieiunium, eleemoſynas, orationes.*

37) Id quod multis in locis feciſſe deprehenditur, inprimis in ſermonibus in quinquageſim. habitis, qui ſunt inter Sermones eius CCV-CCXI. *To. V. Opp. pag.* 919 *ſſ.* vbi in *Serm.* v. c. *CCVI. §.* 2. *pag.* 922. *orationibus*, inquit, *noſtris, quibus ad Deum facilius volando perueniant, eleemoſynis et ieiuniis pennas pietatis addamus;* quibus ſimillima ſunt, quae leguntur in *Serm. CCVII. §.* 3. *pag.* 924. his verbis perſcripta: *His diebus adminiculis piarum eleemoſynarum et frugalium ieiuniorum oratio noſtra in ſuperna ſuſtollitur: quia nec impudenter a Deo miſericordia petitur, cum ab homine homini non negatur, nec ſerena cordis petentis intentio carnalium voluptatum phantaſmatibus nubilis impeditur.* Inprimis vero hoc cum aliis pluribus veterum Patrum poſtulauit, vt quod quis ſibi ieiunando denegauerit, id pauperibus porrigat, in quam rem *Serm. CCVIII. §.* 2. haec habet: *Iam vero eleemoſynas his diebus augere, quodammodo ex debito eſt. Vbi enim iuſtius quam miſerendo impenditis, quod vobis abſtinendo demitis? Et quid iniquius, quam vt quod minus erogat abſtinentia, ſeruet permanens auaritia, aut conſumat dilata auaritia? Intendite itaque quibus debeatis, quod vobis denegatis, vt quod detrahit temperantia voluptati, addat miſericordia caritati.* Similia leguntur etiam *Serm. CCIX. §.* 2. *pag.* 926.

38) Quod diſerte tradit in *Enarr. in Pſ.* 42. *§.* 8. *To. IV.*

vit, imo, ſi vnum horum trium locum non poſſit habere, ieiunium omitti poſſe atque eleemoſynis compenſari debere [39]) ſtatuit. Vbi vero id tanquam neceſſarium aliquid poſtulauit, ibi non tam de ieiunio proprie dicto, quod iudaicae magis religioni proprium videtur iudicaſſe [40]), quam de quacumque potius cor-

---

pag. 370. *Noli*, inquiens, *ieiunium putare ſufficere. Ieiunium te caſtigat, non alterum reficit. Fructuoſae erunt anguſtiae tuae, ſi alteri praeſtiteris latitudinem* etc. ſimiliterque etiam in *Serm. CCVII. §.* 1. *To. V. pag.* 923. *Ieiunium*, ait, *ſine miſericordia ei nihil eſt, qui ieiunat.*

39) Quod teſtatur locus *Serm. CL. de verbis Act. Apoſt. XVII*, 18. *§.* 7. *To. V. pag.* 714. *ſq.* in quo haec leguntur: *Nemo ergo dicat, manducemus et bibamus, cras enim moriemur. Si vultis dicere, cras enim moriemur: non prohibeo; ſed aliud ante dicite. Epicurei quippe velut non victuri poſt mortem, quaſi aliud nihil habentes niſi quod delectat carnem, dicunt, manducemus et bibamus, cras enim moriemur: ſed tenete quod dicitur, cras enim moriemur, et dicite, ieiunemus et oremus, cras enim moriemur. Addo plane aliud, addo tertium, nec quod praecipue obſeruandum eſt, praetermitto; vt de ieiunio tuo fames pauperis ſatietur, aut ſi ieiunare non potes, magis paſcas, cuius ſaturitate tibi venia concedatur. Dicant ergo Chriſtiani, ieiunemus et oremus et donemus, cras enim moriemur. Aut ſi duas res volunt dicere, ego eligo vt dicant, donemus et oremus, quam ieiunemus et non donemus.*

40) Id ſuadet certe locus, qui legitur *lib. II. quaeſt. Euangel. quaeſt.* 18. *To. III. P. II. pag.* 255. qui ita habet: *Ieiunium aut in tribulatione eſt, aut in gaudio: in tribulatione ad propitiandum Deum pro peccatis; in gaudio vero, cum tanto minus delectant carnalia, quanto ſpiritualium maior ſagina eſt. Cum ergo Dominus interrogatus eſſet, cur diſcipuli eius non ieiunarent, de vtroque ieiunio reſpondit. Namque ad illud, quod in tribulatione ieiunari ſolet, pertinet, quod ait, ſponſi filios tunc ieiunaturos, cum ab eis ablatus fuerit ſponſus: tunc enim deſolabuntur, et in moerore ac luctu erunt, donec eis per Spiritum S. gaudia conſolatoria retribuantur. Quo dono percepto etiam ieiunii alterum genus, quod fiet per laetitiam, iam renouati in vitam ſpiritalem conuenientiſſime celebrabunt. Quod antequam accipiant, dicit eos tanquam vetera veſtimenta, quibus inconuenienter nouus pannus aſſuitur, id eſt aliqua particula doctrinae, quae at novae vitae temperantiam pertinet: quia ſi hoc fiat, et ipſa doctrina quodammodo ſcinditur, cuius particula, quae ad ieiunium ciborum valet, inopportune traditur, cum illa doceat generale ieiunium non a concupiscentia ciborum tantum, ſed ab omni laetitia temporalium delectationum: cuius quaſi pannum, id eſt, partem aliquam, quae ad cibos pertinet, dicit non oportere homi-*

poris castigatione et vniuersa peccati fuga cogitauit [41]), quam ipsum etiam Iesum ieiunio dicit significasse [42]), et in qua ieiunium magnum atque generale inesse defendit [43]), similiterque orationem etiam atque eleemosynas ampliori, quam quo vulgo dicuntur, sensu voluit intellectas [44]). Eadem fere apud *Leonem* etiam *M.* leguntur. Etenim et hic eadem tria illa, quae Augustinus et reliqui commemorarunt, orationem nimi-

---

nibus adhuc veteri consuetudini deditis impertiri; quia et illinc quasi conscissio videtur fieri, et ipsi vetustati non conuenit.

41) Quod praeter locum modo commemoratum, ex sermonibus eius in ieiunio quadragesimali habitis, quorum ante *not.* 37. mentionem iniiecimus, cognoscitur, in quibus quippe omnibus diligenter monet, non tantum a cibis esse abstinendum, sed omnia etiam alia illicita fugienda, inprimisque a litibus et dissidiis cum aliis abstinendum atque inimicis ignoscendum.

42) In loco supra *not.* 36. laud. vbi, postquam in verbis vltimis dixerat, Dominum in expositione iustitiae humanae non nisi tria esse persecutum, ieiunium, eleemosynas et orationes haec subiungit: *ieiunio scilicet vniuersam corporis castigationem significans, eleemosynis omnem beneuolentiam et beneficentiam vel dandi vel ignoscendi, et oratione insinuans omnes regulas sancti desiderii: vt quoniam in castigatione corporis frenatur concupiscentia, quae non frenari, sed omnino esse non debet nec erit in illa perfectione iustitiae, vbi nullum erit omnino peccatum; et saepe in vsu rerum etiam concessarum atque licitarum exserit immoderationem suam.*

43) In *Tract. XVII. in Ioan. Euang.* §. 4. *To. III. P. II. pag.* 424. vbi *Ieiunium autem*, inquit, *magnum et generale est, abstinere ab iniquitatibus et illicitis voluptatibus saeculi, quod est perfectum ieiunium: vt abnegantes impietatem et saeculares cupiditates, temperanter et iuste et pie viuamus in hoc saeculo.* Cfratur etiam *Serm. CXXV.* §. 9. *To. V. pag.* 611.

44) Quod cum intelligitur ex loco *not.* 36. *et* 42. laud. tum qua eleemolynas docet etiam locus *Serm. CCVI. in quadrag. II.* §. 2. *To. V. pag.* 922. vbi simillimo plane modo *duo eleemosynarum genera, tribuendi et ignoscendi* commemorat, qua orationem vero is, qui legitur in *Serm.* proxime seq. *CCVII.* §. 3. vbi haec de illa habet: *Sit autem oratio casta, ne forte non quod caritas, sed quod cupiditas quaerit, optemus; ne inimicis mali aliquid imprecemur; ne in quos nocendo vel vindicando non possumus, orando saeuiamus. Certe sicut nos apti efficimur ad orandum eleemosynis et ieiuniis, sic et ipsa nostra oratio facit eleemosynas, cum dirigitur atque profunditur, non pro amicis tantum, verum etiam pro inimicis, et ieiunat ab ira et odio et a perniciosissimis vitiis.*

rum, ieiunium atque eleemosynas, ad religiosas hominis actiones dixit pertinere, in iisque omnium virtutum effectus contineri censuit [45]), ideoque ea iunctim etiam coli, inprimis vero ieiunio eleemosynas semper adiungi [46]), aut, vbi illud plane non possit locum habere, his compensari voluit [47]). Ipsam vero ieiunii vtilitatem,

---

45) *Serm. XI. cap.* 4. *To. I. Opp. pag.* 61. edit. Lugdun. II. *Tria vero sunt*, inquiens, *quae maxime ad religiosas pertinent actiones, oratio scilicet, ieiunium et eleemosyna. — Oratione enim propitiatio Dei quaeritur; ieiunio concupiscentia carnis extinguitur, eleemosynis peccata redimuntur: simulque per omnia Dei in nobis imago renouatur, si et in laudem eius semper parati et ad purificationem nostram sine cessatione solliciti et ad sustentationem proximi indefinenter sumus intenti. Haec triplex obseruantia, Dilectissimi, omnium virtutum comprehendit effectus. Haec ad imaginem et similitudinem Dei peruenit et a Spiritu sancto inseparabiles facit. Quia in orationibus permanet fides recta, in ieiunio innocens vita, in eleemosynis mens benigna.* De iisdem vero *Serm. XIV. cap.* 1. *pag.* 62. haec habet: *Curandis igitur laesionibus, quas saepe incidunt, qui cum inuisibili hoste confligunt, trium maxime remediorum est adhibenda medicina: in orationis instantia, in castigatione ieiunii, in eleemosynae largitate: quae cum pariter exercentur, Deus propiciatur, culpa deletur, tentator eliditur.*

46) Id quod in omnibus fere sermonibus in ieiuniorum solemnibus habitis postulasse deprehenditur, v. c. in *Serm. XII. pag.* 61. in quo, *quia non solo*, inquit, *ieiunio animarum salus acquiritur, ieiunium nostrum misericordiis pauperum suppleamus. Impendamus virtuti, quod subtrahimus voluptati. Fiat refectio pauperis abstinentia ieiunantis. Studeamus viduarum defensioni, dissidentium paci* etc. itemque *Serm. XIV. cap.* 2. *pag.* 62. vbi haec habet: *Ieiunium enim sine eleemosyna non tam purgatio animae, quam carnis afflictio est: magisque ad auaritiam, quam ad continentiam referendum est, quando aliquis sic a cibis abstinet, vt etiam a pietate se subducat. Nostra ergo ieiunia, dilectissimi, abundent fructibus largitatis, et in pauperes Christi benignis sint foecunda muneribus. Nec tardentur in hoc opere mediocres, quia parum sit, quod possint de facultate decerpere. Nouit Dominus omnium vires et scit, iustus inspector, de qua mensura quisque quid tribuat* etc.

47) In *Serm. LXXXV. cap.* 3. *To. I. pag.* 170. haec scribens: *In hac sane obseruantia, dilectissimi, quamuis omnes nos vnanimiter oporteat esse deuotos, si qui tamen sunt, quorum voluntati aliqua obsistat infirmitas, laborem, qui supra vires est corporum, redimant impendiis facultatum. Multa*

cuius causa id in N. T. oeconomiam ex veteri assumtum atque translatum fuisse defendit [48]), in corporis

---

enim sunt opera pietatis, quae ipsam edendi necessitatem merito ampliore commendent, (compensent,) *si ieiunantium purificationem studio benignitatis acquirunt. Nam cum ii, qui nihil omittunt de humiliatione ieiunii sub sterili fatigatione desudent, nisi se eleemosynarum, quum possunt, erogatione sanctificent, dignum est, vt in alimoniam pauperum abundantior sit eorum largitio, quorum ad abstinendum minor est fortitudo* etc.

48) Quod in *Serm. XIV. cap.* 2. *pag.* 62. his verbis tradit: *Ieiuniorum vero vtilitatem Noui Testamenti gratia non removit: et continentiam corpori atque animae semper profuturam pia obseruatione suscepit. Quoniam sicut permanet apud intelligentiam christianam*: Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli seruies, *et*, diliges proximum tuum sicut te ipsum, *et caetera talium mandatorum: ita quod in eisdem libris de ieiuniorum sanctificatione et curatione praeceptum est, nulla interpretatione vacuatur;* similiterque etiam in *Serm. XVI.* statim ab initio haec habet: *Euangelicis sanctionibus, dilectissimi, multum auctoritatis praebet doctrina legalis, cum quaedam de mandato veteri ad nouam obseruantiam transferuntur, et ex ipsa ecclesiastica deuotione demonstratur, quod Dominus Iesus Christus non venit legem soluere, sed adimplere. Cessantibus enim significationibus, quibus saluatoris nostri nuntiabatur aduentus, et peractis figuris, quas abstulit ipsa praesentia veritatis, ea, quae vel ad regulas morum, vel ad simplicem Dei cultum ratio pietatis instituit, in eadem apud nos forma, in qua sunt condita, perseuerant, et quae vtrique testamento erant congrua, nulla sunt commutatione variata. Ex iis autem est etiam decimi mensis solenne ieiunium, quod a nobis nunc annua consuetudine celebrandum.* Hanc vero, quam hic commemorat, ecclesiae consuetudinem per Apostolos iam ex ipsius mente constitui coeptam esse, inde cognoscitur, quod omnium, quae tum locum habebant, ieiuniorum solennitatem ab apostolica traditione repetit, atque in *Serm. LXXIX. de ieiun. Pentecost. p.* 162. in vniuersum haec monet: *Inter omnia apostolicae instituta doctrinae, quae ex diuinae eruditionis sorte manarunt, dubium non est, influente in ecclesiae principes Spiritu Sancto, hanc primum ab eis, obseruantiam fuisse conceptam, vt sancti obseruatione ieiunii omnium virtutum regulas inchoarent.* Imo hac ipsa de causa, quoniam, vt hic dicit, Spiritus S. admonitione intercedente id factum esse statuit, diuinam adeo auctoritatem huic consuetudini tribuere non dubitauit in *Serm. LXXVII.* initio haec scribens *pag.* 161. *Dubitandum non est, omnem obseruantiam eruditionis esse diuinae, et quicquid ab ecclesia in consuetudinem est deuotionis acceptum, de traditione Apostolica et de Sancti Spiritus prodire doctrina: qui nunc quoque cordibus fidelium suis praesidet institutis, ut ea omnes et obedienter custodiant, et sa-*

potissimum cupiditatibus prauis coërcendis atque superandis virtuteque adiuuanda posuit [49]), et ab hac

---

pienter intelligant. Nam cum in die Pentecostes — promissus a Domino Spiritus sanctus expectantium mentes maiori quam vnquam copia et clariore praesentia suae maiestatis impleuerit, manifestissime patet inter caetera Dei munera ieiuniorum quoque gratiam, quae hodiernam festiuitatem indiuisa subsequitur, tunc fuisse donatam: vt sicut fuit concupiscentia initium peccatorum, ita sit continentia origo virtutum.

49) Quam vtilitatem eius in *Serm XIV. cap. 2. pag.* 62. his verbis praedicat: *In omni enim tempore, omnibusque diebus vitae huius seculi, ieiunia nos contra peccata faciunt fortiores, ieiunia concupiscentias vincunt, tentationes repellunt, superbiam inclinant, iram mitigant, et omnes bonae voluntatis affectus ad maturitatem totius virtutis enuiriunt; si tamen in societatem sibi beneuolentiam charitatis assumant, et in operibus misericordiae se prudenter exerceant.* Similiter vero etiam in *Serm. XII. pag.* 61. haec de ea scripserat: *Quid enim potest efficacius esse ieiunio, cuius obseruantia appropinquamus Deo et resistentes diabolo vitia blanda superamus? Semper virtuti cibus ieiuntum fuit. De abstinentia prodeunt castae cogitationes, rationabiles voluntates, salubriora consilia. Et per voluntarias afflictiones caro concupiscentiis moritur, virtutibus spiritus innouatur.* Quomodo autem ad virtutem iuuandam valeat ieiunium, de eo *Serm. LXXVIII. cap. 2. To. I. pag.* 163. haec habet: *Et cum audit* (animus rationalis) *sibi per Spiritum S. dici:* Post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua auertere: *intelligat, sibi contra omnia, quae sensibus corporeis blandiuntur, temperantiae sectandam esse virtutem, per quam dum exterioris hominis voluntas minuitur, sapientia interioris augetur Non enim idem vigor cordis est sub onere cibi, qui sub leuitate ieiunii: nec eundem sensum potest satietas generare, quem parcitas. Quia cum caro concupiscens aduersus spiritum spiritali cupiditate superatur, libera obtinetur sanitas et sana libertas: vt et caro mentis iudicio, et mens Dei regatur auxilio.* Quautopere autem vtroque respectu tali adiumento indigeant homines, saepius monet, in *Serm.* v. c. *LXXVI. cap. 2. pag.* 161. haec scribens: *Cupiditas quidem nocendi in tentatore perpetua est, sed inermis atque inefficax erit, si nihil in nobis, vnde contra nos pugnet, inuenerit. Quis autem hac fragili carne circumdatus, et in isto mortis corpore constitutus, etiam qui multum valideque profecerit, ita iam de sua salute securus sit, vt ab omni se illecebrarum periculo credat alienum? Donet licet suis quotidianam gratia divina victoriam, non aufert tamen dimicandi materiam: quia et hoc ipsum de misericordia protegentis est, qui naturae mutabili, ne de confecto proelio superbiret, semper voluit superesse, quod vinceret*; itemque in *Serm. LXXIX. cap. 3. p.* 103. haec monens: *Terra enim carnis nostrae, nisi*

omne eius pretium ita pendere iudicauit, vt nisi ad eam vere conferatur sic, vt cum corporis ieiunio animi etiam vel *spiritale*, quod dicit, ieiunium coniungatur, omni id pretio destitui non dubitaret diserte profiteri [50]). Neque alia sunt, quae de eodem iudicasse atque praecepisse reperiuntur *Gregorius M.* et *Isidorus Hispalensis.* Prior enim quanquam per ciborum abstinentiam ad paradisi gaudia homines iterum adiuci posse contendit [51]), eam tamen non nisi ab aliis virtu-

---

assiduis fuerit subacta culturis, cito de segni otio spinas tribulosque producit, et partu degeneri dabit fructum non horreis inferendum, sed ignibus concremandum, dicente Domino: Omnis plantatio, quam non plantauit pater meus coelestis eradicabitur. *Custodienda igitur nobis omnium germinum seminumque generositas, quam ex summi agricolae plantatione concepimus, et vigili solicitudine prouidendum, ne Dei munera aliqua inuidentis inimici fraude violentur, et in paradiso virtutum concrescat silua vitiorum.* Hinc igitur in hoc ieiuniorum adiumento iure suo insigne Spiritus S. beneficium agnouit in *Serm. LXXIV. cap.* 8. *pag.* 159. *Et hoc,* inquiens, *inter maxima Sancti Spiritus dona numerandum est, quod nobis aduersum illecebras carnis et insidias diaboli ieiuniorum sunt collata praesidia, quibus omnes tentationes adiuuante Deo vincamus.*

50) His e. c. verbis vsus in *Serm. XVIII. cap.* 2. *pag.* 67. *sq. Cum ergo vniuersa vitia per continentiam destruantur, et quicquid auaritia sitit, quidquid superbia ambit, quidquid luxuria concupiscit, huius virtutis soliditate superetur, quis non intelligat, quantum nobis per ieiunia conferatur? in quibus indicitur, vt non solum a cibis, sed etiam ab omnibus carnalibus desideriis temperetur. Alioquin superfluum est suscipere esuriem, et iniquam non deponere voluntatem; recisso affligi cibo et a concepto non desinere peccato. Carnale est, non spiritale ieiunium, vbi soli corpori non parcitur, et in iis, quae omnibus deliciis nocentiora sunt, permanetur. Quid prodest animae foris agere quasi dominam et intus servire captiuam? membris propriis imperare et ius propriae libertatis amittere? Et merito plerumque patitur famulam rebellantem, quae non reddit Domino debitam seruitutem.* Similia in eandem rem leguntur in *Serm. XXXVIII. cap.* 5. *pag.* 101. itemque *Serm. XLI. cap.* 2. *pag.* 105. vbi *Non in sola,* inquit, *abstinentia cibi stat nostri summa ieiunii, aut fructuose corpori esca subtrahitur, nisi mens ab iniquitate reuocetur et ab obtrectationibus lingua cohibeatur.*

51) In *lib.* 1. *Homil. in Euang. hom.* 16. *§.* 5. *To. I. Opp.*

tibus cum illa coniunctis dixit commendari [52]), inprimis vero a liberalitate erga pauperes aliisque amoris in alios documentis, quibus ea fit ſanctificanda [53]), ideoque nec eam ita inſtitui voluit, vt ipſa quaſi caro per

---

pag. 1495. edit. Bened. haec ſcribens: *Caro nos laeta traxit ad culpam, afflicta reducat ad veniam. Auctor etenim mortis noſtrae, per fructum ligni vetiti, vitae praecepta transgreſſus eſt. Qui ergo a paradiſi gaudiis per cibum cecidimus, ad haec in quantum poſſumus, per abſtinentiam reſurgamus.*

52) *Regul. paſtor. Part. III. cap.* 19. *To II. pag.* 2. *Qua in re,* inquiens, *penſandum eſt virtus abſtinentiae quam parua reſpicitur, quae non niſi ex aliis virtutibus commendatur.* Hinc etiam in antecedentibus haec iam ſcripſerat: *At contra admonendi ſunt abſtinentes, vt ſollicite ſemper aſpiciant, ne cum gulae vitium fugiunt, acriora his vitia quaſi a virtute generentur; ne dum carnem macerant, ad impatientiam ſpiritus erumpant: et nulla iam virtus ſit quod caro vincitur, ſi ſpiritus ab ira ſuperatur. — Incaſſum ergo per abſtinentiam corpus atteritur, ſi inordinatis dimiſſa motibus mens vitiis diſſipatur. Rurſumque admonendi ſunt, vt abſtinentiam ſuam et ſemper ſine imminutione cuſtodiant, et nunquam hanc apud occultum iudicem eximiae virtutis credant: ne ſi fortaſſe magni eſſe meriti creditur, cor in elationem ſubleuetur.*

53) Quod non modo teſtatur locus *ſuper. not.* laudatus, in quo poſt verba primum recitata haec ſubiungit: *Admonendi ſunt abſtinentes, vt nouerint, quia tunc placentem Deo abſtinentiam offerunt, cum ea, quae ſibi de alimentis ſubtrahunt, indigentibus largiuntur. Solerter namque audiendum eſt, quod per prophetam Dominus redarguit, dicens:* Cum ieiunaretis et plangeretis in quinto et in ſeptimo menſe per hos ſeptuaginta annos, numquid ieiunium ieiunaſtis mihi? Et cum comediſtis et bibiſtis, numquid non vobismet ipſis comediſtis es vobismet ipſis bibiſtis? *Non enim Deo, ſed ſibi quisque ieiunat, ſi ea quae ventri ad tempus ſubtrahit, non egenis tribuit, ſed ventri poſtmodum offerenda cuſtodit:* ſed et alius, qui legitur in *Homil. in Euang. lib.* 1. *hom. XVI.* §. 6. *To I. pag.* 1495. vbi poſt verba *not.* 51. recitata haec ſequuntur: *Sed nemo ſibi eandem abſtinentiam ſolam credat ſufficere poſſe, cum per prophetam Dominus dicat:* Nonne hoc eſt magis ieiunium, quod elegi? *ſubiiciens:* Frange eſurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam: cum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne deſpexeris. *Illud ergo ieiunium Deus approbat, quod ad eius oculos manus eleemoſynarum leuat, quod cum proximi dilectione agitur, quod ex pietate conditur. — — Hinc per Ioëlem dicitur:* Sanctificate ieiunium. *Ieiunium quippe ſanctificare eſt, adiunctis bonis aliis, dignam*

illam exſtirpetur [54]), ſed ad illicitos tantum motus extinguendos eam vnice poſtulauit conferri [55]), imo ne hos quidem per illam penitus extingui, ſed mitigari tantum poſſe ſtatuit [56]); contra vero poſterior ſatis forte quidem contra tentationes telum in ieiunio agnovit [57]), idque ad prauas libidines compeſcendas pluri-

---

Deo abſtinentiam carnis oſtendere. Ceſſet ira, ſopiantur iurgia. Incaſſum enim caro atteritur; ſi a prauis ſuis voluptatibus animus non refrenatur. — Neque enim qui a debitore ſuo hoc quod dedit, repetit, aliquid iniuſtum facit: ſed dignum eſt, vt quisquis ſe in poenitentia macerat, etiam hoc, quod ſibi iuſte competit, interdicat. Sic nobis afflictis et poenitentibus a Deo dimittitur, quod iniuſte egimus, ſi pro amore illius et hoc quod nobis iuſte competit, relaxemus.

54) *Moral. in Iobi lib. XXX. §. 30. To. I. pag.* 984. *Sic enim*, inquiens, *neceſſe eſt, vt arcam quisque continentiae teneat, quatenus non carnem, ſed vitia carnis occidat. Nam plerumque dum plus iuſto caro reſtringitur, etiam ab exercitatione boni operis eneruatur: vt ad orationem quoque vel praedicationem non ſufficiat, dum incentiua vitiorum in ſe funditus ſuffocare feſtinat* etc.

55) Quod in eorund. *Moral. lib. XXI. §.* 78. *pag.* 675. his verbis tradit: *Per abſtinentiam quippe carnis vitia ſunt extinguenda, non caro: et tanto quisque ſibimet debet moderamine praeeſſe, vt et ad culpam caro non ſuperbiat, et tamen ad effectum rectitudinis in operatione ſubſiſtat.*

56) *Lib. V. in* 1. *Reg. cap. V. §.* 13. *To. III. Part. II. pag.* 266. *ſq.* haec monens: *Probatio verae abſtinentiae non eſt in attenuatione corporis, ſed in perfectione caſtitatis. Nam bene ſerpens atteritur, ſi ſic gula reſtringitur, vt libidinoſi motus corporis omnis violentia minuatur. Nam motus illicitus carni, quamdiu ipſa caro eſt, tolli non poteſt, violentia mouendi tolli poteſt. — Sed quod extingui peccatum non poteſt, effugari poteſt. Motus quippe carnis quaſi in fugam vertitur, dum ipſa bene ieiunando caſtigatur. Tanto enim rarius ac difficilius ſe contra ſpiritum erigit, quanto ſibi eam praeſidens ſpiritus per extenuationem ſubdit, cum ſic eam domat, vt tarde ſuperbiat, cito conquieſcat* etc.

57) *Sentent. l. II. cap. XLIV.* quod *de abſtinentia* quippe agens, totum huc pertinet, *To. VI. Opp. pag.* 255. edit. Arev. his verbis § 3. vſus: *Ieiunia fortia tela ſunt aduerſus tentamenta daemoniorum. Cito enim per abſtinentiam deuincuntur. Vnde etiam Dominus et Saluator noſter eorum incurſus ieiuniis et orationibus praemonet ſuperare, dicens:* Hoc genus non eiicitur, niſi per orationem et ieiunium. *Immundi enim ſpi-*

mum valere exiſtimauit [58]), hominemque per ieiunia cum Deo iungi [59]), ipſique gratum atque myſteriorum coeleſtium reuelatione dignum reddi declarauit [60]); attamen hanc omnem vim tum tantum iis tribuendam iudicauit, vbi cum recte factis et precibus ſint coniuncta [61]), praetereaque et hoc in iis caueri voluit, vt neque a ſimulatione aut oſtentationis ſtudio ſint profecta [62]), neque largiore cibi potusue vſu poſt com-

---

ritus ibi ſe magis iniiciunt, vbi plus viderint eſcam et potum. Similiter etiam *lib. II. Synon. §.* 14. *eiusd. Tom. pag.* 499. *Adime quoque*, inquit, *tibi ſaturitatem panis, parſimonia tuum corpus caſtiga, ieiuniis et abſtinentiae inſerui, pallida ora gere, aridum porta corpus. Eſuri et ſiti, abſtine et areſce: non potes tentationes vincere, niſi ieiuniis erudiaris. Eſcis enim libido creſcit, ciborum ſaturitas carnis luxuriam ſuſcitat, edacitatis vitio creſcit carnis tentatio, ſaturitati libido ſemper adiuncta eſt, at contra ieiunio libido reſtringitur: ieiunio luxuria ſuperatur: ſequeſtrata ſaturitate, non dominatur luxuria.*

58) In eodem, quem modo laudauimus, loco §. 15. *pag.* 500. ita quippe pergens: *Abſtinentia enim carnem ſuperat, abſtinentia luxuriam frenat, libidinis impetum abſtinentia frangit, libidinis virtutem abſtinentia ſoluit: ſitis et fames carnis luxuriam interimit, fames et ſitis carnis laſciuiam ſuperant.*

59) *Sentent. l. l.* ſtatim ab init. capit. haec tradens: *Hoc eſt perfectum et rationabile ieiunium, quando noſter homo exterior ieiunat, interior orat. Facilius per ieiunium oratio penetrat coelum. Tunc enim homo ſpiritualis effectus angelis coniungitur, Deoque liberius copulatur.*

60) *Ibid. §.* 2. ita pergens: *Per ieiunium etiam occulta myſteriorum coeleſtium reuelantur, diuinique ſacramenti arcana panduntur. Sic namque Daniel, angelo reuelante, myſteriorum ſacramenta cognoſcere meruit. Haec enim virtus et angelorum manifeſtationes et eorum annunciationes oſtendit.*

61) Quod praeter locum *not.* 59. laud. inprimis etiam docet is, qui paulo poſt ſequitur §. 8. in quo haec habet: *Ieiunia cum bonis operibus Deo acceptabilia ſunt. Qui autem a cibis abſtinent, et praue agunt, daemones imitantur: quibus eſca non eſt, et nequitia ſemper eſt. Ille enim bene abſtinet a cibis, qui et a malitiae actibus et a mundi ieiunat ambitionibus.*

62) Qua de re *ibid. §.* 5 – 7. praecipit, *ieiunium*, inquiens, *et eleemoſyna in abſcondito eſſe amant, vt ſolus Deus, qui*

penſentur [63]), neque etiam immoderata ſint ac nimia [64]).

Iam vero nec hanc de moderatione et prudentia in cibis ſumendis adhibenda, eorumque abſtinentia ſibi interdum imponenda doctrinam, omnibus fere eccleſiae Patribus communem, ex Platonica philoſophia fuiſſe repetitam, ſed aliunde potius profectam, vix quenquam fore arbitramur, quin ſponte ſit perſpecturus. Quae enim de moderatione illa deque prudentia in habendo ciborum delectu declaranda diſputarunt, ea partim eiusmodi ſunt, vt ipſa rei natura commendentur, fuerintque hinc aliis etiam iam ante eos probata, partim vero vt ipſi diſerte profeſſi ſunt, ex doctrina Ieſu et Apoſtolorum ab iis hauſta fuerunt, qui quippe primi docuerant, nullum cibum ſua natura impurum aut illicitum eſſe iudicandum, ſed licere homini quocunque veſci, modo cum grato erga Deum animo atque ita eo fruatur, vt ne virtuti atque probitati ipſius damni quicquam illo contrahatur, hincque neutiquam poſſunt Platoni tribui. Atque ſi vel maxime hic nonnulla profeſſus fuerat, quae noſtrorum ſcitis conſimilia eſſent, (quod propter eorum cum ipſa, quam diximus, rei natura conuenientiam facillime fieri poterat,) tamen ne

---

inſpicit omnia, meritum operum bonorum rependat. Nam qui ea ſub populari manifeſtatione faciunt, nequaquam a Deo iuſtificantur: quia iuxta ſermonem euangelicum mercedem ſuam ab hominibus receperunt.

63) Quam in rem *ibid.* §. 10–12, *Spernitur*, ait, *ieiunium, quod in veſperum repletione ciborum reficitur. Neque enim reputanda eſt abſtinentia, vbi fuerit ſaturitas ventris ſubſecuta. Spernitur ieiunium, quod in veſperum deliciis compenſatur. — Tota enim die epulas in cogitatione ruminat, qui ad explendam gulam veſpere ſibi delicias praeparat.*

64) Quod et ipſum *ibid.* §. 13–16. pluribus diſſuadet, hoc maxime argumento vſus: *Infirmitate carnis nimia praeualente ad perfectionem pertingere nemo peteſt. Nam quamuis ſanctitatis amorem quisque habeat, exequi tamen non valet operis meritum, cui intentione cordis deſeruire conatur.*

hunc quidem primum ea cognouiſſe, ſed ab hebraicis potius ſcriptoribus petiiſſe, Clementi certe Alex. fuit perſuaſum [65]), hincque neutiquam probabile eſt, ipſum Clementem vel alium ſociorum eius ab illo potius quicquam ea in re eſſe mutuatum. Simili vero modo ieiunia etiam non ſolum, ipſa rei natura monente, bene intelligebant, non poſſe non ad animi mentisque humanae ſobrietatem atque virtutem iuuandam plurimum valere [66]), ſed eo etiam commendari exiſtimabant, quod Iſraëlitis olim ab ipſo Deo per Moſen fuiſſent iniuncta. Quanquam vero haec Moſaicae religionis praecepta ab initio quidem, vt ſupra oſtendimus [67]), ad Chriſtianos non amplius pertinere ſtatuerunt, mox tamen, cum tantam ieiuniorum vtilitatem ſibi viſi eſſent cognouiſſe, non poterant amplius a ſe impetrare, quin ex illo mandato diuino aliquid ſaltem etiamnum reſiduum eſſe opinarentur, vel id totum adeo ad Chriſtianos quoque transferendum

---

65) Quam perſuaſionem ſuam *Paedag. lib. II. cap. I. To. I. Opp. pag.* 176. edit. Pott. his verbis profeſſus eſt: *"Ὅθεν κατηγορῶν τῆ τρυφῶντος βίε ὁ τὴν ἀλήθειαν ἐζηλωκὼς τῶν φιλοσόφων Πλάτων, τὸ ἔναυσμα τῆς Ἑβραϊκῆς φιλοσοφίας ζωπυρῶν, Ἑλθόντα δέ με, φησὶν, ὁ ταύτῃ λέγομενος αὖ βίος εὐδαίμων, Ἰταλικῶν τε καὶ Συρακεσίων τραπεζῶν πλήρης, ἐδαμῆ ἐδαμῶς ἤρεσε, δὶς τῆς ἡμέρας ἐμπιπλάμενον ζῆν, καὶ μηδέποτε μόνον κοιμώμενον νύκτωρ· καὶ ὅσα τέτῳ ἐπιτηδεύματα συνέπεται τῷ βίῳ. ἐκ γὰρ τέτων ἔτ' ἂν φρόνιμος ἐδεὶς ποτ' ἂν γενέσθαι τῶν ὑπὸ τὸν ὀρανὸν ἀνθρώπων δύναται, ἐκ νέου ἐπιτηδεύων τοιαῦτα, ἐθ' ὅτω θαυμαςὴ φύσις κρατηθήσεται. ὁ γάρ ἄπυςος ἦν ὁ Πλάτων τε Δαβὶδ, ὃς ἐν τῇ πόλει τῇ ἑαυτε τὴν ἁγίαν ἱδρύων κιβωτὸν ἐν μέσῃ τῇ σκηνῇ, παντὶ τῷ ὑπηκόῳ εὐφροσύνην ποιήσας λαῷ ἐναντίον τε Κυρίου, διεμέρισεν εἰς πᾶσαν τὴν δύναμιν τε Ἰσραὴλ ἀπὸ ἀνδρὸς ἕως γυναικὸς, ἑκάςῳ κολλυρίδα ἄρτε, καὶ ἐσχαρίτην, καὶ λάγανον ἀπὸ τηγάνου.*

66) Hanc tamen eorum vtilitatem admodum quoque fallacem eſſe, multisque aliis rebus perquam dubiam reddi, praeter alios perite obſeruauit ac ſtudioſe expoſuit Reinhardus in *Syſt. der chriſtl. Moral Vol. IV. §.* 447. *pag.* 590. *ſſ.*

67) *Comment. ſuper. pag.* 803. *ff.*

iudicarent, ideoque hos, qua ſummam certe rei, illo etiamnum obſtringi defenderent: id quod praeter Chryſoſtomum [68]) omnes fere, de quibus in hoc libello diſputauimus, latinae eccleſiae doctores feciſſe, ex iis, quae ſupra ſcripſimus, abunde potuit intelligi. Quare cum ſemel a ſcriptorum V. T. auctoritate ea in re penderent, nec mirum eſſe poterit, eos reliqua etiam, quae ab his de ieiuniis recte moderandis monita fuerant, non minus ſtudioſe tenuiſſe ſuisque commendaſſe, ideoque illud nominatim, quod prophetae potiſſimum hebraici identidem inculcauerant, (Ieſ. LVIII, 3 — 7. Ioël. I, 14. Zachar. VII, 5.) [69]) nullum Deo ieiunium probari, niſi cum peccati fuga virtutisque ſtudio fuerit coniunctum, et ipſos ſedulo admonuiſſe. Simili vero modo nec id, quod de precibus et liberalitate erga pauperes cum ieiuniis iungendis dixerunt, primi monuerunt, ſed cum iudaicos ſcriptores, inter quos auctor v. c. libri Tobiae [70]) eadem iam docuiſſe deprehenditur, ea in re ſibi praeeuntes habuerunt, tum vero illorum etiam, quae ipſi plerumque in ſuae ſententiae confirmationem laudarunt, locorum N. T. auctoritate moti tradiderunt.

---

68) Ce quo cfr. quae obſeruauimus *Comm. ſup. pag.* 813. *not.* 49.

69) Quibus ſimillima ſunt, quae eandem in rem leguntur apud Siracidem *Cap. XXXI.* 26. ἄνθρωπος νηστεύων ἐπὶ τῶν ἁμαρτιῶν αὐτῶ, καὶ πάλιν πορευόμενος, καὶ τὰ αὐτὰ ποιῶν· τῆς προσευχῆς αὐτῶ τίς εἰσακούσεται; καὶ τί ὠφέλησεν ἐν τῷ ταπεινωθῆναι αὐτόν;

70) *Cap. XII.* 8. ἀγαθόν, inquiens, προσευχὴ μετὰ νηστείας καὶ ἐλεημοσύνης καὶ δικαιοσύνης, de quo loco videnda ſunt, quae contra Bauerum, quatuor virtutum cardinalium ex mente auctoris deſignationem in eo agnoſcentem, cui addi etiam potuiſſet Ilgenus in *Commentar.* ad illum locum, monuit Ludov. Dankeg. Cramerus in Keilii et Tzſchirneri *Analekten für das Stud. der exeget. und ſyſtemat. Theolog. Vol. II. Part. II. p.* 8.

Cap. V.

Sect. 6. De corporis cultu externo.

(Comment. XXII.)

Inter illius disciplinae virtutis documenta, quam veteris ecclesiae doctores ex Platonica philosophia petiisse, inque religionis christianae doctrinam transtulisse olim sunt accusati, quamque in corporis maxime castigatione et affactuum cohibitione ponendam illi iudicarunt, nonnulli et hoc retulerunt, quod omnem exquisitiorem corporis cultum neglectum voluerint atque posthabitum, eumque adeo improbauerint et abhorruerint. Verum nec hoc recte. Quae enim illi eam in rem praeceperunt, ea non minus, quam de quibus iu superioribus libellis disputauimus, maximam partem eiusmodi sunt, vt non possint non ab idoneo quoque morum magistro probari, licet illi in iis commendandis iustos interdum limites fuerint transgressi, neque commodis semper ea in re argumentis vsi: id quod per singulorum, qui hac de re disseruerunt, doctorum exempla iterum eundo optime poterit doceri.

Ex graecae quidem ecclesiae Patribus de corporis cultu, cum quatenus in amictu, tum in aliis etiam rebus cernitur, omnium copiosissime exposuit *Clemens Alex.* in Paedag. lib. II. et III. de eoque ita statuit, vt omnem vestitum non nisi ad tegendum corpus hominis valere debere iudicaret [1]), hincque non modo easdem cum marium, tum feminarum vestes esse [2]), sed om-

---

1) Quod *l. II. cap.* 10. *To. I. Opp. pag.* 233. edit. Pott. his verbis tradit: *φημὶ τοίνυν ἐκ ἄλλῃ τινὸς ἕνεκα δεηθῆναι ὑφασμάτων τὸν ἄνθρωπον, ἢ σκέπης σώματος, πρὸς ἀπαλέξησιν κρυμῶν τε ὑπερβολῆς, καὶ καυμάτων ἐπιτάσεως, μή τι ἡμᾶς παραλυπῷη τὸ περιέχοντος ἡ ἀμετρία.*

2) Vnde in *l. l.* statim sic pergit: *εἰ δὴ ὅτός ἐστι τῆς ἐσθῆ-*

nem etiam ornatum et ſplendorem ab iis remotum vellet [3]), ideoque ſplendidas et ſumtuoſas veſtes ne in mulieribus quidem [4]) probaret, inprimis vero earum tincturam reiiceret [5]), et candidas potiſſimum commendaret [6]), haecque omnia ad vtriusque etiam ſexus

---

τος ὁ σκοπὸς, ὅρα μὴ ἐκ ἄλλη μὲν ἀνδράσιν, ἄλλη δὲ ἐσθῆς ἀπονεμητέα γυναιξίν· κοινὸν γὰρ ἀμφοῖν τὸ σκέπεσθαι, κατὰ τὰ αὐτὰ τῷ ἐσθίειν καὶ πίνειν. κοινῆς ἓν ἕσης τῆς χρείας τὴν ὁμοίαν κατασκευὴν δοκιμάζομεν. ὡς γὰρ τὸ δεῖσθαι τῶν σκεπόντων κοινὸν ἑκατέροις, οὕτως καὶ τὰ σκέποντα παραπλήσια εἶναι χρή. Tum vero et hoc monet, feminarum maxime veſtes huic conſilio corporis tegendi vere etiam debere accommodari, neque tam molles atque ſubtiles eſſe, vt tota corporis forma iis exprimatur.

3) In quam rem *ibid. pag.* 231. in vniuerſum, οὔκουν, inquit, οὐδὲ ἐσθῆτος ἀντιποιητέον πολυτελοῖς, καθάπερ οὐδὲ τροφῆς ποικίλης, idque pluribus deinde confirmat.

4) Etſi enim his propter ſexus imbecillitatem omnino aliquid ea in re concedendum eſſe fatetur, nimium tamen ornatum ab iis etiam vult abeſſe, haec ſcribens *pag.* 234. εἰ γὰρ καὶ πλεονεκτεῖ τὸ θῆλυ διὰ τὴν ἀσθένειαν τὸ ἔθος τῆς ἀγωγῆς τῆς κακῆς αἰτιατέον· — ὁ δὴ καθυφεῖναι χρὴ τότε εἰ δὲ συμπεριφέρεσθαι χρή, ὀλίγον ἐνδοτέον αὐταῖς μαλακωτέροις χρῆσθαι τοῖς ὑφάσμασιν· μόνον τὰς μεμωρημένας λεπτουργίας, καὶ τὰς ἐν ταῖς ὑφαῖς περιέργους πλοκὰς ἐκποδὼν μεθιεάντας· νῆμα χρυσῆ, καὶ σῆρας Ἰνδικοὺς, καὶ τὲς περιέργες βόμβυκας χαίρειν ἐῶντας. Simili vero modo poſt etiam *pag.* 238. *ſq.* contra ſplendidas atque purpureas mulierum veſtes diſputat, et ſub finem Capit. non incommode haec ſubiungit: δεῖ δὲ τὴν σκέπην, οἶμαι, αὐτὸ αὐτῆ κρεῖττον ἀποφαίνειν τὸ σκεπόμενον, ὡς τὸ ἄγαλμα τὲ νεῶ, καὶ τὴν ψυχὴν τῆ σώματος, καὶ τῆς ἐσθῆτος τὸ σῶμα. νυνὶ δὲ, πᾶν τὐναντίον, τὸ μὲν σῶμα αὐταῖς εἰ πιπράσκοιτο, ὀκ ἄν ποτε χιλίας εὕροι Ἀττικάς· μίαν δὲ πε ἐσθῆτα μυρίων ταλάντων ὠνέμεναι, ὀφᾶς αὐτὰς ἀχρειοτέρας καὶ ἀτιμοτέρας τῶν ὑφασμάτων ἐλέγχεσιν. Cfrantur etiam, quae in eandem rem leguntur *l. III. cap. XI. pag.* 287.

5) Παραιτητέον δὲ inquiens *ibid. pag.* 234. τῆς ἐσθῆτος καὶ τὰς βαφάς. αὗται γὰρ πόρρω καὶ τῆς χρείας καὶ τῆς ἀληθείας, πρὸς τῷ καὶ διαβολὴν τῆ ἤθε ἐξανθεῖν. Tum vero, poſtquam vt proxima ſtatim *not.* docebimus, candidas potius veſtes poſtulauerat, haec deinde ſubiungit: εἰ δὲ καὶ, ἄλλό τι δέοι χρῶμα ζητεῖν, τὸ αὐτοφυὲς τῆς ἀληθείας ἀπόχρη βάμμα. αἱ δὲ τοῖς ἄνθεσιν ἐοικῦαι ἐσθῆτες βακχικοῖς καὶ τελεσικοῖς κυταληπτέαι λήροις, κ. τ. λ.

6) In quam rem *l. l.* τὲς δὲ λευκὲς, inquit, καὶ ἐ νόθες τὰ ἔνδον, λευκαῖς καὶ ἀπεριέργοις ἁρμοδιώτατον ἐσθήσεσι χρῆσθαι:

calceamenta [7]) transferret. Simili vero modo in reliquis etiam, quae ad corporis cultum referri ſolent, ſummam ſimplicitatem poſtulauit, ideoque vt omnes feminarum corporis colendi artes, in crinibus criſpandis vel alienis capillis aſſumendis, genis fucandis, oculis pingendis pilisque tingendis illas tum temporis maxime poſitas, acriter impugnauit [8]), atque auri et gemmarum ornatum [9]), unguentorumque et coronarum

---

huncque ipſum locum reſpiciens *l. III. cap. XI. pag.* 285. haec habet: *δίδωσιν ἓν ἡμῖν ὁ Παιδαγωγὸς ἐσθῆτι χρῆσθαι τῇ λιτῇ, χρόᾳ δὲ τῇ λευκῇ, ὡς προειρήκαμεν· ἵνα μὴ τέχνῃ ποικιλλομένῃ, φύσει δὲ γεννωμένῃ οἰκειόμενοι, πᾶν ὅσον ἀπατηλὸν καὶ τ᾽ ἀληθείας καταψευδόμενον παρωσάμενοι, τὸ μονότροπον καὶ μονοπρόσωπον τῆς ἀληθείας ἀσπασώμεθα.* Atque ex his poſtremis verbis luculenter ſimul intelligitur, Clementem in eiusmodi candidarum veſtium genere commendando neutiquam ſequutum eſſe ideas Pythagoricas, vt viſum eſt Franc. Bergio in *Diſſ. de Clemente Alex. eiusd. doctrina morali*, inferta Plac. Sprengeri *Theſauro rei patriſticae To. II. p.* 766. ſed haec ideo potius admonuiſſe, quoniam, vt ex toto hoc libro cognoſcitur, omnino erat ſimplicitatis ac veritatis amans.

7) De quibus toto *cap. XI. lib. II. pag.* 240. ſeparatim atque conſulto expoſuit. Ibi vero poſtquam primum aureorum et gemmeorum ſandaliorum vſum, quem feminas ſuperbas et arrogantes ſibi vicit permittere, reprehenderat, iis conſilio potius ipſorum et naturae conuenienter vtendum eſſe monet, iamque de eorum conſilio haec ſubiungit: *ἡ γὰρ χρῆσις τῶν ὑποδημάτων, ἡ μὲν αὐτῶν, εἰς σκέπην ποδῶν, ἡ δὲ, εἰς προφυλακὴν τῶν προπταισμάτων, καὶ τῶν ὀρειβατικῶν πραχυτήτων, τὸ πέλμα ποδὸς σώζουσαν.* Tum vero feminis quidem vt plurimum calceis vtendum eſſe dicit, quoniam mulierem nunquam deceat nudum pedem oſtendere, et praeterea etiam tener ipſi ſit ſenſus, vt facile laedatur, attamen et hos albos eſſe vult, niſi iter faciant, in quo uncti potius ſoleisque clauis conſitis inſtructi ſint adhibendi, *ἀνδρὶ δὲ*, pergit, *εὖ μάλα ἁρμόδεον, ἀνυποδησία· πλὴν εἰ μὴ στρατεύοιτο. — ἀσκητικώτατον γέ τοι γυμνοῖς χρῆσθαι τοῖς ποσὶν, καὶ πρὸς ὑγείαν καὶ εὐκολίαν εὔθετον, ἔνθα μὴ ἀνάγκη τίς διακωλύοι. εἰ δὲ μὴ ὁδεύοιμεν, ἀλλὰ μηδὲ φέροιμεν τὴν ἀνυποδησίαν, βλαύταις ἢ φαικασίοις χρηστέον.*

8) Id, quod *cap.* nominatim 2. *lib. III.* feciſſe deprehenditur, in quo in peruerſas iſtas mulierum artes grauiter invehitur, easque viuidis coloribus pingit atque damna ex iis oriunda multis deſcribit. Praeterea vero huc etiam pertinent, quae *lib. III. cap. XI. pag.* 290. de capillorum potiſſimum in mulieribus compoſitione monet.

9) Contra quem *lib. II. cap. XIII.* potiſſimum diſputat ſic

ex floribus confectarum vſum iis diſſuaſit [10]), earumque capita velari voluit [11]); ita in maribus etiam barbae tonſuram [12]) ac pilorum abſciſſionem [13]) et alium quem-

---

vt eius ſtultitiam ac turpitudinem pluribus perſequatur. Tum vero huc etiam pertinent, quae in eandem rem habet *lib. III. cap.* 11. *p.* 288. *αἱ δὲ*, inquiens, *χρυσοφορῆσαι τῶν γυναικῶν δεδιέναι μοι δοκοῦσιν, μὴ ἂν ἀφέληται τις αὐτῶν τὰ χρυσία, δεῖλαι νομισθῶσιν, ἢ κοσμέμεναι. τὸ δὲ εὐγενὲς τῆς ἀληθείας, ἐν τῷ φύσει καλῷ κατὰ ψυχὴν ἐξεταζόμενον, ἢ πράσει καὶ ὠνῇ τὸν δοῦλον, ἀλλὰ τῇ γνώμῃ τῇ ἀνελευθέρῳ διακέκρικεν· ἡμῖν δὲ ἢ φαίνεσθαι ἐλευθέροις, ἀλλὰ εἶναι ἁρμόζει· τοῖς θεῷ μὲν παιδαγωγεμένοις, θεῷ δὲ εἰσπεποιημένοις.*

10) *Lib. II. cap. VIII.* toto, vbi vnguenta aliosque odores ſuaues hactenus tantum adhibendos eſſe dicit, ſi vtiles ſint, neutiquam vero quatenus ad ſolam ſenſuum titillationem faciant et libidinem prouacent, illas vero coronas prorſus improbat et in vno florum odore acquiescendum eſſe monet.

11) *Lib. II. cap. X. pag.* 238. vbi haec ſunt verba, eius: *καὶ ἴδ' ὅτι γε παραγυμνῶν τὸ σφυρὸν κεκώλυται μόνον, ἐγκεκαλύφθαι δὲ καὶ τὴν κεφαλὴν, καὶ τὸ πρόσωπον ἐπεσκιάσθαι προστέτακται*, itemque *lib. III. cap. XI. pag.* 300., vbi de mulieris habitu haec praecipit: *κεκαλύφθω τὰ πάντα, πλὴν εἰ μὴ οἶκοι τύχοι· σεμνὸν γὰρ τὸ σχῆμα καὶ ἀκατάσκοπον· καὶ ἤ ποτε αὐτὴ σφαλήσεται, πρὸ τῶν ὀμμάτων τὴν αἰδῶ καὶ τὴν ἀμπεχόνην θεμένη· ὅτε ἄλλον εἰς ὅλισθον ἁμαρτίας ἐκκαλέσεται, τὸ πρόσωπον ἀπογυμνεμένη.* Cferri poſſunt, quae de hoc ritu obſeruavit Bergius *l. l. p.* 767. *ſq.*

12) In hac enim cum viri ſignum agnoſceret, impium iudicavit, eam vlla ex parte violare, *l. III. cap. III. pag.* 263. et 266. aut ſi vel maxime nonnihil tondeatur, tamen non omnino eam denudari voluit, *εἰ δέ τις*, inquiens, *eiusd. libr. cap. XI. pag.* 289. *καὶ κείραιτό τι τῇ γενείῳ, ἢ μέντοι παντελῶς ψιλωτέρον αὐτό· αἰσχρὸν γὰρ τὸ θέαμα·* hincque et poſt addidit *pag. ſq. ἐπεὶ δὲ ἐκ ὡραϊσμῦ χάριν ἡ κεφὰ παραληπτέα, διὰ περίζασιν δέ· τὰς μὲν τῆς κεφαλῆς τρίχας, ὡς μὴ αὐξόμεναι ταῖς ὄψεσιν ἐμποδίζοιεν καταβαίνεσαι, καὶ ἴσως τὰς ἐπὶ τῷ μύζακι μολυνομένας κατὰ τὴν τριχὴν περικαρτέον· ἢ ξυρῷ· ἀγεννὲς γάρ· ἀλλὰ ταῖς δυοῖν μαχαίραις ταῖς κειρικαῖς· τὰς δὲ τῇ γενείῳ, μηδέν τι παραλυπέσας, ἐκ ἐνοχλητέον. σεμνότητα μὲν τῇ προσώπῳ καὶ κατάπληξιν γεννητικὴν ἐμποιέσας.*

13) Ad notiſſimum illud Ieſu dictum apud Matth. X, 30. prouocans *c. III. p.* 263. vbi *ἀλλὰ καὶ*, inquit, *αἱ τρίχες τῆς κεφαλῆς ὑμῶν πᾶσαι ἠριθμημέναι, φησὶν ὁ Κύριος· ἠρίθμηνται δὲ καὶ ἐπὶ τῷ γενείῳ, καὶ μὴν καὶ αἱ περὶ ὅλον τὸ σῶμα· οὐδ' ὅπως τι οὖν ἐκτιλτέον παρὰ τὴν προαίρεσιν τῇ θεῇ, τὴν ἐγκατηριθμημένην τῷ αὐτῇ θελήματι·* hincque et poſt *pag.* 266. *χρὴ δέ*, ait, *τὸν ὀρθῶς παιδαγωγέμενον, ἐφ' ὃν ἡ εἰρήνη κατεσκήνωσεν, καὶ πρὸς τὰς ἑαυτῇ τρίχας εἰρήνην ἄγειν.*

cunque ornatum improbauit [14]). Neque tamen haec in hanc partem ſunt accipienda, ac ſi omnem in veſtibus munditiam et decori curam ſusque deque haberi voluiſſet, omnemque prorſus ornatum reſpuiſſet, imo vero non modo illam, cum probe intelligeret, eam ad corporis adeo ſanitatem non parum conferre [15]), diſerte poſtulauit [16]), verum et hunc adeo admiſit, ita tamen, vt ne nimium voluptatibus ea in re concederetur [17]), atque corporis etiam pulchritudini, diligenti ſanitatis eius itemque iucundae ab bene compoſitae membrorum ipſius formae cura habenda, proſpici voluit [18]). Tum

---

14) *Lib. III.* ſaepius iam laud. *cap. III.* quod totum ſcriptum eſt *πρὸς τὰς καλλωπιζομένας τῶν ἀνδρῶν*, qui ipſi ſtatim ab initio capitis dicuntur *κεραὶ μὲν ἀγεννεῖς, καὶ πορνικὰς ἀποκειρόμενοι· χλανίσι δὲ διαφανέσι περιπεμμένοι· καὶ μαζίχην τρώγοντες, ὄζοντες μύρα·* quosque paulo poſt *pag.* 262. ita carpit: *ἄνδρα δὲ ὄντα κτενίζεσθαι καὶ ἀποκείρεσθαι ξυρῷ, πρὸς εὐπρέπειαν καὶ πρὸς τὸ ἔσοπτρον διατιθέμενον τὰς τρίχας· ξύρεσθαί τε καὶ ἀποτίλλεσθαι, καὶ λεαίνεσθαι τὰς γένας, πῶς οὐ γυναικεῖον; καὶ εἰ μή τις αὐτοὺς γυμνὰς ἴδοι, κἂν γυναῖκας ὑπολάβοι.*

15) Vnde *l. l. pag.* 261. *μὴ γὰρ*, inquit, *καθαρεύοντες καλλωπισμᾷ, ἐχ ὑγιαίνουσιν.* Cfratur etiam locus infra *not.* 18. laudandus.

16) *Lib. II. cap. X. pag.* 238. vbi haec habet: *τὸ δὲ καὶ σύρειν τὰς ἐσθῆτας ἐπ' ἄκρας καθιεὶς τὰς πόδας, κομιδῇ ἀλαζονικόν, ἐμποδὼν τῇ ἐνεργείᾳ τᾷ περιπατεῖν γινόμενον, καλλύντρα δίκην, ἐπισυρομένης τῆς ἐσθῆτος τὰς ἐπιπολαίας τῆς γῆς ἀχυρμίας·* pauloque poſt haec ſubiicit: *καθάπερ ἓν περὶ τὴν κατασκευὴν τῶν ἐσθήτων καθαρευτέον πάσης ἀτοπίας, ὅτῳ δὲ καὶ τῆς χρήσεως τὴν ἀμετρίαν εὐλαβητέον. οὐδὲ γὰρ ὑπὲρ γόνυ, καθάπερ τὰς Λακαίνας φασὶ παρθένας, ἐξολίσθαι καλόν· οὐδὲν γὰρ μέρος ὀτιῦν ἀπογυμνᾶσθαι γυναικὸς, εὐπρεπές.* Hinc etiam *lib. III. cap. XI. pag.* 285. *ὡς γὰρ*, inquit. *ϛρατιώτης, καὶ ναύτης, καὶ ἄρχοντος, ἕτως δὲ καὶ σώφρονός ἐϛιν οἰκεία ϛολὴ, ἡ ἀπρίεργος, καὶ εὐσχήμων, καὶ καθάριος·* et *pag. ſeq.* hanc vniverſam legem ſcribit: *ἕϛων δὲ αἱ ἐσθῆτες ἁρμόζεσαι ἡλικίᾳ, προσώπῳ, τύποις, φύσει, ἐπιτηδεύμασιν.*

17) Quod ſtatim ab initio *cap. XI.* modo laud. *pag.* 285. his verbis ſignificauit: *τὸ χρυσοφορεῖν καὶ τὸ ἐσθῆτι μαλακωτέρᾳ χρῆσθαι, ὀ τέλεον περικοπτέον· γαλινωτέον δὲ τὰς ἀλόγους τῶν ὁρμῶν, μὴ εἰς τὸ ἀβροδίαιτον ἡμᾶς ἐνσείσωσι φέρουσαι, ὑπὸ πολλῆς τῆς ἀνίσεως ἐξαρπάσασαι.*

18) In quam rem locus inprimis memorabilis in eodem *Cap. XI. pag.* 291. legitur, qui ita habet: *ἔπειτα καὶ τὸ σωματικὸν*

vero ignotus etiam *Constitutionum Apostol.* quae Clementi Rom. vulgo tribuuntur, auctor, tertio, vt videtur saeculo assignandus [19]), de viri vestitu et comarum cultu haec edixit, eum omni ornatu et vestitu exquisitiore debere abstinere, ne mulieres illo capiantur, eaque re vel ipse ad peccandum irritetur, vel illis certe peccandi occasio praebeatur [20]), comam autem neque nutrire, neque alio modo ornare [21]), barbae tamen

---

κάλλος ἠσκήσθω, συμμετρία μελῶν καὶ μερῶν μετ' εὐχροίας. ἡ κομμωτικὴ τῆς ὑγιείας ἐνταῦθα εὔθετος, καθ' ἣν ἡ τȣ̃ εἰδώλȣ τȣ̃ ἐπιπλάσȣ εἰς τὸ ἀληθὲς μετάβασις, κατὰ τὸ σχῆμα, τὸ ἐκ τȣ̃ θεȣ̃ δεδομένον, περιγίνεται. δεινὴ δὲ καλλωπίσαι κατὰ φύσιν ἡ τῶν ποτῶν εὐκρασία, καὶ ἡ τῶν σιτίων συμμετρία. ȣ̃ γὰρ μόνον τὴν ὑγίειαν ἴσχει τὸ σῶμα ἐκ τȣ́των, ἀλλὰ καὶ τὸ κάλλος διαφαίνεσθαι ποιεῖ. ἀπὸ γὰρ τȣ̃ πυρῶδȣς τὸ ȣ̃ιλπνὸν καὶ μαρμαρυγῶδες περιγίνεται· ἀπὸ δὲ τȣ̃ ὑγρȣ̃, τὸ λαμπρὸν καὶ κεχαρισμένον· ἀπὸ δὲ τȣ̃ ξηρȣ̃, τὸ ἀνδρῶδες, καὶ πάγιον· ἀπὸ δὲ τȣ̃ αερώδȣς, τὸ εὔπνουν καὶ ἰσοȣ́σιον· ἐξ ὧν ὁ εὔρυθμος καὶ καλὸς ȣ̃τος ἀνδριὰς τȣ̃ Λόγȣ κεκόσμηται. ἄνθος δὲ τῆς ὑγιείας ἐλευθέριον τὸ κάλλος. ἡ μὲν γὰρ, ἔνδον τȣ̃ σώματος ἐργάζεται· τὸ δὲ, εἰς τὸ ἐκτὸς τȣ̃ σώματος ἐξανθῆσαν, φανεραὶν ἐνδείκνυται τὴν εὔχροιαν. αἱ γȣ̃ν κάλλισαι καὶ ὑγιεινότατα ἀγωγαὶ, διαπονȣ̃σαι τὰ σώματα, τὸ κάλλος τὸ γνήσιον καὶ παράμονον ἐργάζονται.

19) Qua in re Cotelerii iudicium sequimur huic libro in edit. *P. P. App. To. I. pag.* 195. *ff.* praemissum, quippe quod nobis argumentis inprimis idoneis niti videtur. Reliquas vero virorum doctorum de hoc scripto sententias enarratas deprehendes in Fabricii *Bibl. graec. l. V. c.* 1. *§* 12. *Vol. VII. pag.* 24. *ff.* et *l. VI cap.* 1. *§. 7. Vol. XII. pag.* 155. *ff.* edit. Harles. (Nimirum quae in Harlesiana operis Fabriciani editione his ipsis laudatis locis reperiuntur additamenta ad priorem locupletissima ab ipso b. Keilio auctore profecta sunt. Ed.)

20) *Lib. I c.* 3. *To. I. pag.* 203. vbi statim ab initio Capitis *μὴ*, inquit, *καλλωπιζόμενος εἰς τὸ ἀγρευθῆναι τινα ἑτέραν ἐπὶ σοί·* tumque nonnullis interiectis *pag. seq.* haec addit: *τὸ ὑπὸ τῆς φύσεως σοι δεδομένον ἐκ θεȣ̃ κάλλος μὴ προσεπικαλλώπιζε, ἀλλὰ ταπεινοφρόνως μετρίασον αὐτὸ πρὸς ἀνθρώπȣς, οὕτω τὴν τρίχα σȣ τῆς κόμης μὴ παρατρέφων, μᾶλλον δὲ συγκόπτων καὶ καθαίρων αὐτὴν· ἵνα μὴ κατακτενιζομένȣ σȣ καὶ ἄσκυλτον τηρȣ̃ντος τὴν κεφαλὴν, ἢ καταμεμυρισμένȣ σȣ, ἐπαγάγῃς σεαυτῷ τὰς οὕτως ἀγρευομένας ἢ ἀγρευȣ́σας γυναῖκας. Μηδὲ ἐπιτετηδευμένῃ σὺ τῇ ἐσθῆτι χρήσῃ εἰς ἀπάτην, μηδὲ ἀναξυρίδας, ἢ κρηπῖδας σου τοῖς ποσὶ κακοτέχνως ὑπορράψῃς· ἀλλὰ τὸ τῆς σεμνότητος καὶ τῆς χρείας μόνον· μηδὲ χρυσήλατον σφενδόνην τοῖς δακτύλοις σοῦ περιθῇς, ὅτι ταῦτα πάντα ἑταιρισμȣ̃ τεκμήρια ὑπάρχει, ἅπερ παρὰ τὸ προσῆκον ἐπιτηδεύων οὐ ποιήσεις δικαίως.*

21) Qua de re praeter ea, quae admonuerat iam in loco

pilis parcere [22]). Simili modo *Athanasius* [23]) etiam atque *Cyrillus Hieros.* [24]) vestimenta ad corpus tegendum vnice dixerunt conferenda esse, hincque omnem in iis ornatum improbarunt. Neque aliter de iis statuisse videtur *Gregorius Naz.* cum non modo inter laudes fororis suae Gorgoniae et hanc commemorauerit, quod squalidum corpus et indumentum habuerit virtute sola florens [25]), licet alibi ipse dixerit, non esse

---

superiore haec adhuc verbis vltimum recitatis subiungit: *πιεῷ γὰρ σοι ὄντι καὶ ἀνθρώπῳ τȣ̃ θεȣ̃ ἐκ ἕξεσι σοι τρέφειν τὰς τρίχας τῆς κεφαλῆς, καὶ ποιεῖν εἰς ἕν ὃ ἐσι σπατάλιον ἢ ἀπόχρυμα, ἢ μεμερισμένην τηρεῖν· οὐδὲ μὲν ὀγκοποιεῖν, ἢ διαξαίνοντα τε καὶ πλάσσοντα οὖλην διατιθεῖν, ἢ ξανθοποιεῖν αὐτὴν.*

22) Quod *ibid.* his verbis tradit *pag.* 205. *χρὴ δὲ ȣ̃δὲ γενείȣ τρίχα διαφθείρειν, καὶ τὴν μορφὴν τȣ̃ ἀνθρώπȣ παρὰ φύσιν ἐξαλλάσσειν. Ὁυκ ἀπομαδαρώσετε γὰρ, φησὶν ὁ νόμος, τȣ̀ς πώγωνας ὑμῶν. Τȣ̃το γὰρ γυναιξὶν εὐπρεπὲς ὁ κτίσας ἐποίησε θεός· ἀνδράσι δε ἀνάρμοσον ἐδικαίωσε. Σὺ δὲ ταȣ̃τα ποιῶν διὰ ἀρέσκειαν, ἐναντιȣ́μενος τῷ νόμῳ, βδελυκτὸς γενήσῃ παρὰ θεῷ τῷ κτίσαντι σε κατ᾽ εἰκόνα ἑαυτȣ̃.* Ad hunc vero locum aperte respexit Epipbanius *haer. LXXX. no.* 7 *To. I. Opp. pag.* 1073. edit. Petav. vbi in Massilianis, de quibus ibi agit, hoc carpit, quod barbam, *τὴν μορφὴν τȣ̃ ἀνδρὸς*, rescecent, et capillos prolixiores habeant, tumque haec addit: *περὶ μὲν ȣ̃ν τȣ̃ γενείȣ ἐν ταῖς διατάξεσι τῶν Ἀποςόλων φάσκει ὁ θεῖος λόγος καὶ ἡ διδασκαλία μὴ φθείρειν, τȣτέςι μὴ τέμνειν τρίχας γενείȣ, μηδὲ ἑταιριȣμῷ κατακομεῖσθαι, μητὲ ὑπερηφανίας ὑπόδειγμα δικαιοσύνης τὴν προσέλευσιν ἔχειν·* cuius postremi commatis verba dubitamus ad verba Pseudo-Clementis: *μηδὲ ἀναξυρίδας ἢ κρηπίδας σου τοῖς ποσὶ κακοτέγνως ὑπȣρράψῃς not.* 20. a nobis allata recte a Cotelerio in *not.* ad *h. l.* referri; at priora ad verba modo recitata referenda esse, nulli profecto dubitationi potest obnoxium esse.

23) In *exhort.* ad *Monach.* cuius latina tantum versio extat, *To. II. Opp. pag.* 620. edit. Colon. *Illud autem*, inquiens, *extra omnem commonitionem puto, vt sit victus facilis, vestitusque vilis, cum haec tegendi corporis gratia reperta sint, non ornandi: et illa sustinendae animae potius, quam obruendae.*

24) *Catech. IV. n.* 29. *pag.* 66. edit. Toutt. haec *περὶ ἐνδύματος* praecipiens: *ἔνδυσις δὲ σοι λιτὴ περικείσθω, μὴ πρὸς καλλωπισμὸν, ἀλλὰ πρὸς ἀναγκαίαν σκέπην· μηδὲ ἵνα χαννωθῇς, ἀλλ᾽ ἵνα ἐν χειμῶνι θερμανθῇς, καὶ τȣ̃ σώματος τὴν ἀσχημοσύνην καλύπτῃς· μὴ προφάσει τȣ̃ τὴν ἀσχημοσύνην καλύπτειν, ταῖς περιέργοις ȣολαῖς εἰς ἑτέραν ἀσχημοσύνην ἐμπέσῃς.*

25) *Orat. XI. To.* 1. *Opp. p.* 184. edit. Morell. *ὦ πιναρȣ̃ σώματος καὶ ἐνδύματος, ἀρετῇ μόνον ἀνθȣ̃ντος!* ad quae verba

vili veſtitu gloriandum [26]), ſed veſtes ſplendidiores hoc etiam nomine diſſuaſerit, quod Satanas facile occaſionem ab iis arripiat, hominem laedendi [27]). Eandem vero ſententiam *Baſilius* etiam *M.* diſerte profeſſus eſt. Is enim cum et ipſe unum veſtimenti conſilium in corpore tegendo agnoſceret [28]), non niſi id, quod neceſſarium fit, in eo ſectandum, omninoque viliora quaeque [29]) et ad plures vſus facientia [30]) in corpore veſtiendo adhibenda eſſe iudicauit, ita tamen, vt temporis

---

videnda ſunt, quae obſeruauit Elias Cretenſ. in *Comment. ad h. l. To. II. pag.* 614.

26) His verbis vſus *Carm. III. v.* 299. *To. II. pag.* 61.
Παρθένε θρύπτεό μοι μηδ᾽ ἐν ῥυπέωσι χιτῶσιν.
Ἐξι καὶ εὐτελίης τὶ κακὸν ὁρόωντας ἰαίνειν.

27) *Orat. XXXI. To. I. p.* 503. *ſq.* virgini chriſtianae haec iniungens: *ἀπρόσιτον ἑαυτὴν φύλαττε, καὶ λόγῳ, καὶ ἔργῳ, καὶ βίῳ, καὶ διανοήματι, καὶ κινήματι· πανταχόθεν ὁ πονηρὸς περιεργάζεται σε, πάντα κατασκοπεῖ, ποῦ βάλῃ, ποῦ τρώσει, μή τι παραγυμνόμενον εὕρῃ καὶ πρὸς πληγὴν ἕτοιμον. ὅσῳ καθαρωτέραν ὁρᾷ, τοσούτῳ μᾶλλον σπιλῶσαι φιλονεικεῖ· καὶ γὰρ ἐσθῆτος λαμπρᾶς οἱ σπίλοι περιφανέστεροι.*

28) Quod *epiſt. III. §.* 6. *To. III. Opp. pag.* 74. edit. Bened. his verbis profitetur: *σκοπὸς ἐσθῆτος εἷς, κάλυμμα εἶναι σαρκὸς πρὸς χειμῶνα καὶ θέρος αὐτάρκες*, hincque mox: *ἐν τῷ ἐνδύματι*, inquit, *ἡγεῖσθαι προσήκει τὸ χρειῶδες.* Idem tradit etiam in *regul. fuſ. tract. Interr. XXII. §.* 2. *To. II. pag.* 367.

29) *Epiſt. XXII. §.* 2. *pag.* 100. eiusd. Tom. haec ſcribens: *ὅτι δεῖ εὐτελέσι κεχρῆσθαι τοῖς πρὸς τὴν χρείαν τοῦ σώματος. ὅτι ὃ δεῖ ὑπὲρ τὴν χρείαν καὶ πρὸς δαψίλειαν ἀναλίσκειν ἐδέν, ὅπερ ἐξι παράχρησις.* Eodem vero etiam pertinent, quae ab initio loci *ſup. not.* laud. leguntur, vbi de corporis habitu haec praecipit: *σχῆμα ἠμελημένον· κομῆ αὐχμηρὰ· ἐσθῆς ῥυπῶσα. — μήτε δὲ ἐν χρώματι τὸ ἀνθηρὸν διωκέσθω· μήτε ἐν τῇ κατασκευῇ τὸ λεπτὸν καὶ μαλακόν. — ἀλλὰ μὴν καὶ παχύτητος ὅτως ἔχειν ὁ χιτὼν ὀφείλει, ὡς μὴ δεῖσθαι κοινονεῖ πρὸς τὸ θάλπειν τὸν ἐνδυόμενον. ὑπόδημα δὲ τὸ ἐυτελὲς μὲν κατὰ τὴν ἀξίαν, ἀνενδεῶς δὲ τὴν χρείαν ἀποπληρεῦν.*

30) Quam in rem in *regul. fuſ. tract. l. l. §.* 2. haec habet: *ἐπεὶ μεν τοι καὶ ἐν αὐτοῖς τούτοις τὰ μὲν ἐξὶ πολύχρηςα, τὰ δὲ ἥττονα, ἀκόλουθον προτιμᾶν, ὅσα ἐπὶ πλείονας ἕλκεσθαι χρείας δύναται, ὥςε μηδὲν τὸν τῆς ἀκτημοσύνης παραβλάπτεσθαι λόγον· καὶ μὴ ἄλλα μὲν εἶναι τὰ πρὸς ἐπίδειξιν ἡμῖν παρεσκευασμένα, ἄλλα δέ πρὸς τὴν κατ᾽ οἶκον χρείαν· καὶ ταῦτα πάλιν ἕτερα μὲν τὰ μεθημερινά, ἕτερα δὲ τὰ ἐν τῇ νυκτὶ ἐπιβλήματα· ἀλλὰ*

ſimul, loci, perſonae atque neceſſitatis ratio habeatur [31]), ornatum autem quemcunque cum in veſtibus, tum in reliquo etiam corporis cultu, ab homine chriſtiano longiſſime voluit abeſſe [32]). Simili denique modo *Chryſoſtomus* quoque ornatum ad veſtes, omninoque corporis cultum adhibitum acriter impugnauit [33]), eumque mulieribus potiſſimum diſſuaſit [34]).

Quod vero latinae eccleſiae Patres attinet, *Tertullianus* primum quemadmodum vniuerſum hominum corpus durius haberi poſtulauit [35]), ita omnem etiam

---

ἐπινοεῖν ἑνὸς τοιούτου τὴν κτῆσιν, ὃ πρὸς πάντα ἡμῖν ἐξαρκεῖν δύναται, πρός τε τὴν εὐσχήμονα μεθ᾽ ἡμέραν περιβολὴν, καὶ πρὸς τὴν ἀναγκαίαν ἐν τῇ νυκτὶ.

31) Quod diſerte monet in *regul. brev. tractat. interr.* 210. *To. II. p.* 486. vbi ad quaeſtionem: τίς ἐστιν ἡ ὑπὸ τοῦ ἀποστόλου παραδεδομένη κατάστολὴ κόσμιος? haec reſpondet: ἡ πρὸς τὸν σκοπὸν τὸν ἴδιον σεμνοπρεπὴς χρῆσις, ἐξοχασμένη καιροῦ, τόπου, προσώπου χρείας. ὁ γὰρ τὰ αὐτὰ ἐγκρίνει ὁ λόγος σκεπάσματα ἐν καιρῷ χειμῶνος καὶ θέρους, ὅτε τὸ αὐτὸ σχῆμα τοῦ ἐργάτου, καὶ τοῦ ἀναπαυομένου, τοῦ ὑπηρετοῦντος καὶ τοῦ θεραπευομένου, τοῦ στρατιώτου καὶ τοῦ ἰδιώτου, ἢ ἀνδρὸς καὶ γυναικός.

32) *Epiſt. XXII. l. l.* ὅτι δ᾽ δεῖ, inquiens, καλλωπίζεσθαι ἐν ἱματίοις ἢ ὑποδήμασιν, ὅπερ ἐστὶ περπέρεια. Tum vero in eandem rem plura quoque ab eo diſputantur in loco aliquoties iam laud. *regul. fuſ. tract.* vbi omnino poſtulat, vt chriſtiani eiusmodi ſimplicitati in omnibus, inprimis vero veſtimentis, ſtudeant, vt vel ex ipſo indumento tales agnoſcantur, eoque ipſo ſimul ad vitam ipſorum religioni conſentaneam agendam admoneantur.

33) Vt factum v. c. eſt in libr. *de virgin.* §. 62. *Opp. p.* 336. edit. Duc. vbi pluribus docet, aurea ornamenta, eaque veſtibus etiam inſperſa, cum formae nocere, tum deformitatem quoque augere, itemque *Homil. II. in* 1 *epiſt ad Timoth. Opuſc. in N. T. To. VI. pag.* 416. *ſq* vbi in illud Sirac. XI. 4. dictum: ἐν περιβολῇ ἱματίων μὴ καυχήσῃ commentatur, et quam vana ſit eiusmodi gloriatio oſtendit, tumque aromatum etiam et vnguentorum vſum reprehendit.

34) Quod inprimis docet locus *Homil. XC. in Matth. Opuſc. in N. T. To. I. pag.* 921 *ſq.* vbi in mulieres, quae aureo ornatu delectentur, acerbe inuehitur, et damna atque incommoda inde oriunda pluribus enarrat.

35) Quod teſtatur locus in *libr. de patient. cap.* 13. *To. IV. Opp. p.* 97. vbi iniectae patientiae corporis mentione. *Quae igitur,* inquit, *negotiatio patientiae in corpore? Inprimis*

illius ornatum cultumque exquisitiorem abhorruit, eumque non modo in viris [36]), sed in ipsis etiam mulieribus adeo improbauit, vt in duobus peculiaribus libris *de habitu muliebri* et *de cultu feminarum* [37]) eum impugnaret, et non nisi illis mulieribus aliquem eius vsum relinqueret, quibus vel per facultatum suarum rationes, vel per natalium aut dignitatis conditionem cuiusdam splendoris prae se ferendi vel necessitas imponeretur, vel licentia concederetur, illum tamen et ipsum admodum temperatum [38]), contra vero simplicitatem potius et munditiem necessariam omnibus commendaret [39]). Neque tamen in hoc argumento tractando, vt multi iam agnouerunt, commodis vbique argumentis vsus fuisse deprehenditur, quippe cum

---

afflictatio carnis hostia Domino placatoria per humiliationis sacrificium, quum sordes cum angustia victus Domino libat, contenta simplici pabulo puroque aquae potu, quum ieiunia coniungit, quum cineri et sacco inolescit.

36) Contra quorum ornatum in *libr. de cultu femin. cap.* 8. *To. III. pag.* 60. disputat, eumque his verbis describit: *Proprias praestigias formae et hic sexus sibi agnoscit, barbam acrius caedere, intervellere, circumdare capillum, disponere, etiam colorare canitiem, primam quamque subducere corporis lanuginem, pigmento quoque muliebri distinguere, caetera pulueris cuiusdam asperitudine levigare, tum speculium omni occasione consulere, anxie inspicere.*

37) Nisi vnum tantum scriptum duobus libris distinctum cum Rigaltio et Schroeckhio (*Christl. Kirchengesch. Vol. III. pag.* 376. *edit. II.*) in iis agnoscere malueris. Id enim arctissimo vtriusque libri nexu, quem Semlerus etiam *To. III. pag.* 40. *not.* 25. paucis indicauit, admodum profecto probabile redditur.

38) Quod *cap.* 9. *libr. de cult. femin. pag.* 62. his verbis tradit: *Si quas vel diuitiarum suarum, vel natalium, vel retro dignitatum ratio compellit, ita pompaticas progredi: vt sapientiam consecutae, temperare saltem ab huiusmodi curate, ne totis habenis licentiam vsurpetis praetextu necessitatis.*

39) *Non supergrediendum,* inquiens, *ejusd. libr. cap.* 4. *pag.* 55. *vltra quam quod simplices et sufficientes munditiae concupiscunt, vltra quam domino placere.*

fugam cultus illius atque ornatus [40]) hoc maxime argumento mulieribus perſuadere ſtuduerit, quod ipſis propter primi delicti ignominiam ac culpam per Euam ad illas delatam lugendum potius ſit, quam laetiore et glorioſiore habitu vtendum [41]), quodque pudicitia, cui chriſtiani tanquam templum Dei ſtudere debeant [42]), quaeque non in corporis tantum integritate et ſtupri auerſatione cernatur, ſed ad ornatum quoque et cultum pertineat [43]), illum aperte poſtulet [44]), vſum au-

---

40) Vtrumque autem in libr. *de hab. mul. cap.* 4. *pag.* 40. hunc in modum diſcernit: *Habitus feminae duplicem ſpeciem circumfert, cultum et ornatum. Cultum dicimus, quem mundum muliebrem vocant: ornatum quem immundum muliebrem conuenit dici. Ille in auro, et argento, et gemmis, et veſtibus deputatur: iſte in cura capilli, et cutis et earum partium corporis, quae oculos trahunt.*

41) A quo argumento primum ſtatim librum *de habit. muliab.* exorſus eſt his verbis: *Si tanta in terris moraretur fides quanta merces ejus expectatur in coelis, nulla omnino veſtrum, ſorores dilectiſſimae, ex quo deum vivum cognouiſſet, et de ſua, id eſt de feminae conditione didiciſſet, laetiorem habitum, ne dicam glorioſiorem appetiſſet, vt non magis in ſordibus ageret, et ſqualorem potius affectaret, ipſam ſe circumferens Euam lugentem et poenitentem; quo plenius id, quod de Eua trahit, (ignominiam dico primi delicti et inuidiam perditionis humanae) omni ſatisfactionis habitu expiaret.*

42) Quod argumentum in ſecundi libri initio tractare incipi *cap.* 1. ſtatim haec monens *pag.* 47. *Nam cum omnes templum Dei ſimus, illato in nos et conſecrato ſpiritu ſancto ejus templi aedituus et antiſtes pudicitia eſt, quae nihil immundum nec profanum inferri ſinat, ne deus ille, qui inhabitat, inquinatam ſedem offenſus derelinquat.* Quoniam autem hoc argumentum in omnes Chriſtianos conuenit, ipſe etiam Tertullianus, vt mox docebimus, cum ad mares, tum ad feminas id transtulit.

43) De quo *l. l.* paulo poſt verba modo recitata *pag.* 48. haec habet: *Pleraeque enim — aut ignorantes ſimpliciter, aut diſſimulantes audacter, ita ingrediuntur, quaſi pudicitia in ſola carnis integritate et ſtupri auerſione conſiſtat, nec quicquam extrinſecus opus ſit, de cultus dico et ornatus diſpoſitione.* Id autem vtique ita ſe habere, pluribus jam confirmat *cap.* 2.

44) Hoc autem argumentum, vt monuimus jam, non ad foeminas tantum, ſed viros etiam accommodat, hincque et his

tem eius propterea potissimum dissuaserit, quod omnis ille ornatus ab angelis malis, mulierum humanarum amore captis, fuerit inuentus [45]), nominatimque fucus, genis adhiberi solitus, a diabolo suppeditatus [46]), quodque tum hinc [47]), tum vero et hac de causa Deo non

---

cap. 8. post verba *not.* 36. recitata haec scribit *pag.* 61. *Cognito deo adempta placendi voluntate, per luxuriae vacationem, omnia illa, vt otiosa, vt hostilia pudicitiae, recusantur. Nam vbi deus, ibi pudicitia, ibi grauitas, adjutrix et socia ejus. Quo ergo pacto pudicitiam sine instrumento ejus, id est, sine grauitate tractabimus? quomodo autem grauitatem administrandae pudicitiae adhibemus? nisi et in facie et in totius hominis contemplatione seueritas circumferatur?*

45) Quod argumentum in *cap.* 2. *de hab. mul.* nominatim tractat, in quo statim ab initio haec eam in rem leguntur: *Nam et illi, qui ea constituerunt, damnati in poenam mortis deputantur: illi scilicet angeli, qui ad filias hominum de coelo ruerunt, vt haec quoque ignominia feminae accedat. Nam cum et materias quasdam bene occultas, et artes plerasque non bene reuelatas, seculo multo magis imperito prodidissent (siquidem et metallorum opera nudauerant, et herbarum ingenia traduxerant, et incantationum vires prouulgauerant, et omnem curiositatem vsque ad stellarum interpretationem designauerant) proprie et quasi peculiariter feminis instrumentum istud muliebris gloriae contulerunt: lumina lapillorum, quibus monilia variantur: et circulos ex auro, quibus brachia artantur: et medicamenta ex fuco, quibus lanae colorantur: et illum ipsum nigrum pulverem, quo oculorum exordia producuntur.*

46) Quod *l. l. cap.* 4. *pag.* 55. *sq.* hoc modo efficere studet: *Nam quis corpus monstraret mutare, nisi qui et hominis spiritum malitia transfigurauit? ille indubitate hujusmodi ingenia concinnauit, vt in nobis quodammodo manus deo inferret. Quod nascitur, opus dei est. Ergo quod fingitur, diaboli negotium est. Diuino operi Satanae ingenia superducere quam scelestum est?*

47) In quam rem *de hab. mul. c.* 8. *pag.* 44. haec leguntur: *Quis enim est honor iustus de adulterio colorum iniustorum? Non placet deo, quod non ipse produxit. nisi si non potuit, purpureas et aerinas oues nasci jubere. Si potuit, ergo iam noluit; quod deus noluit, vtique non licet fingi. Non ergo natura optima sunt ista, quae a deo non sunt autore naturae, sic a diabolo esse intelliguntur, ab interpolatore naturae. Alterius enim esse non possunt, si dei non sunt: quia aemuli sint, necesse est, quae dei non sunt, alius autem praeter diabolum et angelos eius, aemulus dei non est.*

poſſit non diſplicere, quod haud obſcure eius reprehenſionem aliquam prodat [48]), inque eum ſit iniurioſus [49]). Virgines autem, vbi nubiles euaſerint, velari eum voluiſſe, ex ipſius *de virginibus velandis* libro [50]) ſatis iam conſtat. Ad eundem modum *Cypriani* etiam liber *de habitu mulierum* extat, in quo multa habet Tertulliani dictis ſimillima, atque et ipſe in mulierum ornatum acerrime inuehitur, eumque cum caſtitate et continentia conciliari poſſe negat [51]), hincque non niſi

---

48) Qua de re haec habet in libr. *de cult. femin.* poſt verba *not.* 39. laud. *In illum* (dominum) *enim delinquunt, quae cutem a medicaminibus vnguent, genas rubore maculant, oculos fuligine colligunt: diſplicet nimirum illis plaſtica dei, in ipſis redarguunt, reprehendunt artificem omnium. Reprehendunt enim, cum emendant, cum adiiciunt, vtique ab adverſario artifice ſumentes additamenta iſta, id eſt diabolo.*

49) Quod in ejusd. libr. *cap.* 6. his verbis tradit *pag.* 57. *Sed enim dominus ait,* quis veſtrum poteſt capillum atrum ex albo facere, aut album ex atro? *hae, quae reuincunt deum. Ecce, inquiunt, pro albo vel atro flauum facimus, gratiae faciliorem: quamuis et atrum ex albo conantur facere, quas poenituit ad ſenectam vsque vixiſſe.* Praeterea vero huc etiam pertinet, quod paulo poſt addit *cap.* 7. *pag.* 59. *Neſcio,* inquiens, *quas enormitates ſubtilium atque textilium capillamentorum, nunc in galeri modum quaſi vaginam capitis et operculum verticis, nunc in ceruicem recto ſuggeſtum. Mirum, quod contra domini praecepta contenditur. Ad menſaram neminem ſibi adiicere pronunciatum eſt. Vos plane adiicitis ad pondus collyridas quasdam, vel ſcutorum vmbilicos cervicibus aſtruendo, etc.*

50) Cuius argumentum paucis enarrarunt Schroeckhius *l. l. p.* 375. atque Staeudlinus in *Geſchicht. d. Sittenl. Jeſu*, *Vol. II. pag.* 352 *ſq.*

51) *Pag.* 94. edit. Oper. Brem. *Continentia*, inquiens, *et pudicitia non in ſola carnis integritate conſiſtit; ſed etiam in cultus et ornatus honore pariter ac pudore, vt ſecundum Apoſtolum, quae innupta eſt, ſancta ſit et corpore et ſpiritu;* pauloque poſt *p.* 96. haec addens: *Si tu te ſumtuoſius comas ut per publicum notabiliter incedas, oculos in te iuventutis illicias, ſuspiria adoleſcentium poſt te trahas, concupiſcendi libidinem nutrias, ſuſpirandi fomenta ſuccendas, vt etſi ipſa non pereas, alios tamen perdas, et velut gladium te et venenum videntibus praebeas; excuſari non potes, quaſi mente caſta ſis et pudica. Redarguit te cultus improbus et impudicus ornatus, nec computari jam potes inter puellas et virgines Chriſti, quae ſic viuis, vt poſſis adamari.*

impudicis conuenire iudicat [52]), nominatim vero fucorum lenociniis Deum offendi et iniuriam ipsi inferri defendit [53]). *Hieronymum* autem, cum vitae monasticae prae caeteris fauisse constet, non mirum est, vestimentorum quoque vilitatem et squalorem, in vitae illius praecipuis ornamentis haberi solitum, probasse. Neque tamen quae monachis eam in rem commendavit [54]), omnibus Christianis iniuncta voluit [55]), quan-

---

52) Quam sententiam suam *ibid. pag.* 97. his verbis profitetur: *Ornamentorum ac vestium insignia et lenocinia formarum non nisi prostitutis et impudicis foeminis congruunt, et nullarum fere pretiosior cultus est, quam quarum pudor vilis est. Sic in scripturis sanctis, quibus nos instrui Dominus voluit et moneri, describitur ciuitas meretrix, comta pulcrius et ornata et cum ornamentis suis ac propter ipsa potius ornamenta peritura. — Fugiant castae virgines et pudicae incestarum cultus, habitus impudicarum, lupanarium insignia, ornamenta meretricum.*

53) His verbis vsus *pag.* 99. *Pro timore quem nobis fides suggerit, pro dilectione, quam fraternitas exigit, non virgines tantum aut viduas, sed et nuptas puto, et omnes omnino feminas admonendas, quod opus dei et factura ejus et plastica adulterari nullo modo debeat, adhibito flavo colore, vel nigro puluere, vel rubore, aut quolibet denique lineamenta nativa corrumpente medicamine. Dicit Deus:* Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram; *et audet quisquam mutare et conuertere quod Deus fecit? Manus Deo inferunt, quando id, quod ille formauit, reformare et transfigurare contendunt, nescientes quia opus Dei est omne, quod nascitur, diaboli, quodcunque mutatur. — Quod ornari putas, quod putas comi, impugnatio est diuini operis, praeuaricatio est veritatis. — Num sinceritas perseuerat et veritas, quando quae sincera sunt polluuntur colorum adulteriis et medicaminum fucis in mendacium vera mutantur? Dominus tuus dicit:* Non potes facere capillum vnum album aut nigrum: *et tu ad vincendam Domini tui vocem vis te esse potiorem? Audaci conatu et sacrilego contemtu crines tuos inficis, malo praesagio futurorum capillos jam tibi flammeos auspicaris, et peccas, pro nefas, capite, id est, corporis parte meliore.* De quo loco videnda sunt, quae contra Ceillierium obseruauit Barbeyracius in: - *Traité de la morale des Pères de l'eglise, cap. VIII. §. 32. pag.* 120 *sq.*

54) Ab his enim eum vtique postulasse, vt vestibus sordidis ac vilibus induti incederent, docent v. c. ea, quae in *epist. IV. ad Rustic. p.* 29. huic, tanquam monacho, praecipit: *Sordidae*

quam et his non nisi simplicem et ab omni ornatu remotum consilioque suo vnice respondentem vestitum adhibendum esse statuit [56]). Simili modo *Ambrosius* etiam corporis decorem in homine christiano voluit simplicem esse, et neglectum magis, quam expetitum [57]), hincque cum vestium mollitiem [58]), tum om-

---

vestes candidae mentis iudicia sint, vilis tunica contemtum seculi probet: ita duntaxat, ne animus tumeat, ne habitus sermoque dissentiant. Hinc Hilarionem etiam monachum in *epist.* 51. *To. I. pag.* 153. nihil post mortem dicit reliquisse, nisi tunicam sacceam, cucullam et palliolum.

55) Vnde Nepotianum v. c. clericum in *epist. II. pag.* 10. haec monuisse deprehenditur: *Vestes pullas aeque deuita vt candidas. Ornatus vt sordes pari modo fugiendae sunt: quia alterum delicias, alterum gloriam redolet.* Simili modo in *epist. XIV. ad Celantiam pag.* 74. iniecta loci 1. Petr. III, 3. de ornatu mulierum praecipientis mentione haec addit: *Haec autem praecipiens, non eas iubet squalere, sordibus et horrentibus pannorum assumentis tegi, sed immoderato cultui et nimis exquisito interdicit ornatui, simplicemque commendat ornatum atque habitum.*

56) Quorum prius vti ex locis modo allatis cognoscitur, ita posterius docet locus *lib. XIII. Comment. in Ezech. To. V. p.* 462. vbi de Christiano probo carnem, vt dicit, circumcidente haec habet: *Ergo et caro similiter circumciditur, vt nequaquam faciamus terrena opera, quae pro necessitate corporis facere compellimur, cibum capere et potum et somnum, et vti vestibus, quae tunc circumcidimus, si non ad delicias et ad luxuriam et ad inertiam, sed ad necessitatem naturae et corporis istius sustentaculum cuncta faciamus*; tumque de vestibus nominatim haec addit: *Vestibus quoque vtetur, quae frigus repellant, non quae tenuitate sui corpora nuda demonstrent.* Eodem pertinet etiam, quod in *epist. VII. ad Laetam* de institut. filiae; *To. I. p.* 37. puellam ejus talia vult *vestimenta parare, quibus pellatur frigus, non quibus vestita corpora nudentur.*

57) Haec quippe scribens *l. l. de offic. Ministr. cap. XIX. §.* 83. *To. II. Opp. p.* 23. edit. Bened. *Vt enim artifex in materia commodiore melius operari solet, sic verecundia in ipso quoque corporis decore plus eminet; ita tamen vt etiam ipse non sit affectatus decor corporis: sed naturalis, simplex, neglectus magis, quam expetitus, non pretiosis et albentibus adiutus vestimentis, sed communibus; vt honestati vel necessitati nihil desit, nihil accedat nitori.*

58) De qua *lib. V. exposit. in Eu. sec. Luc. §.* 107. *To. I. p.* 181. ad locum hui. euangel. cap. VII, 25. haec habet: *Ple-*

nem etiam reliquum ornatum in corpore adhiberi ſolitum [59]) vehementer improbauit. Neque aliam, qua ſummam ſaltem rei, *Auguſtinus* de his ſententiam fovit. Is enim quamquam noluit omnibus promiſcue Chriſtianis auri ac veſtium ornatu interdici [60]), nominatimque vxoribus, ſi mariti ipſarum eo delectentur, eius vſum aliquem conceſſit [61]), quanquam et hunc

---

rosque mollioris cura veſtis effeminat, qui quaſi lanae opus ferre non poſſint, ſericas veſtes tectis per terram verrunt veſtigiis, vſuque faciunt vt amictus oneri ſit. Tum vero ad verſ. proxim. §. 108. haec ſubiicit, *Sunt etiam mollia indumenta delicioſi actus et mores: propter quod nos hortatur Apoſtolus, ut exſpoliantes veterem hominem cum actibus ejus, induamus nouum, in quo non dulcis illecebra ſit, ludusque lasciuiae, ſed vſus laboris et fructus; eo quod tenera corporis cura luxuque et laſciuiarum cupiditate mollitos nequaquam coeleſtis aula ſuſcipiat, ad quam duris laborioſae gradibus virtutis adſcenditur.*

59) Quod docet locus *lib.* 1. *de virgin. cap.* 7 *§.* 28. *To. II. pag.* 153. in quo mulieres formam fuco variisque coloribus adulterantes grauiter carpit atque reprehendit.

60) His quidem verbis in *epiſt.* 245. *ad Poſſid. §.* 1. *To. II. Opp. p.* 873 edit. Bened. Venet. vſus: *Nolo tamen de ornamentis auri vel veſtis praeproperam habeas in prohibendo ſententiam, niſi in eos, qui neque coniugati, neque coniugare cupientes, cogitare debent, quomodo placeant Deo. Illi autem cogitant, quae ſunt mundi, quomodo placeant vel viri vxoribus, vel mulieres maritis.* Tum vero huc etiam pertinet locus *libr. VI. contr. Fauſt. cap. IX. To. VIII. pag.* 21. in quo et ipſo docet non omnis generis veſtimenta omnibus conuenire, *Lineis*, inquiens, *veſtibus miſcere purpuram et linoſtima veſte indui aliquando peccatum fuit, nunc non eſt peccatum: ſed inordinate viuere, et diuerſi generis profeſſiones miſcere, vt vel ſanctimonialis habeat ornamenta nuptarum, vel ea quae ſe non continens nupſit, ſpeciem virginis gerat, omni modo peccatum eſt; et ſi quid inconuenienter ex diuerſo genere in vita cuiusque contexitur.*

61) Quod docet locus *epiſt.* 262. *ad Edic. §.* 9. *To. II. pag.* 891. vbi. *Si de faciendis*, inquit, *eleemoſynis et in pauperes impendendis rebus tuis, de quo bono opere et magno tam euidentia praecepta ſunt Domini, cum viro tuo fideli et tecum ſancta continentiae pacta ſeruante conſilia communicare deberes; eiusdemque non ſpernere voluntatem; quanto magis de habitu atque veſtitu nihil tibi praeter eius arbitrium mutandum vel vſurpandum fuit, vnde nihil diuinitus legi-*

nonnullis ſaltem limitibus circumſcriptum [62]); bene tamen intellexit, quanta nimio illius ſtudio moribus hominum damna contrahantur [63]), hincque non potuit non omnibus, qui Deo probari cupiant, id diſſuadere. Contra vero *Gregorius M.* non dubitauit, quemcumque pretioſarum veſtium ornatum in peccati loco ponere [64]).

---

mus imperatum? Scriptum eſt quidem, mulieres eſſe debere in habitu ornato, aurique circumpoſitio et intortio crinium et cetera huiusmodi, quae vel ad inanem pompam vel ad illecebram formae adhiberi ſolent, merito reprehenſa ſunt. Sed eſt quidam pro modulo perſonae habitus matronalis a viduali veſte diſtinctus, qui poteſt fidelibus conjugatis ſalua religionis obſeruantia conuenire. Hunc te maritus ſi deponere noluit, ne te velut viduam illo viuente iactares, puto quia non fuerat in hac re vsque ad diſſenſionis ſcandalum perducendus, magis inobedientiae malo, quam vllius abſtinentiae bono. His vero nonnullis interiectis haec adhuc ſubiiciuntur §. 10. *Neque enim et ille, qui tecum iam ceperat cuſtodire tam magnum continentiae bonum, etiamſi coniugale non viduale voluiſſet vt acciperes indumentum, ad indecentem quoque te compuliſſet vt ornatum: quo ſi et aliqua dura conditione cogereris, poſſes habere in ſuperbo cultu cor humile.*

62) In quam rem in loco *not.* 60. laud. verbis ibi allatis haec ſubiiciuntur: *niſi quod capillos nudare feminas, quas etiam caput velare Apoſtolus iubet, nec maritatas decet. Fucari autem pigmentis, quo vel rubicundior vel candidior appareat, adulterina ſallacia eſt, qua non dubito etiam ipſos maritos ſe nolle decipi, quibus ſolis permittendae ſunt feminae ornari, ſecundum veniam non ſecundum imperium.*

63) Qua de re in *Serm. CLXI.* de *verb. Apoſt.* 1. *Cor. VI.* 9. *§.* 11. *To. V. P. I. pag.* 780. haec habet: *Corporis enim huius, id eſt, exterioris hominis ornamenta quanto magis appetuntur, tanto ſunt interioris maiora detrimenta: quanto autem minus appetuntur ornamenta exterioris hominis, tanto magis moribus pulcris homo interior adornatur.*

64) Quod docet locus *libr. I. hom. VI. §.* 3. *To.* 1. *Opp. pag.* 1454. qui ita habet: *Nemo ergo exiſtimet in fluxu atque ſtudio veſtium peccatum deeſſe: quia ſi hoc culpa non eſſet, nullo modo Iohannem Dominus de veſtimenti ſui aſperitate laudaſſet. Si hoc culpa non eſſet, nequaquam Petrus Apoſtolus per epiſtolam feminas a pretioſarum veſtium appetitu compeſceret, dicens:* Non in veſte pretiola. *Penſate ergo quae culpa ſit, hoc etiam viros appetere, a quo curauit Paſtor eccleſiae et feminas prohibere.* Huic vero ſimillimus eſt alius, qui legitur *lib. II. hom. XL. §.* 3. *ibid. p* 1655. his verbis perſcriptus: *Et ſunt nonnulli, qui cultum ſubtilium*

Ex his vero, comparatis potissimum ipsis scriptorum, quos laudauimus, locis infra a nobis allatis, profecto intelligetur, verissimum esse, quod ab initio monuimus, doctores nostros, quae de amictu et reliquo cultu externo praeceperint, neutiquam ad corporis aliquam castigationem, virtutis colendae causa necessariam, retulisse, sed librorum potius sacrorum, vt ipsis quidem videbatur auctoritate [65]) motos, aliisque argumentis ab ipsa rerum natura petitis ductos defendisse. Hanc vero, cuius ipsi etiam scriptores sacri in praeceptis suis rationem habuerant, cum simul sequerentur, profecto non poterit mirum videri, eos plura tradidisse, quae non cum Platone [66]) solum, sed pluribus etiam aliis philosophis cum antiquis, tum recentioribus, qui de vitae recte moderandae praeceptis solliciti essent, communia haberent, quaeque non magis ab illo, quam his petiisse dici poterint.

---

pretiosarumque vestium non putant esse peccatum. Quod si videlicet culpa non esset, nequaquam sermo Dei tam vigilanter exprimeret, quod diues, qui torquetur apud inferos, byssо et purpura indutus fuisset. Nemo quippe vestimenta praecipua nisi ad inanem gloriam quaerit, videlicet, ut honorabilior ceteris esse videatur. Nam quia pro sola inani gloria vestimentum pretiosius quaeritur, res ipsa testatur, quod nemo vult ibi pretiosis vestibus indui, vbi ab aliis non possit videri. Quam culpam possumus melius etiam ex diuerso colligere: quia si abiectio vilis indumenti virtus non esset, Euangelista vigilanter de Iohanne non diceret: Erat indutus pilis camelorum.

65) Per quam tamen, omniumque minime per religionis christianae praecepta omnem in vestibus splendorem ac reliquum ornatum modo iustis ille limitibus fuerit circumscriptus, in vniuersum quidem neutiquam prohiberi, bene demonstrauit, illosque simul limites apte designauit Reinhardus in: *Syst. der christl. Moral, Vol. II. §.* 258. *et* 259. *pag.* 612. *ff.* edit. recentiss.

66) Hunc autem vtique similia quaedam tradidisse, ex iis cognoscitur, quae ex *lib. XII. de legib.* laudauit Clemens Alex. *l. III. Paedag. cap. XI. To. I. pag.* 286. in quibus tamen hic pro more suo illum iterum dicit Mosem sectatum atque imitatum fuisse, his quidem verbis vsus: *ὁ δὲ καὶ ἐν τούτῳ ἄρα ζηλωτὴς Μωσέως ὁ πάντα ἄριστος Πλάτων ὑφὴν ἐκείνην ἀποδέχεται, ᾗ μὴ πλέον ἔργον πρόσεστι γυναικὸς σώφρονος· χρώματα δὲ λευκὰ πρέποντα ἂν εἴη σεμνότητι, καὶ ἄλλοθι λέγει· καὶ ἐν ὑφῇ δὲ βάμματα μὴ προσφέρειν, ἀλλ' ἢ πρὸς τὰ πολέμου κοσμήματα.*

INDEX

LOCORVM S. S., QVAE PASSIM LAVDATA ET BREVITER EXPLICATA SVNT.

Genes.

C. 1, 27. pag. 525.
2, 7. 689.
3, 22. 524.
4, 6. 726.
6, 2. 575.
6, 6. 524.
8, 21. ib.
11, 5. 482.
20, 3. 526.
30, 11. 610.
49, 1. 37.

Exod.

C. 12, 42. 526.
17, 16. 525.
20, 4. 187.

Levit.

C. 17, 7. 607.

Deuter.

C. 1, 32. 526.
4, 7. 525.
4, 17. 18. 187.
5, 5. 216.
26, 17 18. 526.
32, 8. 480.
— 17. 605.
33, 27. 524.

Iudic.

6, 11. 526.

II. Paral.

C. 11, 15. 607.

Hiob.

C. 1, 6. 578.
— 21. 669.
3, 17. 19. 670.
7, 15. 644.
21, 13. 671.
30, 23. ib.
38, 7. 578.

Psalm.

P. 9, 14. 18. 671.
58, 18. 546.
78, 27. 536.
96, 5. 602. 612.
— 11. 187.
103, 4. 535. 548.
104, 15. 797.
106, 37. 605.
139, 15. 670.
146, 6. 187.

Prov.

C. 8, 22. 493. 517.
— 23, 30. 529.

Kohel.

C. 5, 14. 670.

Iesaiae.

C. 10, 34. 33.
11, 1. ib.
13, 21 607.
34, 14. 608.
45, 12. 524.
48, 13. 525.
58, 3—7. 840.
65, 11. 609.

Ezech.

C. 38, 20. 187.

Dan.

C. 7, 10. 482.
12, 2. 83 n. 16.

Joel.
C. 1, 14. 840.
Zachar.
C. 7, 3. 840.
Esdr. IV.
C. 4, 36. 676.
Tobiae.
C. 12, 8. 840.
— 12, 12. 15. 480.
Iudith.
C. 16, 17. 154. n.
Sap. Sal.
C. 1, 5 — 7. 507 ſq.
7, 18 ſqq. ib.
8, 20. 671.
9, 1 ſqq. 507 ſq.
— 15. 749. n.
12, 1. 507.
15, 11. 671. n.
16, 12. 507.
18, 15. ib.
Sap. Syrac.
C. 1, 1. 4. 506. 510.
— 8. 507. ſq.
— 23. 511.
7, 18. 21. 508.
15, 14 — 17. 725.
24, 3. 10. 507.
— 23. 510.
12, 8. 840. n. 70.
31, 26. 840. n. 69.
Matth.
C. 2, 9. 83, n. 30.
3, 2. 39.
4, 17. 42.
— 23. 44.
5, 3. 43. n. 51.
5, 5. 83, XXVIII.
— 10. 44. 54.
— 19. 53.
— 20. 51.
6, 33. 45. 54.
7, 21. 42. 51.
— 22. 43. 57. 75.
8, 11. 12. 46. 52.
9, 14. 51.
— 15. 801.
9, 35. 44,
10, 7. 6.
10, 23. 83, n. 57.
— 40. 42. 147. 150.
— 41. 83, n. 45.
11, 11. 45. 54.
11, 12. 83, XXIII.
12, 29. 103. n.
— 24. 612.
— 28. 75.
12, 28. 83, XXII.
13, 11. 12.
— 24 ſq. 54.
— 24. 37. 83, XIX.
— 28. 66.
— 33. 642.
— 38. 52
— 40. 41. 46 ſq.
14, 2. 83. n. 11.
16, 19. 56.
— 22. 80.
— 28. 68.
17, 3. 47.
18, 3. 4. 43. 51.
— 6. 147.
— 10. 482.
19, 12. 55. 702. n.
— 20. 51.
19, 27. 83, XXVII.
— 28. 76.
20, 21. 78. 80.
21, 31. 53.
— 43. 45 ſq. 52. 60.
21, 43. 83. n. 40.
22, 2. 58.
23, 8. 146.
— 13. 60.
24, 3. 32.
25, 1. 65.
— 31. 76.
26, 41. 767.
— 64. 69.
27, 52. 35.

23, 26. 83. XXI.
24. 24—29. 83. n. 60.
26, 29. 83. XXVIII.

Marc.

C. 1, 15. 42.
3, 22. 612.
4, 26. 58.
9, 1. 68.
— 41. 42. 146. 150.
10, 15. 51. 60.
10, 15. 83. n. 40.
— 24. 43. 51.
— 29. 60. 76.
— 43. 115.
11, 10. 79.
12, 34. 59.
13, 32. 71.
14, 62. 69.
15, 43. 37.

Luc.

C. 1, 32. 33. 38.
— 68. 69. 29.
2, 11. 39.
— 30. 32. 31.
— 38. 39.
4, 23. 44.
6, 20. 43. 51.
7, 28. 45.
9, 7. 83. n. 11.
9, 27. 68.
9, 35. 48. 44.
10, 9—11. 6. 60.
— 12. 75.
11, 15. 612.
— 20. 75.
12, 29. 30. 76.
16, 16. 54.
16, 16. 83, XXIII.
17, 1. 2. 147.
— 20. 46.
— 21. 74.
17, 20. 21. 83, XX.
— 25. 62.
17, 30. 83, n. 60.
18, 7. 8. 72. 153.
18, 17. 51. 60.
— 29. 61.
— 29. 30. 83, XXVIII.
19, 11. 78. 80.
— 38. 79.
20, 35. 13, n. 15.
22, 16. 53.
— 69. 69.
22, 16. 29. 83, XXVIII.
23, 42. 81.
— 51. 37.
24, 13. 80.
— 21. 79.

Ioh.

C. 1, 12. 44.
— 50. 79.
3, 3. 43. 51.
— 5. 203.
— 6. 757.
3, 11. 83. n. 35.
4, 21—24. 6.
6, 14. 77.
— 29. 5.
— 39. 54. 75.
8, 12. 83. n. 6.
8, 46. 100. n.
9, 2. 83. n. 11.
9, 3. 34. 673.
10, 11. 12. 217.
— 25. 5.
— 30. 500.
11, 24. 75.
12, 13. 79.
— 34. 38.
13, 14. 114.
14, 2. 3. 62 sq.
15, 27. 225. n.
16, 12. 11.
17, 1—5. 185.
18, 36. 45. 56.
18, 36. 37. 83, XVII.
20, 17. 146.
21, 22. 23. 73.

Act. Apost.

1, 6. 82.

— 11. 69.
2, 14 ſqq. 6.
3, 16. 83. n. 18.
4, 10 ſqq. 6.
8, 10. 528.
— 14. 204.
12, 15. 481.
13, 23 ſqq. 6.
— 46. 53.
14, 6. 359.
— 15. 8. 607.
15, 1 ſq. 161.
— 10. 7.
16, 6. 359.
17, 22. 7.
18, 5. 28. 6.
— 23. 57. 361.
19, 1 ſq. 202.
20, 21. 9.
24, 25. 10.
26, 20. 9.

Rom.

3, 30. 230. n.
5, 10. 18.
— 12 ſq. 16.
6, 12. 786.
7, 6. 7.
— 14 ſq. 752.
8, 3. 19. 180.
8, 12. 786.
— 13 ſq. 753.
— 17. 44.
— 38. 39. 189.
14, 9. 192.
14, 17. 83, XXIV.

1. *Corinth.*

3, 1. 11.
— 22. ib.
4, 16. 753.
4, 20. 83, XXVI.
6, 2. 155.
— 19. 204.
8, 5. 613.
9, 10. 359.
— 24. 27. 15.
10, 20. 612.
12, 7 ſq. 203.

2 *Corinth.*

C. 1, 22. 205 ſq.
5, 5. ib.
— 19. 18.
— 21. 19.
— 23. 210.
10, 14. 83. n. 59.

Gal.

C. 1, 6. 363.
2, 5. 365.
— 14. 358.
3, 2 — 5. 202.
— 13. 20.
— 28. 189.
4, 13. 362.
— 21 — 31 14.
5, 2 — 5. 357.
— 16. 756.
— 17. 754.
— 24. 755.

Ephes.

C. 1. 13. 14. 205.
2, 3. 17. 756.
— 22. 204.
4, 30. 205.

Phil.

2, 4 ſq. 172 ſqq.
4, 5. 83. n. 54.

Coloſſ.

1, 15. 176.
1, 13. 83, XXIV.
2, 11. 754.
— 18. 565.
3, 5. 786.

1 *Theſſal.*

2, 16. 83, XXII.
4, 16. 65.
5, 23. 628. 647. n.

2 *Theſſal.*

1, 6. 7. 153.

1 *Timoth.*

5, 23. 798.
6, 13. 83, XVIII.

Tit.
3, 5. 203.
1. *Petr.*
2, 11. 756.
2 *Petr.*
2, 18. 756.
1. *Ioh.*
2, 6. 102.
3, 24. 205.
4, 1. 150 n.
— 13. 205.
Hebr.
1, 3. 176.
— 14, 482.
2, 9. 184.
— 17. 180 n.
3, 9. 83. n. 55.
4, 12. 646.
5, 12. 11.
6, 1. 2. 11.
— 14. 206.
7, 11. 12. 7.
— 26. 100.
8, 8 — 13. 7.
10, 25. 83. n. 54.
12, 2. 127. 182. n. 184.
Iud.
18. 756.
Iac.
1, 14. 756. n.
1, 17. 83. n. 6.
2, 5. 43. n.
Apocal.
5, 13 187.
6, 12 ſqq. 66.
9, 20. 613.

EMENDANDA.

Errorum typographicorum ii tantum notati sunt, qui obscuritatis et dubitationis aliquid adferre posse videbantur. Ceteros leviores, in tanta notarum multitudine et typorum, quibus evscriptae sunt, exilitate vel diligentissimo correctori vix vitandos, doctorum lectorum beneuolentia facile excusabit et emendabit.

Pag. 5. lin. 7. l. accommodata pro accummodata.
— 17. — 1. inobedientiam pro obedientiam.
— 25. — 19. cogitanti pro conitanti.
— 40. — 5. in del. ante intelligi.
— 50. — 14. l. regum pro regnum.
— 83, VIII. n. 55 ult. examinatis facile pr. facile examinatis.
— 83, XXI. l. 3. adiectiv. *visibilem* iungendum est subst. *locum.*
— 83, XXX. l. 8. a. f. post *non possent* excidit alterum *non.*
— 96. — 8. l. doctrinae pr. doctrina.
— 111. — 5. nulli pr. nulla.
— 163. — 15. l. II, 2. pr. XI, 2.
— 215. — 12 not. 5. verti p. veri.
— 232. — 5. not. 2. modo pr. modi.
— 262. — 29. ab pr. ac.
— 271. — 17. ea pr. et.
— 287. — 11. at pr. ad.
— 309. — 9. legi pr. lege.
— 402. — 19. Eusebium pr. Eusebius.
— 415. — 4. aeque pr. aequae.
— 451. — 7. εὐχόμενος pr. εὐχήμενος.
— 453. n. 56 l. p. 451. pr. p. 12.
— 487. — 5. l. δύναμιν pr. δύναμεν.
— 509. not. 88. deest: Loefflerum.
— 541. — 11. f. materiam pr. maieriam.
— 648. — 1. προϋπάρξει pr προϋπαρξει.
— 722. — 13. l. vnice p. vince.
— 784. — 19 Apostolorum p Apostolum.
— 825. n. 27. l. 10. l. nudetur. Bonum pr. nutetur. Bonus.
— 843. n. 7. l. 4. l. vidit pr. vicit.
— 845. l. 10. l. ac pr. ab.

LRBMy'26

Deacidified using the Bookkeeper process.
Neutralizing agent: Magnesium Oxide
Treatment Date: June 2005

PreservationTechnologies
A WORLD LEADER IN PAPER PRESERVATION
111 Thomson Park Drive
Cranberry Township, PA 16066

LIBRARY OF CONGRESS
0 014 383 225 9